
Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In Acta Apostolica homiliæ centum viginti duæ.

https://hdl.handle.net/1874/400938



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

E. fo.
51

24.
r.

N° 361.





Theologia

Folio nº. 51.

N. 27. C

IN ACTA APOSTO
LICA HOMILIAE CENTVM VIGINTI DVAE.

Iohanne Brentio authore.

Status huius libri.
In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Psal. xix.

Ex donatione Bürcheli

HAGANOAE EX OFFICINA PETRI BRVBACCHII. ANNO XXXV. MENSE FEBRVARIO.

REVERENDO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO D. IOHANNI SCHOPPERO ABBATI IN HEILS BRVNNEN, DOMINO SVO PLVRIMVM OBSERVANDO.



ITTO AD TE HOMILIAS, REVE rende in Christo Pater, quibus librum Euangeliſtæ Lucæ, cui titulus eſt Acta Apoſtolica, pro mediocritate mea interp̃tatus ſum. Tametſi autem probe ſciam eas nulla ingenij gratia commendabiles eſſe, tamen ſpero, uel ſaltem propter argumentum fauorem aliquem merituras. Cum em̃ Lucas, incrementa Eccleſiæ, poſt reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, per Apoſtolos plantatæ & rigatæ, in hoc libro deſcriberet, nõ hoc tantum egit, ut peregrinationes Apoſtolorꝝ & miracula ab ipſis ædita cõmoraret, ſed addidit etiam grauiſſimas eorũ conciones, quibus uelut gemmis ac unionibus, quouis precia, omnẽq; humanarũ opum taxationem ſuperantibus, librum ſuũ exornauit. Atq; utinam, quod Moſe de lege ſcribit, hoc idem de his cõcionibus obſeruaremus, nimirũ, ut meditaremur eas ſedentes in domo noſtra, & ambulãtes in itinere, dormientes atq; conſurgentes, & ligaremus eas quaſi ſignum in manu noſtra, eſſentq; memoriale inter oculos noſtros, ac ſcriberemus eas in poſtib. & portis domus noſtræ. Hæ enim conciones, Ieſum Chriſtum, iuſticiam & ſalutem noſtram, ſic explicãt, ſic illuſtrant, ut nõ ſolum appareat manifeſta eorꝝ uanitas, qui e Chriſto aut nouũ legiſlatorẽ, aut iudicem humanorum meritorum, aut exemplum tantum uiuẽdi faciunt, ſed etiã ut hi, qui eas fide excipiũt, confeſtim e denſiſſimis tenebris, ad clariſſimam lucẽ, e ſumma iniuſticia, ad ſummam iuſticiam, e maximis calamitatibus, ad maximam felicitatem, denicq; e morte ad uitam, e terris ad cœlum ipſum transferantur. Quod ut clarius comprobem, recenſebo hic, nõ quidem totas Apoſtolorꝝ cõciones (quid enim importunius & magis ſuperuacaneum eſſet, eq; eas in epiſtola dedicatoria adſcribere, quæ poſtea in homiliꝭs explicantur?) ſed decerpam inſigniores quaſdam ueluti ῥώμας, ut in illuſtriori loco poſitæ, altiori mẽte reponãtur. Ac primũ, Petrus, in ea cõcione, quã capite quarto corã Synodo põtificũ Hieroſolymis habuit, de Ieſu Chriſto ſic concionatur. Hic eſt, in quiẽs, lapis ille, qui reiectus eſt a uobis ædificantibus, qui factus eſt caput anguli, nec eſt in alio quoquam ſalus. Nec em̃ aliud nomẽ eſt datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quid grauius, quid magis apoſtolicum potuit de Chriſto dici? Multa ſunt nomina, quibus hoiẽs ſibi ſalutem pollicentur. Iudæus habet nomina operum legis. Phariſæus habet nomina fimbriarum, lotionũ manuum, lõgarum precularũ. Sadducæus habet

habet nomina tranquillitatis huius uitæ. Essæus habet nomina cęlibatus, & cõmunitatis facultatum. Gentilis habet nomina cultuum facticiorum. Philosophus habet nomina uirtutum humanarum, adeoq; prudentia carnis siue inter Iudæos, siue inter gentes, siue inter Turcas, siue inter ipsos Christianos, habet noīa meritorum operum, & propter hæc quisq; noīa iusticiam sibi promittit & salutem. Sed Petrus uno uerbo omnia illorum noīa infamia notat, & unum tantum nomẽ Christi ad parandam iusticiam & salutem idoneum cõmendat. Rursus, in ea concione, quam primam ad incircũcisas gentes cap. decimo habuit, de Christo sic ait: Huic omnes prophętę testimonium ferunt, q̃ remissionem peccatorũ accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Quid potuisset de iusticia fidei contra doctrinam de meritis operum, hoc est, contra omnes omnium gentiũ opiniones & religiones manifestius dici? Alius sperat sibi peccata remitti & DEVM placari propter suam circumcisionem. Alius propter sua sacrificia. Alius propter suas, quas uocãt, Missas. Alius propter suas uirtutes morales. Petrus autem paucis quidem uerbis, sed magna autoritate, & omnium prophetarum testimonio, affirmat remissionem peccatorum contingere tantum propter IESVM CHRISTVM per fidem. Omnes, inquit, non unus tantum, & alter, sed omnes prophetæ ferunt huic Iesu Christo testimonium, quod per nomẽ eius habeat remissionem peccatorum, quisquis crediderit in eum. Iam et Paulum mihi audi, ad Antiochenos capite decimo tercio, ita concionantem: Notum sit uobis, uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorum adnunciatur, & ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur. Quid, obsecro, hęc legis Mosi & Christi antithesis aliud sibi uult, quam nullũ opus hominis tam iustum, tam sanctum esse, quod factorẽ in conspectu dei, merito & dignitate sua iustificet, sed quod tantum is reputetur iustus, qui credit in iusticiam suam sibi propter Christum remitti? Quid enĩ lex Mosi aliud præcipit, quã opera iusta & sancta? Cum igitur Paulus dicat, neminem potuisse per legem Mosi iustificari, certe perspicue asseuerat, nullũ sanctum hominis opus iustificare. Non concinatur Paulus sancta opera non esse facienda: hęc enim omnino factu necessaria sunt, nisi uelimus fidẽ magis imaginari quam uere habere, sed concionatur iusticiam, hoc est, expiationem peccatorum non contingere nobis propter merita horum operum, sed tantum propter Christum per fidem. Ac ne existimes hanc sententiam unius tantum & alterius apostoli esse, profecto quemadmodum Petrus asseuerauit eam antea testimonio omnium prophetarum, ita postea capite decimoquinto, in nobili illo Hierosolymitano cõcilio, uno omnium apostolorum, ac tocius Ecclesię ore affirmat, non nobis solum, uerum etiam patriarchis, non aliunde salutem cõtigisse, quam propter Christum per fidem. Quid tentatis, inquiens, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri,

neq; nos portare potuimus, sed per gratiã Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodum & illi. Sed quid facio? Eiusce modi unionum & gemmarum plenę sunt omnes apostolorũ conciones. Quare pater in Christo Reuerẽde ita existimare debes, me tot mittere gẽmas & margaritas, quot conciones apostolorum in hoc libro continẽtur, quas etsi prę inopia ingenij mei nõ potui auro eloquentię, quemadmodũ optimo iure merentur, includere, pro uirili tamẽ conatus sum, ut eas mundas, & nihil de natiuo suo nitore amittẽtes, exhiberem. Accedit huc & alia huius libri cõmoditas, q̃ externum ministeriũ Euangelij, quod hoc tempore multi tanq̃ uocem uanam, & ad salutem inutilem, blasphemo suo ore prophanant ac irrident, nusq̃ alias maiori autoritate comprobatur, & amplioribus laudibus ornatur. Quid eñ miracula in hoc libro cõmemorata, quę Christus uel in apostolis, uel per apostolos edidit, aliud sunt, q̃ cœlestia testimonia, in hoc exhibita, ut autoritas externi ministerij Euãgelij confirmaretur? Vt hoc ministerium toti orbi commendaretur, missus est Spiritus sanctus in die Pentecostes in omnes discipulos Christi. Vt huius ministerij necessitas declararetur, angelus ad Cornelium, quemadmodum in Actis capite decimo scriptum est, missus, non ipse prędicauit Euãgelion de Iesu Christo, sed iussit Petrum ex Ioppe ad prædicandum Euangelion uocari. Vt huius ministerij nobilitas insigniretur, Paulus in terciũ usq̃ cœlum, & in paradisum raptus, ac audiens uerba arcana, quæ non sit fas homini loqui, nõ baptisatus est in paradiso ab angelis, sed missus est ad eum Ananias uir quidam honestus, qui baptismo, nimirũ externo Euangelij ministerio, peccata eius ablueret. Vt huius ministerij amplitudo ostẽderetur, angelus Macedonicus non ipse prædicauit Euangelion Macedonibus, sed uocans Paulum dixit: Profectus in Macedoniã succurre nobis. Quare in hoc libro maxime omniũ expectandũ est encomiũ, tũ iusticiæ, quæ est per fidem propter Christum, contra eos qui merita hominum iactant, tum externi ministerij Euangelij, contra eos, qui contẽpto illo Dei organo, nescio quos spiritus influxus somnient, ac de cœlo expectẽt. Sunt præterea multa alia huius libri commoda, sed ea post opportunius cõmemorabuntur. Homilias autem, quibus maiori profecto fide ac diligentia, q̃ eruditione & eloquentia hunc librum explicaui, tuo nomini, Reuerende Pater, multis de causis cõsecro. Primum, q̃ te hortatore, ὁ ἐργοδιώκτου σου, hoc quicquid est lucubrationum in lucem edam. Deinde, ut extet aliqua pro tot tuis in me beneficijs, grati memorisq̃ animi significatio ac testimonium. Postremo, ut hac occasione adhorter te, ad perseuerandum in eo instituto, quod ad iuuandam pietatẽ magna nominis tui laude, & officij tui dignitate suscepisti. Cum enim alia κοινόβια, quondam ad hoc instituta, ut ingenia illic alerẽtur, & studia sacrarũ literarum conseruarentur, hoc tempore partim diripiantur, partim ad sectandam impiam hypocrisim tyrannide cogantur, tu prope solus, q̃d ego sciam, inter nostri seculi Abbates,

uerũ ac legittimum κοινοβίων usum perũdens, hoc maxime omnium ãgis, ut abrogata superstitione, adolescentes bonæ spei ad collegium tuũ uocentur, & illic in uera pietate tum doctrina tum exemplis liberaliter erudiant. Quo officio nullum certe potes aut honestius, aut Ecclesiæ, imo Domino nostro Iesu Christo gratius facere. Ego enim sic existimo, nõ solum Antichristum impietate, & Turcam crudelitate exitium Ecclesię minari, uerum eos quoq; πανολεθρίαν Ecclesiæ plane meditari, qui occupationibus & direptionibus facultatum ecclesiasticarum, quas maiores nostri ad conseruanda studia religionis cõtulerunt, adolescẽtes a studio sacrarum literarum deterrent. Scio quidem Ecclesiam Christi supra solidiorem petram fundatam, q; ut possit ullo imbre quantumuis potenti euerti, & eam, quæ autore Spiritu sancto constat, subsidio externarũ opum non admodum egere, tamen quia hi qui facultates ecclesiasticas diripiunt, & in priuatũ suum usum trãsferunt, deprædationibus suis id efficiunt, quo pauciores sacris literis operam dent, & ad obeunda publica Ecclesiæ ministeria erudiantur, profecto Ecclesiam Christi, quantum in ipsis est, euertũt & deuastant. Ac Christus quidem, uolentibus nolentibus omnibus persecutoribus & raptoribus, conseruat Ecclesiam suam, & ministeriũ eius, interim tamen non ferenda barbaries est, ut ea organa, per quæ Christus incrementum suæ conseruationis effundit, tam fœde conculcentur. Cum Igitur tu Reuerende Pater, id summo studio agas, ut facultatibus cœnobij tui probe administratis, adolescentes in pietate erudiantur, & ad capessẽda ministeria ecclesiastica idonei reddant, optimã certe inijsti rationem, qua nõ solum Ecclesię Christi, uerum etiã tuę ipsius salutis incolumitati consuleres, ac nomen tuũ tanto maiori laude inter quosuis bonos ac pios celebrabitur, quãto cũ paucioribus hoc institutũ tibi cõmune est. Dñs Iesus Christus, q̃d spiritu suo ĩ te cœpit, bñdictione sua demẽter cõseruet. Bene uale Abba in Christo obseruande, ac Brentium tuũ, quemadmodũ iampridem facis, amare perge. Quod si intelligam hanc meam lucubrationem, Reuerentiæ tuæ, ac pijs Ecclesiæ ministris gratam esse, dabo operam, ut & illæ homiliæ, quas in Euangelion Lucę conscriptas, nunc recognosco, breui in lucem edantur. Iterũ uale ex Hala Sueuorũ uicesimo secũdo Ianuarij

ANNO XXX IIII.

Iohannes Brentius.

INDEX HOMILIARVM.

A

Ab idolothyto & ſuffocato quare abſtinendum 141
Acta apoſtolica quid in ſumma doceant 1
Aegyptius quomodo Iudæos ſeduxerit 200
Ambitio Ananiæ & Sapphiræ 46
An omnes credentes è periculis liberentur 50
An nihil ſit reponendum 47
An relinquendus ſit mũdus propter ingratitudinẽ 132
An iuſtum putandum quod bona opinione fit 161
Apoſtoli quomodo abdicent ſeſe ab officio ciuili, & retineant eccleſiaſticum 57
Apoſtolos fuiſſe natura malis obnoxios 130
Apoſtolorum arma 6 & 79
Apoſtolos eſſe electos .12. numero. 14
Apoſtoli quomodo maiora Chriſto fecerint 49
Artificũ uulgus quomodo artificia ſua p Deo colat 185
Arrogantia cordis quomodo compeſcenda 130
Aſcendere in cœlum quid cõtra ſacramentarios 7
Aſcenſionis Chriſti fructus 8
Aſcenſionis Chriſti teſtimonia 6
Auarus artifex quantus peccator 186

B

Bariehu 215
Baptiſmi duo eſſe genera, aquæ & ignis 3
Baptiſmi Chriſti & Iohannis diſcrimen 4
Baptiſmus Iohannis qualis eodem
Benedictio & maledictio in impios quomodo conueniant. 13
Benedictionem piorum & maledictionem impiorum in uerti in hac uita 34

C

Candace 80
Chriſti miniſteriũ totũ diſtingui in opera et doctrinã 2
Chriſti moderatio erga ſuos 5
Chriſtum ſolum aſcendiſſe in cœlum 9
Chriſti negocium in cælo 10
Chriſtianorum nomen primũ in Antiochia cepiſſe 103
Chriſtianiſmus quid 217
Chriſtiani quomodo idolis dementati ſint 187
Circumciſio quibus nitebatur 134
Circumciſio quare aliquamdiu ſit Hieroſolymis ab Apoſtolis aliquamdiu obſeruata. eodem
Claudius quare Iudæos è Roma exegerit 170
Collatio uitæ corporalis cum miniſterio uerbi. 192
Collatio Petri & Iudæ 22
Collatio hæreſis & Tyrannidis 233
Commendatio ſacræ ſcripturæ 21
Comminatio in contemptores Euangelij 121
Contra ſtimulum calcitrare 84
Curioſi 164

D

Dextera Dei quid & ubi 7
Deum habere ob oculos quid 22
Diſſidium Pauli & Barnabæ 147
Dies Domini magnus qui ſit 20
Diſcrimen inter Iudæos & gentes 94
Diabole quid & quantum peccatum 100
Doctrina Chriſti 2
Donum linguarum 17 & 77
Donum libertatis confitendi Chriſtum 18
Dona eſſe diuerſa, prudentiã, doctrinã & pietatẽ 54
Donis Dei quomodo abutantur homines 31
Donum eloquentiæ 176

E

Eccleſiæ conſenſus. 102
Eccleſiæ recens natæ quale initium 26
Eccleſiam eſſe noſocomium 205
Eccleſiam ædificare quid 95
Eccleſiæ contentiones quantopere fugiendæ 107
Eccleſia collata Euripo 209
Eccleſiæ dona 208
Eleemoſynæ quale ſacrificium 218
Epicureorum dogmata 263
Epheſia Diana 185
Eſaiæ commendatio 80
Euangelion falſo argui ſeditionis 28
Euangelion promouere perſecutionibus 37
Euangelij profectum non eſſe intermittendum propter ciuilem pacem. 227
Excutere puluerem 225
Excutere ueſtimentum 271
Exempla nõ eſſe Canones rerũ agendarũ 82 & 148
Exemplum eximiæ ingratitudinis 66
Exemplum inconſtantiæ in uulgo 60
Exemplũ clemẽtiæ Dei 59 & 150 et 156 et 172
Exorcizandi profeſſio 281
Exorciſtarum impietas 282

F

Fortunæ uarietas 232
Fidei quæſtio quomodo ſit diſcernenda 239
Fratris cognomen quam iucundum 243
Fructus impiæ doctrinæ 244

H

Herodis ſcelera & ſupplicium 212
Homo quatenus ſit immundus 99
Homo quare minor mundus dicatur 167
Hominem eſſe templum Dei eodem

I

Ieiunij ratio 99 & 229
Imperia quid augeat & quid perdat 158
Imperatores quare dicantur Cæſares & Auguſti 223
Impiorum conatus peſtiferi quomodo pijs in bonum cedant 41
Impiorum natura qualis ſit cum corripiũtur 72
Ingratitudo huius mundi 224
Inſigne Caſtoris & Pollucis 236

In eod

In eodem homine quomodo sint diuersa officia 60
Ioseph quomodo Christi typum gesserit 38
Iohannis testimonia de Christo 219
Iohannes primus Euangelij minister 202
Iudas Galilæus 54
Iusticia Pauli coram mundo sanctißima 85
Iudæorum consuetudo in uitandis gentibus 98
Iudæi quid legerint in synagogis suis 217
Israelitæ nomen quàm gratum 218

L

Lex Nazareorum 275
Lycaonia unde dicta 229
Locum non mutare pietatem 63

M

Magnitudo peccati Iudæorum 24
Magia qualis initio fuerit 76
Malum consilium &c. 85
Manahen rarum exemplum aulicæ pietatis 213
Mendatia & fraudes fieri autore Sathana 47
Mendacium quare tam atrociter puniatur 48
Mendacia signa quare Deus fieri permittat 76
Memorabilis fames sub Claudio 208
Miraculorum ratio 40 & 68 & 103 & 236
Miraculis quare nunc non sit opus 28
Mira hominum liberalitas in impios cultus 252
Modestia Petri & Iohannis 32
Mose quare fugerit percusso Aegyptio 66
Morituri cui debeant spiritum suum cõmittere 73
Mores huius seculi 205
Murmuris nomine quid intelligendum ueniat 55

N

Neminem esse contemnendum quãtumuis abiectũ 30
Noli me tangere quomodo intelligendum 8
Notæ Christianorum 25
Nomen Domini quod sit 87

O

Os aperire 100

P

Pacem triplicem describi à Prophetis 201
Paroxysmus 246
Paries dealbatus 208
Patres quare in Canaan, et non in Aegypto sepulturam petierint. 63
Paulus ubi didicerit Euangelion 85
Pauli ministerium 87
Pentecostes festum quale & quando institutum 26
Petrus quare primas teneat inter Apostolos 30
Petri piscatio 204
Peregrinatio quatenus probanda 215
Personalia ciuium Romanorum iura 258 & 266
Piorum præcipuum desyderium 93
Piorum consilia tempore famis 208
Prophetiæ de gentium uocatione 105 & 106
Præcepta Dei non esse curiose scrutanda 79
Pseudoprophetarum mores 118
Psalmi quomodo in usum transferantur 44

Q

Quod in morte sit liberatio & non perditio 50
Quod Christiani quotidie rapiantur in paradisum 87
Quare nõ oẽs ægroti sanentur in nomine Christi 92
Quod Deus non sit respector personarum 100
Quod ordo honestus debeat esse in Ecclesijs Christianorum. 217
Quod natura faciamus ex bonis mala 218
Quomodo conueniant q, Christus dicit alibi se pacem mittere, alibi uero gladium 225
Quod nonnulli inter Christianos Iudaicas ceremonias teneant. 227
Quòd impij immerito in Euangelion seditionis culpam reijciant. 63
Quòd Deus non concludatur in templa lapidea 260
Quare doleret Deus hominum impietatem 268
Quare tot seculis sapientes errauerint eodem
Quomodo sit uictus parandus 184
Quantum malum sit adulator 212
Quare quibusdam uitia corporis innascantur 228

R

Ratio quare pij sint cordatiores impijs 54
Resipiscere 25
Reiectio Iudæorum 224
Resurrectionem Christi esse comprobatam 2

S

Satan quibus se adiungat 225
Satanam tantum ad fallendũ uera dicere 253 & 261
Satanæ consilia quomodo Deus retundat 36
Satan quomodo se in angelum lucis transformet 36
Satanæ studium 35 & 105 & 231
Sacramentum confirmationis non recte probari 77
Scortatio quare prohibita 241
Sedere uel stare à dextris Dei quid sit 72
Sermo 202
Sibi ipsi manus iferre nõ esse fortitudinẽ sed ignauiã 255
Spiritus Pythonis 252
Spirituum inmundorum esse uaria genera 253
Stoicorum dogmata 264
Superstitio quid 264
Stultitiæ simulachrum & econtra prudentiæ 53
Synagogas Iudæorum fuisse publica gymnasia 59
Supplicium quo ingrati erga Euan: puniuntur 90

T

Testimonia resurrectionis Christi 22 & 23
Theodas magus 54
Tentare Deum quis dicatur 43
Theophilus 1
Timor periculorum defectionis caussa 215

V

Variæ opiniones ab initio inter eos qui Euangelion docebant. 107

Vera fortitudo 256
Vulgi inconstantia 231
Vindicta qualis esse debeat 257

Z

Zelus malus 123
Zelus Pauli in propagando Euangelio 165
Zeli diuini officium eodem

ALIVS INDEX.

PRAECIPVORVM LOCORUM in doctrina Christiana.

DE PATRE.

Quare Deus uocetur, Deus Abraham, Deus Isaac, deus Iacob. 31
Quæ sub omnipotẽtiæ nomine ueniant intelligẽda 45
Quomodo inuisibilia Dei ex creatione mundi cognoscantur. 131
Notitia naturalis de Deo, quomodo excitetur 166
Quomodo ex homine cognitio de Deo 167
Nomen Domini quod sit 87

DE FILIO.

Quòd Christus sit natura Deus & homo 1 & 168
Quòd sit à spiritu sancto conceptus 21
Cur passus sit sibi à Iudæis mortem inferri 22 & 23
Vaticinium Mosi de Christo 34
Prophetarum testimonia de Christo 28
Testimonium Mosi de Christo 68
Quòd Christus sit lapis ille angularis 39
Quòd IESVS Nazarenus sit uerus ille Messias, & quòd ille Messias sit Dei filius 88
Officium Christi 53
Christi regnum fore perpetuum 159
Iudæos duplici nomine errare de Christo eodem
Testimonia passionis Christi eodem
Resurrectionem Christi esse fundamentum Christianæ religionis. 102 & 229
Causa quare Iudæi Christũ in Mose non inuenĩt 117

DE SPIRITV SANCTO.

Spũs sanctus quid sæpe in scriptura 3 et 57 et 103 et 178
Quòd sit promissus ille patris 2
Quòd alia sit subsĩtia spiritus sancti alia operatio 15
Cuiusmodi sint operationes spiritus sancti 17
Exemplum potentiæ spiritus sancti 19
Libertatẽ confitẽdi Christum à spiritu sancto esse 33
Repleri spiritu sancto quid? 45
Consolatio spiritus sancti cuiusmodi sit 91

DE CREATIONE.

Quod Deus omnia recto ordine administret 97
Quod Deus conseruet res conditas 166

DE LEGE ET VETERI TESTAMENTO.

Cum lex sit sermo uiuus quare non iustificet 63
Quod malores nunq̃ legem seruauerint 69
Quod cogitationes cordis non sint liberæ 78
Lex de audiendo deo 60
Quod nec opera legis nec cultus templi iustificent 61
Quomodo lex ad uitam instituta cedat præuaricatoribus ad mortem. 69
Iusticiam legis esse bonam in suo genere 85
Quomodo minor lex cedat maiori 89
Discrimen legis & Euangelij 122
Legem de nõ occidẽdo ad priuatos tantũ pertinere 65

DE EVANGELIO ET NOUO Testamento.

Quid sit Euangelion 30 & 45
Fructus ex Euangelij prædicatione 27 & 85
Qd miracula cõfirmẽt Euãgelij doctrinã 28. 49. et 128
Euangelion esse organon spiritus sancti 40
Euangelion esse uerbum uitæ 52
Scopus Euangelicæ doctrinæ 82
Euangelion Sathanæ 85
Commẽdatio uerbi Dei 81 & 87 et 95 et 145 et 150
Visio Petri de recipiendis gentibus 96
Quomodo gẽtes mũdæ pronunciẽtur corã Deo eodem
Quare tam pauci credant Euangelio eodem
Euangelion docere quãtus cultus Dei 146
Euangelij admirabilis natura 151
Euangelij caussam ex uerbo Dei & non ex euentu æstimandam esse. 162
Diuersi effectus Euangelij 172
Duo genera eorũ qui ex Euãgelio peiores fiunt 171
Quid sit prædicare Euangelion 242

DE PECCATO ET EFFectibus peccati.

Securitas peccandi quantum peccatum 22
Peccatũ filiorum Iacob in fratrem Ioseph 62
Consuetudo Dei in puniendis peccatoribus 12 & 13
Quod peccatum ignorantiæ non excusetur 33
Peccata sanctorum quare proponantur nobis in scriptura. 147
Peccatũ iuidiæ esse morte dignũ in cõspectu dei 62. 26
Quanta sit indignatio Dei super peccata 78
Non solum facta sed etiã consensum damnare 74
Misero insultare quantum peccatum 235

DE IVSTIFICATIONE ET remissione peccatorum.

Variæ religiones ad cõsequendã salutẽ excogitatæ 40
Vñ patriarchæ cõsecuti sunt remissionẽ peccatorũ 62
Exemplo Ioseph probatur aliam esse iustificationem quã quæ ex operibus est. 62
Vnde Iacob promeritus sit q̃ fame non perierit 63
Vera religio in quo sit sita 64
Efficatia fidei Mosen esse seruatum 65
Quod sola apostolica doctrina certificet cõsciẽtias 145
A Mosi uocatione probat iustificationem ex promissione esse. 66
Quod doctrina operum uitiet Euangelij doctrinã 192 & 193 & 198.

Collatio Mosi & Christi 67
In quibus Moses cum Christo conueniat 68
Templa & sacrificia non esse ordinata ut expient peccata. 70
Quòd non propter nostram remissionem, sed propter promissionem, remittat nobis pater celestis 73
Politica non iustificare 193
Quãdo ceremoniæ & opera legis reprehendãtur 199
Quòd Christus tantũ p peccatis nostris satisfecerit 81
Gentes quomodo iustificentur 103
Quod nulla sit præparatio ad iustificationem nisi Christus 105
Apostoli quare obseruauerint opera legis 114

DE LIBERO ARBITRIO.

Humana & diuina consilia quantum distent 207
Quod humana natura nihil sit ineptius ad perspiciẽdas res diuinas. 5
Humani ingenij stupor 30
Petri modestia 98
Quatenus sit liberum arbitrium 191
Paulus quare toties repetat studia sua i Iudaismo 202

DE GRATIA ET DONATIONE Spiritus sancti.

Exemplum Ioseph & Matthiæ 51
Quod Christiani primitias spiritus accipiant 56
Quid Abrahamum tam gratum & acceptum Deo reddiderit. 61
Iustos sola diuina potentia seruari 213

DE POENITENTIA ET modo iustificationis.

Pœnitentiæ partes 12 & 33
Modus iustificationis 25 & 26 & 92
Petrus quomodo Iudæis pœnitentiam prædicauerit 52
Quare tanta uiolentia Deus sit usus in conuertendo Paulo 85
Quòd homines scelera sua mendacijs tegant & non resipiscentia. 157
Partes Christianæ doctrinæ 191
Duo ad iustificationem impij esse necessaria 203
In pœnitentia etiam fidem requiri. eodem

DE TIMORE DEI.

In timore DOMINI uersari quid sit 91
Timere DEVM. 94
Memorabile exemplum Iudæ 12
Pios ab impijs differre in terroribus conscientiæ 25
Tranquillitas conscientiæ quantũ bonum & contra 37
Vnde conscientia reddatur tranquilla 82
Quomodo medeatur Deus timori piorum 87
Præsumptio quantum malum 80

DE FIDE IVSTIFICANTE.

Fides quomodo paretur 211
Fidei fructus tranquilla conscientia 28
Fidei natura 95 & 235
Incredulitatis natura eodem & 183
Vaticinium Mosi de fide in Christum 34
Argumenta rationis in negotio fidei 45
Vera cordis fides 46
Abraham esse iustificatum per fidem 61
Opera Ethnici quomodo placuerint Deo sine fide 94
Anabaptistarum uanitas, q. opinantur Deum fidem infantibus non dare 100
Summa fidei 113
Nullam esse fidem ubi nõ sunt fidei opera 123 & 156
Status controuersiæ in negocio fidei 136
Quomodo corda fide purificentur 127 & 138
Necessario requiri opera fidei 226
Quod fides in Christum superet omnes dignitates huius mundi. 217
Collatio controuersiæ de fide, quæ hoc tempore est, cũ ea quæ tempore Apostolorum fuit. 145 & 146
Ethnicorum uirtutes nihil esse sine fide 219

DE POTESTATE CLAVIVM.

Apostolicum officium esse, non tantum remittere sed etiam retinere peccata. 78
Apostolicæ increpationes quorsum tendant eodem

DE SACRAMENTIS.

De baptismo Christi & Iohãnis 4 & 5 et 105 et 179
Baptismus Iohannis qualis fuerit 176
Quomodo Apollo sciuerit tantũ baptisma Iohãnis 178
Baptismus quid sit 25 & 1 & 104
Error Anabaptistarũ, q. pueri non sint baptisandi 81
An liceat quauis aqua baptisare 82
Quatenus iustificet baptismus 24
An Ephesij sint rebaptisati 19
De recipiendis lapsis post baptismum 95
Vsus cœnæ dominicæ 81
Sacramenti duas esse partes 95
Sacramentarios quid decipiat eodem
An sacrificauerint Apostoli corpus & sanguinem Christi. 13
Error eorum qui unam tantum speciem cœnæ dominicæ asserunt. 27 & 189
Verus usus cœnæ dominicæ 188

DE CHARITATE PROXIMI.

Vera Christianæ charitatis ratio 89 & 149
Quatenus à priuato sit iuuãdus proximus inocẽs eodẽ
Quomodo cum charitate conueniat uulgare dictum: Qui semel malus semper præsumitur malus 89
Summa charitas & obedientia in Paulo 90
Opera charitatis quare exigantur 52
Obedientia fidei & dilectio proximi quanta bona 18
Fructus ex uera fide prouenientes 27
Euangelica paupertas 28
Decimas initio in pauperũ usus fuisse destinatas 29
Quomodo quispiã in proprijs opibus fiat fraudator & fur. 47
Quomodo hospitalium dispensatores conuenit affectos esse debere. 6

Quæ

Quod Christiane & non Ethnice planxerint Stephanum. 75
Collatio pietatis & impietatis in benefaciendo 1,1
Exempla fidei & charitatis 1,2 & 156 & 161
Quod pij benefaciendo nihil amittant 175
Quod satius sit dare quàm accipere 195

DE CRVCE.

Donum esse non uulgare, pati pro nomine Christi 55
Pij quare affligantur 133
Qui alio q̃ Christi nomine iniusta patiuntur 55
In afflictione quo sit confugiendum 4
Opera Dei non impediri persecutione 59
Impiorũ peruersa iudicia cũ persequũtur pij 74. et 235
De supplicijs facinorosorum 55
Cur in discipulos Apostolorum potius sæuitum sit à Iudæis quàm in ipsos Apostolos 74
Ecclesiam augeri persecutione 75
Afflictiões maioris felicitatis occasionẽ habere 75. et 107
Fortitudo Christiana 90
Afflictio & liberatio Christianorum collata cum partu mulierũ, et cum uicissitudine hiemis & æstatis 91
Iacobus quare occisus & Petrus liberatus sit 109
Afflictio quantum bonum 154
Deposita piorum esse uincula & afflictiones 161
Natura promissionum in afflictionibus 173
An tentauerit Paulus Deũ profectus Hierosolymã 196
Quatenus resistendum malo 216 & 217
Occasio uitãdi periculi quatenus probetur 229 & 230
Tentationes Pauli 211

DE ORATIONE.

In oratione quid sit petendum 44
Peccatoribus uel hoc nomine orandum esse q, sint peccatores. 2
Oratio quomodo fiat legatio ad Deum 14
Modus orandi 11
Vera inuocatio nominis Dei, & quantus cultus 21
Petrus & Iohannes quare ascenderint in templum ad orandum. 29
Quibus miraculis Deus suorum preces confirmet 44
Pro publicis Magistratibus quare orandum 59
Orationem alienam nõ ualere nisi ipsi resipiscamus 78
Oraturi quare debeant secretum petere 93
Orationis energia 110
Omnia cumulatissime pijs à Deo præstari 111
Flexis genibus quare orandum 198

DE MAGISTRATIBVS.

Magistratus officium 162 & 174
Peccata subditorum Magistratibus imputari 94
Quatenus obediendum carnali domino 84 & 111
Quòd Magistratus interdum ueram religionem cognoscere. 174
Quod liceat uti legitimis contractibus 212
An Mose cõmiserit homicidium percusso Aegyptio 65
De priuata & publica uindicta eodem
Electionem fieri propter Christum 180
Causas esse ordinarijs modis & non tumultu expediendas. 185
Iudici nec danda nec accipienda esse munera 220
An Christiano liceat Magistratus opem implorare 212 & 217 & 238.
Aliud esse priuatam, aliud publicam Magistratus personam. 221
Iudicem quid deceat aut non 222
Quod liceat appellare eodem
Accusato quid faciendum 217
Domini appellatio quatenus recepta aut improbata sit. 225
An sit rerum communio necessaria 28 & 48
Qualis fuerit communio bonorum in primitiua Ecclesia. 46
Quatenus hominibus obediendum sit 42 & 226
Par coniugum concordium 170

DE TRADITIONIBVS humanis.

Quòd traditiones Iudæorum nõ iustificauerint 26
Quatenus pontificum decreta sint obseruanda 52
Consuetudines quatenus obseruandæ 99
Ritus esse ἀδιαφόρους eodem

DE MINISTRIS ECCLESIAE.

Quòd non liceat simul ecclesiasticum & ciuile officiũ habere. 57
Quantũ distent Episcopi Papistici ab Apostolis eodem
Quòd prædicator ex officio arguat & nõ cõuicietur 7 & 192 & 209.
Mos mittendi presbyteros 135
Ministri Ecclesiæ quales esse debeant 191 & 221
Merces docentium Euangelion 94
Ministros Ecclesiæ etiam ciuili æquitate priuari 205 & 215.

DE VOCATIONE.

In uocatione Dei quamuis periculosa persistendum esse 10 & 132 & 189.
Quid pios absterreat à uocatione diuina 52
Ionæ exemplum 231
Quæ sit uocatio Magistratus ciuilis, item priuatorũ 52
Promissiones eorũ qui uocationi suæ ex fide seruiũt 59
Exemplum metus humanæ naturæ in uocatione diuina obeunda. 86
Duo esse quæ cuiusq; uocationem impediant 214
Legitima uocatio quantum bonum 150 & 141
Quatenus pericula sint euitanda 230 & 229
Iusta media seruanda esse 233
Neminem esse sua sorte contentum 126
Quando Christiano liceat mortem fugere 89 & 127

DE PRAEDESTINATIONE.

Quòd reuelato uerbo Dei sit obediendum 14
Quòd electio fiat propter nullum meritum 118
In quo sit quærenda prædestinatio 124.
Causa quare qui similes sunt conditione dissimiles fiant electione 150

DE

INDEX HOMILIARVM.

DE CVLTV SANCtorum.

Apostolorum festa quare sint instituta 11
Quæ sit uera peregrinatio ad terram sanctam 79
Sancti quomodo sint uenerandi 89 & 129 & 130 & 198 & 231.
Christiani quare dicantur sancti 92
Quomodo Cornelius adorauerit Petrum 98
Ad quid sancti propositi sint 194
Sors sanctorum in hoc seculo 228

DE EXTREMO iudicio.

Quomodo Christus sit rediturus 8
Quis sit iudicaturus mundum 169
Extremi iudicij tempus esse refrigerationis tẽpus 53

DE VOTIS.

Paulus quare raserit caput & fecerit uotum 175
Triplicia uota esse 175

DE LIBERTATE CHRISTIANA, & abrogatione legis.

Lex quare sit abrogata 69
Nouũ fœdus esse institutũ abrogato ueteri pacto eodẽ
Quomodo minor lex cedat maiori 89
Lex quatenus sit abrogata 135
Iugum legis quare portatu impossibile 137
An sit peccandum cum lex non iustificet eodem
An sit exigere legem, abstinere ab idolothytis 140
Quomodo intelligendum q; Iacobus gentes tantum & non Iudæos ab obseruatione legis liberet 142
Exemplum liberi operis 141
Circumcisio Timothei quomodo sit exemplum libertatis. 143
Triplicia esse opera eodem

FINIS.

MINISTRIS ECCLESIARVM. IN CREICHOIA TYPOGRAPHVS SALVTEM.

VM Michaël Bibliopola has Homilias, in Acta apostolica conscriptas, daret excudendas, simul & uestras literas accepi, in quibus, pro uestro erga Euangelion Christi studio, pecijstis à me, ut diligenti quoq; indice tam pia & erudita scripta illustrentur. Quanquàm igitur, ut ingenue uerum fatear, indicem additurus non fueram, idq; plurimis de causis, tamen quia rem tanto opere gratam uobis fieri intellexi, nolui tam æquis petitionibus uestris refragari: cõscripsi indicem, in quo capita præcipuorum locorum in doctrina Christiana, & quæ in hisce homilijs explicantur, sum complexus, ut quoties locus aliquis tractandus sit, non multi negocij sit eiusdem argumenti locum et alibi inuenire. Et cum in primis in Ecclesiæ ministro requiratur, ut si quibus de rebus sint docendi homines, ut hoc ordine quodam ac distincte faciat, ne cum confundantur omnia, pauciſsimi sint, qui intelligant quid sibi uelit, aut doceat, confido hanc operam meam etiam utilitatem aliquam uobis allaturam. Quod si locupletiorem indicem quis requirat, is facile poterit hoc adiutus instructiorem sibi parare. Bene Valete, ac operam meam qualemcunq; boni consulite.

ERRATA QVAEDAM.

In primo ternione. A. bis esse peccatum reperies, cum sit Homelia positum pro Homilia.
In eodem ternione, numero primo, facie prima, pro ijs magis, restitues ijs nugis.
Item numero LXXI. facie secunda, in fine pro aliqui, alioqui reponendum est.
Reliqua, si qua forte inciderint, per sese diligens lector obseruabit.

CAP. I. HOMELIA I.



I VLLA VNQVAM RERVM MAGNItudo aut excellentia, attẽtionem audiendi, in uobis, fratres in Christo amicissimi, excitauit, haud quaq; dubito, quin nũc uos habiturus sim auditores maxime omnium attentos. Venio enim enarraturus hunc sacrę scripturę librum, cui titulus est, Acta Apostolica, qui liber, & si nec specie sua magnus, nec ignotus uideatur, tamen rebus in eo contentis, nihil nec maius nec excellentius nec illustrius, aut factis geri aut uerbis dici, aut literis scribi potuit. Quod si sæpenumero magna animi alacritate audiuistis explicantem aut scripta & conciones prophetarum, aut sacras historias de rebus gestis Patriarcharum, Iudicum, & Regum in Israel, non minori profecto cura, benignas uos aures enarraturo conciones & res gestas Apostolorũ præbituros confido. Non enim sentiendum est, quia titulus nihil aliud q; acta quædam Apostolorum polliceri uideatur, ea in hoc libro nobis proponi, quæ iuxta referat, aut ignorare aut cognoscere. Multo magis absit, ut existimemus, ea quæ hic scribuntur, ijs magis, quę alias in quibusdam sordidis legendis, quas uocant, sanctorum, plærunq; continentur, similia esse. Verum, quæ hic tractantur, ea sunt tum grauissimæ authoritatis, tum ad salutem nostrã cognitu maxime oĩum necessaria. Non enim agitur in hoc libro quid Apostoli sua uirtute, sed quid uirtute DOMINI nostri Iesu Christi gesserint. Vnde commemorantur in eo non tam Apostolorum, q; Iesu Christi nostri omnium seruatoris gesta. Nam in alijs quidẽ de Iesu Christo historijs describitur Christus adhuc humilis, coram mundo contemptus, & damnatus, nisi q; & in his resurrectio eius a mortuis adiecta sit. In hoc autem uolumine describitur Christus exaltatus, in cœlum assumptus & clarissimo omnium triumpho tam in regnum patris, q; in totum orbem terrarum inuectus. Acquicquid Christus ante exaltationem suam in cœlum, gessit, hoc potuerunr Sycophantę calumniari, & eleuare, q; id non uere probet ipsum esse natura deum, aut filium Dei. Aedidit miracula, sed ædiderũt etiam Prophetæ miracula, nemo tamen bonus habuit eos pro dijs. Suscitauit mortuos, sed & Propheta Eliza mortuos suscitauit, non tamen pro deo adoratus est. Surrexit a mortuis, sed & is cuius cadauer tetigit cadauer Elizæ, a mortuis surrexit, quemadmodum in quarto Regum libro, capite decimotertio scriptum est, nemo tamẽ eum, ut natura deum coluit. Quę autem in hoc libro in nomine Christi gesta scribuntur, ea manifestissime declarant & comprobant, Iesum Christum non posse tantum esse hominem, sed necessario etiam uerum ac naturalẽ deum, & propter hoc uerum quoq; mundi seruatorem esse. Datur spiritus sanctus Apostolis in die Pentecostes, in nomine Christi. Sed qui potuisset hoc fieri in nomine Christi, nisi Christus esset natura deus? Baptizabantur homines ab Apostolis in nomine Christi, in cuius quoq; nomine accipiunt spiritum sanctum, sicuti Apostoli acceperant. Quid hoc aliud testatur q; naturalem Christi diuinitatem? Apostoli sanant ægrotos, & alia ædunt miracula in nomine Christi. Q; si Christus non est natura deus, unde tanta nominis eius potẽtia? Euangelion de Iesu Christo spargitur in orbem terrarum, non tantum inter Iudæos, uerũ etiam inter gentes, & salutem affert omnibus credẽtibus in Christum. Sed nulla salus unquam ijs contingere potest, qui in eum credunt, qui nudus tantum homo est. Vides igitur quantum hic liber, in quo hęc omnia perspicue commemorantur, multis alijs sacræ scripturæ libris præstet. In alijs Euangelistarum libris, uidemus Christum, hominem quidem magnum, hominem tamen. In hoc autẽ uidemus Chri-

Quid Acta Apostolica in summa contineãt, & quid præstent reliquis sacræ scripturæ libris.

ſtum DOMINVM Deum noſtrum. In alijs audimus Chriſtũ externo ſuo ſermone Euangelion docentem. In hoc autem reipſa experimur Chriſtum, ſalutem Euangelij ſpiritu ſuo efficaciter operantem. In alijs multa de regno Chriſti promittuntur. In hoc autem Chriſtus iam regnãs manifeſtis argumentis reuelatur. Docent paſſim Prophetæ regnũ Chriſti a mari uſq; ad mare, ab oriente uſq; ad occidẽtem, nimirum in totum orbem terrarum proferendum eſſe, & non tantum Iudæos. ſed & gentes Chriſto ſubditas fore. Hoc multi ſic intelligebant, q; Chriſtus eſſet externa maieſtate regna huius mundi inuaſurus, & pro more ciuilium regum dominaturus. In hoc autem libro perſpicue explicatur, quæ ſit uera ratio regni Chriſti & uocationis gentium ad obediendum Chriſto. Quare nomenclator minime ineptus fueris, ſi hunc librum Apocalypſim & commentarium prophetarum appellaueris. Quid uero dicam, de grauiſſimis Apoſtolorum concionibus, quarum in hoc libro plures admodum recẽſentur? in quibus cum nihil aliud agatur, q̃d in quo maxime omnium conſtat chriſtianiſmus, uidelicet q̃ habeamus remiſſionem peccatorum tantum propter Chriſtum per fidem, quid obſecro, ijs cõcionibus habet Eccleſia Chriſti aut excellẽtius aut præſtantius? Paulus ad Epheſios ſcribẽs, ait Eccleſiam ædificatã ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. Fundamentum autem uocat doctrinam Euangelij quod Apoſtoli prædicauerunt. Itaq; ſi uolueris uere cognoſcere, quale ſit fundamẽtum Eccleſiæ, quæ ſit uere Apoſtolica doctrina & fides, id tibi conciones quæ in hoc libro continentur certiſſime indicabunt. Admoneo igitur uos fratres in Chriſto amiciſſimi, ut cum Chriſtus DOMINVS noſter, triumphus Chriſti, regnum Chriſti, doctrina Chriſti, adeoq; uera Chriſtianiſmi ratio in hoc libro & diligentiſſime deſcribatur, & clariſſime explicetur, his auribus atq; animis auſcultetis, quas dignum eſt his præbere, qui nobis ſummam & perpetuam ſalutem adnunciant, ac ueram fœlicitatem offerunt. Primum autem omnium obſeruandum eſt Euangeliſtam Lucam huius libri autorem ſeu ſcriptorem eſſe, cuius autoritas tãto nobis commendatior eſſe debet, quanto magis ipſe a magno illo apoſtolo Paulo multis in locis commendatur, & rerum geſtarum quæ hic deſcribuntur, magna ex parte αὐτόπτης & oculatus teſtis fuit. De quo quoniã dum ceperamus hiſtoriam Euangelij eius enarrare, multa diximus, ſuperuacaneum exiſtimamus ea nunc repetere. Cæterum ſicut hiſtoriam Euangelij, ita & hanc Actorum Apoſtolicorum hiſtoriam inſcripſit Lucas, ac dedicauit Theophilo. Siue autem Lucas habuerit amicum quendam hoc nomine uocatum, ſiue hoc uocabulum generaliter pro quouis Dei amico (Theophilus enim ſi interpreteris, amicum Dei ſignificat) uſurpet, certe hoc libro uoluit, non unum tantum hominem, ſed omnes diuinarum rerum ſtudioſos, de rebus grauiſſimis & ad ueram ſalutem maxime omnium neceſſarijs docere. Sic ergo quod fœlix fauſtum q; ſit ait, Superiori quidem uolumine diximus, o Theophile, de omnibus quæ cepit Ieſus tum facere, tum docere ad eum uſq; diem, quo poſtquam mandata dediſſet de ſpiritu ſancto apoſtolis quos elegerat, ſurſum aſſumptus eſt. Quibus etiam ſeipſum exhibuerat uiuentem, poſtquam ſupplicio fuiſſet affectus, idq; compluribus argumẽtis, dum per quadraginta dies cõſpicitur ab illis ac loquitur eis de regno dei. Priuſquam Lucas aſcenſionem Chriſti, cuius breuiſſima mentione colophonem Euãgelio ſuo addiderat, plenius deſcribat, coniungit hunc librum cum ſuperiori tranſitione quadam, in qua breui epilogo repetit id quod in priori libro copioſe tractauit. Dixim us, inquit, ſuperiori uolumine de omnibus quæ cepit Ieſus tum facere tum docere. Quæ eſt hæc, inquies, magnifica profeſſio? Iohannes Euangeliſta

gelista in fine sui Euangelij dicit: Sunt alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scriban tur per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos qui scriberẽtur libros. Qua igitur impudentia audet Lucas hic profiteri, se de omnibus illis scripsisse quæ Iesus non solum fecit, sed & docuit? Sed hoc uerbum ciuiliter intelligendum est. Quanquam enim non omnia tum facta tum dicta Christi potuerint uerbis conscribi, tamen Lucas de omnibus, uel aliqua complexus est, & ea conscripsit, quæ ad salutem nostram scitu partim utilia, partim necessaria sunt. Porro cum ait: Quæ cepit Iesus tum facere tum docere, distinguit totum negocium Christi in duo, uidelicet, opera & doctrinam, quemadmodum & discipuli ad Emauntem proficiscentes de Christo dicunt: Fuit uir propheta, potens opere & sermone coram deo & toto populo. Altera igitur pars negocij Christi, opera sunt. Porro opera quæ Lucas sub uerbo faciendi intelligit, sunt præcipue miracula, uidelicet, quod Iesus restituit ægrotos sanitati, quod cæcis uisum reddidit, quod leprosos mundauit, quod claudos sanauit, quod mortuos suscitauit, & id genus alia miracula, quæ profecto ædidit, non ut captaret aurem popularem, sed ut doctrinam suam cœlestem, nimirum alteram & præcipuam negocij sui partem confirmaret: Si mihi non creditis, inquit, operibus credite. Et iterum: Opera quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa, inquam opera, quæ ego facio testificantur de me, quod pater miserit me. Ac rursus: Credite mihi, quod ego in patre sum, & pater in me, alioqui propter ipsa facta credite mihi. Et alias: Vt sciatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & abi in domum tuam. Et ille surrexit, abijtque domum suam. Ex his manifeste habes, & per opera intelligi miracula, & per miracula confirmari doctrinam Christi. Doctrina enim altera & præcipua pars est negocij Christi. Doctrina autem Christi est Euangelion eius, quo docuit quod pater miserit eum in hunc mundum, ut seruet mundum, ut expiet peccata hominum, ut sit fons uiuus, lux mundi, panis uerus, uia, uita & resurrectio, ut uincat Satanam & mortem. Breuiter, ut qui credat in ipsum, non solum habeat propter ipsum per fidem placatum patrem, & remissionem peccatorum, sed etiam fiat filius dei, & habeat uitam æternam. Dicit ergo Lucas, has duas partes negocij ac ministerij Christi in hoc sæculo facta & dicta, miracula & doctrinam satis copiose, quantum nobis ad salutem sufficit, antea se descriptas esse, ad eum usq; diem, quo Iesus in cœlum ascendit, posteaquam prius promisisset Apostolis suis, quos elegerat, se missurum spiritum sanctum, & mandasset ut in Hierusalem paucis diebus aduentum spiritus sancti expectarent. Sic enim concludit librum historiæ Euangelicæ dicens: Ecce ego mitto promissum patris mei super uos. Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem, quoadusq; induamini uirtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & sublatis in altum manibus benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis recessit ab eis, ac ferebatur in cœlum. Et ipsi adorato eo regressi sunt Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes deum. Cæterum, quæ Lucas tunc breuissime perstrinxit, de interuallo temporis inter resurrectionem & ascensionem, ac de ipsa quoq; ascensione, ea nunc iterum præ manibus accipit, & explicat ipsa magis diserte & copiose. Ac nisi hæc explicuisset, non haberemus his temporibus certum testimonium, quo cognosceremus, quot diebus Christus post resurrectionem suam discipulis suis apparuisset, & quo die in cœlum ascendisset, quomodo item spiritum sanctum misisset. Quare tanto diligentius obseruanda sunt, quæ hoc loco Lucas scribit, quanto ea ad cognoscendos præcipuos fidei nostræ articulos magis necessaria sunt. Quibus etiam (inquit)

Totum ministerium Christi complecti tur duo, uidelicet opera et doctrinam.

seipsum uiuentem exhibuerat posteaquam supplicio affectus fuisset, idque compluribus argumentis, dum per quadraginta dies conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno dei. Non ascendit Christus in cœlum, nec misit spiritum sanctum, nisi prius abunde satis testatus esset, se a mortuis uere resurrexisse. Ac necessarium erat, ut resurrectio Christi clarissimis & certissimis argumentis ac testimoniis comprobaretur. Nisi enim resurrectio Christi certo constet, quid in religione nostra constabit? Si Christus, inquit Paulus, non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides uestra, adhuc estis in peccatis uestris. Et si Christus non resurrexit, nec mortui resurgent, & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Ac si in uita hac spem in Christo tantum fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus. Adhæc si Christus non resurrexit, profecto nec ascendit in cœlum, nec sedet ad dextram patris, nec misit spiritum sanctum, nec dominatur a mari usq; ad mare. Proinde, ut præcipui omnes fere fidei nostræ articuli constent, necesse est, ut resurrectio Christi argumentis ualde perspicuis declarata & confirmata sit. Ad hanc igitur declarandam Christus non statim, postquam resurrexit, ab oculis discipulorum sese subduxit, sed selegit sibi quadraginta dies, in quibus compluribus & manifestissimis argumẽtis comprobat, sese a mortuis uere resurrexisse. Quæ sunt illa, inquies, argumenta resurrectionis Christi? Etsi cum historiam resurrectionis tractaremus de his argumentis plura diximus, tamen, quia oportet resurrectionem Christi argumentis probe munitam & cognitam esse, & hic locus postulat de his aliquid monere, non pigebit ea nunc paucis referre. Primum igitur spiritus sanctus significauit per Prophetas in sacra scriptura, quod Christus sit resurrecturus a mortuis. Dicit enim Christus per Dauidem in psalmo decimoquinto: Non derelinques animam meam in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi feciſti uias uitæ. Quod de resurrectione Christi scriptum esse Petrus in prima sua concione, quam in die Pentecostes habuit, explicabit. Et Esaias: Requies eius, inquit, erit gloriosa. Ac iterum: Vbi dederit animam suam pro hostia peccati, tum posteritatem habebit, & erit longæuus. Atque adeo ubicunque prophetæ uaticinantur regnum Christi fore perpetuum, ibi significant quoque Christum a mortuis resurrecturum, ut per resurrectionem mortem uincat, et perpetuo regnet. Deinde quod prophetæ uaticinati sunt, hoc Christus reipsa præstitit, & postquam resurrexit a mortuis, multis & maximis argumentis se resurrexisse declarauit. Primum enim misit angelos ad sepulchrum qui ostenderunt mulieribus lapidem ab ostio monumenti reuolutum, sepulchrum uacuum, linteamina posita, & testati sunt Iesum resurrexisse. Deinde apparuit ipsemet Iesus Mariæ Magdalenæ, posthac alijs quoq; mulieribus. Mox apparuit & Petro. Hinc duobus discipulis euntibus in Emaus. Postea discipulis discumbentibus. Deinde manifestauit se ad mare Tiberiadis, quibusdam Petro, Thomæ, & alijs discipulis piscantibus. Adhæc uisus est, plusquàm quingentis fratribus in monte Galilææ ubi constituerat illis Iesus, dicente angelo: Ecce præcedet uos in Galilæa, illic uidebitis eum, sicut dixit uobis. Deinde uisus est Iacobo. Postremo apparuit discipulis eo tempore, quo in cœlum assumptus est. Itaque uarijs modis reuelauit sese, postquam resurrexit, discipulis suis, per quadraginta dies. Et in his reuelationibus nunc ostendit eis manus, pedes & latus suum, & iussit eos contrectare, quo certi essent se non spectrum quoddam uidere, nunc una cum ipsis uescebatur. Semper certe collocutus est cum ipsis de regno dei, ut non solum resurrectionem suam quam testatissimam faceret, sed etiam discipulos erudiret, quo ueram regni sui rationem intelligerent. Expectabant enim

Quanti referat resurrectionẽ Christi esse comprobatam.

Testimonia resurrectionis Christi.

discipuli

discipuli regnũ Christi carnale, regio fastu, & terrena maiestate inuadendũ, occupandum & administrandum. Vnde aliàs de primatu contendunt, aliàs de regno Christi animum suum despondent, ꝙ uideãt ipsum a magistratibus populi abiectum, & morte condemnatum. Hanc autem expectationem & opinionem eximit Christus discipulis suis per hos quadraginta dies post resurrectionẽ suã, & docet eos, ꝙ regnum suum non sit regnum carnale, sed spirituale. O stulti, inquit, & tardi corde ad credendũ omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonnehęc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Et exorsus a Mose & omnibus prophetis interpretabatur illis, in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et iterum: Pax uobis, inquit, Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Ac flans in eos ait: Accipite spũm sanctum, quorum remiseritis peccata, remittũtur eis, quorumcunꝙ retinueritis, retenta erunt. Ac mox: Hæc sunt uerba (ait) quæ locutus sum ad uos cum adhuc essem uobiscum, ꝙ necesse foret impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerẽt scripturas, & dixit eis: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertio die, & prædicari sub nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Et alia multa collocutus est Christus per hos quadraginta dies cum discipulis suis, quibus erudiuit eos, ꝙ data quidem sit ipsi potestas in cœlo & in terra, ac habeat regnum non in orbe tantum terrarum, uerumetiam in toto mundo super omnes creaturas, attamen non sit administraturus hoc regnum carnali maiestate & ciuili potentia pro more regum huius sæculi, sed missurus sit ipsos inter omnes gentes, ut prædicent sub nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum, & hanc prædicationem sit confirmaturus admirandis & stupendis donis spiritus sancti, multisꝙ aliis signis & miraculis, ut quicunꝙ credat & baptizetur, ueram salutem consequatur. Hæc est spiritualis maiestas qua Christus regnũ suum in orbe terrarum occupat & administrat. Quare cum maximis & clarissimis argumentis ac testimoniis uideamus Christum uere a mortuis resurrexisse, & intelligamus regnum Christi, non in externa & ciuili maiestate, sed in maiestate prædicationis Euangelij de Iesu Christo consistere, agite fratres amicissimi, excipiamus Euãgelion Christi obuia fide, ut per fidem Christo inserti, cum ipso a mortuis resurgamus & perpetuo regnemus, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA II.



Vanquam non ignorem ingeniũ mihi magis exiguum esse ꝙ ut possim hunc Actorum Apostolicoꝝ librum, quem publicis concionibus interpretandũ suscepi, pro dignitate & maiestate rerũ, quæ in eo continentur, tractare & explicare, tamen adiutus sanctis uestris præcationibus ad deum, fratres amicissimi, optime spero, gratiã DOMINI nostri Iesu Christi, id quod ingenio meo deest, probe cõpensaturam. Quid enim ille qui dixit: Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, precibus uestris negaret? Et qui iussit orare: Adueniat regnum tuum, quod in prædicatiõe Euangelij reuelatur, quomodo ad explicandũ Euangelion regni sui, fidelibus Ecclesiæ suę ministris spũm sanctũ non daret? Quare si homo hominẽ sæpenumero non propter meritum, sed propter improbitatẽ precum exaudit, & uoto precantis satisfacit, tanto magis nobis speranda est gratia DOMINI nostri Iesu Christi, quãto plus clemẽtia & misericordia illius, oẽs

omnium hominũ affectus superat. Sed dicet quispiã, peccatores estis, deus peccatores non exaudit. Agnoscimus epitheton nostrũ, & ingenue fatemur nos peccatores. De peccatoribus aũt dicit Christus: Non ueni ad uocandũ iustos, sed peccatores ad pœnitentiã. Et iterꝝ: Non misit deus filiũ suum in mundũ ut cõdemnet mundũ, sed ut mundus seruet per eum. Ac Paulus: Certus, inquit, sermo quẽ modis oĩbus amplectamur, ꝙ Christus Iesus uenit in mundũ ut peccatores saluos faceret. Quare quo magis nos peccatores agnoscimus, eo ampliorẽ clementiam dei propter Iesum Christũ speramus, ut spũ sancto donati sacram scripturã iuxta analogiã fidei interpretemur, & per fidẽ ad salutẽ nostrã excipiamus. Exposuimus aũt antea, quibus argumentis Christus per 40. dies resurrectionẽ suã testatus sit, ac cõprobauerit, nunc igit ad explicanda ea quę sequunt, progrediemur. Nam cũ Christus sufficientibus argumẽtis declarasset, se uere a mortuis resurrexisse, & uerã rationẽ regni sui Apostolos docuisset. Congregans illos prꝛcepit eis ne discederẽt Hierosolymis, sed expectarent promissionẽ patris, quã audistis (inquit) ex me. Qm̃ Ioẽs baptizauit quidẽ aqua, uos aũt baptizabimini spũ sancto post dies hosce nõ multos, repetit Lucas ea quę & antea in fine Euangelij sui cõmemorauerat. Illic .n. dicit Christus: Ecce ego mitto ꝓmissum patris mei sup uos, uos aũt sedete in ciuitate Hierusalẽ quoadusqꝫ induamini uirtute ex alto. Quis est ergo ꝓmissus ille patris, & quę est illa ꝓmissio de qua Christus discipulis suis locutus est, & cuius hoc loco mẽtio fit? Profecto nõ est alia promissio, ꝙꝫ ea quæ dicta est de spũ sancto. Et spũs sanctus est ꝓmissus ille patris, qui postea discipulis in die pentecostes datus est. Ait em̃ Christus apud Ioem Euangelistã: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uẽtre eius fluẽt aquę uiuę. Hoc aũt dixit de spũ quẽ accepturi erant credentes in ipm. Et postea: Ego rogabo (inquit) patrẽ, & aliũ cõsolatorem dabit uobis. Ac mox: Paracletus ille, qui est spũs sanctus, quẽ mittet pater noĩe meo, ille uos docebit oĩa, & suggeret uobis oĩa quę cũ ꝙ dixi uobis. Et iterꝝ: Cũ uenerit paracletus quẽ ego mittã uobis a patre, spũs ueritatis qui a pre procedit, ille testimoniũ phibebit de me. Ac rursus: Cũ uenerit ille qui est spũs ueritatis, ducet uos in oẽm ueritatem. Ex his habes promissionem patris de qua Christus locutus est discipulis suis, esse spũm sanctũ. Vnde sequitur: Ioannes baptizauit quidẽ aqua, uos aũt baptizabimini spũ sancto. Quid ergo? inquies, nemo ne consecutus est spũm sanctum per baptismum Ioannis? Profecto baptismus Ioannis idem ille baptismus est, quo postea Apostoli gentes baptizauerũt, & quo adhuc hodie utitur Ecclesia. Ioannes .n. primus fuit baptismi Christiani minister, quẽadmodum copiose in .3. cap. Euãgelij secundũ Lucam ostendimus. Et Ioẽs prædicauit de Iesu Christo dicens: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mũdi. Ac iterꝝ: Qui credit filio habet uitã æternã. Præterea baptizauit in remissionẽ peccatorꝝ. Non põt aũt alicui cõtingere remissio peccatorꝝ, nisi in noĩe Iesu Christi. Necesse igit est ꝙ Ioannes baptizauerit nõ in noĩe suo, sed in noĩe Christi. Si aũt baptizauit in noĩe Christi, certe hi qui baptismũ Ioannis ex fide acceperunt, cõsecuti quoꝙ sunt per illud, spũm sanctũ. Baptismus .n. qui in noĩe Christi distribuitur, est lauacrũ regnationis & renouationis spũs sancti. Quæ cũ ita se habeant, quid sibi uult Christus his uerbis cũ dicit: Ioannes baptizauit quidẽ aqua, uos aũt baptizabimini spũ sancto? Ergo ne discipuli non acceperunt spũm sanctum per baptismũ Ioannis, & hactenus semper caruerunt spũ sancto? Cur igitur dictum est ad ipsos, cum primũ ad prædicandum Euangelion emitterentur: Cũ tradiderint uos, non sitis solliciti quomodo aut quid loquamini. Non .n. uos estis illi loquentes, sed spũs patris uestri qui loquitur in uobis? Cur ad Petrum dictũ est: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est

Spiritum sanctũ esse promissum patris.

qui est in cœlis? Quod autem pater reuelat per spũm sanctum reuelat. Et quid hoc, quod Christus ante diem pentecostes afflat Apostolos & ait: Accipite spm̃ quorũ cunq; remiseritis peccata, remittuntur eis? Hæc certe oĩa perspicue testantur, discipulos spũm sanctũ habuisse, priusq; illud fieret quod Christus dicit: Baptizabimini spũ sancto. Quomodo ergo istud intelligendum est? Vt hæc explicemus, obseruandum est, primũ, quid hoc loco spũs sanctus, qui Apostolis in die pentecostes conferendus promittitur, significet. Deinde quot sint baptismatũ genera: postremo, qua in re antithesis inter baptismũ Ioãnis & baptismũ Christi cõsistat. Quanq; autẽ postea de rõne spũs sctĩ in die pẽtecostes in discipulos illapsi, nobis, adnuente Dño, dicendũ est, tamen etiã hic locus postulat, ut aliquid de ea dicamus. Nomen igit̃ spũs sancti in scriptura uarie usurpat̃. Nunc. n. pro ipa spũs essentia intelligit̃ qua oĩa replent̃. Vnde psalmus dicit: Quo ibo a spũ tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ergo iuxta hanc rationem de spiritu loquaris, certe non est sentiendum q; spiritus sanctus in Apostolos in die pentecostes ita illapsus sit, quasi antea in eis non fuerit. Est enim natura deus, & replet cœlum ac terram, quomodo igitur non Apostolos etiam replesset? Nunc usurpatur nomen spiritus sancti, non pro essentia spiritus, sed pro donis spiritus. Sunt autem uaria dona spiritus quæ pijs conferuntur. Alia sunt uulgaria & communia omnibus in Christum credentibus. Huius generis sunt, fides, fiducia appellandi deũ ut patrem, gaudium & consolatio in aduersis, item mortificatio carnis, obedientia erga mandata dei, quatenus in hac carne possibile est, & multa alia dona, his similia. Alia sunt dona priuata admiranda & stupenda, qualia sunt, subita diuersarum linguarum cognitio, uirtutes ædendi miracula, & animus imperterritus prædicandi & confitendi publice Iesum Christum. Habes, quid nomine spiritus sancti significetur, nunc audi baptismatum genera. Quantum igitur in præsentia satis est, duo sunt baptismatum genera, alterum est aquæ, alterum ignis. Porro baptisma aquæ illud est, quo Iohannes primum, deinde & Apostoli Christi in nomine patris & filij & spiritus sancti homines baptizauerunt, quo & adhuc Ecclesia Christi utitur. Baptisma autem ignis illud est, quo Christus ignem admirabiliter de cœlo in die pentecostes Apostolis & multis alijs discipulis misit, & effecit, ut linguæ in eis apparerent dispertitæ uelut igneæ. Et hæc duo baptismatum genera a uisibili sua materia, aqua uidelicet & igni denominantur. Quid ergo? nihil ne aliud sunt, quàm quod uidẽtur, aqua aut ignis? Absit. Sunt enim organa in hoc ordinata, ut per ipsa spiritus sanctus, hoc est, dona spiritus sancti distribuantur. At per baptismum quidem aquæ dantur uulgaria illa & communia spiritus sancti dona, fides, certificatio fidei in conscientia, gaudium in spiritu sancto, consolatio in aduersis, fiducia appellandi & inuocandi deum ut patrem, & id genus alia, quæ paulo ante cõmemorauimus. Et hic spiritus sanctus, seu ut significantius loquar, hæc dona spiritus sancti data fuerunt Apostolis priusquam Christus pateretur, & a mortuis resurgeret. Per baptismum autem ignis augentur quidem hæc uulgaria dona, sed præter ea dantur per ipsum dona spiritus priuata admiranda & stupẽda, subita diuersarũ linguarum scientia, plena mysteriorũ regni Christi cognitio, & imperterrita ac inexpugnabilis fiducia confitendi, & prædicandi publice DOMINVM nostrum Iesum Christum. Et de his donis intelligendũ est Christũ loqui cũ promittit se missurũ paracletum. Vnde & Lucas, cum narrasset ignem in die pentecostes cœlitus missum addit: Et repleti sunt oẽs spiritu sancto, cœperũtq; loqui alijs linguis, prout spũs ille dabat eloqui illis. Quæ cum ita se habeant, non est difficile nunc uidere quibus in rebus baptismus Christi, de quo hic fit sermo, a baptismo Iohannis distin-

Quid nomine spũs sancti in scriptura significetur.

Duo genera baptismatũ aquæ & ignis.

In quibus baptiſmus Chriſti à baptiſmo Iohannis differat.

guatur. Primum enim diſtinguuntur inter ſe baptiſmi materia. Iohannes enim baptizauit aqua e Iordane ſumpta, Chriſtus autem baptizauit igni de cœlo miſſo. Deinde diſtinguuntur etiam baptizandi modo. Iohannes enim baptizauit nullis externis miraculis adhibitis, Chriſtus autem baptizauit adhibito miraculo uehementis flatus conturbantis totam domum, ubi diſcipuli erant ſedentes, & miraculo ignis de repente apparentis. Adhæc diſtinguuntur donorum uarietate. Nam per baptiſmum Ioannis dantur tantum uulgaria & communia dona ſpiritus ſancti. Per baptiſmum autem Chriſti data ſunt admiranda & ſtupenda illa dona, quæ in die pentecoſtes commemorantur. Quid ergo? nihil amplius diſcriminis eſt inter baptiſmum Iohannis & Chriſti? an non ita diſtinguuntur, quod per baptiſmum Iohannis nudum tantum elementum, per baptiſmum autem Chriſti ſpiritus ipſe ſanctus adminiſtretur? Dicit enim hoc loco Chriſtus: Iohannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini ſpiritu ſancto. Idem & Iohannes alias teſtatur dicens: Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam, at ille qui poſt me uenturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus ut calciamenta portem, ipſe uos baptizabit ſpiritu ſancto & igni. Hæc uerba uidentur diſerte ſignificare, per baptiſmum Iohannis non niſi aquam adminiſtrari. Sed abſit, ut ſentiamus baptiſmum Iohannis his uerbis tanquam nudum elementum uilipendi, & ſignificari, quod per ipſum ſpiritus ſanctus non adminiſtretur. Oſtendimus enim ſupra, Iohannem primum fuiſſe miniſtrum eius baptiſmi, quem poſtea Chriſtus confirmauit, & iuſſit Apoſtolos diſpenſare inter gẽtes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, quo etiam Eccleſia Chriſti ſemper utitur. Baptizauit enim Iohannes aqua ad pœnitentiam. Pœnitentia autem conſtat agnitione peccatorum & fide in Chriſtum. Agnitio autem peccatorum & fides ſunt dona ſpiritus ſancti. Cum igitur Iohannes baptizauerit ad pœnitentiam, profecto manifeſtum eſt, baptiſmum eius nõ eſſe nudum elementum aquæ, ſed organon quo ſpiritus ſanctus adminiſtratur. Cur ergo dicitur: Ego quidem baptizo uos aqua, ueniet autem fortior qui baptizabit uos ſpiritu ſancto & igni? Hæc non dicuntur q̃ baptiſmus aquæ non ſit organon & miniſterium ſpiritus, nec dicuntur q̃ baptiſmus Iohannis alius ſit baptiſmus ab eo, quo poſtea Apoſtoli, & nunc miniſtri Eccleſiæ gentes baptizant, ſed dicuntur, ut perſonæ & officia Iohannis & Chriſti inter ſe diſtinguantur. Nam Iohannes tantę autoritatis inter Iudæos habebatur, ut putaretur ipſe eſſe Meſſias ſeu Chriſtus, & quæ Prophetæ de Chriſto uaticinati erant, ea in Iohannem referrentur. Ieſus autem filius ille Mariæ, qui erat uerus Chriſtus, multo minor Iohanne in nouo Euangelij miniſterio per Iohannem inchoato æſtimabatur. Neceſſarium igitur erat, ut hæ duæ perſonæ & officia eorum recte inter ſe diſtinguerentur, ne Iohannem pro Meſſia ſeu Chriſto adoraremus. Sic autem diſtinguuntur, q̃ Iohannes ſit tantum miniſter, Ieſus autẽ magiſter ſpiritus. Et Iohannes ſeruus eſt, Ieſus DOMINVS. Præterea Iohannes cooperarius eſt ſalutis, Ieſus autem author ſalutis. Breuiter, Ioannes famulus tantũ Chriſti eſt, Ieſus autẽ ipſe eſt uerus ille Chriſtus. Vnde quod Ioannes dicit: Ego quidẽ baptizo uos aqua, ueniet aũt fortior poſt me, qui baptizabit uos ſpũ ſancto & igni, nihil aliud ſignificat, q̃ ſi diceret, Ego tantũ ſalutis ueſtræ miniſter ſum, alius aũt qui poſt me reuelabitur, eſt magiſter ſalutis, ac meo quidem miniſterio diſpenſant̃ dona ſpũs ſancti, non tamen mea autoritate, ſed autoritate eius qui mox manifeſtabit̃, hoc eſt, Ieſu Chriſti. Atq; adeo uerba hæc Iohannis plane idipſum ſignificãt quod Paulus ad Corinthios ſcribẽs: Quis, inquit, eſt Paulus, quis Apollo, niſi miniſter, per quos credidiſtis, & ut cui q̃ Dñs dedit? Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed deus dedit incrementum.

Argumenta baptiſmi Iohannis, q̃ nõ fuerit tantũ aquæ baptiſmus.

crementum. Sic & uerba Iohannis intelligantur: Ego quidem baptizo uos aqua. Hoc est, ego minister tantum sum, per quem creditis, ego plantator tantum & rigator sum. Sed qui uenit post me Iesus Christus, is est, qui dat incrementum, & qui est uerus author salutis meo officio administratæ. Nam quod ipse magister & author salutis sit, præter alia testimonia his potissimum miraculis declarabit, quod missurus sit ignem de cœlo, quo baptizabit discipulos suos in die pentecostes, & donabit eos admirandis & stupendis donis spiritus sancti, ut ijs præditi, totum orbem inuadant, & fines imperij Christi inter omnes gentes proferant. Cum enim Christus dicit: Vos baptizabimini spiritu sancto, & Iohannes ait: Ipse baptizabit uos spiritu sancto & igni, non loquuntur prima facie de occulta & interna dispensatione, qua Christus per publica ministeria prædicationis Euangelij & sacramentorum, spiritum sanctum largitur, sed de manifesta illa & admiranda missione spiritus sancti in die pentecostes, quæ profecto ideo facta est, non ut significaretur ministeria Iohannis & Apostolorum, non esse ministeria spiritus, sed potius, ut publico miraculo comprobaretur Iesum Christum, eum esse authorem & magistrum, qui ut antea ministerio Iohannis, ita postea ministerio Apostolorum & omnium ministrorum Ecclesiæ, dona spiritus sancti, offerat, & dispenset. Tantum igitur abest, ut his uerbis Christi & Iohannis externa Euangelij & sacramentorum ministeria, tanquam nudæ uoces & elementa reijciantur, ut maxime omnium ad organa spiritus sancti, authoritate Christi sanctificentur & confirmentur. Sed de discrimine baptismi Iohannis & Christi, & de sensu horum uerborum: Iohannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto, hactenus satis diximus, nunc perstringemus breuiter pauca quædam, quæ sequuntur. Illi igitur ubi conuenissent, percontabantur illum dicentes: DOMINE, num in tempore hoc restitues regnum Israëli? Breuis quæstio, sed quæ multam discipulorum Christi tum ruditatem, tum curiositatem, tum etiam timiditatem prodat. Primum enim cum Christus tot diebus post resurrectionem explicuerat ipsis ueram rationem regni sui, & perspicue docuerat eos, regnum ipsius non fore carnale, sed spirituale: occupandum non potentia armorum & maiestate externa, sed potentia spiritus sancti, & maiestate prædicationis Euangelij in totum orbem terrarum uulgandi, adhuc tamen uidentur somniare Iudæos in toto orbe terrarum super inimicos suos, & omnes gentes carnaliter dominaturos. Deinde cum debuissent Christum percontari, quod ipsorum esset officium, quod ministerium, quid ad proferendos terminos regni eius agere deberent, non de eo, quod ad ipsos pertinebat, sed de tempore, quod plane ipsorum nihil intererat scire, percontabantur. Num hoc, inquiũt, tempore reddes populo Israël regnum illud, quod ipsi per prophetas promissum est, & de quo hactenus tu nobis multa disseruisti? Num hoc die, aut hoc mense, aut hoc anno futurum est, ut Iudæi dominium totius orbis iuxta prophetarum oracula occupent? Habes exemplum humanæ curiositatis, quæ eius est ingenij, ut quæ curanda sint, negligat, quæ negligenda sunt, curet. Quid si uero discipuli Christi non ex curiositate tantũ, sed & ex timiditate, id de tempore restituendi regni scrutentur? Nam cum ex uerbis Christi intellexissent se mittendos in totum orbem terrarum, ut omnes gẽtes regno Christi subijciant, & sentirent se multo impotentiores & infirmiores esse, q̃ ut tam pr̃claræ facinus perficere queant, de tpe inquirũt, quo habeãt spaciũ ad sumendas sibi uires, & ad cõuocanda auxilia. Sed agite dum oẽs uos, qui hęc auditis, quis adhuc inter nos est, q̃ uicia & imbecillitates hũanæ suę naturæ nondũ agnoscit? Amabo te, intuere sal̃ẽ in discipulos Christi, & uide-

" "

Exemplo discipulorũ admonemur ruditatis, curiositatis, & timiditatis humanæ naturæ in rebus diuinis.

bis in ipsis tanquam in speculo, humana tua natura nihil esse ad perspiciendas res diuinas ineptius, nihil ad obediendum uerbo Dei tardius, nihil denique uicio sius. Discipuli enim Christi toties de regno Christi eruditi erant, toties de sua ipsorum uocatione admoniti erant, tam multis & uarijs promissis muniti erant, suis tamen uiribus relicti, adhuc rudes sunt, curiosi sunt, timidi sunt. Quid ergo tu de præstantia & uirtutibus humanæ tuæ naturæ gloriari audes? Quid iactas te tuis uiribus posse deum cognoscere, & mandata dei implere? Profecto nisi in tua arrogantia perire malueris, agnoscenda sunt tibi uicia tua, ut deus respiciat super te humilem & abiectum, ac mittat tibi uirtutem ex alto. Sed quo animo excipit Christus hanc discipulorum suorum & ruditatem & curiositatem, & timiditatem? num prorsus eos abijcit, & alios discipulos eligit? Hoc quidem homines morosi & difficiles facere solent, ut non uicia propter amicos tolerent, sed amicos propter uicia reijciant & derelinquant. Christus autem qui uenit ad seruandos non ad perdendos homines, ueram æquitatis regulam in discipulis suis seruat. Dixit enim ad illos: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate. Sed accipietis uirtutem, posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samaria q;, denique usq; ad extrema terræ. Obserua quæso ingentem æquitatem & moderationem. Morosior quispiam discipulos ob tanta uicia plane a se repulisset. Adulantior quispiam uicia discipulorum non solum toleraſſet, sed etiam iustificasset, & commendasset. Christus autem nec reijcit discipulos, nec iustificat uicia eorum. Sed amans & tolerans discipulos, arguit uicia eorum, & increpat ipsos, non ut condemnet eos, sed ut ipsos ad salutem plenius erudiat. Non est uestrum inquit, nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quod uestrum est scire negligitis, quod non est uestrum scire, inquiritis. Apagete, cum uana ista curiositate. De ratione regni mei quam sentio uos nondum intelligere inquirēdum esset. De officio & ministerio uestro, quod uideo uobis non magnæ curæ esset, interrogandum foret. Sed ecce articulos & momenta temporum inquiritis, quæ pater suæ scientiæ reseruauit. Quid ergo inquies, num pater scientiam de momentis futuri temporis ita sibi reseruat, ut nulli hominum ea reuelet? Quid igitur dicemus de Ieremia, qui e spiritu sancto præsciuit tempus liberationis e captiuitate Babylonica? Cum cœperint, inquit, compleri in Babylone septuaginta anni, uisitabo uos & suscitabo super uos Verbum meum bonum, & reducam uos ad locum istum. Quid de Daniele, qui & tempus renouationis templi ab Antiocho prophanati, & tempus aduentus Christi certis numeris designauit? Respondeo: Solum DOMINVM Deum nostrum futurarum rerum aut temporum ita præscium esse, ut tamen nonnunquam per spiritum sanctum hominibus a se delectis ea reueler. Hæc autem est consuetudo Christi, quod interrogatus a discipulis suis de rebus cognitu aut non necessarijs, aut etiam ipsis scitu pernicioſis, reijciat quæstionem a se in scientiam ac potestatem solius patris, idque eo facit consilio, non quia ipse id quod quæritur aut nesciat, aut nequeat, Pater enim diligit filium, & omnia dedit illi in manum, sed ut retundat humanam curiositatem, & admoneat homines officij sui, ne scrutentur ea quæ deus uult occulta habere, sed inquirant ea quæ ipsis ad salutem cognitu & factu necessaria sunt. Sic filijs Zebedei petentibus, ut alter ad dextram, alter ad sinistrā in regno ipsius sedeat. Respondit: Sedere ad dextram & sinistram, non est meum dare, sed ijs continget, quibus paratum est à patre meo. Sic discipulis alias interrogantibus: Dic

» uirtutem, posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samaria q;, denique usq; ad extrema terræ. Obserua quæso ingentem æquitatem & moderationem. Morosior quispiam discipulos ob tanta uicia plane a se repulisset. Adulantior quispiam uicia discipulorum non solum toleraſſet, sed etiam iustificasset, & commendasset. Christus autem nec reijcit discipulos, nec iustificat uicia eorum. Sed amans & tolerans discipulos, arguit uicia eorum, & increpat ipsos, non ut condemnet eos, sed ut ipsos ad salutem plenius erudiat. Non est uestrum inquit, nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quod uestrum est scire negligitis, quod non est uestrum scire, inquiritis. Apagete, cum uana ista curiositate. De ratione regni mei quam sentio uos nondum intelligere inquirēdum esset. De officio & ministerio uestro, quod uideo uobis non magnæ curæ esset, interrogandum foret. Sed ecce articulos & momenta temporum inquiritis, quæ pater suæ scientiæ reseruauit. Quid ergo inquies, num pater scientiam de momentis futuri temporis ita sibi reseruat, ut nulli hominum ea reuelet? Quid igitur dicemus de Ieremia, qui e spiritu sancto præsciuit tempus liberationis e captiuitate Babylonica? Cum cœperint, inquit, compleri in Babylone septuaginta anni, uisitabo uos & suscitabo super uos Verbum meum bonum, & reducam uos ad locum istum. Quid de Daniele, qui & tempus renouationis templi ab Antiocho prophanati, & tempus aduentus Christi certis numeris designauit? Respondeo: Solum DOMINVM Deum nostrum futurarum rerum aut temporum ita præscium esse, ut tamen nonnunquam per spiritum sanctum hominibus a se delectis ea reueler. Hæc autem est consuetudo Christi, quod interrogatus a discipulis suis de rebus cognitu aut non necessarijs, aut etiam ipsis scitu pernicioſis, reijciat quæstionem a se in scientiam ac potestatem solius patris, idque eo facit consilio, non quia ipse id quod quæritur aut nesciat, aut nequeat, Pater enim diligit filium, & omnia dedit illi in manum, sed ut retundat humanam curiositatem, & admoneat homines officij sui, ne scrutentur ea quæ deus uult occulta habere, sed inquirant ea quæ ipsis ad salutem cognitu & factu necessaria sunt. Sic filijs Zebedei petentibus, ut alter ad dextram, alter ad sinistrā in regno ipsius sedeat. Respondit: Sedere ad dextram & sinistram, non est meum dare, sed ijs continget, quibus paratum est à patre meo. Sic discipulis alias interrogantibus: Dic

Moderatio Christi erga suos.

nobis

nobis quando hæc erunt,uidelicet structuras templi ita diruendas, ut nec lapis super lapidem relinquatur. Respondit, De die illo ac tempore nemo nouit, ne angeli quidem qui in cœlo sunt,nec ipse filius, sed solus pater. Sic & hoc loco, reiicit curiositatem discipulorum dicens, Non est uestrum nosse tempora & momenta quæ pater posuit in sua potestate. Cæterum increpata curiositate, medetur etiam imperitiæ, ruditati, ac formidini eorum. Accipietis,inquiẽs,uirtutem posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solum Hierosolymis,uerumetiam in uniuersa Iudæa,Samaria, deniq; usq; ad extrema terræ. His paucis uerbis explicat Christus, quibus uiribus, quo exercitu, quo item genere expugnandi,discipuli sui orbem terrarum debellaturi,& obsequio Christi subiecturi sint. Vnde etiam cognobile redditur, quale sit regnum Christi: Accipietis,inquit,uirtutem,hoc est, ad occupandos & proferendos terminos regni mei,non inuadetis regiones ac urbes uirtute carnali,externo robore militum,aut exercitu ex hominibus collecto,sed uirtute spirituali, & exercitu cœlesti. Mittam enim uobis dona spiritus sancti, quæ sunt loqui uarijs linguis,ædere miracula,cognoscere omnem ueritatem,habere animum infractum in omnibus aduersis,& id genus alia dona. Et hæc erit uirtus,hoc robur,hic exercitus, non terrestris,sed cœlestis, quo imperium meum occupabitis, & fines eius dilatabitis. Iam & nouo quodam genere expugnandi urbes aggrediemini. Non enim admouebitis urbium portis externos arietes, non discindetis muros bombardis carnalibus, sed eritis mihi testes, hoc est, expugnatio urbium fiet testimonio,seu prædicatione Euangelij mei. Prædicatio enim & testimonium, quod de me feretis,id demum erit aries & bombarda,quibus expugnabitis non solum urbem Hierusalem, uerumetiam uniuersam Iudæam. Adhuc pauca dixi,adde & Samariam. Sed neq; hæc erit finis imperij mei. In omnem terram exibit sonus uester,& in fines orbis terræ uerba uestra: atq; adeo illic erit terminus imperij mei,ubi est terminus orbis terræ. Quę cum ita se habeant,quid est quod adhuc somniatis regnum meum esse terrenum aut carnale? & quid est quod adhuc timetis,uos esse imbecilliores, quam ut possitis orbem terrarum expugnare? an non satis potens est, qui e spiritu sancto potens est? an non satis fortis dux est,qui secum habet exercitum cœlestem? Agite ergo discipuli animo meo charissimi, nolite animum uestrum despondere, nolite promissionibus meis diffidere, ac iussa mea reijcere. Sed sedete & expectate in ciuitate Hierusalem, & illic paucissimis post diebus induemini tanta uirtute ex alto, ut nemo sit qui queat uos, aut sapientia aut potentia superare. Explicuimus quantum in hoc loco satis uisum est, quid per spiritum sanctum discipulis promissum significetur, quot sint baptismi genera, quod sit discrimen inter baptismum Iohannis & Christi,& quanta moderatione Christus rudes, curiosos & timidos suos discipulos,de ratione regni sui erudiat. Reliquum nunc est,amicissimi, primum quidem,ut Euangelion de Iesu Christo, quod missione & miraculis spiritus sancti iam dudum confirmatum est obuia fide ad iusticiam & salutem nostram excipiamus. Deinde autem ut in regno Christi per totum orbem dilatatum,in quod per baptismum inaugurati sumus, gratitudine & obedientia fidei permaneamus. Postremo ut exemplum moderationis Christi, erga homines difficiles ac morosos diligenter sectemur, & proximos nostros, non propter uicia eorum abijciamus, sed uicia eorum, propterea quod sint proximi nostri toleremus, ut si nos remittamus hominibus sua in nos errata, remittat etiam nobis Deus errata nostra, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in secula Amen.

Arma Apostolorum.

HOMELIA III.



NTER multa, quæ maiores noſtri, ſiue illi apoſtoli, ſiue ij qui mox ſucceſſerunt Apoſtolis, pie ac prudenter tradiderunt, nõ poſtremum locum obtinet, q; ſummam Apoſtolicæ doctrinæ, & Chriſtianæ religionis, in duodecim capita, quæ uocant articulos fidei contraxerunt. In tot enim errorum labyrinthis, in tot ſectis & hæreſibus, in tot rerum publicarum & priuatarum mutationibus, quæ reuelationem Euangelij Ieſu Chriſti ſecutæ ſunt, uix potuiſſet unitas & certitudo religionis noſtræ conſeruari, ac nobis quaſi per manus tradi, niſi capita religionis breui quodam & bene memorabili compendio comprehenſa, piorum mentibus tanquam uiuis codicibus inſcripta fuiſſent. Quare non poſſum non uehementer laudare piam illorum induſtriam, qui per elenchũ duodecim fidei noſtræ articulorum, incolumitati & ſaluti Eccleſiæ conſulerunt. Inter hos autem articulos, non minimus is eſt, in quo de Ieſu Chriſto confitemur dicentes: Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram dei patris. Proinde cum in explicando Luca peruenimus ad eum locũ, in quo hiſtoria Aſcenſionis DOMINI noſtri Ieſu Chriſti in cœlum, conſcribitur, tractabimus & nos de hoc fidei noſtræ articulo, ut non ſolum uerba teneamus, ſed etiam ſenſum uerborum & utilitatem fidei huius articuli comprehendamus. Ac primum quidem commemorabimus e Luca, hiſtoriam aſcenſionis, adiecturi interim & alia ſcripturæ teſtimonia, quibus hic articulus fidei comprobatur. Deinde explicabimus, quomodo id quod dicitur, aſcendit in cœlum, intelligendum ſit. Poſtremo adijciemus etiam fructum & utilitatem aſcenſionis Chriſti in cœlum. Hæc profecto omnia cognitu nobis neceſſaria ſunt, niſi plane nullam ſalutis noſtræ rationem habeamus. Quod cum longe ab unoquouis noſtrum, ut ſpero abſit, agite in Chriſto amiciſſimi, attentis auribus & animis audiamus, quæ nobis ſpiritus ſanctus de his rebus in ſcriptura concionatur. Et cum hæc (inquit Lucas) dixiſſet, uidentibus ijſdem (nimirum foras eductis uſq; in Bethaniam ſuper montem Oliueti) in altum ſublatus eſt, & nubes ſubduxit illũ ab oculis eorũ. Cunq; eſſent defixis in cœlum oculis eunte illo, ecce duo uiri aſtiterunt illis, amicti ueſtibus albis, qui & dixerũt, Viri Galilæi quid ſtatis intuentes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a uobis in cœlum, ſic ueniet, quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Hæc eſt hiſtoria in qua deſcribitur fidei articulus, Aſcendit in cœlum. Et quia neceſſe eſt ut firma teſtimonia articulorũ fidei habeamus, recitabimus etiam alios ſacræ ſcripturæ locos, quibus hic articulus comprobatur. Nam quod Lucas hic ſcribit de aſcenſione, idem antea paucis perſtrinxit in Euangelio ſuo dicens, Eduxit eos foras in Bethaniam, & ſublatis in altum manibus, benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, ac ferebatur in cœlum. Marcus quoq; aſcenſionis meminit. Poſteaquam, inquiens, locutus fuiſſet eis, receptus eſt in cœlum, & conſedit a dextris Dei. Huc accedit Ioannes Euangeliſta, apud quem Ieſus ad Mariam Magdalenam ita dicit, Vade ad fratres meos & dic eis, Aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrum, deum meum & deum ueſtrum. Idem & Petrus in prima ſua concione teſtatur, quemadmodum Lucas in Actis ſecũdo capite ſcribit, Dextera, inquiens, dei exaltatus, & promiſſione ſpiritus ſancti accepta a patre effudit hoc quod nunc uidetis. His adde & Paulum ad Epheſios ita ſcribentem, Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut omnia impleret. Quin & Prophetæ de Aſcenſione Chriſti uaticinati ſunt, Currus Dei, inquit Dauid, decẽ milibus multiplex milia lætantiũ, DOMINVS in eis in Sinai ſancto, Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatẽ, accepiſti dona in hominibus.

Teſtimonia Aſcenſionis Chriſti.

minibus. Et in alio psalmo: Dixit DOMINVS Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ex hoc enim loco probat Petrus in Actis Apostolicis ascensionem Christi in cœlum. Habes magnam nubem testium comprobantium ascensionẽ Christi, quos ideo pluribus commemorauí, ut sciremus quibus scripturæ locis hic articulus confirmetur. Quod cum ita se habeat, exponendum nunc erit, quæ sit uera sentẽtia eius quod dicitur: Ascendit in cœlum. Atq; hoc eo diligentius scrutandum & obseruandum est, q̃ Sacramentarij, qui negant panem cœnæ Dominicę uere corpus Christi esse, quærunt ex ascensu Christi in cœlum erroris sui patrocinium. Dicunt enim, Christus ascendit cum corpore suo in cœlum, & habitat in cœlo corporaliter, corpus igitur Christi non potest esse in pane. Nos autem uestris adiuti precibus, perspicue ostendemus, tantum abesse, ut ascensus Christi in cœlum, horum errori patrocinetur, ut maxime omnium uanitatem eorum arguat & confutet. Primum enim Christus dicitur in cœlum ascendisse, non q̃ unum in cœlo illo uisibili locum corpore suo ita occupauerit, ut in eo tantum loco cõtineatur, sed q̃ penetrauerit, quemadmodum ad Hebræos scribitur, cœlos, et euaserit super omnia, quæ sunt in terra & in cœlo. Illud, inquit, Paulus, ascendit, quid est nisi q̃ etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit, idẽ ille est qui etiam ascendit super omnes cœlos. Audi quid Paulus dicat: Super omnes, inquit, cœlos, ut impleret omnia, nimirum, non ut tantum impleret omnem scripturam, quemadmodum quidam hunc locum ad confirmanda somnia sua detorquent, sed ut impleret omnia tam infera q̃ supera, tam terram q̃ cęlum. Nam quemadmodum qui in ualle aliqua profunda consistit, non potest totam regionem circumiacentem oculis comprehendere, sed tantum ea quæ in ualle sunt, & non longe a ualle distant perspicit. Qui autem ascendit in altum montem, is totam circumiacẽtem regionem oculis suis occupat, ita Christus noluit uel in terra uel in aliqua tantum parte externi illius cęli fixus permanere, sed euasit super omnes cęlos, nõ ut omnia tantum in prospectu suo haberet, sed ut omnia impleret, & ubi Deus regnat, ibi & ipse deus & homo prẽsto adesset, ac una cum patre suo regnaret. Non est autem hic audiendum cõmentum illorũ, qui Christum ita separant, ut non uereantur dicere, Christum omnia quidem implere iuxta diuinitatem, non autem omnia implere iuxta humanitatem, quam in uno tantum loco esse oporteat. Tametsi enim humanitatis per se proprietas sit, in uno tantum loco esse, attamen si humanitas diuinitati in una persona, quemadmodum fit in Christo, cõiuncta fuerit, profecto ea humanitas diuinitati ita adhæret, ut nulla loci distantia ab ea diuelli queat. Mors ipsa & infernus non potuerunt humanitatem a diuinitate in Christo separare, & existimabis tu crassa hæc loca, tantæ potentiæ esse, ut cogant diuinitatem Christi alicubi esse, ubi non sit humanitas eius? Ac uerum quidem est, humanitatem Christi, quoties apparet in uno tãtum loco, uel in cęlo uel in terra apparere. Quia autem uera fides tradit, uerbum carnem factum & deum & hominem in Christo unam personam esse, profecto necesse est confiteri, q̃ re ipsa illic sit Christus iuxta humanitatem ubi est iuxta diuinitatem. Quod si hæc humano captu non intellexeris, non est mirum, non em̃ ideo dicuntur, ut intelligas, sed ut credas. In mysterio enim incarnationis DOMINI nostri Iesu Christi, requirit scriptura non intellectum captus humani, sed fidem uerbi Dei dicentis: Verbum caro factum est. Et: Emisit Deus filium suum factum ex muliere. Et: Non angelos assumit, sed semen Abrahæ. Quare non est sentiendum Christum ita in cęlum ascendisse, ut in hoc tantum uisibili cęlo iuxta humanitatem permanserit, sed potius ut omnes cęlos penetrando ac superando, omnia impleret. Nam idipsum quo q̃ Marcus significat de ascensu

Ascendere in cœlum quid, contra Sacramentarios.

Christi ita scribens: Receptus est in cęlum, & consedit a dextris Dei. Quæramus igitur, ubi sint dextræ Dei, ut & illic thronum Iesu Christi inueniamus.

Dextera dei quid.

Dextera autem Dei est, omnipotentia, gloria & maiestas Dei, id quod passim scriptura multis locis testatur. Omnipotentia uero & maiestas Dei sunt in omnibus locis, immo ut rectius dicam, sunt extra, intra, infra & supra, omnes locos, tam in cęlo quam in terra. Cęlum, inquit DOMINVS, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Et rursus, Cęlum & terram ego impleo. Itaq; necesse esse, ut thronum quoq; Christi ponamus extra, intra, infra & supra omnes locos, tam in cęlo q̃ in terra. Accedit huc, quod Paulus ad Colossenses scribens: Si resurrexistis, inquit, una cũ Christo, superna quærite, ubi est Christus ad dexteram dei sedens, superna curate, non terrestria. Quæ ergo sunt illa superna ubi Christus sedet? ea profecto manifesta erunt, si prius dispicias, quæ sint illa infera & terrestria nobis fugienda. Nec dissimulat ea Paulus: Mortificate, inquiẽs, membra uestra terrestria, stuprum, immundiciam, mollicíem, concupiscentiam malam, auariciam, & alia id genus, hæc dicuntur inferna, etiamsi supremo loco inueniantur. Superna igitur sunt, quæ his opponuntur, quæ & Paulus mox enumerat: Sitis, inquiens, induti tanquam electi Dei sancti & dilecti, uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, charitatem, & quæ sequuntur. Hæc bona superna & cęlestia sunt, etiamsi in infimo homine reperiantur. Itaq; cum dicitur Christus supra ad dextram Dei habitare, non de solo corporali loco intelligendum est, (nam si locum respexeris, superior est omni loco & nullo loco continetur, & nusquam non habitat, quemadmodum antea demonstratum est) Sed intelligendum est etiam de supernis diuinis & cęlestibus bonis. Quare quanto certius est Christum in cęlum ascendisse, & consedisse ad dexteram Dei, tanto firmiori testimonio refellitur error illorum, qui negant corpus Christi esse in pane cœnæ dominicæ, nec in eo pane uere distribui. Deinde Christus dicitur in cęlum ascendisse, & in regnum patris intrasse, non quod antea non fuerit in cęlo, nec una cum patre regnauerit. Si enim diuinam naturam Christi respicias, profecto fuit in cęlo & in regno patris iam inde ab æterno: Si autem humanam eius naturam consyderes, certe iam inde ab initio incarnationis fuit in cęlo & in regno patris. Apud Iohannem enim dicit: Nemo ascendit in cęlum, nisi qui descendit e cęlo, filius hominis qui est in cęlo. Et id confirmat transfiguratio eius, quę facta est coram tribus discipulis in monte Thabor. Ergo ne inquies, Christus nunquam fuit obnoxius humanis infirmitatibus? Absit, ut id sentiamus. Tametsi enim fuerit tempore carnis suæ semper in cęlo & in regno patris, autoritate, quippe quod Deus & homo sit in Christo una persona, abnegatione tamen sui ipsius, in salutem nostram assumpsit eo tempore omnes humanas infirmitates, & coniecit sese uere absq; peccato in nostras imbecillitates, ut nos a peccatis & imbecillitatibus nostris liberaret. Quare omnino sentiendum est, Christum uere passum & mortuum esse. Postquam uero a mortuis resurrexit, statim per resurrectionem suam abiecit omnes humanas infirmitates & mortem. Ac quia declarauit tunc, sese mortis uictorem esse, ideo dicitur per resurrectionem intrasse in regnum patris. Non bibam, inquit, post hac ex hoc fructu uitis, usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris. Bibit autem Christus una cum discipulis suis post resurrectionem & ante ascensionem. Fuit igitur & ante ascensionem in regno patris sui. Et iterum: Nõne, inquit, oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Intrauit ergo in gloriam suam, quando per resurrectionem euasit omnes passiones mortis. Quid quod & adhuc pendens in cruce ad latronem dicebat: Hodie mecum eris in paradiso? Quæ profecto uerba perspicue significant Christum

ſtum ante aſcēſionem in cælo aut regno patris ſui fuiſſe. Dic ergo obſecro quid ſibi uelit hic articulus fidei noſtræ: Aſcendit in cælum? Idipſum certe haud obſcure exponit Lucas dicens: In altum ſublatus eſt, & nubes ſubduxit illum ab oculis eorum. Tametſi enim Chriſtus per reſurrectionem ſuam intrauit in cælum & regnum patris, tamen quemadmodum ante reſurrectionem aſſumpſerat triginta tribus annis omnes humanas imbecillitates, ut peccata noſtra expiaret, ita poſt reſurrectionem depoſita iam corruptione, & morte, aſſumpſit uiſibilem conuerſationem cum diſcipulis ſuis quadraginta diebus, ut hoc temporis ſpacio ueritatem reſurrectionis ſuæ uarijs argumentis teſtificaretur. Poſtquam autem uenit quadrageſimus dies, ſublatus eſt in altum uidentibus diſcipulis, & nubes ſubduxit illum ab oculis eorum. Hoc eſt, quemadmodum antea per reſurrectionem depoſuit omnes carnis infirmitates, corruptionem & mortem, quæ propter peccata noſtra aſſumpſerat, ita nunc per aſcenſum ſuum in altum, deponit uiſibilem ſuam conuerſationem in terris, quam quadraginta diebus ad teſtificandam reſurrectionem ſuam aſſumpſerat. Aſcenſus igitur Chriſti in altum, de quo hic ſermo eſt, nihil aliud eſt, quàm depoſitio uiſibilis conuerſationis in terra, & ſubductio eius ab oculis humanis, ut non amplius conſpiciatur ab hominibus, in terra conuerſans. Sed hic obſtrepet mihi quiſpiam, Si inquiens, Chriſtus ante aſcenſionem ſuam in cælo fuit cum patre. Quid ergo apud Iohannem dicit ad Magdalenam: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum? Scio quidem hunc locum uulgo ita exponi, quod Chriſtus loquatur non de corporali, ſed de ſpirituali tactu, ſentiens Mariam non recte colere ipſum externo complexu, propterea quod nondum complectatur ipſum fide. Et quod dicat, nondum aſcendi ad patrem, non in Chriſtum, ſed in Magdalenam reſpicere, quę nondum credat Chriſtum intraſſe in regnum patris, et conſedíſſe ad dextram Dei. Hæc ſententia non eſt contemnenda, ſed uidetur hoc dictum ſimplicius intelligi debere. Nam cum Magdalena agnoſceret Chriſtum, mox reiecit ſe in eum, ac ita apprehendit illum, ut proponeret in animo ſuo, ſe non amplius dimiſſuram ipſum, donec etiam diſcipulis oſtēdat eum uiuentem. Reſpondit igitur Chriſtus, noli me tangere, hoc eſt, non neceſſe habes me ita cōplecti ac retinere, ut exhibeas me quaſi captiuū diſcipulis, nondū. n. aſcendi ad patrē, nondū effugi conſpectū ueſtrum, nondū ita intrauí in gloriā meā, ut ſubduxerim me oculis ueſtris, ſed pręſto adero uobiſcū adhuc multis diebus, & præbebo me uobis ſæpenumero conſpiciendum, priuſq; uiſibilem meam conuerſationem depoſuero. Proinde dimitte me nunc, & uade ad fratres meos, adnuncians eis, quod non uelím me ab oculis eorum in cælum ſubducere, niſi prius aliquot diebus apparuero ipſis, & declarauero me uere a mortuis reſurrexiſſe. Hæc ſententia mihi uidetur ut ſimpliciſſima, ita ueriſſima, & plane conuenit cum eo ſenſu, quo Lucas interpretatur, aſcenſum Chriſti, eſſe ſubductionem uiſibilis conuerſationis Chriſti ab oculis diſcipulorum. Quid ergo? num ita ab humanis oculis ſubductus eſt, ut nunquam amplius ab hominibus conſpiciatur? Viſus quidem poſtea eſt a Stephano, ſtans a dextris Dei. Viſus eſt & Paulo Apoſtolo, quemadmodum ad Corinthios ſcribitur. Attamen nunquam ſic in terris ſicut ante aſcenſionem, conuerſans, colloquens, edens, bibens, & tangendum ſeſe præbens, conſpicietur, donec ueniat nouiſſimus dies. Sic enim Lucas ſcribit: Cum eſſent defixis in cęlum oculis eunte illo, ecce uiri duo aſtiterunt illis, amicti ueſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis intuentes in cælum? hic Ieſus qui aſſumptus eſt a uobis in cælum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cælum. Hos uiros albis ueſtibus amictos angelos Dei fuiſſe res ipſa declarat. Ac uaticinantur Chriſtum in nouiſſimo die ad iu-

Explicatur locus, noli me tangere.

" "

dicandum uiuos & mortuos, iterum rediturum. Quomodo ergo redibit? Sic inquiunt, ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. Iuit in cælum uisibili forma, redibit ergo uisibili forma. Ascendit in nube, redibit ergo in nube. Et quia ad iudicandum redibit, certe magna maiestate redibit. Sic enim Paulus in priori ad Thessalonicenses epistola, capite quarto scribens: DOMINVS, inquit, cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent. Idem testatur ipse Christus apud Matthæum capite uigesimo quarto ita dicens: Apparebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum uirtute & gloria multa, & mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, & congregabit electos eius. Vbi ergo adueniente DOMINO in tanta maiestate, manebunt impij? ubi comparebunt peccatores impœnitentes? quo fugient contemptores Dei & iudicij eius? Sunt.n. sunt proh pudor, multi, qui cum seruo illo de quo est apud Lucam capite duodecimo in corde suo dicunt, differt dominus meus reditum. & pereutiunt seruos ac ancillas, edunt, bibunt, & inebriantur. Sunt qui prorsus rident, quicquid de aduentu Christi dicitur. De quibus longe ante uaticinatus est Apostolus Petrus: Illud, inquiens, primum scientes, uenturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias conscientias ambulent & dicant, ubi est pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis. Num igitur non uenturus aut reuelaturus est sese Christus, quia hi eum non uenturum sperant? num quia tardat, ideo non ueniet? certe non est tarditas, sicut nonnulli existimant, sed patientia, est enim erga nos paciens dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. Itaq; nisi resipueris, ueniet dies DOMINI sicut fur in nocte, ueniet DOMINVS in die quo non speras, & hora qua nescis, & dissecabit te, ac ponet partem tuam cum infidis. Hactenus explicuimus, quomodo illud quod dicitur: Ascendit in cælos, uere intelligendum sit, explicemus nunc fructum & utilitatem: quæ nobis ex ascensu Christi in cælum per fidem contingit. Nam quod Christus subduxerit sese uisibiliter ex oculis discipulorum suorum testatus est eo spectaculo, se uere intrasse in regnum patris sui, & consedisse ad dextram Dei. Quid ergo? num nihil rerum ex hac terra secum ad patrem suum auexit? Profecto, ascensus Christi in cælum nihil aliud est quàm publicus triumphus. In triumpho autem imperator uictoriam ex hostibus reportans solet secum & hostes uinctos & ciues liberatos ducere. Cum igitur Iesus Christus imperator longe omnium fortissimus & inuictissimus, in ascensu suo in cælum, triumphum egerit, primum quidem duxit secum captiuos hostes a se deuictos. Sic enim docet Paulus ad Ephesios e psalmo sexagesimo septimo dicens: Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Cæterum illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Quæ ergo sunt infimæ illæ partes terræ ad quas Christus descendit. Et quæ est captiuitas illa quam Christus cœpit, & in ascensu suo captiuam duxit? Certe non erit nobis difficile hæc explicare. Vide mihi saltem eas miserias & calamitates, quas homo necesse habet propter peccatum suum ferre, & mox habebis tam infimas partes terræ, quam ueras captiuitates & carceres. Ac primum quidem, quia homo peccauit, ideo coniectus est in omnia genera afflictionum, tam corporalium quam spiritualium, adeo q; captiuus factus est mortis & inferni. En hæ sunt infimæ partes terræ, quid enim inferius fouea mortis? quid profundius inferno? Cum Dauid diceret: De profundis clamaui ad te Domine, profecto non aliunde clamat, quàm e sensu mortis & inferni, quo propter peccata sua comprehendebatur. En & hæ sunt captiuitates & car-

ceres

Quomodo sit Christus rediturus.

Vtilitas ascensionis Christi

ceres ualidissimis portis,seris,uectibus & catenis ita muniti,ut nullus hominum suis uiribus ea effringere atq; effugere queat. Christus igitur expiaturus peccata nostra, descendit in has infimas partes terræ & captiuitates, ac coniecit se in omnes humanas calamitates,mortem & infernum. Sed quia ipse nullum peccatum fecerat,nec inuentus erat dolus in ore eius, ideo satisfecit pro peccatis nostris,& expugnauit has captiuitates,& in suam potestatem ita recepit,ut eas captiuas secum in cœlum auexerit,& dominetur nunc in eis glorioſissime ac potentissime. Deinde,una cum captiuis hostibus etiam liberati ciues ab imperatoribus in triumpho duci solent. DOMINVS igitur noster Iesus Christus, imperator longe omnium inuictissimus,non solum calamitates, mortem & infernum, secum captiua duxit, sed etiam nos ipsos, qui prius eramus in his carceribus captiui, nunc autem per ipsum liberati credentes in eum, secum in cœlum ita auexit, ut una cum ipso uictoria fruamur, & super hostes nostros, quorum uincti eramus perpetuo dominemur. Deus (inquit Paulus) qui diues est in misericordia,propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos una cũ Christo (per gratiam enim seruati estis) simulq; cum eo resuscitauit,& simul cum eo sedere fecit inter cœlestes in Christo Iesu. Quid magis perspicue dici potest? Fecit (inquit) nos simul cum eo sedere inter cœlestes. Necesse igitur est, q̃ Christus nos qui credimus in ipsum, secum in cælum auexerit. Quid audio,inquies? auexit Christus nos secum in cælum,cum manifestum sit,quod nubes subduxerit eum ab oculis discipulorum, & quod reliquerit discipulos in monte stantes, qui & mox iuxta præceptũ Christi regressi sunt in Hierusalem. Si igitur non abduxit secum Apostolos tunc in ascensu præsentes, quomodo nos absentes, immo nondum natos secum abduxisset? Hunc scrupulum eximit nobis Paulus,qui ad Colloſſenses capite tertio scribens: Vita (inquit) uestra abscondita est in Christo in Deo. Quandocunq; Christus manifestatus fuerit uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Huc accedit quod Ioannes in prima epistola capite tertio scribit: Charissimi, inquiens, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid futuri sumus, scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus. Quanquam igitur non appareat nunc externo ascensu nos una cum Christo in cęlum abductos, tamen certum est, nos per fidem in spe haud quaquã pudefaciente iam in cælum ascendisse, & una cum Christo regnare. Si enim per fidem facti sumus filij Dei, profecto facti etiam sumus per fidem hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi. Qui autem sumus cohæredes Christi, quomodo non eadem bona cum ipso possideremus? Accedit huc, quod Christus & qui in ipsum credunt, unũ corpus sint, cuius corporis Christus caput est, credentes autem in ipsum membra. Omnia, inquit Paulus, subiecit sub pedibus eius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius. Iam si caput resurrexit a mortuis, & ascendit in cœlum, qui fieri posset, ut non simul & membra a mortuis resurrexissent, & in cœlum ascendissent? Quid enim etiamsi, quicquid est istud, oculis corporalibus nunc non uideas, nec manibus externis tangas, attamen uidere hoc licet oculis fidei, & tangere manibus spei, quæ cum non e somnijs humanis, sed e certissimo & infallibili uerbo dei concepta sit, non potest hominem pudefacere, & erit tempus, cum id quod speratur, reipsa reuelabitur, nimirum cum implebitur, quod Paulus ad Thessalonicenses scribens: Ipse (inquit) DOMINVS cum hortatu & uoce archangeli & tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui uiuimus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum DOMINI in aëra, & sic semper cum DOMINO erimus. Quid igitur tantopere quasi periturus, ad paupertatem, ad exilium, ad corpo-

Quod Christiani cũ Christo iam ascenderint in cœlum.

rales afflictiones, ad mortem, ad infernum trepidas? quid fracto animo ea formidas? An nescis Iesum Christum peccata tua expiasse, ac in cœlum ascendisse, teq; secum in cœlum auexisse, ut una cum ipso in omnibus calamitatibus regnes? An non inuenis nunc Iesum Christum tuum in paupertate, exilio, morte & inferno glorioſe dominantem, & te una cum ipso pari propter ipsum potestate præditum assidentem? Quid igitur times? Hoc, inquis, timeo, quia alias Christus ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit e cælo, filius hominis qui est in cælo. Si igitur Christus solus in cælum ascendit, quid enim profueris uanam spem concipere, quod & ego cum ipso ascenderim, & in calamitatibus regnem? Sed absit ut Christus hoc dicto nobis fidem & spem excutiat, quin potius uult nobis eo dicto fidem augere, & spem conseruare. Cum enim dicit neminem in cælum ascendere, nisi se solum, non excludit eos qui credunt in ipsum, sed excludit tantum humanam uirtutem, iusticiam & potentiam. Nemo enim alius tantam habet ex se uirtutem & iusticiam, ut queat in cælum suis uiribus ascendere, solus Christus ascendit sua uirtute & iusticia, interim autem in Christo ascendũt Christi uirtute omnes, quotquot in ipsum credunt. Sic ẽm mox sequitur: Sicut Mose exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Quid est illud, habeat uitam æternam, nisi ascendat in cælum? Quare tantum abest, ut hoc dicto nos reiiciat Christus ab ascensu in cælum, ut potius doceat, qua uirtute, qua scala, quibus gradibus in cælum ascendamus, uidelicet, non ascensuri, si nostram iusticiam, nostra opera, nostras uirtutes, tanquam scalas ad ascendendum in cælum erigamus, sed si Christum pro peccatis nostris passum pro scala arripiamus, & in ipso per fidem ambulemus. Quæ cum ita se habeant, agite amicissimi, declaremus nos cum Christo in cælum ascendisse, cælestia curemus, & superna, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæramus. Sic enim manifestato Christo, manifestabimur & nos cum illo in gloria, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula, Amen.

Quod Christus solus ascendit in cœlum, quomodo sit intelligendum.

HOMILIA IIII.

EXplicuimus heri pro mediocritate nostra, ascensum DOMINI nostri Iesu Christi in cœlum, quo Christus uidentibus discipulis suis in altum eleuatus & a nube subductus fuit. Hodie explicabimus, primum quidem, idq; paucis, quid rerum Christus in cœlo agat. Deinde, quid & discipuli postquam Christus ab ipsis in cælum assumptus est, egerint. Nemo enim existimare debet, Christum ideo cælos ascẽdisse, ut illic ad dexterã Dei patris sui ociosus desideat, ac tempus suũ, fabulis nescio quibus, terat. A maiestate ẽm Christi nihil alienius est ocio & ignauia. Neq; putandum est discipulos illius hoc ascensionis spectaculo ita captos, ut ab eo loco quo Christus in altum ascendit, tanquam longe omnium sacratissimo cælorum introitu, nunquam ad sectandam uocationem suam digressi fuerint, id quod fortassis hypocrita quispiam fecisset, ac in eo loco monasterium, quasi illic tantum esset porta cæli, construxisset. Quod igitur ad negocium Christi in cælo attinet, profecto non enumerabimus omnia Christi regnantis & in cælo & in terra, opera. Quis enim tantæ esset arrogantiæ, ut hoc præsumeret? quis tantæ esset impudentiæ, ut hoc se facturum polliceri auderet? Si omnia membra corporis nostri in

ſtri in linguas uerterentur, non tamen poſſent ſatis pro dignitate opera Chriſti iam regnãtis explicare. Sed unum duntaxat opus Chriſti commemorabo, quod ut non eſt curioſum ſcrutari, ita inuentu ac cognitu maxime omnium neceſſarium eſt. Audi ergo Dauidem, opus Chriſti in dextera patris ita deſcribentem: Iurauit DOMINVS, & non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec. Si Chriſtus perpetuus ſacerdos eſt, quis non intelligat eum officio quoq; & opere ſacerdotis perpetuo fungi? Sacerdotis autem præcipuum officium ac opus fuit in lege, orare pro populo, & Deum placare. Hoc igitur Chriſtus præcipue agit in cælo & in dextra patris, quod oret pro populo ſuo, & mitiget iram patris. Quia autem pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum, quomodo oratio eius non eſſet potens? quomodo non efficaciter populum ſuum Deo patri reconciliaret, ac impetraret, ut ij qui in ipſum credunt, ex omnibus aduerſis ſeruentur? Vnde & Paulus ait: Quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, immo, qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Et ad Hebræos: Debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, ut miſericors eſſet, & fidelis pontifex in his, quæ apud deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Et iterum: Hic perpetuum habet ſacerdocium, unde & ſaluos facere ad plenum poteſt, qui per ipſum adeunt Deum, ſemper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis. Quid ergo iucundius, quid utilius, quid magis conſolatorium ac ſalutiferum nobis accidere poteſt, quàm quod habeamus in dextera Dei patris talem pontificem, qui hoc præcipue noctes atque dies agit, ut nobis patrem reconciliet, ut nos in omnibus aduerſis, adeoq; in ipſa morte ſeruet, atq; ad uitam ducat? Dies me deficeret ſi explicare uellem huius operis Chriſti dignitatem, amplitudinem & utilitatem, & tamen ne ſic quidem poſſem. Hæc autem pauca dicere uolui, ut præter ea, quæ heri de aſcenſu Chriſti in cælum dixi, oſtenderem, quibus rationibus aſcenſu Chriſti ad confirmandam fidem noſtram uti debeamus. Nunc ab aſcenſu Chriſti ad diſcipulos eius deſcendamus, & quid ipſi poſt Chriſtum a nube ſubductum fecerint, uidebimus. Tunc (inquit Lucas) reuerſi ſunt Hieroſolymam a monte Oliueti (in hoc enim monte Chriſtus in altum ſublatus eſt) qui abeſt ab Hieroſolymis iter ſabbati, hoc eſt, tantum diſtat mons Oliueti a Hieroſolymis, quantum licuit Iudæis ſabbato ambulare. Licuit autem iuxta Rabinos Iudæorum, bis mille pedes ſabbato ambulare. Et cum introiſſent, aſcenderunt in cœnaculum (uidelicet ſuperiorem partem domus) ubi manſitabant & Petrus, & Iacobus, & Iohannes, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomęus & Matthæus (qui & Leui dictus eſt) Iacobus Alphęi, & Simon Zelotes (qui Hebræis dicitur Cananæus, קנא enim zeloten ſignificat) & Iudas frater Iacobi (qui alias Lebbæus, cognomento Thaddæus dicitur.) Hi omnes perſeuerabant unanimiter in deprecatione & obſecratione, cum mulieribus (ſiue uxoribus ſuis, ſiue ęs mulieribus, quæ profectæ erant cum IESV a Galilæa, & miniſtrauerant ei de facultatibus ſuis) & Maria matre IESV, cumque fratribus illius (hoc eſt) cognatis IESV. Hebræi enim more ſuo cognatos, fratres uocant. Hic mihi primum uide in diſcipulis Chriſti magnæ obedientiæ exemplum. Præceperat enim ipſis Chriſtus, ut poſt aſcenſum eius in cœlum non diſcederent Hieroſolymis, ſed ſederent illic, ac expectarẽt quoad uſq; induant uirtute ex alto, & accipiant promiſſum patris. Multa aũt erant quæ ipſos ab obedientia huius p̃cepti deterrere poterant, & neceſſe habebant in hoc obſequio multa diſcrimina ſubire. Si enim Iudæi antea non pepercerant Chriſto, tot miraculis claro, ſed adegerãt eum ad turpiſſimam mortem in Ieruſalem, quis diſcipulorum eius ſibi in ea urbe omnia mala obuentura

Quid rerum Chriſtus in cœlo agat.

Kana

Quid diſcipuli egerint aſſumpto Chriſto in cœlũ.

non pollíceretur? Et ſi Chriſtus præter alía, etiam ſeditionis nomine ad crucem raptus eſt, quomodo non ad eandem eodem nomine raperentur, hi qui clandeſtino conuenticulo ad expectandum exercitum cœleſtem, quo totũ orbem inuaderent, congregantur? Profecto eo rerum ſtatu qui tunc inter Iudæos erat, & eo animo, quo diſcipuli tunc affecti fuerant, ad urbem Hieruſalem proficiſci, propemodum nihil aliud eſſe uidetur, quàm ſeſe præſentaneæ morti obíjcere. Nihilominus tamen diſcípuli præcepto Chriſti obſequuntur, & redeunt, quãuis magno ſuo periculo in Hieruſalem. Quid igitur mali eis accidit? ecce nec pilus capitis eorum mouetur. Cur ita? quia ambulabant in uocatione Dei, & in obedientía præcepti eius, & qui iuſſerat eos redire in Hieruſalem, hic etiam curabat, ut tuto illic uerſarentur. Scilicet, rex quiſpiam terrenus emittens ſeruum ſuum ad obeundam legationem ipſi commiſſam defendit eum magna equitum caterua, & rex noſter cœleſtis DOMINVS Ieſus Chriſtus legatos ſuos ambulantes in præceptis ipſius non defenderet? Profecto ſic ſe res uere habet, quod quencunq; Deus uocat ad pericula, huic quoq; eo ipſo pollicetur ac præſtat auxilium & ſalutem ſuam. Vocauit quondam Moſen ad ducatum Iſraëlis periculoſiſſimum. Sed qui uocabat, idem & dicebat: Ego ero tecum. Vocauit Iſraëlitas ad deſertum, quid obedientibus eis obſtitit aut defuit? mare uidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum, cœlum pluebat manna, petra dabat aquam, ueſtimenta non deficiebant uetuſtate, pedes non conterebantur, & hoſtes tanto timore corripiebantur, ut ne mutire quidem contra Iſraëlitas in uocatione Dei ambulantes audebant. Vocabatur Ieremías ad euellendas, deſtruendas, diſſipandas & ædificandas gentes. Sed cum agnoſceret, ſe imbecilliorem quàm ut poſſet tantum onus ferre, audit: Ego tecum ſum, ut eruam te dicit DOMINVS. Quin & hi ipſi diſcipuli antea a Chriſto uocati erant, ut prædicarent Euangelion, & emittebantur ſine auro, ſine argento, ſine pera & ſine uirga, emittebantur autem ſicut oues in medio luporum. Quid autem defuit eis? aut in quo periculo perierunt? ecce reuertuntur cum gaudio, & ingenue fatentur ſibi in uocatione ſua ambulantibus nihil unquam defuiſſe. Demus igitur operam, ut in uocatione Dei, quantumuis periculoſa, obedienter ambulemus. Non enim inobedientía, ſed obedientia per fidem pericula nobis imminentia uitari ſolent. Deinde nec fruſtra nec ocioſe commemorat Lucas nomina apoſtolorum. Nam & alias a Matthæo & Marco diligenter recitantur. Sunt enim duodecim Apoſtoli hi, qui ab ipſomet Chriſto in hoc uocati & ordinati fuerunt, ut doctrinam ueræ religionis, & chriſtianiſmum, primum quidem in Iudæam, deinde autem in totum orbem terrarum ſpargerent, claues regni cœlorum ad omnes gentes afferrent, Eccleſias uerbo ſuo fundarent, adeoq; terminos regni Chriſti in tota terra proferrent. Vnde & Chriſtus uocat eos lucem mundi & ſalem terræ. Et uerbo eorum tam eximium teſtimonium fert, ut dicat: Qui uos audit me audit, & qui uos ſpernit me ſpernit. Et iterum: Quorumcunq; remiſeritis peccata in terra, remittuntur eis in cælo: quorumcunq; retinueritis peccata in terra, retenta erunt in cœlo. Quibus teſtimoníjs Chriſtus authoritatem Apoſtolorum, & Euangelíj quod prædicauerunt, ita confirmauit, ut ſi angelus de cœlo aliud Euangelion prædicaret nobis, non eſſet ei fides adhibenda. Iam & Paulus dicit Eccleſiam ſuperſtructam eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, hoc eſt, ſuper doctrinam & miniſteriũ quo apoſtoli & prophetæ in hac terra defuncti ſunt. Quid quod ſpiritus ſanctus in Pſalmis uocet eos príncipes Eccleſiæ? Pro patribus tuis, inquit, nati ſunt tibi filíj, conſtitues eos príncipes ſuper omnem terram. Cum igitur doctrina Apoſtolorum tantæ ſit authoritatis in Eccleſia DOMINI, ut non alia nec credenda, nec ad ueram ſalutem conſequendam data ſit,

Exemplum obedientiæ.

dignissimum est, ut nomina Apostolorum, per quos eiuscemodi doctrina orbi manifestata est, probe teneamus. Atque hac de causa crediderim maiores nostros festa Apostolorum instituisse, profecto non ut Apostolos in Domino dormientes tanquam deos auxiliares superstitiose colamus aut inuocemus, sed ut nomina eorum, per quorum doctrinam salutem consequimur, nobis inculcentur, & ministerium ipsorum, quod est potentia ad salutem omni credenti, nobis commendetur. Hæc enim est uera fides, hæc est uera religio, hic est uerus Christianismus, quem nobis doctrina sua Apostoli tradiderunt. Tradiderunt autem solum Iesum Christum peccata nostra expiasse, & nos per solam fidem propter Iesum Christum remissionem peccatorum & uitam æternam consequi. Quare qui uoluerit Apostolicæ & catholicæ fidei adhærere, necesse habet huic Apostolorum doctrinæ adhærere. Sed quid Apostoli, discipuli, & mulieres, in cœnaculo in urbe Hierusalem congregati interim agunt? num ad fallendum temporis tædium fabulas quasdam aniles recitant. Nequaquam, sed perseuerabant, inquit, unanimiter in deprecatione & obsecratione. Expectandum enim erat ipsis, quouis momento, quando armati milites in domum irruerent, & eos omnes tanquam rerum nouatores ac seditiosos comprehenderent, uinculis traderent, & ultimo supplicio afficerent. Ad hoc periculum accedebat & mora aduentus spiritus sancti iam antea promissi. Non enim ueniebat spiritus primo die, non secundo, non tertio, non quarto, non quinto, non sexto, non septimo, ita ut promissio Christi potuisset alicui parum sinceræ fidei, mendax uideri. Perseuerant igitur in oratione. Quamobrem? Primum quidem, ut obedirent præcepto Christi, qui sæpenumero admonuerat eos ut orarent, ne intrarent in tentationem. Deinde ut continua oratione fidem suam tot aduersis sollicitatam confirmarent. Nam per orationem reuocãtur in mentem promissiones Dei. Oportet enim ueram orationem e promissionibus Dei constare, promissionibus autem Dei alitur, conseruatur & confirmatur fides. Quare perseuerant discipuli in oratione, ut inter tot aduersa in fide quoq; perseuerare queant. Memorabile exemplum, quo admonemur, ut in afflictionibus orationem capessamus, & in oratione perseueremus, etiamsi non mox uotis nostris pro nostra libidine satis fiat, instandum enim est, urgendum & pergendum in precibus ad Deum. Notæ sunt parabolæ apud Lucam de amico, qui postulabat noctu panes a uicino, qui & impetrabat importunitate, quod non poterat impetrare amicicia. Et iterum, de Iudice impio, qui non pietate aliqua, sed molestia motus, uiduæ preces exaudiebat. Quæ certe huc spectant, ut admoneant nos, quo semper in aduersis oremus, nec unquam defatigemur. Sed uideamus nunc, quàm efficaces fuerint preces discipulorum. Ex his enim in tantum fide sua confirmati sunt, ut interea dum expectant spiritum sanctum, de eligendo alio Apostolo in locum proditoris Iudæ secum consultent, & alium perinde eligant, ac si nec Iudæi Christum persequerentur, nec ipsi quicquam periculorum expectarent, atque adeo iam accepissent dona spiritus sancti, & palam Euangelion prædicarent. Tantam fidei certitudinem efficit oratio. Dicit ergo Lucas: In diebus his exurgens Petrus in medio discipulorum (erat autem turba nominum simul fere centum uiginti) dixit. Vide quàm paruo numero constiterit tunc Ecclesia Christi, quæ tamen mox in omnes gentes, in totum orbem terrarum propagata est. Quid autẽ dixit Petrus? Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quã prædixit spũs sanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux ijs qui comprehenderunt Iesum, quia cooptatus erat in numerꝫ nostrũ, & sortitus erat partem ministerij huius. Et is quidem parauit agrum ex mercede iniquitatis, suspensus q̃ crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Et innotuit omnibus habitan

Apostolorũ festa quare instituta.

Modus orandi.

tibus Hierosolymæ, ita ut appellaretur ager ille lingua illis uernacula Acelde-
ma, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat com-
moratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatū eius accipiat al-
ter. Hanc priorem concionis Petri partem nunc pro nostra mediocritate expli
cabimus, reliquam in aliud tempus explicandam reijciemus. In hac autem con
cione, quam Petrus in cœnaculo Hierosolymitano habuit, exhortatur discipu
los, ut alium Apostolum in locum Iudæ eligant, quo duodenarius Apostolo-
rum numerus compleatur. Ac summa concionis hæc est: Iudas, qui primum co-
optatus fuit a Christo in numerum duodecim Apostolorum, postea ex Aposto
lo factus proditor Christi, horribili supplicio iuxta uaticinium scripturæ pe-
riit, necesse igitur est, ut alium Apostolum in locum Iudæ cooptemus. Sed Pe-
trus uerbis paulo pluribus supplicium Iudę explicat, & addit nominatim locum
scripturæ, in quo de interitu aduersariorum Christi prophetatur. Ac primum
commendat scripturam ab autore, oportuit, inquiens, impleri scripturam hanc,
quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda. Quid potest excellentius
de sacra scriptura dici, quam quod sit uaticinium spiritus sancti? Dauid quidem
aut alius quispiam propheta accommodauit ad oracula scripturæ, os, linguam,
aut calamum suum, tanquam instrumentum. Spiritus autem sanctus author ille
est, qui per hoc organon oracula sua dedit. Quare ad sacram scripturam non
aliter quam ad ipsissimam spiritus sancti uocem animum nostrum aduertamus.
Sed quæ est illa scriptura de qua hoc loco Petrus loquitur: Ea scripta est, inquit,
in libro psalmorum: Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in
ea. Hoc autem legitur in psalmo iuxta nostram quidem supputationem sexage-
simo octauo, iuxta Hebræos autem, sexagesimo nono. In eo autem psalmo spi
ritus sanctus inducit Christum conquerentem de crudelitate eorum qui ipsum
prodiderunt, comprehenderunt, & crucifixerunt, ac prophetantem de excæca-
tione & interitu ipsorum. Et præter alia etiam illud addit: Effunde super eos
iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos, fiat habitatio eorum deserta, in
tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Et hoc generaliter quidem in psalmo
de Iudæis & alijs Christi persecutoribus dictum est. Petrus autem hoc in loco
accommodat generale dictum ad Iudam, qui ut prodidit Christum, & fuit dux
eorum qui Christum comprehenderunt, ita princeps iudicandus est omnium eo
rum qui persequūtur Christum. Quod autem de tota persequentium Christum
cohorte dictum est, hoc principaliter etiam ad ducem & principem eius cohor-
tis pertinet. Quare Petrus hunc locum aptissime de Iuda citat. Audiamus igi-
tur, quid de Iuda factum sit, ut uideamus in eo impletum esse quod multis retro
annis de impijs persecutoribus Christi prophetatum est. Etenim, postquam Iu-
das, quemadmodū in Matthæo scriptū est: Vidit Iesum a pontificibus condem-
natum, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum &
senioribus dicēs: Peccaui, tradens sanguinem innoxiū. At illi dixerunt: Quid
ad nos, tu uideris. Et proiectis argenteis in templo, recessit & abiens laqueo se su
spendit. Quod autem Matthæus simpliciter exponit, hoc Petrus latius expli-
cat: Suspēsus, inquit, crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera. Quid hoc mor
tis genere horribilius? quid hac efflandæ animæ specie terribilius? At non hoc
uere est, deum effundere, quemadmodum psalmus uaticinatur, iram suam su-
per proditorem, & furorem iræ dei comprehendere persecutorem, ac efficere,
ut habitatio impij fiat deserta, nec sit qui inhabitet, hoc est, ut is, qui antea sum-
ma præcipui in Ecclesia ministerij maiestate functus est, mox propter impie-
tatem ita a ministerio suo deijciatur, ut neminem nec ex liberis, nec nepoti-
bus suis aut cognatis successorem habeat. Sed alieni occupent locum dignita-
tis &

tis & miniſterij eius? Vide enim mihi magnitudinem & grauitatem iræ Dei ſuper Iudam. Poſt proditionem non ſimpliciter deſperat de ſalute ſua, ſed etiam ſuſpendit ſe laqueo. Et ſuſpenſus, non pendet ſimpliciter a trunco, longa litera, ut alij pendere ſolent, ſed etiam ita medius crepat, ut effundantur omnia uiſcera eius. O abominabile ſpectaculum, quibus ne argumentis potuiſſet DOMINVS deus noſter ſeueriſſimam iræ ſuæ grauitatem ſuper Iudam manifeſtius declarare? Hæc autem non propter Iudam tantum, uerum, multo maxime propter nos & facta & ſcripta ſunt. Eſt enim Iudas nobis in memorabile timoris exemplum poſitus, ut eo admoneamur, quo in tempore a peccatis reſipiſcamus, ne ſi reſipiſcentiam in longum differamus, repẽtinus interitus nobis ita immineat, ut effugere non poſſimus. Etenim Iudas, non quia grauiter in Chriſtum peccauit, ſed quia a peccatis in tẽpore nõ reſipuit, tam horribiliter periit. Quod ut rectius intelligamus, agite dum, conferamus paucis inter ſe Petrum & Iudam, quorum uterq; ſceleratiſſime in Chriſtum peccauit, ille quidem abnegatione, hic aut proditione, & uidebimus perſpicue non atrocia crimina, ſed neglectus reſipiſcentiæ ex atrocibus criminibus, peccatores in damnationem conijcere. Iudas enim prodidit & abnegauit Chriſtum, coram pontificibus & principibus ſacerdotum, qui tanta autoritate prædíti erant, ut ſola nominis eorum mentione potuiſſent quempiã a confeſſione Chriſti deterrere. Petrus autem abnegauit Chriſtum coram ancillis & ſeruis, quod tanto turpius eſt, quanto hi minoris erant dignitatis quàm pontifices & principes. Iudas prodẽs Chriſtum, triginta tantum argenteos pro mercede accepit, interim nec deierans, nec ſeſe diris deuouens. Petrus autem abnegans Chriſtum, cœpit ὀμνύειν καὶ ἀναθεματίζειν, hoc eſt, per nomen dei ſanctum iurare, ſeipſum deuouere, animam ſuam omnibus Satanis tradere, ac ſe perpetuo inferni ſupplicio addicere, ſi hominem iſtũ Ieſum nouerit. Quanto igitur maius & atrocius apparet peccatum Petri quàm Iudæ? Iam non in perpetrando tantum peccato, ſed & in agnoſcendo peccato ſeu pœnitendo lõge ſuperat Iudas Petrum. Petrus enim e cõſpectu Chriſti & gallicinio in agnitionem peccati ſui ueniens, pœnitentia quidem ducitur, & amare flet. Sed non reuocat abnegationem ſuam coram ſeruis & ancillis. Iudas autem cum uideret Ieſum morte condemnatum, tanta pœnitentia ducitur, ut ad pontifices redeat, nummos proditionis eis reddat, & cum illi nollent eo s accipere, in templum proijciat ac ſuam abnegationem reuocet, ſuum ipſius peccatum, & Chriſti innocentiam confitens, peccaui, inquit, tradens ſanguinem innoxium. Si pœnitentia ab externis operibus iudicanda eſſet, profecto ſentiendum foret, Iudam multo magis ſuper peccato ſuo pœnituiſſe quàm Petrum. Quid ergo eſt q; DOMINVS Petrum clementiſſime in gratiam receperit, Iudam autem abijciens, grauiſſime afflixerit? De hac re non neceſſe habes diu ſcrutari, ſi cognoueris quæ ſint legitimæ partes pœnitentiæ, & ad eas Petrum & Iudam exegeris. Nam ad ueram pœnitentiam non requiritur ſolum ut peccata agnoſcas, ſed etiam neceſſe eſt, ut addas fidem & credas, q; peccata tibi remiſſa ſint propter Chriſtum. In priori igitur parte Petrus & Iudas prope ſimiles ſunt, ambo grauiſſime peccarunt, ambo deuenerunt in cognitionem peccatorum ſuorum, & ſenſerũt ſe propter peccatum æterno ſupplicio dignos, ſed in altera parte longe omnium diſſimilimi ſunt. Petrus enim uertit ſe a cognitione peccatorum ad fidem in Chriſtum, & credidit quod habeat remiſſionem peccatorum propter Chriſtum. Dicit enim Chriſtus ad ipſum: Simon Simon, Satanas expetiuit uos ut cribraret ſicut triticum, ſed ego rogaui pro te ne deficiat fides tua. Iudas autem uertit ſe a cognitione peccatorum, ad deſperationem, & non dedit tantam clementiæ gloriam Deo, ut crederet ſibi propter Chriſtum remitti peccata. Quare nec Petrus nec Iudas

Iudã eſſe nobis timoris exemplum.

ὀμνύειν καὶ ἀναθεματίζειν.

Pœnitentiæ partes facit mortificationem & uiuificationem.

abiecti sunt a deo, quia peccauerant, sed ille quidem receptus est in gratiam quia credidit, hic autem in extremam internitionem abiectus est, quia desperauit. Qui ergo factum est, ꝙ non & Iudas, sicut Petrus, sese ab agnitione peccatorum ad fidem uertit? In promptu causa est. Sic enim dicit DOMINVS Zebaoth per Zachariam: Factum est sicut locutus sum, & non audierunt, sic clamabunt & non exaudiam. Vide enim mihi, quoties Christus Iudam ad resipiscentiam exhortatus sit, quoties Iudas admonitionem Christi contempserit? Aliàs ait: Nõne ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est? Aliàs: Vos mundi estis, sed non omnes. Item: Non de omnibus loquor, scio quos elegerim. Et iterum: Vnus ex duodecim qui intingit mecum panem in catinum me proditurus est. Filius quidem hominis uadit sicut scriptum est de illo. Ve autem homini illi per quem filius hominis proditur, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Hæc certe omnia nihil aliud sunt ꝙ admonitiones, quibus Christus Iudam ad resipiscentiam inuitabat. Sed quid ille interim secũ? Cogitabat, quid ad me? ego proditione nummos a pontificibus extorquebo, tu postea uideris, ut e manibus eorum elabaris. Esto sane, ꝙ peccem in te proditione, num propterea damnationi obnoxius fierem? scio te misericordem, & qui antea adulteris, impostoribus, publicanis, latronibus & meretricibus ueniam dederis, mihi certe Apostolo tuo eam non denegabis. Nunc recipiam nummos proditionis, postea paucis tantum uerbis obsecrabo te, & mox mihi peccatum remittes: qui enim accepi potestatem alijs remittendi peccata, cur mihi quoq; remissio peccatorũ non contingeret? Hæc aut alia id genus Iudam secum cogitasse, arguit ingens illa securitas & impudentia, qua cõtemptis admonitionibus Christi, ad proditionem festinabat. Sed quem tandem euentum securitas ista habet? Cum Deus loqueretur, noluit Iudas audire & resipiscere. Factum igitur est, ut cum ipse in necessitate auxilio dei indigeret, non exaudiretur, sed in perpetuam internitionem abijceretur. Audi hæc, quisquis secure peccas, & confidis te propter dona tua in necessitate seruatum iri. Quid enim speras? num quia aut rex aut pontifex aut magistratus, aut ecclesiastes, aut prudens, aut diues, aut doctus, aut iuuenis es, ueniam peccatorum pro tuo arbitrio, quouis tempore tibi oportuno, consecuturum & acceptarum te confidis? Scimus quidem Christum aduenisse, ut peccatores uocet, sed additum est, ad pœnitentiam. Tu nullam unquam pœnitentiam agis, & securitate e prædicatione Euangelij arrepta, imprudenter subinde alia atq; alia flagicia designas, quid ergo tibi salutis e Christo promittere potes? Vide Iudam, & time. Vide Petrum & confide. Ille contemnebat admonitiones & opportunitatem resipiscentiæ. Cum igitur postea ad resipiscentiam aspirare uellet, non potuit, sed perijt. Hic in tempore admonitionem excepit, & opportunitatem resipiscentiæ non neglexit. Cum igitur opus haberet salute, salutem quoq; consecutus est. Sed adhuc obstrepes mihi. Quid, inquiens, cur non & pontifices & seniores populi, qui crudelius in Christum ꝙ Iudas peccauerunt, mox eodem supplicio perierũt? Dignissimi quidem fuissent, eodem mox aut longe crudeliori mortis genere perire. Sed hic obseruanda nobis est consuetudo DOMINI dei nostri in puniẽdis peccatoribus. Etenim ante iudicij sui siue specialis siue generalis diem, non solet DOMINVS omnes impios manifestis supplicijs afficere, sed e tota impiorum caterua paucos tantum publice puniendos seligit, & eos potissimum, qui uidentur deo præ alijs accepti esse, ut horum spectaculo & exẽplo omnes alios admoneat, quid ipsi meriti sint, quid ipsis suppliciorum expectandum sit, ac ipsos ad pœnitentiam inuitet. Vt igitur omnes, qui secure Christum produnt, persequuntur, & uerbum eius prꝙuaricantur, habeant supplicij sui exemplum, rapuit ad supplicium, non Annam, non Caipham, non

Securitas peccandi quàm graue malum sit.

Consuetudo dei in puniendis peccatoribus.

ham, nõ seruum peussorem, sed apostolũ suum Iudam. Et affecit eũ pœna, primũ quidẽ horrenda, quia suspensus medius crepuit, & effusa sunt uiscera eius. Deinde & publica. Quicquid enim id est rei, sic innotuit omnibus ciuibus Hierosolomitanis, ut & ager e triginta argenteis quos Iudas retulit, cõparatus, nomen inde acceperit. Nam cum principes sacerdotum inter se consultarent de argenteis a Iuda in templũ piectis, & nollent eos incarbonam mittere, q̃ precium sanguinis esset, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorũ: Qua ꝓpter appellatus est ager ille lingua illis uernacula Hakeldema, hoc est ager sanguinis, lingua enim Syriaca, q̃ tũc erat Iudæis uernacula חקל דמא agrũ sanguinẽ significat. Si autem DOMINVS deus noster tam horrendo & publice memorabili supplicio affecit Iudam, q̃ uidebat deo multis nominibus acceptus, q̃ esset unus e duodecim apostolis, q̃ accepisset potestatem super dæmones, q̃ peccatum suum cognouisset, q̃ Christi innocenciam confessus esset, q̃ triginta ꝓditionis argenteos in templũ piecisset, quanta obsecro grauitate in eos impios animaduertet, q̃ nunq̃ tam accepti fuerunt deo, ut in ecclesiasticam aliquã functionẽ eligerent, q̃ peccatum suum nõ agnoscũt q̃ Christum subinde magis ac magis persequũtur, qui tantũ abest, ut reddant quod ꝓditionibus & imposturis sibi parauerunt, ut nihil aliud noctes atq; dies meditentur, quam quibus imposturis opes suas augeant. In ciuitate (inqt DOMINVS per Ieremiã ad gentes) in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & uos quasi innocentes & immunes eritis? Non eritis immunes. Gladium enim ego uoco super omnes habitatores terræ dicit DOMINVS Zebaoth. Et Christus si in humido, inqt, ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Agite ergo amicissimi, fruamur aliena insania, & ab exemplo Iudæ discamus timorem dei, ut q̃ stet uideat, ne cadat, & q̃ admoneatur, ne contemnat, ne donis suis inflatus, secure aduersus deum peccet, sed in tempore a peccatis suis resipiscat, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, q̃ est una cũ patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA QVINTA.

EXposuit Petrus in priori parte concionis suæ supplicium Iudæ addito testimonio psalmi, inquo spiritus sanctus longe ante uaticinatus est, Iudã & omnes impios persecutores Christi, nõ in tempore resipiscentes horribiliter perituros. Nunc adiicit & aliud testimonium psalmi, quo ostendit necessarium esse ad implendum uaticiniũ spiritus sancti, ut alius apostolus in locũ Iudæ surrogetur. Et ait, Episcopatũ eius accipiat alter. Hæc scripta sunt in psalmo, iuxta nostram quidem rationem centesimo octauo, iuxta Hebreorũ autem centesimo nono. In hoc autem psalmo, quemadmodum & in eo, quem Petrus antea citauit, conqueritur Christus de immani crudelitate eorũ q̃ ipsum ꝓdituri, crucifixuri & persecuturi erant. Et uaticinatur eis, quã terribilia eos supplicia maneant. Præter alia uero multa, q̃ non est hic commemorandi locus, etiam hoc genus supplicii addit, fiant, inqens, dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Principio iterum obseruandum est, q̃ hoc uaticinium non in unũ tantum Iudam, sed in totam impiorum cohortem respiciat. Quod autem generaliter ad omnes impios pertinet, hoc præcipue in principem impiorũ competit. Quare Petrus apte admodum accommodat, hunc locum psalmi ad Iudam, q̃ fuit, ut inquit, dux eorum qui comprehenderunt Iesum. Videamus igitur quid sibi hoc supplicii genus uelit: fiant, inquit, dies eius pauci. Quid audio? nonne de impiis scriptum est apud Iobem, Impii uiuunt, subleuati sunt, confortatiq; diuitiis. Semen eorũ permanet corã eis, ꝓpinquorũ turba & nepotum in conspectu eorũ. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est uirga dei super illos. Et in Ieremia. Via impiorũ ꝓsperatur, bene est omnib9 qui p̃uaricant & inique agunt: plantasti eos & radicem miserunt, pficiunt & faciũt fructum. Cur ergo hic de impiis dicit, fiant dies eius pauci & episcopatũ, hoc est, p̃fecturam & p̃positurã eius accipiat alter? Illic recensetur impii benedictio, hic prophetat impii maledictio. Ergo ne DOMINVS, aut impotentior est, quã ut

Explicat pugnantiam benedictionis & maledictionis impiorum.

queat,aut mendacior q̃ ut uelit impio m̃aledictionem & ſuppliciũ iuxta minas eius inferre? Abſit.DOMINVS enim deus noſter, ut eſt omnipotẽs, ita & ipſa ueritas eſt. Quare quod dicit,idem etiam poteſt & uult & efficit. Dicit autem de impiis q̃ dies eoꝝ fiunt pauci,& præfecturam eorum accipiat alter.Et alias,uiri ſaguinum & doloſi, non dimidiabũt dies ſuos. Ac rurſus. Anteq̃ dies eius impleañ peribit , & manus eius areſcent,cedeñ quaſi uinea in primo flore botrus eius,& quaſi oliua,piiciens florem ſuum.Et apud Matthæum ait Chriſtus,de ſeruo qui talentũ ſuum abſconderat in terra:tollite ab eo talentũ & date ei qui habet decem talenta.Omni enim habenti dabitur & abundabit.Qui uero non habet etiam id quod habet auferet̃ ab eo,& inutilem ſeruum eiicite intenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium. Quanq̃ igit̃ impii aliquandiu ꝓſperũ impietatis ſuæ euentum habeant,ampliſſimis dignitatibus in hoc ſeculo conſpicui ſint,& omnib⁹ bonis iuxta arbitrium uoluntatis ſuæ fruantur, tamen fieri non poteſt, ut fœlicitas eorum ſit durabilis ac perpetua, ſed ipſi quidem, cum iam ſecuriſſimi ſunt, ineternũ peribunt.Pii autem,qui infelicem ætatem egerunt perpetuo ſeruabuntur. Quod autem de impiis ſcriptũ eſt,non dimidiabũt dies ſuos:& hoc loco: Fiant dies eius pauci, non ſignificat eos iuſtã uiri ætatem non attingere, quando impii ut felicius, ita fere diutius piis uiuere ſoleant, ſed ſignificat,q̃ impii ꝓpter præſentem ſuam felicitatẽ præſumant quidem & conentur ingentia neſcio quæ negocia,ſed in mediis conatibus,aut cũ nondum dimidium effecerint,quod ſe effecturos ꝓpoſuerunt,& cum in ſumma ſecuritate uiuunt,promittentes ſibi ipſis,non ſolum diuturnã uerumetiam perpetuã felicitatem, tũc repentinus eis imminet interitus,quemadmodũ Paulus ait,ſicuti dolor partus mulieri p̃gnanti,& ſuperuenit eis iudicium domini ſicut fur in nocte,qui non uigilantibus adhuc hominib⁹,ſed altiſſimũ & ſecuriſſimum ſomnũ in media nocte dormientibus, in ædes ad furandum ingreditur. Atq̃ hæc ita ſe habere exempla interitus impiorum manifeſte declarant. Vide mihi ſaltem Iudam,de quo nunc nobis ſermo eſt. Hic enim dum prodebat Chriſtũ, & accipiebat precium ſanguinis,pollicebat̃ ſibi neſcio quas felicitates in hoc ſeculo,& ſperabat ſe in his felicitatibus adhuc diutiſſime uicturum, ſed ecce in media iſta ſpe, ira dei ita comprehenditur,ut & ſibi ipſi laqueo uitam abrumpat,& medius crepet, uiſceraq̃ eius effundantur. Idem accidit Dathan, Korah & Abyron ſeditionem aduerſus Moſen, hoc eſt ordinatiõẽ dei concitantibus. Idem accidit & Saulo, idem accidet omnibus impiis. Quare qui uoluerint dies ſuos complere,pietatem ſectentur.Sic enim & ſi uiginti tantum annis in hoc ſeculo uiuant, tamen longiorem uitã habent, q̃ ſi impius quiſpiam mille annos uixerit. Cæterum,impiis non hoc ſolum ſupplicii accidit, q̃ in mediis ipſorum conatibus auferantur, ſed etiam q̃ quaſcunq̃ dignitates, felicitates, officia & miniſteria in hoc ſæculo habuerint,alienis relinquere cogañ. Et ſicut Moſe dicit, ædificabis domum & alii habitabunt in ea:fructus terræ tuæ & omnes labores tuos comedet populus quem ignoras, ita ſenciendum eſt,omnes honeſtas impiorũ dignitates ad alios tranſferri. Nõ ſolum enim in pſalmo dicitur, fiant dies eius pauci, ſed etiam addit̃: Epiſcopatum eius accipiat alter. Cũ igitur Petrus narraſſet in priori parte concionis ſuæ, quam habuit in cœnaculo Hieroſolymitano ſtupendum & horribilem interitum Iudæ, monet nunc diſcipulos in poſteriori concionis parte,ut uaticinio ſpiritus ſancti obedientes,aliũ apoſtolum in locum Iudæ ſurrogent.Et ait, oportet igitur,ut ex iis uiris qui nobiſcum uerſati ſunt toto tempore
» quo DOMINVS Ieſus perpetuam uitæ conſuetudinẽ egit nobiſcum,exorſus a baptiſmo
» Ioannis adeum uſq̃ diem,quo receptus eſt a nobis,unus quiſpiã conſtituatur, qui ſit una
» nobiſcum teſtis reſurrectionis eius.Oportuit(inquit) Iudam unum e numero duodecim Apoſtoloꝝ iuxta ſcripturam perire,oportet igit̃ & nos,iuxta eandem ſcripturam,alterum in locũ eius eligere,quo duodenarius apoſtolorum numerus cõpleatur, ut ſicut Iudæ habitatio deſerta facta eſt nec quiſq̃ ſuæ cognationis in ea habitat, ita alter Epiſcopatũ eius accipiat.Explicat autem Petrus paucis,quod ſit officiũ duodecim Apoſtolorum. Qui ſit (inquit)una nobiſcum teſtis reſurrectionis eius. Quid audio? an nõ & alii quoq̃ diſcipuli

uiderũt

uiderunt Christum a mortuis resurrexisse? nonne Christus in monte Galileæ apparuit fratribus plusq̃ quingentis, qui omnes potuerunt testificari de resurrectione Christi. Cur igitur Petrus hoc loco monet ut unus ad undecim apostolos cooptetur, qui sit testis resurrectionis, quasi duodecim tantũ apostoli testes resurrectionis esse deberent? Vt ad hæc respondeam, obseruandum est, omnes quidem eos fuisse testes resurrectionis Christi, qui Christum uiderunt uiuere postq̃ resurrexit, & contrectauerunt eum manibus suis, unde & Paulus ad Corinthios scribens, producit eos in testes, uisus est, inquit, plusq̃ quingentis fratrib⁹ simul. Ex qbus plures manent adhunc usq; diem, quidã autẽ & obdormierũt. Sed aliud est esse testem priuatum, aliud publicum, in hoc ipsum specialiter deputatum & ordinatum. Nam possunt quidem plures esse priuati alicuius rei testes, sed horum testimonium nondum est legitimum, nisi quidam eorum habeant publicam testificandi auctoritatem. Ac quemadmodum in foro ciuili, ad testificandas res leuiculas aut priuatas, duo, ut minimũ, aut tres testes necessarii sunt: ad testificandas aũt res publicas, & magni momenti, requiruntur Romano iure non pauciores q̃ septem publici testes, q; numerus septenarius perfectionem & multitudinem significet. Vnde & testamentum morituri non habetur firmum, nisi septem testibus adhibitis. Quod autem in testificando iuxta Romanam consuetudinem est numerus testium septenarius, hoc iuxta morem Israeliticum est duodenari⁹ numerus, siue propter duodecim patriarchas & tribus israel, siue ꝓpter aliam quandã causã: unde emittunt̃ e deserto duodecim uiri, quasi publici testes, ad explorandã terram Canaan. Tolluntur quoq; duodecim lapides de medio alueo Iordanis in publicũ testimonium, q; filii israel siccis pedibus Iordanem transierint. Nullũ autem unq̃ in toto orbe terrarum aut maius aut excellentius, aut ad salutem nostram plus necessariũ negocium extitit, quam negociũ Euangelii Iesu Christi, & resurrectio eius ex mortuis, nec ulla unq̃ res in hoc seculo tractata est, quæ certioribus testimoniis indiguerit. Quare elegit Christus apostolos numero duodecim, quibus tanq̃ publicis testibus auctoritatem Euangelii & ueritatem resurrectionis suæ in toto orbe terrarum confirmaret, ac omnibus hominibus cõmendaret. Prædicauerũt quidem & alii discipuli Euangeliõ & testificati sunt resurrectionem Christi, sed horum testimonium potissimam suam authoritatem inter homines, a testimonio duodecim apostolorũ, hoc est, publicorũ testium accepit. Ergone inquies, apostoli nihil aliud testificati sunt de Christo, quam q; resurrexerit a mortuis. Ait enim Petrus diserte. Qui sit una nobiscum testis resurrectionis eius? Sed audi tu uicissim, Petrus meminit tm̃ resurrectionis. Sub hoc autem nomine totum negocium Euangelii DOMINI nostri Iesu Christi cõprehendit, nimirum, q; Iesus Christus filius dei, uenerit in hunc mundum, & induerit hominem legi & infirmitatibus humanis obnoxium, ut obedientia & passione ac morte sua expiaret peccata nostra & placaret nobis patrem. Deinde q; cum hominem in hoc seculo egerit, uaria miracula ædiderit quib⁹ testificatus est se uerum esse Messiam a deo patre in salutem hominum missum. Postremo, q; resurrexerit a mortuis, ascenderit in cœlum, miserit spiritum sanctum, adeoq; intrauerit in gloriam patris sui, ut omnes qui credant in ipsum, iustificet, saluet, & a morte ad uitam non animæ solum uerumetiam corporis perducat. Hæc omnia inquam, comprehendit in se resurrectio. Si enim Christus non resurrexisset, inquit Paulus, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides uestra. Reperimur & falsi testes dei, adhuc estis in peccatis uestris. Qui obdormiunt, pereunt, & maxime miserabiles omnium hominum sumus. Nunc autem, quia resurrexit a mortuis, consequitur & ipsum ꝓ peccatis nostris mortuum esse, & nunc in maiestate patris sui regnare, ut interpellet pro nobis, & uiuificet nos ad regnandum una cum ipso in perpetuum. Quare cum apostoli sunt testes resurrectionis, sunt profecto & testes totius Euangelii ac negocii Iesu Christi, quod ab eo tempore, quo uel Ioannes inchoauit baptismum suum, uel Christus a Ioanne baptisatus est usq; ad missionem spiritus sancti, & diuulgationem Euangelii in totum orbem terrarum gestum est. Vnde & Petrus diserte hanc conditionem in Apostolo elegendo requirit, ut sit oculatus testis

Cur duodecim sint electi, & q; duodenarius numerus Hebreorum referat septenarium Romanorum.

omnium totum quæ gesta sunt. Oportet, inquiens, ut unus quispiam constituatur ex his uiris. Quibus? non ex his qui heri primum aut nudiustercius ad nos accesserunt, aut qui tantum ea nouerunt, quæ ab aliis de Christo audiuerunt, sed ex his qui nobiscum uersati sunt toto tempore, quo dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinẽ egit nobiscum, exor sus a baptismo Ioannis (eo enim tempore incepit Christus Euangelion regni sui prædica re, ac iuxta Danielem, ducem agere) ad eum usq; diem, quo receptus est a nobis. Non uult Petrus testem neophytum, non auritum, sed oculatum. Nam & uulgo dicitur pluris est testis oculatus unus, quam auriti decem. Cum igit Euangelion de Iesu Christo, quod est, non nostra opera placare patrem, sed Christum ad placandum patrem, propter peccata quidem nostra mortuum esse, propter iustificationem autem nostri resurrexisse, tanta duodecim publicorum testium auctoritate confirmatum sit, ut nullus eorum auribus tan tum ea quæ in hoc Euangelio continentur hauserit, uerumetiam suis ipsius oculis con spexerit, & ad publica horum testimonia, multi etiam alii priuati testes oculati accesserint reliquũ est, ut firmam adhibentes fidem Euangelio, omnem nostram fiduciam in Iesum Christum collocemus, quo a peccatis & morte liberati salutem consequamur. Habes con tionem Petri, qua hortatur ecclesiam, ad surrogandum alium apostolum in locum Iudæ
» Neq; ea exhortatio frustranea fuit. Magno enim studio excepta est ab ecclesia. Et statue-
» runt duos, Ioseph q uocatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam. Hi enim duo insignes erant uiri tum pietate, tum rerum Christi experientia. Quare cum difficile esset humano iudicio alterum alteri præponere, discipuli electionem in manum & iudici um dei reponunt. Et quomodo, inquies, hoc factum est? num miserunt Petrum aut aliũ quendam apostolum ad cœlos, qui e Christo pauloante in cœlũ assumpto inquireret quẽ ex his duobus in apostolum elegerit? profecto omnino sentiendũ est, discipulos legatio nem in cœlum misisse, non tñ iuxta rationem huius seculi, sed iuxta rationem spiritus sancti. Sic enim sequitur, & facta precatione dixerunt. Tu DOMINE, quia corda nosti
» omniũ, ostende utrum elegeris ex iis duobus, ut accipiat sortem ministerii huius & apo-
» stolatus, unde præuaricatus excidit Iudas, ut abiret in locum suum. En hæc oratio, est lega
» tio, quã mittunt discipuli a terra in cœlum ad DOMINVM suum Iesum Christum. Diri gatur, inquit, Dauid, oratio mea sicut incensum, in conspectu tuo, eleuatio manuum mea rum sacrificium uespertinum. Et alias, oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec appropinquat non consolabitur, & non descẽdet donec altissimus aspiciat. Ad talem au-

Quomodo orandum, ut oratio sit legatio ad deũ.

tem legationem conficiendam, non necesse habemus, aut pedes nostros calceis munire aut equos ephippiis instruere, sed animum fide præparare: fide enim ascenditur in cœlũ fide peruenitur ad sedem maiestatis diuinæ, fide penetratur ad lucem illam cœlestem, alio qui inaccessam. Omnia inquit, quæcunq; pecieritis in deprecatione, credentes, credentes (inquam) accipietis: neq; ad hanc legationem requiritur sermo aut longis uerborum am bagibus compositus, aut oratorum huius sæculi flosculis exornatus, sed requiritur multa quidem & magna fides, pauca autem uerba. Orantes, inquit, ne sitis multiloqui, sicut Ethnici, putant enim fore, ut ob multiloquium suum exaudiantur. Hæc igitur oratio disci pulorum, prorsus eas habet conditiones, quæ ad piam orationem, nubes penetrantem requiruntur. Habent enim præter generales promissiones, etiam speciale uerbum dei, quo significauit spiritus sanctus, alium apostolum in locum Iudæ surrogandum esse, uide licet, Episcopatum eius accipiat alter. Arripientes igitur hoc uerbum fide, orationem co ram deo effundunt, certa & magna fiducia concepta, ꝙ qui significauerit alium in locũ Iudæ eligendum, is pro sua quoq; clementia electioni aspiraturus sit. Deinde paucissimis uerbis uotum animi sui explicant. DOMINE, inquiunt, nos proposuimus inconspectum tuum, duos honestissimos & piissimos uiros, ac iudicio quidem nostro, ambo ad functio nem apostolatus digni nobis uidẽt, sed tu es cordium scrutator & cognitor, coram quo & si nullus hominum iustificatur, & omnia omnium hominum corda suapte natura im pia sunt, pro tua tamen ingenti clementia distribuis sua unicuiq; credenti in te dona, ad

uocationem

uocationem ſuam neceſſaria. Neq; quiſq; eſt, qui teipſo melius nouerit, quæ cuiq; dona liberaliter largitus fueris. Proinde obſecramus te, ut tuipſe oſtendas, declares, & deſignes eũ quem ad apoſtolicam functionem dignum iudicaueris, & donis tuis idoneum reddideris. Hoc orandi exemplum memorabile eſt, & ualde obſeruandum, quo admoneamur, ut in creandis magiſtratibus in elegendis eccleſiaſtis, ac miniſtris eccleſiæ, in contrahendo matrimonio, aut aliis negociis inchoandis, legationem orationis noſtræ, ante omnia in cœlum mittamus, & a DOMINO deo noſtro, id quod iuſtum & commodum nobis fuerit precibus ambiamus. Bonus enim magiſtratus, pius eccleſiaſtes, & commoda uxor, nõ ſunt niſi dona dei. De magiſtratu dicitur, ordinatio dei eſt: de Eccleſiaſtis. Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint? de uxore. Domus & diuiciæ hæreditate obueniunt a parentibus, a domino autem prudens uxor. Si ergo hæc ſunt dona dei, profecto non parantur prudentia aut uirtute, ſed neceſſariũ eſt, ut e cœlo afferamus & a DOMINO deo noſtro impetremus. Nihil autem impetratur a deo niſi fide & oratione. Quare orandum eſt ex fide ad deũ, ut quod deſideremus, pro noſtra commoditate aſſequamur. Sed quid fit poſt orationem diſcipulorum? num aut Chriſtus ipſe de cœlo ſeſe uiſibiliter manifeſtat? aut angelum de cœlo mittit, qui exponat diſcipulis uoluntatem dei, uter inter duos in apoſtolum eligẽdus ſit? Nequaq; opus erat, quod ad hanc electionẽ attinebat, ullo manifeſto miraculo, ſed erat diſcipulis propoſita publica & ſolennis regionis ſuæ conſuetudo, qua licebat ipſis uoluntatem dei cognoſcere. Ea autẽ erat conſuetudo ſorciendi. Facta igitur precatione, dederunt ſortes eorum, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & cooptatus eſt ad numerum undecim apoſtolorum. Quid hic noui inter diſcipulos Chriſti uidemus? nonne lex in Deuteronomio capite decimo octauo dicit. Non ſit inter uos Iideon, hoc eſt, ſortilegus qui per ſortes uoluntatem dei ac futura pronunciat? cur igitur diſcipuli Chriſti hoc loco uoluntatem dei ſortibus inquirunt, & Matthiam ſorte deſignatum, tanq; a deo electum in duodecimum apoſtolum cooptant? Sed abſit ut diſcipulos Chriſti hoc loco impietatis arguamus. Quod enim fecerunt, magna pietate fecerũt. Duplex enim eſt ſortilegii genus, alterũ, quo nulla dei ordinatione & reuelatione, ſed mera temeritate & impia ſuperſtitione, futura aut occulta inquiruntur, ut ſi quis, exemplí gratia, ſortibus exploraret, num poſt annum uicturus eſſet, aut quid ageret Cæſar in Hiſpania. Quæ enim conuenientia ſortis cum uita poſt annum, aut cum negociis quæ habet Cæſar in Hiſpania? Et hoc genus ſortilegii impium eſt. Nam quod & Ioſua & Saul & nautæ Ionam ueſtantes, occulta peccata ſortibus ſcrutati ſunt ac certo deprehenderunt, ille in Acham furtum anathematis, is in filio ſuo Ionathan eſum mellis, hi in propheta Iona fugam a facie DOMINI, probat quidem ingentem ſeueritatem iræ dei, qua peccata quamuis occulta, reuelat, & peccatorem pudefacit, non autem probat hoc ſorciendi genus cuiuis pro ſua libidine licitum eſſe. Sunt enim hæc ſorciendi exẽpla perſonalia facta, quæ nec perſonam tranſgrediunt, nec in exemplum trahi debent, nam ut maxime licuerit Ioſuæ ſpiritu ſancto prædito, peccatum anathematis ſortibus inquirere, & Saul ac nautæ occulta peccata ſortibus deprehenderint, tamen non proponuntur hæc nobis, ut ſortilegium iſtud imitemur, ſed ut diſcamus timorem dei, agnoſcentes DOMINVM deum noſtrum tam ſeuerum eſſe occultorum peccatorum iudicem, ut ea quoquo modo poſſit toti orbi prodat, & ſi non per homines, certe per aues cœli, quemadmodum Eccleſiaſtes Salomonis dicit, diuulget ac peccatorem pudefaciat. Alterum ſorciendi genus eſt, quod publica regionum conſuetudine in diuidendis hæreditatibus, in creandis magiſtratibus & in aliis quibuſdam ciuilibus rebus uſurpari ſolet. Et hoc genus non ſolum licitum eſt, ſed etiam eſt ordinatio dei. Etenim ſi pondus & ſtatera iudicium domini ſunt, & ipſe eſt auctor ponderũ, quemadmodum Salomon dicit, qui fieret, quod & ciuilis illa ſors (quando ſit ciuilis ordinatio, ad retinendam publicam tranquillitatem inſtituta) non eſſet iudicium DOMINI? Adhæc ſi regio ipſa in rebus ciuilibus, ut eſt in prouerbio, Lex eſt, & leges ſunt ordinationes dei, profecto manifeſtum eſt, etiam hoc ſorciendi genus moribus regionũ confirmatũ,

Duplex ſorti legij genus.

ordinationē dei esse. De hoc sorcium genere ait scriptura, in sinum deiiciuntur sortes, at a deo iudicium earum proficiscitur. Et iterum, Contendentes sors componit & inter fratres diiudicat. Cum igitur hoc sorciendi genus sit ordinatio & iudicium dei, non solum licet eo uti, uerumetiam quicquid alicui per illud obuenerit, hoc uere ipsi iudicio DOMINI obuenisse sentiendum est. Sic tribubus Israël diuiditur terra Canaan in hæreditatem per sortes, & spiritus sanctus uocat eam diuisionem DOMINI. Sic sors mittitur in Leuitico capite decimo sexto super duos hircos, & sors q̄ ceciderit super alterum hircum immolandum, ea DOMINO cecidisse dicitur. Sic & hoc loco sors cadit super Mathiam. Non autem existimandum est, ipsum ideo minoris authoritatis, & non a Christo electū apostolum esse, q̄ sit sorte electus, sed quia sors est iudicium dei, ideo sentiendū est Mathiam ab ipso deo electum, nec minoris authoritatis esse, quam alium quendam apostolum uoce Christi adhuc in terris agentis uocatum. Sed hic mihi obserua, quam admiranda sint iudicia dei. Duo proponunt ab apostolis in conspectum dei, qui ambo satis honesti & pii erant, alter autem eorum nomine Ioseph, tanta pietate coram hominibus splendet, ut & hinc cognomē iusti sortitus sit. Hunc tamen negligit DOMINVS in mittenda sorte, & effecit, ut sors cadat super Mathiam, uirum quidem honestum, attamen non tanta honestatis specie coram hominibus præditum, quanta Ioseph, atq; ita Mathias, qui hominum fama Iosepho postponitur, iudicio dei præponitur. Hoc igitur exemplo discamus primum timorem dei. Tametsi enim quis magna uirtutum suarum fama & authoritate apud homines polleat, tamen non habet iustam causam ut cristas tollat, & fiducia sui inflatus alios præ se fastidiat, sed timeat potius. Non enim ideo quis deo gratus est, quia hominibus gratus est, nec ideo quis apud deum laudem habet quia apud homines habet. Quod possides gratuitum donum dei est, non meritum humanum. Itaq; nisi in timore dei ambulaueris, auferet deus ab ingratoquod gratis mera sua clementia contulit. Deinde confirmanda est & hoc exemplo fides nostra in humilitate & contemptu huius sæculi. Quid enim facias, si te hic mundus fastidit, & tibi insultat? num propterea animum tuum despondebis? Absit. Qui enim ab hominibus contemnitur, non etiam a deo contemnitur, sed potius quem homines despiciunt, eum deus respicit. An ignoras quid gestum sit, cum Dauid in regem eligeretur? ueniebat Samuel ad Isai patrem Dauidis, & postulabat ab ipso ut filios suos produceret, quo ex ipsis unum in regem ungeret. Pater autem ne recordans quidem Dauidis, oues pascentis, sistebat coram Samuele primogenitum suū, sed audit Samuel a DOMINO. Ne respicias uultum eius neq; altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum. Deinde, producebat & alios suos filios. Sed DOMINVS hos omnes reiiciens, Dauidem minimum & abiectissimum eligit. Quanquam enim in altis habitet, respicit tamen humilia seu abiecta in cœlo & in terra. Quare, quanto magis in hoc sæculo contemptus fueris, tanto tibi deum magis propicium confidas, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

Exemplo Ioseph discimus timorem dei Mathiæ uero exemplo fides confirmanda est.

CAP. II.



VM hactenus, dilectissimi, Iesus Christus sæpenumero discipulis suis promisisset, se missurum ipsis alium consolatorem, Veritatis spiritum, ut cælesti uirtute induti, & adiuti, uniuersum orbem ad obedientiam Christi adserere queant, aduenit tandē expectatus ille dies, quo primū Christus doctrinā, miracula, passionem, resurrectionē, & ascensionē suam plene absoluit. Deinde cum discipuli iuxta præceptum eius una Hierosolymis in cœnaculo cōgregati essent, quod dudū promiserat pbe præstitit, ac misit eis manifestissimis signis spiritum sanctum toties promissum, iamq; diu ardentissimo desyderio expectatum. Cum complerentur) inqt Lucas) dies Pentecostes erant omnes unanimiter in eodē loco. Ergo ne Pentecostes obseruatio iam apostolorum temporibus instituta erat? Maxime, non illa autem, quam Christiani celebram⁹, quæ non est diei festi ex conscientia obseruatio, id quod Paulus uetat, dicens. Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Metuo de uobis ne frustra laborauerim erga uos, & iterum. Ne quis uos iudicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, aut nouilunii aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autē Christi: sed est publica duntaxat commemoratio spiritus sancti, semel admirabilibus signis apostolis de cœlo missi, qui nunc semper ministerio prædicationis Euāgelii in credentes absq; publicis & admirandis signis effunditur. Et obseruatur hæc commemoratio a piis non ad conscientiam sed ad ordinatam disciplinam, ne quid in ecclesia, iuxta Paulum, non secundum ordinem fiat. Pentecoste autem, cuius mentionem Lucas fecit, Iudæorū Pentecoste fuit, quibus erat in lege præceptum, ut ter in anno publica festa celebrarent, inter quæ, Pentecostes festū numerat. De quo ita scribit Mose. Septem hepdomadas numerabis, ab eo die quo falcē miseris in segetem, & celebrabis diem festū hepdomadaꝝ domino deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, & reliqua. Cæteꝝ, hoc festum diuinitus apud iudæos ob hanc causam ordinatum erat, ut sicut in festo Paschæ fiebat commemoratio egressus ex Aegypto, ita in Pentecostes festo, eadem commemoratio renouaretur, & in memoriā quoq; reuocaret tempus illud, quo lex liberatis ex Aegypto data est. Siquidē quinquagesimo fere die (hoc enim Pentecostes significat) posteaq; Iudæi Aegyptios euaserant, dedit dominus legem populo Israel in deserto, in monte Sinay, per Mosen electum israelis ducem. Vnde maxime omnium conueniebat, ut & in ei⁹ festi obseruatione spiritus sanctus mitteretur. Misso enim spiritu sancto, impletum est illud, quod in Ieremia scribitur. Post illos dies, dicit DOMINVS, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corda eorum scribam eam, & ero eis in deum & ipsi erunt mihi in populum. Prior enim lex scripta est in tabulis lapideis, Posterior autem lex quæ est lex spiritus uitæ, de qua propheta dicit, Exibit lex de Sion & uerbum domini de Hierusalem, scripta est per spiritum, in tabulis cordis carneis, & prior quidem occidit, hæc autem posterior uiuificat, prior damnat, posterior saluat, prior inferni ignes in conscientiam sufflat, posterior extinctis inferni flammis, ignem cœlestis gaudii accendit. Iam, priusquam uideamus quibus miraculis effusus sit spiritus sanctus super Apostolos, considerandum nobis est, num Apostoli & alii discipuli hoc in loco congregati, antea spiritu sancto caruerint? De hac re antea quoq; disseruimus. Quis enim tam impudentis frontis esset, qui affirmate auderet, apostolos ante hoc tempus spiritu sancto caruisse? quando Christus suo ipsius testimonio asseueret, Petrū & suo & alioꝝ nomine confitentem, quod Christus sit filius dei uiuentis, beatū ac felicem, propterea quod caro & sanguis non reuelauerit ei talem fidē, sed pater cælestis, q nimiꝝ per spiritū suū fidei mysteria reuelat. Adhæc, nōne apostoli etiā ante passionē Christi miracula exercuerūt? spirit⁹ immūdos eiecerūt? quēuis morbū & languorē

Pentecostes festum quale & quando institutum.

ſonarunt? Hæc certe abſq; ſpiritu non potuerunt fieri, ſimiliter poſt reſurrectionem. Sed tamen ante aſcenſionem, flauit Chriſtus in eos, & dixit, Accipite ſpiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorumcumq; retinueritis, retenta ſunt. Num exiſtimas Chriſti afflatum uanum fuiſſe? Poſtremo etiam poſt aſcenſionem, priuſq; ſpiritus ſanctus admirabilibus ſignis in die Pentecoſtes mitteretur, apoſtoli nõ abſq; ductu ſpiritus ſancti, duodecimum apoſtolum in locum Iudæ proditoris ſurrogarunt. Si ergo prius habuerunt ſpiritum ſanctum, quid illud eſt, q; tocies Chriſtus pollicitus ſit, ſe miſſurum ipſis ſpiritum ueritatis, qui eſt ſpiritus ſanctus. Et ſcriptura teſtatur hoc in die Pentecoſtes impletũ eſſe. Ne a ueritatis ſcopo aberremus, amiciſſimi, rationẽ ſpiritus, quantũ in præſentiarũ ſatis eſt, pro mediocritate noſtra tractemus. Alia eſt ſubſtantia ſeu exiſtẽtia ſpiritus, alia operatio, ſeu donatio eius. Subſtantia ſpiritus, ut eſt humano captu incomprehenſibilis, ita eſt indiuiſibilis, incõmutabilis, æternus deus, eiuſdem gloriæ una cum patre & filio exiſtens. Niſi enim una cum patre & filio ſempiternus deus eſſet, Chriſtus non dixiſſet. Ite baptiſate in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Porro ſicut de patre & filio uerum eſt, quod in propheta dicitur: Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſtabellum pedũ meorum: & iterum, cœlum & terram ego impleo. Ita etiam idem de ſpiritu ſancto uerum eſt, teſtante alio propheta. Quo ibo a ſpiritu tuo & quo a facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum tu ades. Itaq; indiuiſibilis & ſimpliciſſima eſt ſpiritus ſubſtantia, una cum patre & filio, omnem non terrarum ſolum ſed etiam omniũ creaturarũ orbem implentis, fouentis, & ut ita dicam, uegetantis. Attamen, ut Paulus ait, unus quidem & idem eſt ſpiritus, ſed ſunt diuiſiones donorum, Vnus eſt ſpiritus, ſed ſunt diuiſiones operationum. Etenim, cum ſpiritus eſſentia ſua (ita enim uocant) omnes tam pios quam impios impleat, non tamen eadem dona impiis confert, q̃ piis, non eaſdem habent operationes in impiis, quas in piis. Nam conſeruatio exiſtentiæ creaturarum, operatio ſpiritus eſt, quo dono, etiam impii nobiles ſunt. Rurſus fides in Ieſum Chriſtum quo dono quotquot in Chriſto credunt inſigniuntur, operatio ſpiritus eſt, quemadmodum dicit Chriſtus. Caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed pater meus, qui eſt in cœlis, & nemo uenit ad me niſi pater meus traxerit eum. Atq; hoc donum poſſiderunt apoſtoli priuſq; miraculis alia dona ſpiritus ſancti in ipſis, in die pentecoſtes reuelarentur. Adhæc, in omnibus afflictionibus conſolari, ingenue abſq; omnium formidine Chriſtum confiteri & prædicare, nec principes nec reges tyrannos timere, ſpiritus operatioẽs ſunt. Hæc ſpiritus dona Chriſtus apoſtolis in die Pentecoſtes contulit. Itaq; principio quidem apoſtoli hoc commune cum omnibus impiis habuerunt, quod a ſpiritu ſancto omnia implente in rerum natura, ſuo tempore, conſeruati ſint. Deinde hoc commune habent cum omnibus piis, quod a ſpiritu ſancto fide in Ieſum Chriſtum donati ſint, ut iuſtificarentur & ueram ſalutem conſequerentur. Hæc autem dona ipſis peculiariter contigerunt, quod diuerſis linguis locuti ſint, quod a ſpiritu ſancto tanta fiducia & magnanimitate ſuffulti, tantaq; miraculorum operandorum facultate inſtructi ſint, ut libere abſq; ulla formidine, palam Chriſti Euangelion prædicarent & miraculis confirmarent. Quæ dona, non iuſtificant quidem. Sola enim fides propter Ieſum Chriſtum iuſtificat, ſed tamen imperium Chriſti proferunt, & dilatant. Cum igitur audimus ſpiritum ſanctum Apoſtolis reliquiſq; diſcipulis in die Pentecoſtes collatum, nõ intelligamus de ſpiritus exiſtentia, qua omnia implentur, nec de dono fidei, quam antea Apoſtoli habebant, ſed de donis linguarum, & miraculorum, magnanimitate & fiducia prædicandi Chriſtum, & conſtantia in omnibus aduerſis propter confeſſionem & prædicationem Chriſti accidentibus. Hæc enim neceſſaria dona ſpiritus erant, ad dilatandum & proferendum fines imperii CHRISTI. Cum hæc ita ſeſe habeant, uideamus nunc, quanta miraculorum pompa

Quod alia ſit ſubſtantia ſpiritus, alia operatio &c.

„ dona illa ſpiritus Apoſtolis collata ſint. Factus eſt (inquit Lucas) repente de cœlo
„ ſonus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant ſedentes. Expectabant illi uirtutem ex alto, expectabant exercitum

fortaſſis

fortassis angelorum quibus adiuti totum orbem inuaderent, & gentes Christo nomen dare cogerent, & ecce de improuiso, factus est sonitus de cęlo, quasi turbinis magno impetu irruentis Non erat uentus naturali ordine excitatus, alioq non solum domum, in qua discipuli sedebant, sed totam urbem Hierusalem, aut totam regionm Iudæorũ perflasset, sed erat flatus præter naturam, a deo concitatus, in hoc, ut esset nuncius & præco aduentus maiestatis spiritus, qui missus a deo patre per Christum ad apostolos iam hac ipsa hora aduentabat, magnis & mirabilibus donis atq; muneribus tanq̃ exercitu quodam cœlesti comitatus. Aduentabat donaturus facultatem loquendi diuersis & prius incognitis linguis. Aduentabat, collaturus tantã animi in prædicando Euangelio Christi celsitudinem, ut piscatores, & pauperes mendici, nec potentissimos orbis monarchas, immo nec ipsum satanam huius mundi principem formidarent. Aduentabat exhibiturus potestatẽ super dæmonia, super serpentes, super omnes corporis morbos, & super ipsam mortem, ut apostoli per nomen Christi possent dæmonia eiicere, serpentes tollere, ægrotos sanare, & mortuos suscitare, quo his miraculis & signis prædicatio eorum de Iesu Christo confirmarẽt. Itaq; maxime conueniebat, ut tantæ maiestatis aduentus, seu potius præsentia ad mirabili flatus impetu significaretur, quo discipuli congregati ad religiose excipiendam spiritus maiestatem excitarentur. Etenim si huius seculi imperatores aduentum suum, tumultu tormentorum bellicorum, obstrepero tubaq; sonitu prænunciant, quo maiestas eorum reuerentius excipiatur, quanto magis decebat, ut summam & potentissimam diui ni spiritus maiestatem, admirandus cœlestis uenti impetus antecederet. Iam & eo tempore, quo dominus deus de cœlo ad ferendam legem in monte Synai descendebat, maiestatis suæ aduentũ, tonitru, fulgure, fumo, aliisq; tremendis spectaculis declarabat. Si igitur administratio mortis in litteris, deformata in saxis, fuit in gloria, cur non potius administratio spiritus esset gloriosa? sed huic subitanei & uehementis flatus miraculo aliud accedit. Sunt enim illis uisæ dissectæ linguæ uelus igneæ. Et ut manifestius esset miraculũ sedit. Quis? ignea linguaꝝ species, super singulos eoꝝ. Ne autem existimes uana esse miracula, sequit. Repleti sunt oẽs spiritu sancto, cœperuntq; loqui aliis linguis prout spiritus ille dabat eloqui illis. Nũc uides Christũ suis promissis satisfeciss̃e, nunc apostoli compotes uoti sui effecti sunt, nunc exercitũ, ut ita dicam militarẽ, ex alto habent, quo audent in uniuersum orbem irrumpere, & oẽs gentes imperio Christi subiicere, nũc acceperũt uirtutẽ, qua etiã potentissimos orbis principes uicturi sunt. Proinde amicissimi, orabim⁹ patrẽ cœlestem, per Iesum Christũ dominum nostrũ, ut nos quoq; spiritus sancti arrobone consignet, per quem eam saltem linguam discamus qua ad deum Abba pater clamatur & ut spiritus uirtute animati in omnibus persecutionibus constantes in fide & confessione Iesu Christi perseueremus, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA SEPTIMA.



Vdiuimus heri quanto discrimine, substantia, & operationes spiritus sancti inter se distent, audiamus hodie, quas operationes in apostolos nouas, spiritus exercuit. Audiuimus quanta miraculoꝝ maiestate spiritus scilicet aduentum seu potius præsentiam suam significauerit, audiamus nunc quid uirtutum secum adduxerit. Repleti sunt (inquit) omnes spiritu sancto, quod aliud non est, quam omnes nouis, inauditis, stupendis, & admirandis spiritus scilicet donis ac uirtutibus repletos esse. Etenim Christus iam antea selegerat maxime omniũ duodecim apostolos, qui post ascensionẽ eius in cœlos uniuersum orbem terraꝝ peragrarẽt, & nomine suo oẽs gentes imperio Christo subiicerẽt. A prophetis enim prædictũ est, fore ut Christ⁹ omnib⁹ dominaret. Reminiscẽt, inqt Dauid, & cõuertẽt ad dñm

uniuerſæ familiæ gentium. Et iterum dominabitur a mari uſq; ad mare, & a flumine uſq; ad terminos orbis terrarum. Et alius propheta: multiplicabitur (ait) imperium eius, & pacis non erit finis. Ad hos igitur fines imperii Chriſti proferendos apoſtoli ſegregati erant. Sed quia ingentis erat molis, uni regi Chriſto, totum terrarum orbem, in tot natiões, in tot linguas, in tot religiones, in tot philoſophias, in tot opiniones, in tot mores, in tot imperia & pricipatꝰ diuiſiſſimos diuiſũ ſubiicere, qua obſecro, uirtute, qua fortitudine quo exercitꝰ robore apoſtoli, primũ idiotæ, deinde, partim piſcatores partim publicani poſtremo omnes indocti humiles & abiecti ad expugnandum orbem inuaſerunt? Certe nulla alia uirtute, quã ſpiritus ſancti. Et repleti ſunt omnes (inquit) ſpiritu ſancto. Hic nimirum apoſtolorum uirtus, hic exercitus, hic manus militaris, hic tormenta bellica, hic gladius, hic haſta fuit. Explicemus igitur ſpiritum ſanctum, hoc eſt, operationes & dona eius, quibus apoſtoli p̃diti fuerunt, ut ipſas uirtutes quibus mundus expugnatur, ſuis propriis nominibus cognoſcamus. Principio, cœperunt Apoſtoli loqui aliis linguis pro ut ſpiritus ille dabat eloqui illis. Prima ſpiritus ſancti operatio, primum donum, aliis linguis quas nũq̃ humano preceptore didiceris loqui ſcire. Miraculum hactenus inauditum q̃ piſcatores, qui fortaſſis terminos Galileæ & Iudææ nũq̃ egreſſi fuerant, diuerſis omniũ nationum linguis loquerentur. Non enim intelligendum eſt, quaſi apoſtoli unam tantum uocẽ effudiſſent, multæ uero & diuerſæ aeris reuerberatione uoces auditæ fuiſſent. Hoc enim magis eſſet audientium Iudæorum q̃ dicentium apoſtoloꝝ miraculũ. Verum hoc miraculum ſpiritus in apoſtolis non in auditoribus operabat. Igitur, nõ unam uocẽ aut linguam ſonabant, & diuerſe ab auditoribus intelligebantur, ſed cum hebræis loquebantur hebraice, cum Parthis parthice, cum Aſiaticis aſiatice, & omnino cuiuſcunq; linguæ aut nationis turbam accedebant, ea lingua magnifica dei prædicabãt, iam cum publica & manifeſta miracula non hac cauſa a deo fiunt, ut ſemper eodem modo, eadem ſpecie, eademq; forma fiant, ſed ut deus ſemel aut iterũ publicis & manifeſtis miraculis teſtetur, quod ſemper priuatim & occulte operetur, uideamus quas priuatas & occultas dei operationes in nobis miraculum linguarum portendat. An quotquot credunt, & ſpiritum ſanctum poſſident, hoc linguarum dono inſigniuntur? reipſa experimur credentes ſæpe numero uix unam noſſe linguam. Ergo ne carent ſpiritu ſancto, q̃ careant dono linguarũ? Abſit: ſpiritum ſanctũ habent, alioqui nõ haberent fidem, nõ tamen omnia ſpiritus ſancti dona habent. Quæ ad iuſtificationem & ſalutem neceſſaria ſunt, ea poſſident, quæ ad miracula & nominis celebritatem pertinent, iis plerunq; carent. Miraculũ eſt, noſſe diuerſis linguis quas nunq̃ didiceris loqui. Quo dono apoſtolis ſemel collato, Chriſtus ſignificauit ſe omnibus in ſe credentibus cognitionem ſcientiam & noticiam eius ſermonis, eius linguæ donaturum, qua & ſciant & audeant deum alloqui ut patrem, inuocare ut auxiliatorem, conuenire ut ſaluatorem, qua item ſciant deum exorare, & perſuadere, ut deſiderio uoti eoꝝ ſatis faciat. Sic Paulus ait: Quoniam eſtis filii emiſit deus ſpiritũ filii ſui in corda noſtra clamantem Abba pater. Et Chriſtus. Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Hac lingua loquebatur quondam Moſe cum deo uolente totũ iſraelem funditus perdere, & perſuadebat eum, ut a ſententia ſua recederet, atq; Iſraeli parceret. Hac lingua loquebatur cum deo Hiſkia in quem deus mortis ſententiam tulerat, ſed perſuaſus dominus, ſententiam recantauit. Hac lingua loquebantur quondam cum deo Niniuitæ, quos decreuerat deus, ut quadraginta diebus ſubuerterentur, ſed perſuaſus decretum ut ſic dicam mutauit. Diſcamus igitur hac lingua loqui, id quod fit ex fide in Ieſum Chriſtum ut in omnibus noſtris aduerſis & afflictionibus auxilium exorare ſciamus. Et de linguarum quidem dono hactenus. Nunc uideamus aliam uirtutem quam ſpiritus ſanctus in apoſtolis operatus eſt. Loquebantur magnifica dei, publice, palam, multa libertate, nullo timore, nulla formidine, ſed quaſi urbis Hieruſalem domini ac principes, urbem peruagant, & ubicunq; inueniunt hominum congregationem, ad eam ſeſe applicant, huic ſeſe coniungunt, & docent magnifica dei. Quæ? Certe nõ alia

quam

quam Euangelion domini nostri Iesu Christi, ꝙ passus quidem sit, sed resurrexerit a mortuis, & sit omnium in ipsum credentiũ, iustificatio, salus, sanctificatio & redemptio. Hæc loquũtur, hæc repetunt, hæc inculcãt, non uni aut alteri in angulis, sed palam ubicunq; hominum conuentum reperiunt. Hæc autem spiritus sancti uirtus tanto admirabilior in apostolis apparet, quanto penitius prior apostolorum affectus, & rerum circumstantiæ considerentur. Nam cum Christus a Iudæis comprehenderetur, & ad pontifices & præsides captiuus duceretur, quo animo apostoli affecti fuerunt? Alius præ timore fugiebat, alius præ formidine Christum abnegabat, nullus certe audebat de Christo uel mutire. Et Petrus tanta pusillanimitate tenebatur, ut nec coram abiecta ancilla, aut contempto seruo, Christum confiteri ausus fuerit. Huc accedit ꝙ etiam post resurrectionem, metus Iudæorum in secretum conclaue eos concludebat, & usq; ad hoc tempus, de Christo inter sese tacite mussitabant uerius, q̃ loquebantur: tantus Iudæorum Christum persequentium & extrema quæq; supplicia confitẽtib⁹ Christũ minitantiũ, timor ipsos inuaserat. Adhæc agebatur hoc tempore festum Pentecostes, ad quod maxima Iudæorũ multitudo iuxta legem, ex omnibus nationibus adquas dispersi erant, conuenerat. Ibi tum aperte prædicantibus nouam Christi fidem, non solum a phariseis & principibus urbis, uerumetiam a promiscua multitudine periculum imminebat, ne impetu facto, in apostolos irruerent, & ipsos tanq̃ hæreticos, ueterem legis & Mosi religionem, tanta miraculoꝝ nube, tanta dei auctoritate, tanto populi consensu, tanta temporis diuturnitate comprobatam, subuertentes, opprimerent. Apostoli tamen depositio pristinæ formidinis affectu, & omnibus periculis neglectis, aperto marte multitudinem aggrediuntur, ingenue & palam Iesum Christum prædicant, ut plane reipsa sencias, nouam ipsis uirtutẽ diuinitus accessisse. Non illis autem solum donum istud contigit, uerumetiam idem ipsum omnib⁹ credentibus collocaturus est Iesus Christus, ut non solum corde credant ad iusticiã, sed ore quoq; confiteantur ad salutem. Hac enim de causa magnanimitatis & fiduciæ uirtutem apostolis miraculo contulit, ut significet, se omnibus nomen suum inuocantibus tantam magnanimitatem exhibiturum, ut posthabito omnium rerum discrimine, nomen Christi palam & ingenue coram regibus & principibus confiteantur. Sic enim in Ioanne dicit. Non pro eis rogo tantum, sed & pro iis qui crediturí sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, & ut ipsi in nobis unum sint. Quod si oratio Christi non fuit uana de apostolis, qui fieri posset, ut de nobis per sermonẽ apostolorum credentibus, euanesceret? Itaq; in omnibus persecutionibus summa animi alacritate de auxilio diuino cõfidam⁹: & certo sperem⁹, ꝙ qui nobis fidem donauit, idem & cõstantiam perseueranciam & confitendi libertatem donaturus sit. Audiuimus duas uirtutes, duas belli machinas, quas spiritus apostolis ad inuadendum & expugnandum orbem contulit, alteram, noticiam diuersarum linguarum, alteram, constantem prædicandi de Iesu Christo fiduciã. Audiamus nunc, quid primũ in urbe Hierusalem factum sit, posteaq̃ apostoli has machinas urbi admouerint. Erant (inquit) Hierosolymis habitantes (nõ per petuo sed ad tempus, donec religio festi persolueret) Iudæi uiri religiosi, ex omni natione earum, quæ sub celo sunt (ad quas uidelicet maiores eoꝝ nunc captiuitate Assyriaca, nũc captiuitate Babylonica, e qua etsi multi, concedente Cyro, domum redierunt, plures tamen in regionibus exilii sui manserunt, nũc tyrannide Antiochi Epiphanis, hinc inde dispersi erant. Cũ ergo is rumor increbuisset, cõuenit multitudo & confusa est, ꝙ audiret unusquisq; lingua sua illos loquentes. Stupebãt autẽ omnes & mirabant dicentes inter se. Nõne ecce oẽs isti qui loquũt Galilæi sunt? Et quõ nos audim⁹ eos unusquisq; sua lingua in qua nati sum⁹? Parthi & Medi & Elamitæ (sic enim Persas uocãt ab Elam filio Sem filii Noe) & habitatores Mesopotamiæ, & Iudææ, & Cappadociæ, & Ponti & Asiæ, Phrygiæ & Pãphyliæ, Aegypti & partiũ Libyæ, ei⁹ quę est finitima Cyrenæ, et aduenæ Romani (nõ illi Ethnici, sed partim natura Iudęi Romæ habitãtes, partim, pselyti (hoc est) ex gẽtib⁹ ad Iudaicã religionẽ cõuersi) præterea Cretẽses & Arabes audim⁹ eos loquẽtes nostris linguis

» magnifica dei. Et omnes quidem quotquot aderant, ſtupebant & admirabant. Pars autē
» minime uanum quod gerebat, iudicantes dicebāt. Quid nam uult hoc eſſe? Pars autē irri
» dentes dicebant: Muſto pleni ſunt iſti. Viden' quid primū Apoſtoli ſuis concionibus effe
» cerint? certe, ut apparet, nihil aliud q̄ tumultū cōfuſionem & ſeditionē mouerūt: cōuenit, ait Lucas multitudo & confuſa eſt. Hoc pcul dubio interpretant principes & pontifices ſeditionē. Huc accedit, q̄ uiri quidebant religioſi, in errorem, per apoſtolos ita ducantur, ut neſciant, quā religionem tanq̄ uerā ſectari debeant. Hactenus aſſueti erant religioni Moſaicæ, multis nominib⁹ pbatæ, nūc audiunt nouā ab Apoſtolis p̄dicari, quā non omnino uanam e linguarū miraculo ſentiūt. Confundunt igitur intra ſe, & dicūt quid nam hoc nouæ rei eſt? nū alia ſectanda eſt religio? nū uetus relinquenda? Ita uides noua Euangelii p̄dicatione partim ſeditionem cōcitari, partim errore auditores implicari. Quis autem uel ſeditionis uel erroris auctor eſt? nū apoſtoli? non iuſſerāt illi, ut multitudo ſeditioſe cōgregaret, ſed p̄dicauerūt tantū turbæ forte obuiæ Chriſtū. Nū nouū Euangelion? at illo rectiſſima & ueriſſima, relicto errore, ad pietatem, perpetuamq̄ felicitatem uia docebat. Ergo multitudo populi ſua ipſius culpa ſeditioſe cōmouetur, & ſua incredulitate in errorem cōiicitur. Cur nō pacati & quieti noui Euangelii p̄dicationem audiūt? cur nō relicta ſua ſuperſtitione, Euangelio Chriſti fidem adhibent? Hæc enim ſi feciſſent nec concitata eſſet turba, nec in errores fuiſſent cōiecti. Prædicatur etiam his temporibus, nouum illud Euangelion, quod in die Pentecoſtes ab Apoſtolis in Hieruſalem ceptū eſt, & cū alii quidem ad ſeditionem adſpirent, alii autē tanto errore cōprehendantur, ut neſciant, quam religionem ſectentur, omnis ſeditionum & errorum culpa in Euangelion a pleriſq̄ reiici ſolet. Sed o ſtupor, o impietas. Euangeliō ſummæ pacis p̄dicatio eſt, Euangeliō ab omnibus erroribus liberat & in rectam ueritatis uiam ducit, pphani tamē homines tantæ impudenciæ ſunt, ut cum ipſi ſuis impietatibus, flagitiis & ſceleribus omniū malorum auctores ſint, audent tamen innocens Euangelion malorum accuſare. Ne igit nos una cū illis pereamus, agite amiciſſimi, capeſſamus Euangelii ueritatem, & fidem Chriſto habeam⁹ ut fide iuſtificati, ad omne opus bonum, deo acceptū, ducamur, & tandem ad uerā felicitatem perducamur in Chriſto Ieſu domino noſtro qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula Amen.

HOMILIA VIII.

Aud iniuria dilectiſſimi, dominus noſter Ieſus Chriſtus apoſtolos ſuos, lucem mundi uocat. Etſi enim hac potiſſimū cauſa iſto cognomine celebrantur, q̄ eam lucem, nimirū Ieſum Chriſtū, palam adnūciant, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hūc mundum, tamen alia quoq̄ ratione lucis mundi epitheton merent. Nam p̄dicatione noui ſui euangelii manifeſtant, reuelant & quaſi accenſo quodā lumine produnt, quanta ſit in humano corde maloꝝ lerna, quanta incredulitas, quanta deniq̄ rerū diuinarum ignorantia. Cum enim apoſtoli, dono ſpiritus ſancti nouū Euangelion de Ieſu Chriſto, primum nouis linguis, deinde inſolita & admiranda libertate, atq̄ magnanimitate palam in urbe Hieruſalē adnunctiarent, uide mihi, obſecro, quanta mala e receſſibus & latebris animorum hominū, hactenus ſub religionis titulo occultata, ſua prædicatione eruant. Qui ex omni natione conuenerant Pentecoſtes gratia ad Hieruſalem, ii uocantur uiri religioſi. Sed religioſi illi uiri audita & uiſa rerum euangelicaꝝ nouitate, partim obſtupeſcunt & errore quodam excæcantur, ut quid primū, aut quid poſtremū agant, neſciant: partim increduli irrident, & apoſtolos ebrietatis accuſant, dicentes, Muſto impleti ſunt. Quis exiſtimaſſet in religioſis uiris tantam latuiſſe, primum ignorantiam & errorem, deinde impietatem? Et hæc cordis mala, occaſione quadam reuelantur per Euangelii prædicationem. Vnde & Chriſtus dicit, Cum uenerit ſpiritus arguet mundum de peccato, De quo? de eo q̄ non credūt in me. Porro incredulitatem manifeſtans, omnia

alia

alia scelera, ex incredulitate prouenientia, manifestat. Atque Euangelion manifestat, eadem quoq; aufert & expurgat, si relictis erroribus & incredulitate, fides ei adhibeatur. Audiamus igitur nunc primicias Petri publicas (sic enim primam uoco concionem, quam de nouo Euangelio in frequenti hominum turba habuit) quibus depulso hominum errore, & indicato peccato, uiam ostendit, qua peccata purgantur, & uita æternaq; salus acquiratur. Principio autem ebrietatem musti excusat, deinde Iesum Christum explicat: Stans, inquit Lucas, Petrus cum undecim, extulit uocem suam, & locutus est eis. Videmihi admirabilem spiritus sancti potentiam. Petrus indoctus erat piscator, nunc audimus eum doctissimum oratorem & prophetarũ interpretem. Petrus antea, ne coram ancilla quidem stare audebat & Christum confiteri, nunc autem coram multis millibus in urbe celeberrima & frequentissima publice stat, & multa animi fiducia Iesum non solum cõfitetur uerũetiam prædicat, & recondito illo carnis gladio, quem nuper temeritate eduxerat, gladium spiritus, qui est uerbum Dei exerit, quo illos per quos inuadit, non perdere, non occidere, sed seruare, sed saluare conatur. Nonne manifeste uidemus diuini spiritus operationem? Nulla humana uirtus potuisset tam cito hominem immutare ac nouum reddere: quis ergo alteri uirtuti, q̃ diuinæ tam repentinã hominis mutationem ascribere posset? Cæterum priusquam audiamus Petrum nouum Ecclesiasten, uideamus quos secum habeat comites & dictorum suorum ueluti testes & adstipulatores. Stans, inquit Lucas, cum undecim. O ineptum, si externam speciem iudicaueris, collegium. Alius erat piscator, alius publicanus, alius alio nomine cõtemptus, omnes abiecti, omnes indocti & inglorij. Et isti duodecim tantum numero, rem conantur inauditam & incredibilem. Nitũtur enim omnium gentium religiones subuertere, nouam religionem instituere, potentissimos totius orbis imperio nouí regis Christi subijcere, sapientissimos mundi stultos reddere, atq; adeo totius mundi statum mutare? Quis non iudicasset ipsos prorsus deploratæ, non dico stulticiæ, sed insaniæ? At longe aliter deus iudicat, qui constituit eos orbis principes, quemadmodum in psalmo scribitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Et iterum: Principes Iuda duces eorum, principes Zebulon & principes Neptalim. Adhæc muniuit eos cælesti exercitu, ut manu spiritus sancti orbem inuadant, omniaq; in orbe immutent, & Christo regi subijciant. Quæ rite quoq; perfecerunt, & iam perfecta esse agnoscimus. Age igitur audiamus, quid Petrus, aliorum Apostolorum os, concionetur. Viri, inquit, Iudæi, & qui habitatis Hierosolymis uniuersi. Non uos solum ciues Hierosolymitanos, non uos aduenas solum, sed in uniuersum omnes uos qui nũc Iudaicam religionem profitemini alloquor. Hoc uobis notum sit & auribus percipite uerba mea. Nõ enim sicut uos existimatis hi musto ebrij sunt, cũ sit hora diei tertia. Et quis diluculo solet esse ebrius? Qui uino ebrij sunt, ad uesperam & noctu ebrij sunt, nõ mane seu diluculo. Quod ergo in me & in comitibus meis contigit: non ebrietate uini, sed ebrietate spiritus: non humana commessatione, sed diuino miraculo contigit. Hoc enim illud est quod dictum est per prophetã Ioël capite secũdo. Erit in nouissimis diebus dicit Dñs. Quid erit? Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Hactenus spiritus dona paucis communicaui. Soli Prophetæ diuinorum mysteriorum conscij, & futurarum rerum gnari fuerunt, ut Mose, Samuel, Elias, Eliza, Esaias, Oseas, Amos, Ioël, Micha, Hieremias, Ezechiel, & alij quidã, sed bene numerabiles. Pauci quoq; uisionibus futura uiderunt, ut quidam e numero prophetarum, pauciores per somniadeum cognouerunt, ut Daniel, & inter Ethnicos Pharao ac Nabuchodonosor, paucissimæ mulieres, paucissimi pueri, paucissimi serui reuelationibus diui

nis honorati sunt. Nunc autem, dicit Dominus, in nouissimis diebus quibus manifestabitur Euangelion Iesu Christi filij mei unigeniti, effundã dona spũs mei & cognitionem mysteriorũ meorum, non super unum aut alterum, sed super omnem carnem, super oẽs homines, cuiuscunq; ætatis, status, conditionis aut sexus
» fuerint. Nam filij & filiæ uestræ (hoc est) pueri adhuc, & pene infantes prophetabunt, & prophetæ efficientur, ut manifesto argumento comprobem, me nec ætatem puerilem, nec sexum muliebrem contemptui habere. Deinde iuuenes uestri & adolescentes uisiones uidebunt. Postremo, seniores somnia somniabunt. Vt plane nullam ætatem præteream, sed nec abijciam seruos & ancillas, qui alioqui inter homines sordidæ conditionis & contẽptæ sortis æstimantur. Nam & illis impartiar dona spũs mei ut prophetent, ut toti orbi declarem me non esse personarum respectorem. Num aũt ista tantum in die pentecostes misso in centũ uiginti, unà congregatos in cœnaculo Hierosolymitano spũ sancto impleta sunt, an & in alijs implentur? Sane in omnibus quotquot Christo credunt, implenda esse testantur ipsa uerba Domini per Ioël dicentis: Effundam de spiritu meo supr oẽm carnem. Et Hieremias quoq; ita scribens: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit ultra uir proximum suũ & uir fratrem suum dicens: Cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usq; ad maximũ, ait Dominus, quia propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum nõ memor ero amplius. Audis oẽs dũm per Iesum Christum cognituros, eo q; credant remissionem peccatorum sibi per Christum contigisse. Itaq; quod in die pentecostes in paucis discipulis clarissimis miraculis inceptum est, hoc deinde perficitur, sed absq; manifestis miraculis, in oĩbus Christo credentibus. Quid ergo istud est quod Ioël dicit: Prophetabunt, uisiones uidebunt, & somnia somniabunt? Num discipuli, postea q; acceperunt spũm sanctũ more ueterum prophetarũ futura adnunciauerunt? aut uisiones, sicut Ezechiel, uiderunt? aut somnia, sicut Daniel & Nebucadnezer somniarunt? At cũ Petrus hæc concionabatur, nullam adhuc uisionẽ uiderat, nec somniũ somniarat. Sed quid dico de Apostolis? quando inter eos qui credunt in Iesum Christũ, nullus fere uisiones diuinas (nam quæ de reuelationibus Brigittæ & aliorũ narrantur, fabulæ sunt) pro more ueterũ prophetarũ uideat aut somnia uera & diuina, sicut Daniel somniet. Vt hãc difficultatem explicemus uestræ charitati, nõ uehementer nobis laborandum erit, si agnoueritis morẽ prophetis peculiarem esse, q; uerbis legis & suorum temporum, describantres Euangelicas. Cũ enim adnunciaturi sunt, gentes in Christũ crediturας esse, dicunt oẽs gentes affluxuras esse ad montem Zion. Cum significaturi sunt fidem Christi in totum orbẽ spargendam fore, dicunt: In omni loco sacrificatur & offert nomini dei oblatio munda. Hæc enim uerba & res, uidelicet, ad montẽ Zion proficisci, sacrificare & offerre, suis temporibus & legis consuetudini apta sunt & conuenientia. Non igitur ineptum est, præsentibus uerbis absentes & nondũ reuelatas res significare. Nonne & nos de Turcæ religiõe locuturi, nostris uerbis Turcę sacra explicamus dicentes: Cum Turca missam suam aut uesperas suas celebrat, his aut his ritibus utit? cum apud Turcas nulla sit nec missa nec uesperæ, quẽadmodum a papistis obseruantur. Ita Ioël indicaturus, oẽs in Christũ credentes, cognitionem Dei, quantũ ad salutem satis est, habituros, per illa tria, prophecias, uisiones, & somnia explicat. Nam antiquitus, ante Christi aduentũ, deus cognitionẽ sui, tribus illis rebus uidelicet aut prophecia, aut uisionibus aut somnijs reuelauit. Ergo, dum Ioel significare uult, oẽs in Christũ credentes dei cognitionem habituros, uerbis suorum temporũ a suæ ætatis consuetudine mutuo acceptis, illud explicat. Vnde cũ

dicit

dicit, ſpũm effundendum eſſe ſuper oẽm carnem, ita ut & pueri prophetaturi, & adoleſcentes uiſiones uiſuri, & ſeniores ſomnia ſomniaturi ſint. Adhæc & ſeruos & ancillas ſpũs participes fore, nihil aliud ſentit, q̃ & pueros & puellas & adoleſcẽtes & ſeniores & ſeruos & ancillas (ſiquidẽ in Chriſto nõ eſt maſculus nec eſt fœmina, nõ eſt ſeruus, nõ eſt dñs, non eſt infans, nõ puer, nõ ſenex) per fidem in Chriſtũ Ieſum deũ cognituros, q̃ ſit remiſſor iniquitatũ, q̃ ſit pater, hæreditatẽ bonorũ cœleſtiũ credentibus collaturus, q̃ ſit auxiliator in oĩbus afflictionibus, q̃ ſit ſaluator, ac æternæ fœlicitatis donator. Hęc, qui de deo cognoſcit, habet uerã dei cognitionẽ, habet etiã ex hac cognitione uitã æternã. Sic enim dicit Chriſtus: Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te ſolũ deum uerũ, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ. Quæ cũ ita ſe habeant, pergamus ad reliqua quæ in propheta ſequunt: Et dabo prodigia in cœlo ſuperne, & ſigna in terra inferne, ſanguinem & ignẽ & uaporem fumi, ſol conuertet in tenebras, et luna in ſanguinẽ, antẽq̃ ueniat dies dñi ille magnus & illuſtris. Quæramus primũ, quis ſit ille dies dñi magnus & illuſtris, ſeu ut propheta habet, terribilis. Sic nõ difficulter inueniemus quæ ſint illa prodigia diem dñi magnum præcedẽtia. Nullus aũt maior dñi dies, nullus illuſtrior, nullus clarior in terris illuxit, q̃ dies reſurrectionis dñi noſtri Ieſu Chriſti. Eo.n. die deuictũ eſt peccatũ, & recuperata eſt iuſticia, eo die ſuccubuit mors, & uita ſuperauit, eo die inferni portæ concluſæ ſunt oĩbus credentibus, & ianua paradiſi ac regni cœleſtis aperta eſt, eo die oẽs afflictiones, calamitates, mortes & perditiones, ſanctificatæ ſunt, ut eſſent rectiſſima uia ad gaudia æternæ uitæ atq̃ ſalutis. Breuiter, eo die uicta ſunt oĩa mũdi mala, & omniũ cœleſtium bonorũ hæreditas credentibus p Chriſtũ parta eſt. Sed ut nullus dies credentibus acceptior & clarior illuxit, ita nullus unq̃ dies incredulis & impijs terribilior eſſe poteſt. Reſurrectione.n. Chriſti confundunt, pudefiunt, excęcant, perduntur, condemnant, & ſempiternis cruciatibus obijciunt. Itaq̃ diem illum dñi magnũ, illuſtrem & terribilem, cuius Ioel mentionẽ facit, non aliũ dicimus, q̃ reſurrectionis diẽ, ante quẽ prodigia quo q̃ a propheta Ioel cõmemorata, impleta eſſe cõperimus. Siquidẽ teſtant Euangeliſtę ipſo paſſionis Chriſti tpe, tenebras eſſe factas, ſup uniuerſam terrã, & obſcuratũ ſolem, præterea uelũ tẽpli ruptum, terrã motam, petras diſciſſas, & monumenta aperta eſſe. Quæ plane cũ prodigijs in propheta recitatis cõueniunt. Nam q̃ dicit: Dabo prodigia in cœlo ſuperne, qd aliud eſt, q̃ quod in eodẽ propheta ſequit: Sol conuertet in tenebras? Et Euangeliſtæ aiunt ſolẽ obſcuratũ eſſe. Deinde q̃ ait, dabo ſigna in terra inferne, illud ipſum eſt quod Euãgeliſtæ ſcribũt: Velũ templi ruptũ, terrã motã, & petras ſciſſas eſſe. Iam & hoc quod addit: Sanguinẽ, propheta explicat dũ dicit: Lunam in ſanguinẽ conuertendã, ſignificans lumen eius obſcurũ fieri, & lunã ſanguineam, nullã lucem de ſe emittentẽ apparituram. In paſſione.n. dñi nec ſol nec luna ſplendeſcebat, ſed erant tenebrę denſiſſimæ, quæ hoc loco p uaporem fumi intelliguntur. Ignem aũt, cuius hic fit mentio, quem alium diceremus q̃ fulgura? quæ ueriſimile eſt, etiamſi ab Euangeliſtis non commemorentur, in terræmotu de cœlo emicuiſſe, aut ꝙd probabilius, ſcintillationes illas, quæ dum petræ ſcindebantur, emicuerunt. Hæc ſunt illa prodigia & ſigna quæ diem Dñi magnum qui eſt reſurrectionis dies præceſſerunt. Et quanto terribiliora ſunt, tanto acceptior & gratior eſt credentibus inſequens dies, quo per Chriſtũ effectum eſt, ut ſpũ ſancto donati, libere nomẽ Dñi inuocare, & per inuocationem ſalutem adſequi liceat. De quo, quoniã paulo plura dicenda ſunt q̃ tẽporis ratio modo ferat, poſtea pro noſtra mediocritate, ueſtris precibus adiuti, diſſeremus. Quod nunc reliquum eſt, commendamus ueſtram charitatem clementiæ domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum patre & ſpũ ſancto deus benedictus in ſęcula, Amen.

Dies domini magnus & terribilis qui ſit.

HOMILIA IX.



Redo ego uos optimi in Christo fratres, uehementer admirari, quid sibi hoc uelit, quod Petrus ex propheta Ioële dicit: Omnis qui inuocauerit nomẽ Domini saluus erit, cum scriptura passim in multis locis testetur, nec inuocationem, nec clamorem orationum a deo semper exaudiri. Sic enim Dauid ait: Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos. Et apud Salomonẽ: Vocabunt me, ego uero non exaudiã. Quando & prius conquerit (ne existimes solos impios nõ exaudiri) dicẽs: Deus meus clamabo per diem, & nõ exaudies, & nec noctu sileo. Quæ cum ita se habeant, quid est ꝙ unicuiuis indiscriminatim nomen Dñi inuocanti, salus promittitur? Atquo minus de huius uel dicti uel promissionis fide atq; ueritate dubitemus, non solũ diuus Petrus hunc locũ a ꝓpheta Ioele mutuo accepit, uerũetiam magnus ille Paulus organum dei electũ, huius loci testimoniũ usurpauit, ita ad Romanos scribens: Oĩs qui fidit illi nõ pudebit, non eñ est distinctio uel Iudæi uel Græci, nã idem dñs oĩum diues in oẽs inuocantes se. Quisquis.n. inuocauerit nomẽ Dñi saluus erit. Necusurpat solũ simpliciter, uerumetiã explicat eũ gradatione quadã. Quõ (inquit) inuocabunt eũ in quẽ nõ crediderũt? quõ credent ei de quo nõ audierunt? Accedũt & alia ad huius dicti confirmationẽ, nõ dissimilia scripturæ testimonia. Nõ cõfundar, ait Dauid, qm̃ inuocaui te. Quid est, non confundar, nisi saluus ero? Et iterꝝ: Inuoca me in die tribulationis & eruã te, & honorificabis me. Cum igit ueritas huius dicti certissima sit, uideamus uerã sententię eius certitudinẽ, ut si quis maleferiatus suspicet dictũ esse uanũ aut mendax, ipse potius uanus & mẽdax inueniat. Principio uulgatũ est illud & oĩbus satis notũ ꝙ diuina p̃cepta, non sancta solũ opa externa, uerumetiã puritatẽ cordis requirunt. Necꝫ.n. pręcepto, de nõ occidendo, aut nõ furãdo, aut non cõmittendo adulteriũ satisfeceris, si tantũ manibus nõ fureris, aut nõ occidas, aut tantũ ope non designes adulteriũ, aiõ interi uarijs pessimisq; cupiditatibus obnoxio. Hęc.n. hypocritica legis impletio est, siquidẽ ut uere nõ occidas, nõ fureris, nõ cõmittas adulteriũ, necesse habes, ut cor fide & spũ sancto ab oĩbus inuidię, æmulationis, odij, inimiciciæ, auariciæ, tenacitatis, libidinis & id genus affectibus, expurgatũ, sanctũ ac mundũ factũ sit. In horꝝ ergo p̃ceptorꝝ numerꝝ refero nũc, docendi gr̃a, ꝙd dñs de noĩs sui inuocatione mandat: Inuoca (ait) me in die tribulationis & eruã te. Quodquid aliud est, ꝙ illud: Oĩs qui inuocauerit nomẽ dñi saluus erit? Nemo igit existimet se tũc nomẽ dñi uere inuocare, cũ multas preces ore effundit, aut altissimo tantũ clamore supplices ad cœlũ manus tendendo, dei auxiliũ postulat. Porro nec illa uera est noĩs diuini inuocatio, si quis etiã tacitus ardentissimo desyderio, citra tamẽ rectã fidem, subsidiũ dei ambit. Sic.n. clamauerũt illi, de qbus Dauid inquit: Clamauerũt, nec erat qui saluos faceret. Sic deũ inuocarunt, de quibus Salomon ait: Vocabunt me, ego uero non exaudiã. Sic ad deũ ardentissimo desyderio suspirant, oẽs auari, inuidi & libidinosi: illi quidẽ, ut multas opes, impostura sua corradãt: isti aũt, ut hostis aduersarius & inimicus ipsorꝝ, aut damno aut morte afficiat: hi ut cupiditatem suam libidinosam expleant. Ergo qui ita deũ inuocant, nõ inuocant. Si nõ inuocant, salutẽ non consequunt. Quæ est igit inuocatio salutifera? Quæ illa sit, primũ psalmus docet, inquiẽs: Prope est Dominus oĩbus inuocãtibus eũ. Quõ? Sequit: Oĩbus inuocantibus eũ in ueritate. Deinde Christus quoq; minime obscure significat, dũ dicit: Venit hora & nunc est, quãdo ueri adoratores adorabunt patrẽ in spũ & ueritate. Nam & pater tales quęrit qui adorent ipm. Spũs est deus & eos qui adorant eum, spũ ac ueritate oportet adorare. Accedit postremo huc

Paulus

Quod decalogus nõ tantum externa opera sancta sed etiam cordis sanctitatẽ requirat.

Vera nominis dei inuocatio.

Paulus dicẽs: Quõ inuocabũt eum in quẽ non crediderũt? Ergo, ut inuocatione salutẽ consequaris, necesse habes, nomen dñi in ueritate inuocare. In ueritate aũt inuocat cũ in spũ inuocat. In spũ aũt inuocat, non cũ in mente humana deus cogitat, & auxiliũ eius desyderat, sed cũ p spũm sanctũ credit, ꝙ deus sit misericors ꝙ sit clemens, ꝙ sit pater, ꝙ sit in oĩbus afflictiõibus auxiliator & saluator, & ex hac fide nomẽ eius inuocat. Porro nemo põt credere, deũ esse misericordẽ, clementẽ, patrẽ aut saluatorẽ, nisi credat in Iesum Chrm filiũ eius unigenitũ, & p fidẽ Christi filius dei efficiat. Etenĩ extra Christũ deus nõ est nisi terribilis tyrannꝰ et crudelis dãnator, ut uides in Cain, in hoĩbus diluuio pereũtibus in Sodomitis, oĩbusꝙ impijs extra Christũ cõstitutis. In Christo aũt & p Christũ efficit clemẽtissimus pr & misericordissimus saluator. Proinde is demũ uere nomẽ dñi inuocat, q p fidẽ in Chro renatus, factus filiꝰ Dei accepto spũ, p quẽ clamat, Abba pr, auxiliũ dei in aduersis ĩplorat, & q ita ĩplorat, salutẽ consequit. Hinc facile appa ret, nõ esse deo cultũ aliquẽ gratiorẽ noĩs sui inuocatiõe: nec quẽꝙ posse deo acceptius obsequiũ p̃stare, ꝙ si inuocet nomẽ eiꝰ in aduersis. Inuocãdo. n. summũ deo honorẽ exhibet, q ipi ab hoĩbꝰ exhiberi põt, uidelicet, ꝙ cõmendat deũ, ut uera cẽ, ut liberalẽ, ut clementẽ, ut misericordẽ, ut oĩpotentẽ, ut saluatorẽ, ut redẽptorem. Breuiter ut oĩum bonorꝝ autorẽ. Qui hęc deo tribuit, plus ei dat ꝙ si oues & boues ei offerret, aut oẽs facultates suas expẽderet, aut etiã uitã suã ei exhiberet. Sic dñs in psalmo dicit: Meæ sunt oẽs feræ syluarꝝ, iumenta in montibus, & boues. Cognoui oĩa uolatilia cœli, et puchritudo agri mecũ est. Si esuriero nõ dicã tibi, meus est. n. orbis terrę & plenitudo eius. Nũquid mãducabo carnes taurorꝝ & sanguinẽ hircorꝝ potabo. Immola deo sacrificiũ laudis, & redde altissimo uota tua. Inuoca me in die tribulationis & eruã te, & honorificabis me. Rursus uero nõ põt deus grauius offendi, ꝙ si in afflictiõibus. aut aliàs nõ inuocet. Primũ ꝙ qui nõ inuocat eũ, primũ p̃ceptum preuaricat. Illud em: Inuoca me in die tribulationis, ad primũ p̃ceptum ptinet. Igit si iudicas illũ grauit peccare, qui occidendo hoiem nõ obseruat mandatũ istud, Nõ occidas, & q furãdo res alienas nõ obseruat illud, Non fureris, quãto magis iudicãdus est, illũ multo grauius peccare, qui in afflictiõibus nõ solũ nõ inuocat deũ cõtra p̃ceptũ istud: Inuoca me in die tribulatiõis, uerũ etiã iudicio dei indignat & execrat. Deinde ꝙ deũ nõ inuocet, argumentũ est ipm nõ credere deũ esse ueracẽ, clementẽ, auxiliatorẽ et misericordem. Qui aũt hæc de deo nõ credit, nõne blasphemat deũ tanꝙ mendacẽ, uanũ et impotentẽ, qua blasphemia qd maius excogitari põt? Sed ais: Credo in Christũ, & p fidẽ in Christũ nomẽ dei inuoco, nõ tñ auxilij salutẽ adsequor, quid ergo faciã? Si incredulus talia dicit, mẽtitur ꝙ credat & ꝙ deũ inuocet. Si aũt credẽs, imbecilliter loquit. Idẽ quondã Christus ipse conquerebat dicẽs: Clamabo p diẽ & non exaudies, nec noctu silebo. In te sperauerũt patres nri, & liberasti eos, ad te clamauerũt & salui facti sunt, in te sperauerunt & nõ sunt confusi. Ego aũt sum uermis & nõ hõ, opprobriũ hoim & abiectio plebis. Idẽ & Dauid conquerit inquiens: Exurge quare obdormis dñe, exurge & ne repellas in finẽ. Quare faciẽ tuã auertis, obliuisceris inopiæ nrę & tribulationis nræ. Vt ad ista respondeam, aĩaduertendũ est, Dauidẽ oẽsꝙ pios noĩs dei inuocatores dũ conquerunt se non exaudiri, etiãsi clamauerint, nõ p sapientia spũs, sed p sensu & affectu carnis loq. Quia. n. nõ statim sentiãt diuini auxilij p̃sentiã, existimãt iuxta carnis opinionẽ deũ inuocationẽ ipsorꝝ non exaudire, nec auxilia eis cõferre, cũ certissimũ sit & ipos exauditos, et diuinũ auxiliũ p̃sto adesse, licet p hũano captu nondũ sentiãt. Vnde & Christus hunc affectũ, sicut alias hũanas infirmitates in se recepit, & dixit, se nõ exaudiri, etiãsi clamauerit. Sed eo ipso uicit, & docuit in se uincere huius affectus infirmitatẽ, ut etiãsi p̃sentiam diuini auxilij nõ sentiamus, tñ certissi-

Nullum cultum esse deo gratiorem in uocatione nominis sui.

Quantũ malum sit nõ inuocare deũ.

ma persuasione confidamus, & preces nras exauditas, & auxiliū diuinū præsto adesse, quē admodum hęc oia in Chro Iesu cōpleta esse cognouimus. Inuocemus igit nomen dñi, & in inuocatione pduremus, ut tandē salutē uerā assequamur.

Sed ips nunc est ut iterꝝ ad explanationē concionis Petri redeamus. Nā cū Petrus testimonio pphetæ Ioëlis excusasset ebrietatem comitū suorꝝ apłorꝝ, uidelicet, q nō essent ebrij musto, sed miraculo, de q Ioël pdixerat, fore, ut spūs phetię sup oēm carnem effunderet in nouissimis diebus, ut quicū q nō Iudæus solū, sed etiā Ethnicus: nō senex solū, sed etiā adolescens: nec adolescens tm, sed & puer: nō uir solū, sed & mulier: nō dns solū, sed & dna, seruus & ancilla, breuiter, qui cunq, cuiuscunq uel ætatis uel sexus, uel conditionis uel generis fuerit, nomen Dñi inuocauerit, saluus futurus sit. Nunc descendit ad explicandum principale concionis suæ argumentū, q d est, Dns nr Iesus Christus. Primū ut doceat, q auctore, & cuius merito tantū spūs donū effusum sit. Deinde ut indicet, p quē nomen
» dei inuocandū sit, & per quem uera æternaq salus acquirat: Viri, inquit, Israëli-
» tæ, audite uerba hæc: Iesum Nazarenum uirum exhibitū a deo erga uos uirtuti-
» bus & pdigijs & signis, q fecit p illum deus in medio uestri, sicut & ipi scitis, hūc
» » definito cōsilio & prescientia dei traditū, cum accepissetis per manus iniquorꝝ,
» crucifixum interemistis, quē deus suscitauit solutis doloribus mortis, quatenus
» impossibile erat teneri illum ab ea. Obsecro fratres, ut maxīe hæc simplicia & protrita uideant uerba, non tm simplr & oscitanter ea accipiatis. Siquidem tanta sunt qualiacunq nobis apparent, ut p ipsa aīæ circiter ter mille eo ipso die q hæc cōcio habita est, ad fidē in Iesum Christū cōuersæ sint. Cōmemorat aūt Petrus in hac concione pcipuos fidei nostræ de Iesu Christo articulos, & totius pene fidei de Christo breue cōpendium aut catalogū recitat. De Iesu, inquit, Nazareno uobis cōcionabor, de q primū ita credendum est, q sit uir a deo exhibitus uobis. Aīaduertis ne tacite his uerbis a Petro significari, Christū Iesum de spū sancto conceptum, & hoiem natum esse: Vir, inquit, a deo exhibitus, non ab alio uiro, sed a deo in hunc mundū missus. Nā q a deo missus sit, notius est ex miraculis, uirtutib⁹ & signis & prodigijs, q dum adhuc inter hoies uiueret ppetrauit, q ut cōprobari debeat. Et sunt hæc tā manifesta, ut nemo uestrū negare audeat. Scitis ipsi, & adhuc probe memoria tenetis, quātis miraculis claruerit, quātas uirtutes exercuerit, ut si alioqui ignotū esset ipm a deo missum, tū facta & opa eius illud testificarent. Deinde cū & doctrinā & ministerium seu legationē suā cœlestem miraculis & prodigijs satis abundeq testificatus esset, traditus est definito consilio & pscientia dei in manus iniquorꝝ per quas cū accepissetis eū, crucifixum interemistis. Iterꝝ audis a Petro fidei articulum proponi, nimirꝝ hunc: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Sed hic mihi uide, primū Petri ciuilitatē, deinde eius audacem in dicendo libertatē. Ciuilitatis est, q tametsi in auditores suos, factum cædis Christi, nō tū culpā eius, sed in autores potius reijcit, ac quodāmodo auditores excusat, accepistis, inquit, eum per manus iniquorꝝ totam culpā in iniquos illos & sceleratos hoies torqueo, qui uos eo impulerunt, ut innocentem interfecerit is. Vos persuasi eratis, uirum hunc Iesum hęreticum longe oim pessimū esse, & noie hæresis eum interemistis. Et si aūt iniquissime a uobis factum est, tamen culpā in autores potius, qui pithanologia sua uos deceperunt, q in uos factores transferā. Libertatis est, q ingenue & aperta fronte, homicidas Christi iniquos, hoc est, nequam & sceleratos homines uocat. Et qui fuerunt illi? Pontifices, Scribæ, pharisæi, Sacerdotes, Pilatus, Senatus & magistratus Hierosolymitanus. Vbi uero aut in quo loco uocat Petrus illos homines sceleratos? num in occulto? num in aliena ditione? num apud paucos, remotis arbitris? nequaquam, sed publice, in foro, in illorum urbe, in frequentissimo hominum

Quomodo recitet Petrus articulos fidei in sua cōcione.

minum cœtu. Homines huius sæculi iudicassent, hãc uocem temerariã, sedicio sam, conuiciatoriam, uirulentam, & ad crimen læsæ maiestatis pontificiæ atq; Senatoriæ spectantem. Iniquissime enim ferunt, si scapha scapha, ficus ficus, quemadmodum est in prouerbio, uocetur. Et cum suas iudiciarias sententias in publicos fures atq; latrones, quos etiam his uocabulis sic nominant, iustas ac legitimas haberi uolunt, non tanti iudicij sunt ut cognoscere queant uoces illas quas ipsi uocant uirulentas & conuiciatorias, uere in impios ac sontes a ministro ecclesiastico ex officio prolatas, non esse contumeliam, sed iustam reprehensionem: non conuicium, sed admonitionem, ut impij meliori cognitione sua resipiscentia sese dignos reddant. Cæterum, cum Petrus modo ageret Ecclesiasten in Hierusalem a spiritu sancto ordinatum, æquissimo iure homicidas Christi eo uocabulo nominat, quod suis sceleribus meriti erant. Nã si hoc quicquid est cognominis urit eos, resipiscant, pietatem capessant, & honestioribus nominibus celebrabuntur. Quod enim Petrus agit, ex officio agit: quod loquitur, ministerium est non conuicium, legittima reprehensio est, non contumelia, sibi qui tam atrociter peccarunt imputent, non Petro si quid liberius in eos dicitur. Iam nec hoc prætereundum est, quod Petrus ait, Iesum, definito Dei consilio, & præscientia traditum esse in manus iniquorum. Quibus uerbis partim tacitæ occurrit obiectioni, partim ostendit aduersariorum Christi impotentiam. Potuissent enim auditores Petro reclamare, & dicere: Quid loqueris Petre? Si Iesus a Deo missus fuit, & Dei uirtute tanta miracula designauit, quemadmodum tu nobis concionaris, cur Pilatus & pontifices quos tu iniquos seu nequam homines uocas, potentiores ipso fuerunt, ita ut morti eum tradiderint? Cur non uindicauit se e manibus illorum miraculo quodam? Cur Deus qui eum in hunc mundum, sicut tu dicis, misit, non adiuuit eum? Hanc obiectionem diluit Petrus dum dicit, Iesum traditum definito consilio & præscientia Dei. Significat enim, nec Pilatum, nec pontifices tantæ fuisse uel potentiæ, uel prudentiæ, ut potuerint suis uiribus Christo, uel pilum de loco suo mouere, id quod probauit toties e manibus eorum elapsus. Sed Dei consilium ita statuerat, ut filius eius in manus iniquorum ad tempus traderetur, donec supplicio suo pro mundi peccatis satisfaceret. Nisi enim Deus præsciuisset mortem filij sui maximum emolumentum & summam salutem orbi fore, nunquam tradidisset eum morti. Si non tradidisset eum morti, ne tantilli quidem doloris potuissent ei omnes aduersarij eius inferre. Quod ergo morti eum affecerint, bona Dei uoluntas, non potentia aduersariorum: consilium Dei, non prudentia iniquorum hominum: præscientia diuina, non prouidentia humana fuit. Deus enim per mortem reduxit eum, solutis doloribus mortis, in uitam fœliciſſimam, & subiecit omnia sub pedes eius, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. Quod in Christo capite gestum est, hoc idem subinde in membris quoq; eius impletur. Nihil enim pijs aduersi citra bonam Dei uoluntatem accidit. Et aduersarij, nec potentia nec sapientia sua quicquam mali eis inferre possunt, nisi definito Dei cõsilio, omnes enim pili eorum numerati sunt, & misit Dominus angelos in circuitu timentium eum, ut ipsos defendant. Et ut alius psalmus ait: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Itaq; si Dñs pios suos tradit in manus iniquorum, ut affligantur, non facit alio consilio, q̃ q̃ sicut Iesum Christũ filium suũ per mortẽ turpissimã ad resurrectionẽ & uitã glorioſissimã reduxit, ita pios in Christũ credentes p grauissimas afflictiões ad felicissima gaudia p ducturus est. Inuocemus igit̃ in afflictionibus nomen Dñi, & unà cũ Iesu dño nostro Christo patientes, certo cõfidamus nos cũ illo æternã gloriã adsecuturos, qui est unà cũ patre et spũ sancto bñdictus deus laudãdus in sęcula Amen.

Cur passus sit Christus sibi mortem à Iudæis inferri.

HOMILIA X.



Ergit Petrus, fratres amiciſſimi, in ſua concione, pergamus & nos in eius interpretatione. Nam cum reſurrectionem domini noſtri Ieſu Chriſti, rem uidelicet nouam, admirandam, inauditam, & humano quidem captu incredibilem, noſtræ autem fidei ſcopum atq; fundamentum in medium produxiſſet. Hunc, inquiens, Ieſum Nazarenum deus ſuſcitauit ſolutis doloribus mortis, quatenus impoſſibile erat teneri illum ab ea, ipſa rei neceſſitas poſtulabat, ut quod dixiſſet, teſtimonijs non ſolum fide dignis, uerumetiam probatiſſimis, atq; omni ſuſpicione carentibus firmaret. Itaq; nouã illam Chriſti reſurrectionem, primum probat Dauidis uaticinio, cuius autoritas tam certi, tamq; indubitati ſemp apud Hebræos ponderis fuit, ut uerba eius non niſi ſpiritus ſancti uerba credita ſint. Deinde confirmat eam ſuo aliorũ q; Apoſtolorũ teſtimonio, qui Chriſtũ reſurrexiſſe uiderũt, palparunt, cũ ipſo collocuti ſunt, unà ederunt & biberunt. Teſtimoniũ Dauidis tale eſt, Dauid. n. dicit de eo: Prouidebã Dñm corã me ſemp, qm̃ a dextris eſt mihi ne cõmouear: propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, qm̃ non derelinques animã meam in inferno, nec ſinas ut ſanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi feciſti uias uitæ, replebis me iucunditate cũ facie tua. Hęc uerba e pſalmo Dauidis iuxta noſtram rõnem. 15. iuxta Hebræoꝝ aũt. 16. ſumpta ſunt. In eo aũt pſalmo Dauid de Chriſto uaticinatur & ſpũ uidet, Chriſtum grauiſſimis mortis doloribus cõprehenſum, unde inducit ipſum ita loquentẽ: Prouidebã Dñm corã me ſemper, hoc eſt, Sentio quidem nunc mortis dolores, crudeli ſua tyrannide in me ſeuire, & interitũ meũ affectare. Attamẽ certo cõfido nunq; fieri poſſe, ut mors me captiuũ, ſicut alios homines teneat. Siquidem ſemper prouideo Dñm corã me, ſemper habeo Dñm ob oculos meos poſitũ, & cum is mihi a dextris ſit, meq; auxilio ſuo defendat, nunq; commouebor, nunq; in morte peribo. Quid aũt eſt uidere Dñm coram ſe, aut Dñm ſemper ob oculos habere? Poſſet quidem ita intelligi, q Chriſtus quia non eſt homo ſolum, uerumetiã deus, una ſemper cum deo ita coniunctus, & in unitate cũ deo ita compoſitus ſit, ut nec mors eam cõiunctionem et unitatem ſe parare potuerit. Sed quia Chriſtus, cum exinaniuiſſet ſeſe, forma ſerui aſſumpta & diminutus paululum ab angelis, adeo q; ab ipſo deo aliquantiſper derelictus eſſet, nullũ proprię & perſonalis ſuæ diuinitatis, in doloribus mortis auxilium ſenſit, ſed totum ſe in humanas imbecillitates coniecit, adeo, cum in hoc pſalmo dicit. Semper habeo Dñm ob oculos poſitũ, non de perſonali ſua diuinitate, ſed de fide & obedientia ſua, quam in aduerſis erga deum patrem habuit, loquitur. Habere erga Dominum ſemper ob oculos, aut prouidere deum coram ſe, nõ eſt imaginem dei e ligno aut auro effectam, oculis ſemper intueri, nec eſt dei pro humana conſuetudine ſemp meminiſſe, nec eſt hypocritica in honorẽ dei opera facere, ſed primũ, eſt dei promiſſionibus firmã adhibere fidem in oĩbus aduerſis, & nomen eius ex fide inuocare. Deinde eſt uerbũ eius ſemper ſequi, & id obſequio prẽſtare quod uerbo eius mandatum eſt. Deus. n. per ſe inuiſibilis eſt, ſed tamen uerbo ſuo ſeipſum manifeſtauit. Et quẽadmodum homo facie, ita deus uerbo ſuo cognoſcit. Vnde nõ abſurde nec inepte uerbũ, dei faciẽ, aut imaginẽ uocaueris. Porro, alio uerbo aliq d, pmittitur, alio aliq d mandat. Itaq; ſemp habet deꝰ ob oculos, dũ uerbũ eius ob oculos habet, hoc eſt, dũ corde uerbo ꝓmiſſionis eiꝰ creditur. & opere uerbum mandati eius exprimitur. Quid ergo deus pater promiſit filio ſuo Ieſu Chriſto? Audiamus uerba alterius pſalmi: Poſtula, inquit, a me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Et iterum.

» » » » » » » » » »

Teſtimoniũ Dauidis de reſurrectione Chriſti.

Habere Dñm ſemper ob oculos quid ſit.

Et iterum: Dixit Dominus domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorꝝ. Virgam uirtutis ſuæ emittit DOMINVS ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et quæ ſequuntur, nam notus eſt locus. Hæc aũt quid aliud ſignificant, q̃ deum patrem Ieſu Chriſto filio ſuo promiſiſſe oium gentium dominium, & uictoriam ſuper oẽs ſuos aduerſarios, ſiue carnales ſiue ſpirituales, adhęc gloriã, maieſtatem, felicitatem, & potentiam cum deo æqualem, inæternum duraturã. Quæ promiſſa cum Chriſtus ſibi ob oculos ſuos poneret, & fidem eis adhiberet, dicitur Dominum ob oculos poſitum habuiſſe. Quid aũt mandauit deus pater Chriſto filio ſuo? audiamus de hac re ipſa Chriſti uerba. Deſcendi, inquit ille, de cœlo, ut faciã non quod ego uolo, ſed quod uult is qui miſit me. Hæc eſt autẽ uoluntas eius qui miſit me patris, ne quid perdam ex oĩbus quæ dedit mihi, ſed reſuſcitem illa in nouiſſimo die. Hæc eſt autem uoluntas eius qui miſit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitã æternã, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Audis quale mandatum pater filio dederit, præcepit ei ut ſeruet & cuſtodiat credentes in uitam æternã, & in nouiſſimo die reſuſcitet eos a mortuis. Et aliàs: Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar, & ſcio q̃ mandatum eius uita æterna eſt. Et iterum: An non bibam poculum, quod dedit mihi pater? Hinc rurſus animaduertis deum patrem filio ſuo mandaſſe ut prædicaret Euangelion, & pro hominum peccatis ſupplicium mortis ferret. Et teſtatur ipſe Chriſtus ſe mãdata illa impleuiſſe dicens ad diſcipulos: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquã. Sed ideo (ſupplicium ſubibo) ut cognoſcat mundus q̃ dilígo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio. Et poſtea: Ego te glorificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi ut facerem. Itaq̃ cum Chriſtus conſtantiſſima fide in promiſſionibus patris ſui, in extrema derelictione, conſtiterit, & promptiſſima obedientia, mandatum eius executus ſit, factus obediens uſq̃ ad mortem crucis, recte hoc loco dicit: Prouidebam ſeu habebam Dominum ſemper ob oculos meos, qui & mihi a dextris eſt (hoc eſt) Dominus mihi præſto adeſt in omnibus afflictionibus, ſicut dicit: Cum ipſo ſum in tribulatione, Dominus mihi adiutor, Dominus mihi auxiliator, Dominus protector meus, Dominus petra mea, robur meum, ſaluator meus, ſcutum meum, cornu ſalutis meæ, eleuator meus, & refugiũ meum (Hæc enim omnia ſignificant id quod ait Dominus, mihi a dextris eſt) quomodo ergo fieri poſſet, ut commouerer: ut in morte perirem: & perditus derelinquerer: Certe nunquã fiet. Etenim caro mea requieſcet in ſpe, etiãſi corpus meum morti obiectum fuerit, tamen non peribit morte, ſed bona ſpe requieſcet. Quare? quia non derelinques animam meam in inferno, (audis rurſus unum ex articulis fidei noſtræ, qui eſt de deſcẽſu Chriſti ad infernum). Deſcendam quidem in infernum, ſentiam dolores inferni, & plane perijſſe uidebor, nõ tamen derelinques me in doloribus inferni, nec in perditione me auxilio tuo deſtitues. Sepulturæ quoq̃ tradar, ut pro aliorum hominum conditione æſca uermibus efficiar & putrefiam, ſed tamen nunquam committes, ut ſanctus tuus, ut filius tuus, quem ſolum in hoc munus ſanctificaſti, ut gloriam tuam hominibus manifeſtaret, & ſua paſſione credentibus eſſet ſanctificatio, iuſticia, & redemptio putrefactioni & corruptioni obnoxius fiat. Quin potius notas mihi facies uias uitæ. Reduces me de morte ad uitam, efficies, ut reſurgam tertia die ex mortuis. Nã apud te eſt theſaurus lęticiæ & in tua poteſtate ſita eſt oĩs iucũda & æterna fœlicitas. In te ſunt oĩa bona poſita. Itaq̃ facile concedes, ut in morte non peream, ſed iterum reſurgam. Proinde, quia talia mihi beneficia collaturus es, cor meum incredibili afficitur gaudio, & ut gratũ me erga tuam munificen-

tissimam liberalitatem declarem, enarrabo lingua mea, bonitatem, clementiam & misericordiam tuam, atq; oibus nomẽ ac gloriam tuam prędicatione mea manifestabo. Narrabo nomẽ tuũ fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Audiuimus amicissimi, testimoniũ Dauidis de resurrectiõe dñi nostri Iesu Christi. Audiamus nũc quid cõmodi & utilitatis ea res nobis afferat. Etẽ cũ Christus dicit, q̃ lingua sua uelit exultare, & narrare nomẽ ac gloriã dei fratribus suis in medio Ecclesiæ, haud obscure significat nobis quoq; eadẽ beneficia, eandem lætitiam, eandem exultationem, eandemq; fœlicitatem a deo patre per ipsum expectanda esse, si modo prouideamus corã nobis Dominũ, & deũ nobis ob oculos ponamus, quemadmodũ ipse Dominũ prouidit. Quid aũt sit deum prouidere, aut ob oculos hr̃e, antea dictũ est. Iussit aũt de⁹ pater, uerbo suo, ut in Chr̃m filiũ suum credamus, ut ipsum audiamus, ut ipsius uerbis ac prę̃ceptis obsequamur. Quod si in Christũ crediderimus, & obsequium ei præstiterimus, certe unà cum Christo uere dicemus: Prouidebam dominũ coram me semper, quoniã a dextris est mihi, non igitur cõmouebor, propter hoc lætatũ est cor meũ, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, & cætera quæ sequuntur. Sed redeamus ad concionem Petri, qui cum resurrectionem Christi testimonio Dauidis cõprobasset, intelligit quosdã obiecturos et dicturos, Dauidem in eo psalmo non de Christo sed de seipso loqui, ideo testimoniũ illud non esse satis firmum, sed potius ineptum & coactum. Itaq; ostendit nunc Dauidem non de seipso sed de Christo sibi promisso loqui, & ait: Viri fratres, quandoquidem licet libere dicere apud uos de patriarcha Dauid, q̃ & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius apud nos est usq; in hodiernum diem. Noui, inquit, Dauidem regẽ eximiæ sanctitatis fuisse, noui Dauidem maxima obseruantia dignum esse, sed non est tanti æstimandus, ut quod Meschiæ est, ipsi adscribatur. Nam q̃ oraculum psalmi non in Dauidem competat, res ipsa loquitur, siquidem Dauid defunctus quidem est, & sepultus, attamen nõ reuixit a mortuis. Sepulchrum eius adhuc apud nos est, nec quisquam unquam de ipso credidit q̃ resurrexerit, sed potius communi omnium consensu creditur, q̃ unà cum reliquis patriarchis & regibus in pace dormiat. De quo ergo loquitur Dauid? sequitur: Propheta cum esset et sciret q̃ iureiurando iurasset sibi deus futurum, ut de fructu lumbi ipsius quantum ad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius, præscius locutus est de resurrectione Christi, q̃ non derelicta sit in inferno anima eius, neque caro eius uiderit corruptionem. Non de seipso (inquit) Dauid loquitur, sed quia propheta fuit, & certo cognouit, q̃ deus iuramento pollicitus sit, se Christum suum de progenie eius exhibiturum, quantum ad carnem attinet, atq; in sedem regni eius, non quidem pro huiusmodi ratione & pompa, sed diuina quadam celebritate collocaturum. Sic enim ait: Iurauit dominus Dauid ueritatem, & non frustrabit eum, de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Hæc inquam, futura cognouit Dauid, ideo prophetico spiritu afflatus, uaticinatur de resurrectione Christi, qua sit regnum suum occupaturus. Iam cum de Christo loquitur, manifestum est ipsum de hoc Iesu Nazareno loqui: siquidem hunc Iesum suscitauit deus e mortuis, & in hoc ea consumauit, de quibus Dauid in suo psalmo uaticinatur. Cuius rei nos omnes testes sumus (est autem hoc alterum testimonium quo Petrus resurrectionem Christi comprobat) Nos enim uidimus illum uiuum, palpauimus non membra solum eius, uerumetiam cicatrices uulnerum eius, comedimus unà cum illo, & bibimus unà cum illo, familiares miscuimus sermones, ita ut certissimum sit ipsum a mortuis resurrexisse, ac uere uiuere. Nec surrexit solum, uerumetiam exaltatus est dextera Dei, & ascendit, nobis palã uidentibus in cœlum, ut cœlos penetraret, & super oẽs cœlos euaderet, ac

Alterum testimonium resurrectionis Christi.

deret,ac omnia impleret. Nam & hoc Psalmus testatur dicens: Ascendisti in altum,captiuam duxisti captiuitatem,accepisti dona quæ hominibus distribuere s. Siquidem Christus ad cœlum conscendens, & omnium rerum potens effectus, etiam hoc beneficium a Deo patre suo accepit,ut dona spiritus sancti quæ iam dudum adhuc uiuens promiserat,suis distribueret. Is igitur Iesus Christus, donum istud & miraculum diuersarum linguarum,quod uos ipsi uidetis & auditis,opulenter effudit, non tam ut promissionibus per ipsum & ante eũ per prophetam locẽlem factis satisfaceret,q̃ ut nouo hoc miraculo fines & pomeria imperij sui inter omnes gẽtes proferret. Quod si adhuc quis tergiuersetur, & neget ea quæ e psalmis de resurrectione & ascensione ad cœlos petita sunt, ad Christũ pertinere, sed tantum de ipso Dauide intelligẽda esse contendat, is manifesteua nitatis suæ conuincitur ex ipsius Dauidis uerbis. Non enim Dauid ascendit in cœlos,sed dicit ipse in eo psalmo,qui secundum nostram supputationem centesimus nonus habetur: Dixit Dominus Domino meo,sede a dextris meis,donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quid est sedere a dextris Dei, aliud q̃ in cœlos ascendere: per cœlos penetrare: super omnes cœlos euadere,omnia implere,omnipotentiam Dei assumere: adeoq̃ æqualem cum deo honorem gloriam & maiestatem occupare atq̃ possidere: Hæc certe nõ possunt de Dauide uerificari, & Dauid ipse testatur, talia non sibi, sed Dño suo ,uidelicet Christo,qui secũdum carnem de fructu lumbi ipsius exoriturus sit, dicta & promissa esse. Alioqui cur diceret: Dixit Dñs Dño meo: non sic loquitur qui sibi aliquid dictum esse affirmat. Itaq̃ certo sciat tota domus Israel, q̃ Dominum & Christum fecerit Deus,hunc Iesum quem uos crucifixistis. Ostendi breuibus in Iesu Nazareno quem uos crucifixistis,completa esse quæ prophetæ de Meschia seu Christo prædixerunt, uidelicet q̃ caro eius requieuerit in spe,q̃ Deus nõ dereliquerit animã eius in inferno,nec permiserit,ut putrefieret in sepulchro, sed ostenderit ei uias uitæ,atq̃ a morte suscitauerit. Declarauí insuper q̃ iuxta uaticiniũ spiritus sancti ascenderit in cœlos,& sederit ad dexteram dei patris, adeo q̃ effuderit miraculo quodam in nos donum spiritus sancti,ut loquamur alijs diuersissimisq̃ linguis, & unusquisq̃ uestrum suam linguam a nobis audiat. Itaq̃ certissima fide teneatis hunc Iesum Nazarenum uere a deo patre ordinatum & sanctificatum esse, ut sit uere ille Meschias seu Christus per tot prophetas promissus, & tanto tempore a nobis expectatus. Sit quoq̃ uere ille dominus,quem prophetarum miracula testificantur dominaturum super omnes gentes, a mari usq̃ ad mare,in medio inimicorum suorum,ut omnia subijciat sub pedibus suis,atq̃ regnum sempiternum possideat. Hæc prima est Petri publica concio,in qua breui quodã compendio nobis ob oculos ponit articulos fidei nostræ de Iesu Christo,quem dicit a Deo in hunc mundum missum,passum a Iudæis,sepultum,ad inferos descendisse,iterum ex mortuis resurrexisse,ascendisse in cœlum, sedisse ad dexteram Dei patris,& donũ spiritus sancti inter homines effudisse. Credamus igitur in Iesum Christũ, ut accepta per fidem peccatorũ remissiõe,Christus uere nobis fiat sapientia,iusticia,sanctificatio & redemptio, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.



HOMELIA XI.

Vdiuimus dilectissimi, Petri concionem, audiamus nunc cõcionis fructum. Audiuimus Iesum Nazarenum uerum illum Messiam esse,a patriarchis expectatũ, & per prophetas promissum, audiamus nunc uerum consequendæ per uerum illum Messiam seu Christum iustificationis modũ. Etenim ad illos Petrus uerba facit, qui aut insano ac im-

pio suo clamore Iesum Christum ad crucem postulauerãt, aut in necem eius consenserant. Proinde, quanto magis Petrus dignitatem, amplitudinem & maiestatem Christi explicauit, tanto magis crimen interfectorum Christi exaggerauit. Dixit enim: Cum accepissetis Iesum Nazarenum per manus iniquorum, crucifixum interemistis. Et in fine concionis: Certo sciat tota domus Israel, q̃ hunc Iesum quem uos crucifixistis, fecerit Deus Dominũ & Christum, quid hoc aliud est, q̃ quod quanto maior est Iesus, tanto maius est crimen eorum qui ipsum crucifixerunt. Est autem Iesus filius Dei, Dominus omnium creaturarũ, uerus Meschias, lux mundi, uia, uita, ueritas, resurrectio, Iusticia, sanctificatio, redemptio, adeo q̃ omnium diuinorum bonorum thesaurus. Ergo, qui Iesum crucifixum interemerunt, certe interemerunt filium dei, Dominum creaturarum, uerum Meschiã, lucem mundi, autorem uitæ, autorem omnis iusticię & redemptionis. Magnum scelus reputatur, interficere fratrem, quemadmodũ Cain occidit Abelem, unde & sanguis eius de terra ad cœlum clamare dicitur. Maius scelus est patrem occidere. Vnde & ueteres supplicium in patricidas singulare excogitauerunt. Insui uoluerunt in culleum uiuos, atq̃ ita in flumen deiici. Ex magnitudine pœnæ facile intelligitur magnitudo sceleris. Maximi autem sceleris iste reus efficitur, qui non parentem corporis sui, sed parentem animę, creatorem cœli & terræ, filium dei, & omniũ saluatorem interficit. An putas maius, horribilius, sceleratius & incredibilius crimen excogitari posse? Num tanti sceleris ulla est apud Deum remissio? Profecto, Dominus non absq̃ causa sceleratissimos peccatores, ad primam Petri concionem adduxit, ut cum animaduertamus, & q̃ isti homicidæ, immo Deicidę iustificentur, ac remissionem peccatorum consequantur, & quomodo iustificẽtur, ac quomodo remissionem peccatorum consequantur, in maximam spem ducamur, & erudiamur, nos quo q̃ quamlibet magnos & sceleratos peccatores, iustificationem consecuturos, si resipiscentię horum exemplum ex fide imitemur. Quid ergo post Petri concionem de illis homicidis fit? aut quid agunt? His, inquit Lucas, auditis, compuncti sunt corde, & dixerũt ad Petrũ & reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Principio animaduertendum est, quo ordine maximi illi peccatores iustificentur, & remissionem peccatorum impetrent. Etenim omnium primum Petrus concionatur ipsis, de scelere, quod designarunt in Iesum. Deinde explicat, quis sit Iesus, uidelicet uerus Messias, & omnium creaturarum Dominus. Homicidę igitur Iesu audiunt concionem Petri, & agnoscentes crimen suum, compunguntur corde, terrore maximo afficiuntur, horribili timore percelluntur, atq̃ adeo flamma ignis inferni accenduntur. Id quod unusquisq̃ secum ipse coniectare potest, quantus terror illi iniiciatur, q̃ homicidij, aut alterius pessimi criminis sibi cõscius fit. Cain fratricidam perpetuus terror insecutus est. Parricidas furor & amẽtia sæpe exagitauit. Iudam proditio ad laqueum coẽgit. Ex quibus intelligitur, quanti terrores in conscientia malorum uersentur, si aperte se criminis reos agnoscant. De qua re audiamus etiam Dauidem, ita dicentem: Miserere mei Domine, quoniã infirmus sum, sana me Domine, quoniã conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est ualde. Et postea: Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Et alibi: Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Nonne manifeste ex his uerbis intelligis, quãtæ turbæ, quanti terrores, quantæ compunctiones, quanti horrores sint in conscientia peccatoris, magnitudinem suorum scelerum agnoscentis? Et tamen Dauid sibi tantum conscius erat adulterij semel perpetrati, & homicidij unius innocentis quidem, hoīs tamen priuati & subditi sui. Quantos ergo putas horrores fuisse in illorum

Magnitudo peccati à Iudæis cõmissi.

in illorum cordibus, qui iam agnoscebāt se reos homicidij Meschiæ & filij dei? Atq; hi quidem terrores cōmunes sunt pijs & impijs. Etenim, quemadmodum Iudas proditor compungebatur corde, peccatum suum agnoscens, ita & audito res Petri. Et ut Cain ob fratricidium suū domesticis horroribus exagitatus est, ita & Dauid aliquāto tpe ob suum homicidiū horrore concussus est. In medē dis aūt cōscientiæ terroribus, & in curādis illis horroribus, pij atq; impij maxīe distinguunt. Nam impij non conuertunt ad Dūm, nō respiciunt ad auxilium dei, non adspirant ad fidem, non credunt remissionem peccatorum per Christum, ideo desperant, ut Cain & Saul, & ad laqueos festinant, ut Achitophel & Iudas. Pij autem ad Dominum conuertuntur, non ad laqueos, & quærunt a Domino suorum terrorum remedium. Vnde Petri auditores dicunt: Quid faciemus uiri fratres? Non omnes quidem hoc dicunt, sed compuncti corde, & qui a Domino auxilium expectant. Nā qui aut securi sunt, aut desperati, longe alio animo sunt præditi. Securi, ut pontifices & pharisæi, insanierunt potius in Petrum & alios Apostolos, q; ipsos homicidij reos facerent. Sic enim postea ad Apostolos dicūt: Ecce replestis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Et cum deinde a Stephano uocarentur proditores et occisores iusti, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum, non cognoscentes peccatum, sed indignantes tanq; insontes in accusatorem, & talia quidem agunt securi, & legis diuinæ contemptores. Alij autem, ut sunt hypocritæ, cauteriatam conscientiam, nullam autē Euangelij cognitionem habentes, terroribus peccatorum correpti, continuo animum despondent ac desperāt, & nonnunq; sibi ipsis mortem consciscunt, existimantes mortem malorum suorum remedium fore. Quo affectu etiam Hiob tentatus est, capite. 7. ita inquiens: Terrebas me somnijs, & uisionibus obstupefaciebas me, ut eligeret suspendium anima mea, mortem, omnia ossa mea. At qui ad ueram salutem aspirant, hi nec securi in accusatorem inuehuntur, nec desperati laqueos cogitant, sed dicunt: Quid faciemus uiri fratres? agnoscimus nos interemisse authorem uitæ, agnoscimus nos interfecisse uerum Meschiam, agnoscimus nos peccatores longe omnium maximos, non unum, sed plures infernos optime meritos, & indignissimos quos terra ferat. Quid ergo faciemus? num desperabimus? num suspendemus nos? at hoc nihil aliud esset quàm scelus sceleri addere, & maximum flagitium maiori flagitio augere. Itaque consulite nobis quid faciendum sit, ut e maximo illo peccato liberemur, & salutem consequamur.

In quo differāt pij ab impijs, cum cōscientiæ terroribus medemur.

Arrigamus, obsecro, & nos aures, ut percipiamus, quid Petrus sceleratissimis illis peccatoribus, et Christicidis cōsulat, ut remissionem peccatorum adsequantur & iustificentur. Sic autem ait: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Quid audimus? Expectabamus Petrum ipsos admoniturum, ut omnibus diebus uitæ suæ nudis pedibus incedant, laneo tantum uestiantur, aquam potent, rudi pane uescantur, in longinqua peregrinētur, monasticam religionem profiteantur, Missas instituant, & alia id genus opera exerceant, quę procul dubio hypocrita quispiā pharisæus suasisset, si modo suasisset, & non potius magnitudinem scelerum irremissibilem significasset. Nihil istiusmodi rerum a Petro audimus, sed simpliciter dicit: Resipiscite & baptizet unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Quid est resipiscere? quid est baptizari in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum? Resipiscere est peccata agnoscere, peccata horrere, peccata odisse, & peccatorum turpitudinem detestari. Baptizari autem in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, est credere, q; per Christum remittantur peccata, & bap-

tiſmo aquæ tanquam ſignaculo beneficium remiſſionis peccatorũ accipere, & de eo beneficio certificari. Aduerte obſecro, quam plana, quam directa, quam ſimplex ſit uia conſequendi remiſſionis peccatorum, & ueræ iuſtificationis. Petrus coram ſe habebat, ut dictum eſt, maximos & ſceleratiſſimos peccatores, hos igitur iuſtificaturus, non aliud ipſis iniungit, quam ut agnoſcant ea peccata quæ deſignarunt, & deteſtentur illa. Deinde credant ſibi omnia ſua peccata remitti per Chriſtum Ieſum, & ut hanc remiſſionem certo ſigillo conſequantur, baptizari eos iubet in nomine Ieſu. Quod ſi fecerint, continuo promittit eis donum ſpiritus ſancti, dicens: Et accipietis donum ſpiritus ſancti. Hui, tam cito? adhuc a recenti cæde Chriſti propemodum calidi erant, & audet Petrus eis per fidem tantum & baptiſmum, ſpiritus ſancti donum promittere? cum tamen nondum purgati erant, uel ieiuniis quadrageſimalibus, uel peregrinationibus, uel aliis expiationibus? Scilicet, Petrus clementiſſimus pontifex fuit, quod tam cito, & pro tam paucis, ut apparet, ſatisfactionibus, maximorum ſceleru remiſſionem promittat. Nullos pro indulgentiis extorquet nummos, nullum ſibi reſeruat caſum, quemadmodum hi ſolent qui gloriantur ſe Petri ſucceſſores, ſed oſtendit & pollicetur omnibus gratuitam peccatorum remiſſionem per Chriſtum. Addit præterea promiſſionem doni ſpiritus ſancti, quale donum ipſe & alij Apoſtoli iam acceperant, uidelicet, ut non ſolum uariis linguis loquerentur, uerumetiã, ut ſpũ renouati, in nouitate uitæ ambularẽt, & deinceps, non ea quæ carnis, ſed quæ ſpiritus ſunt agerent. Deniq; ut nequaquam dubitarent, quin uera & certiſſima ipſis promitteret, adiungit. Vobis facta eſt repromiſſio & filiis ueſtris. Quæ eſt illa repromiſſio? non eſt alia quam Ieſus Chriſtus, de quo Abrahamo promiſſum eſt, quod in eo ſint omnes gentes benedicendæ, & quod, ut propheta ait, iniquitates hominum portaturus ſit. Duplici ergo nomine ad uos pertinet Chriſtus, & remiſſio peccatorum per Chriſtum, primum, quia eſtis de ſemine Abrahæ, cui Chriſtus promiſſus eſt. Deinde quia eſtis peccatores, atq; adeo maximi. Venit autem Chriſtus, ut iniquitates peccatorum portaret, & pro tranſgreſſoribus apud patrem ſuum intercederet. Iam nec ad uos ſolum pertinet Chriſtus, uerumetiam ad omnes qui longe ſunt, quoſcunq; aduocauerit Dominus deus noſter. Longe ſunt gentes quod fuerint abalienatæ a Republica Iſraëlis, extraneæ a teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes, deoq; carentes. Tametſi autem gentes nullã habeant de Chriſto promiſſionem, nec ullum diuinum teſtamentum agnoſcant, tamen haud obſcure Dominus, qui non eſt perſonarum reſpector, in ſcriptura ſignificauit, ſe aduocaturum gentes, ut in Chriſtum credant, & per fidem illius beneficijs fruãtur. Itaq; non ad uos ſolum Iſraelitas pertinet Chriſtus, uerumetiam ad omnes gentes quotquot ipſum per fidem recepturæ ſunt. Atq; hoc de gentibus Chriſtum recepturis, addit Petrus, nõ ut nouo terrore auditorum ſuorum Iſraëlitarum conſcientiam excruciet, quaſi peccatorum remiſſio quæ eſt per Chriſtum, ad ipſos non pertineat, ſed amplificat liberalitatem & magnitudinem Chriſti, quod etiam gentes beneficia Chriſti per fidem conſequentur, ut quo amplior & magis expoſita ſit Chriſti liberalitas, eo maiorem & certiorem fiduciam concipiant, ſe per Chriſtum remiſſionem peccatorum, iuſticiam aeueram ſalutem adſecuturos, etiamſi horribilia et inexplicabilia ſcelera deſignauerint. Etenim, ſi ad gentes peruenturus eſt Chriſtus, quibus tamen non eſt promiſſus, quanto magis, huius beneficia accipient Iſraëlitæ (ſi modo fide ipſum complectantur) de quorum ſemine uenturum, omnia prophetarum oracula teſtata ſunt? Ita Petrus auditoribus ſuis, non ſolum oſtendit uiam conſequendæ remiſſionis peccatorum, uerumetiã munit conſcientias ipſorum, ne dubitẽt de beneficio Chriſti, & de remiſſione

Modus iuſtificandi.

missione peccatorũ. Alijsq; uerbis plurimis testificatus est,& exhortatus est eos dicens: Seruemini a generatione ista praua. Quæ obsecro generatio ista praua est,quam Petrus fugiendam monet,& ut auditores eius illæsi ab ea seruentur,exhortatur? Audierat Petrus a præceptore suo Iesu Christo, pharisæos, scribas, Sadducæos, pontifices, sacrificulos,& quicquid est huius fecis, generationem prauam,peruersam & adulteram uocari. Proinde epitheto præceptoris sui utẽs, monet auditores suos,ut caueant a pharisæis & pontificibus,ut fugiant illorum doctrinã,ut impia illorum dogmata reijciant, ne una cũ ipsis pereant,sed ueram salutem consequantur. Monet autem ut illorum doctrinæ ualedicant, non ob uanam aut contemnendam causam. Siquidem pharisæi, sacrificuli,& pontifices longe aliam iustificationis & remissionis peccatorum uiam, populo inculcabant,quam Petrus modo e spiritu sancto docuerat. Etenim pharisæi crepabant suas traditiones humanas,& docebant populum,q; lotiones manuum, oblationes,sacrificia,holocausta,longę orationes,ieiunia,eleemosynæ,& alia manuum nostrarum opera,essent pro peccatis satisfactoria, & qui ea faceret, consequeretur propter ipsa remissionem peccatorum, iusticiam coram deo, sanctificationem & æternam uitam. Interim de fide,qua Abraham iustus coram deo reputatus est,& ex qua iustus,secundum prophetam,uiuit, decq; semine illo Abrahæ, in quo deus omnibus gentibus benedictionem promiserat, ne gry quidem dicebãt sed potius semẽ Abrahæ,quod est Christus Iesus,in quo gratuita benedictio seu remissio peccatorum per fidem habetur, paulo ante persecuti fuerant, & Christum crucifixerant,atq; adeo adhuc in Apostolis & discipulis suis extrema inuidia persequebantur. Petrus autem aliam remissionis peccatorum & iustificationis rationem peccatoribus proposuit. Docuit enim ut peccatores qui iusticiam & salutem quærunt,primum peccata sua agnoscant,peccata odio habeãt, & peccatorum turpitudinem detestentur. Deinde ut credant in Iesum Christum,quod per ipsum gratis absq; ullis operum meritis,remissionem peccatorum cõsequantur, & quo illam remissionem certo signaculo recipiant, baptizentur in nomine Christi. Est enim baptismus certum signum quo Christum induũt quotquot in eum credunt, ut Paulus dicit: Quotquot baptizati estis Christum induistis. Postremo ut fide in Christum iustificati & purgati,accipiãt donum spiritus sancti, cuius uirtute reliquias peccatorum expurgent,& opera carnis mortificent. Hæc est uera iustificandi ratio, hanc rationem ignorant pharisæi,nesciunt pontifices,immo audiẽtes,q; doceatur,peccata gratis remitti per fidem in Christum, exclamant ad crucem doctores fidei,hęreseos accusant,& eos tanquam seductores condemnant. Itaq; recte monet Petrus auditores suos, ut a fermẽto pharisæorum caueant,& doctrinam illorum,non dico periculosam, sed plane pernitiosam,mortiferam,& in misericordiam dei per Christum clemẽter exhibitam, blasphemam fugiant. Cæterum, q; Petrus suos auditores monet, hoc idem nos monendi sumus,ut seruemur a generatione praua. Etenim nostri quoq; pharisæi & sophistæ aliam iustificandi & consequendæ peccatorũ remissionis uiam docent,q; spiritus sanctus docuit. Siquidem peccatorem quem uolunt iustificare, non ad Christũ per fidem remittunt,sed ad opera manuum suarum,& monẽt ut omnia sua peccata exacte coram sacrificulo enumeret,multas missas uel legat uel instituat,longas orationes precetur, aliquot diebus ieiunet pane & aqua, ad diuorum templa peregrinetur, pauperibus quosdam nummulos in eleemosynã distribuat. Sic enim fore ut propter hæc opera,ut ipsi dicunt, operata, & merita remissionem peccatorum consequatur, & his bonis operibus pro peccatis suis satisfaciat. Sed quid hęc doctrina fiduciæ operum aliud est q; blasphemia in sanguinem Domini nostri Iesu Christi: qui ideo pro peccatis nostris sanguinẽ suũ

Quæ sit generatio prauа, & quare fugienda.

Baptismus quid sit.

effudit,& mortuus est, ut esset pro peccatis satisfactio & propitiatio, quã fide in ipsum gratis absq; ullis operum meritis acciperemus. Hic est enim uerus iustificandi modus, quem Petrus hoc loco auditoribus suis prescribit, uidelicet, ut primum peccata agnoscamus,& peccata horreamus ac detestemur (hoc enim est dictorum pœnitentiam agere) Deinde, ut credamus peccatorum remissionem nobis per Christum fide gratis contingere, cuius rei certissimum sigillum habemus, quod est baptismus quo semel abluti sumus. Postremo, ut per fidẽ iustificati, & donati spũ sancto, opera carnis mortificemus, & bonos pœnitentiæ fructus proferamus, non ut fructibus illis peccata expiemus,& pro ipsis satisfaciamus, cum illorum Christus tantum satisfactio sit, sed ut obediamus uocationi diuinæ, & fidei nostræ testimonia habeamus, adeoq; iustificationem fide acceptam publice declaremus. Sic enim fiet, ut iustificati per fidem, æternam salutem adequamur per Christum Iesum Dominũ nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

Vera ratio iustificandi.

HOMILIA XII.

SImile est, inquit Christus, regnum cœlorum uerriculo iacto in mare,& ex omni genere piscium cõtrahenti, quod cum impletum fuisset, subduxerunt in littus, & sedentes collegerũt quæ bona sunt in uasa, quæ uero mala, foras abiecerũt. Quæ parabola de uniuersa quidem Euangelij prędicatione dicta est, maxime autem in primam illam Petri concionem quam antea audiuimus, competit. Erat enim Petrus quondã piscator, & iaciebat unà cum fratre suo Andrea rete in mare. Sed audiunt a Christo: Sequamini me,& faciam uos piscatores hominum. Ecce aũt quod uerbis promissum fit, hodie re ipsa in Petro egregie compleri cœptũ est. Etenim cum spũs sanctus in discipulos Christi effusus esset,& loquerẽtur diuersis linguis, Petrus noui sui artificij specimen daturus, uerriculum iacit in mare, non uerriculum ex lino compositum, sed e uerbis per spũm sanctum consarcinatis, prædicationem, inquam, Euangelij de Iesu Christo, qua congregauit ad se omnia hominũ genera. Erant enim eo die, quemadmodum antea Lucas cõmemorauit in Hierusalem congregati uiri ex omni natione. Cum igitur uerriculo prædicationis suæ oĩa piscium genera, non in mari, sed quod mirum est, in arida terra, contraxisset, & uerriculũ fere impletum uideretur, quod angeli in consumatione sæculi facturi sunt, hoc Petrus aliquatenus nũc post primã suam concionem præoccupat. Subducit eñ uerriculum in littus, & sedens colligit bonos pisces in uasa sua, malos autem foras abijcit. Sic enim Lucas ait: Qui libenter acceperunt sermonẽ eius, baptizati
» sunt,& accesserunt in die illo animæ circiter ter mille. Hic est primus piscatoris
» tractus, quo inuenti sunt ter mille boni pisces. Hoc post spũs sancti missionẽ initium est Ecclesiæ Christianæ, quã opere preciũ est uidere, quibus auspicijs primũ condita & instaurata sit. Non audis phaleratã huius sæculi eloquentiã, non philosophicas argutias, nec audis gladios, nec hastas, nec tormenta bellica, ne forte rem uiolentia actam suspiceris. Sed audis simplicissimã piscatoris prædicationem de Iesu Christo crucifixo,& per crucem ad uitam restituto. Audis prædicationem resipiscentiæ fidei in Christum & baptismi, idq; uerbis plane piscatorijs, hoc est, uulgaribus, contemptis & abiectis. Attamen felicissimus est illius prædicationis prouẽtus. Vno die ter mille in Iesum Christum baptizantur. Ter mille subditi nouo regi Christo nomina sua dant & in leges eius, ut sic loquar, iurant. Hic iam incipiunt compleri iucundissima illa oracula, quæ Prophetæ de monte Sion uaticinati sunt. Erat enim mons Zion in Hierusalem, in qua Euãgelij prędicatio reuelata est. DOMINVS, inquit Dauid, diligit portas Zion super omnia

omnia tabernacula Iacob,glorioſa in te,ciuitas Dei,prædicabunt. Et poſtea: De Zion dicetur, q̃ omnia hominum genera in ipſa naſcitura ſint, & q̃ altiſſimus eam ædificet: Dominus efficiet,ut uarijs linguis prædicetur,ut illic aliqui renaſcãtur. Et Eſaias,cui & Micheas ſubſcribit: Erit in nouiſſimis dieb⁹ præparatus mons domus domini in uertice montium,& eleuabitur ſuper colles,& fluent ad eum omnes gentes,& ibunt populi multi,& dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini,& domum dei Iacob,& docebit nos uias ſuas,& ambulabimus in ſemitis eius,quia de Zion exibit lex,& uerbum Domini de Hieruſalem. Et iterum: Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem,annunciantis bonum,prædicantis ſalutem,& dicentis ad Zion regnat deus tuus. Tametſi autem Eſaias de omnium Apoſtolorũ prædicatione,quemadmodum Paulus exponit,uaticinetur,tamen uerbis ſuis haud obſcure ſignificat, ſe ſpiritu ſuo Petrum in Hieruſalem uidiſſe ſtantem,& Euangelion pacis de Ieſu Chriſto adnunciantem. Vnde ſumma cum admiratione prædicat eum auditoribus gratiſſimum & acceptiſſimũ eſſe. Accedit huc & Ioël, ita de his temporibus prophetans: Dominus de Zion rugiet,& de Hieruſalem dabit uocem ſuam,& mouebuntur cœli & terra,& Dominus ſpes populi ſui,& fortitudo filiorum Iſraël, & ſcietis,quia ego Dominus deus ueſter habitãs in Zion in monte ſancto meo, et erit Hieruſalem ſancta,& alieni non tranſibunt per eam amplius. Et erit in die illa,ſtillabunt montes dulcedinem,& colles fluent lacte. Adijciam adhuc unum uaticinium (quis enim omnia enumerare poſſet,& ſi quis hoc conaretur,neceſſe haberet omnes prophetas ex ordine recenſere) quod in Zacharia ſic legit: Hæc dicit Dominus Zebaoth. In diebus illis apprehẽdent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam uiri Iudæi dicẽtes: ibimus uobiſcum, audiuimus enim,quoniam deus uobiſcum eſt. Nõne hoc oraculum tunc compleri cœptum eſt,cum auditores Petri dixerunt: Quid faciemus uiri fratres? & quod tunc cœptum eſt,adhuc in opere perſeuerat,perſeuerabit q̃ uſq̃ ad conſumationem ſæculi,ut quotquot Ieſum Chriſtum fide amplectantur, uideantur ad Apoſtolos, qui Chriſtum prædicauerunt,dicere,ibimus uobiſcum, audiuimus enim quoniam deus uobiſcum eſt. Et hactenus quidem de Chriſtianæ Eccleſiæ inſtauratione ſeu renaſcentia,quæ facta eſt per uerbum fide acceptum, cui adiectum eſt baptiſmi ſignaculum. Nunc autem uideamus quos fructus noua illa fides Euangelio habita,& donum ſpũs ſancti per fidem acceptum,in renatis proferat: Erãt (inquit Lucas) perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum,& communicatione & fractione panis, & prædicationibus. Ingentes audimus fructus, non enim ocioſum eſt Verbum Euangelij fide acceptum, nõ ocioſus eſt ſpũs ſanctus per Euangelion exhibitus. Siquidem ut Paulus ait: Euangelion eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Ita q̃ ubi nullus ex audito Euãgelij uerbo fructus prouenit, argumentum eſt Euangelion non eſſe fide exceptum. Vbi autem non eſt fides, non eſt ſpiritus ſanctus, Vbi non eſt ſpiritus ſanctus, qui poſſunt ſancta produci opera? Fallunt igitur ſeipſos qui putant ſe Euangelio credere,& interim turpiſſimis ſceleribus ſeipſos contaminant, prætexentes, neſcio quam libertatem. Nam qui ſint ueræ fidei fructus, e moribus Eccleſiæ recẽs natæ animaduertere licet. Principio qui baptizati erant, perſeuerabant in doctrina Apoſtolorũ. Qui enim uere ex fide renaſcunt, non agitantur quouis doctrinæ uento, nunc doctrinę Euãgelicæ adhęrentes, paulo poſt ad phariſaicum fermentũ relabentes, interim & nonnullam e gentilium religione uoluptatem capientes, quales ſunt qui noſtro tempore, nunc Euãgelion, nunc papiſticam religionem amplectuntur, nũc Sacramentariorum, nũc Anabaptiſtarum errorem ſectantur. Tales mores non fert uera fides, ſed efficit ut perſeuereẽ in doctrina Apoſtolorũ. Apoſtolorũ, in-

Fructus ex Euangelij prædicatiõe prouenientes.

quam,non in doctrina Phariſçorum, non in doctrina Sophiſtica aut Papiſtica. Deinde alius quoq; fructus in renatis profertur, perſeuerant enim in cõmunicatione & fractione panis, quod partim de cõmunione cœnæ dominicæ, partim de cõmunione bonorũ, quæ inter ſe ad cõmunem uictũ contulerunt, intelligi poteſt. Cõmunio enim cœnæ dominicæ, ut fidem cõfirmat, ita miro quodã modo charitatem erga proximũ alit. Etenim in fide accipientes corpus dominicũ, et bibentes de ſanguine Chriſti, atq; cognoſcentes quanta beneficia nobis illic Chriſtus Ieſus conferat, non poſſumus nos continere, quin & beneficia noſtra in proximum effundamus, propter quem Chriſtus noſter mortuus eſt, & in quem beneficia collocare Chriſtus iuſſit. Sed ex hoc loco patrocinãtur errori de cõmunione alterius tantum ſpeciei cœnæ dominicæ hypocritæ in papiſtico regno. Dicũt enim Eccleſiã recens natam, non niſi altera ſacramenti dominici ſpecie, uidelicet pane uſam, propterea q̃ hoc loco ſcriptum ſit, in fractione panis, & nõ additum, in potu calicis. At uani homines non uident, mentione panis, cõmuni loquendi cõſuetudine, omnia quæ ad eſum & potũ neceſſaria ſunt, intelligi. Ad hæc, uſus cœnæ dominicæ, nõ ex illis paucis uerbis, ſed ex inſtitutione Chriſti requirendus eſt, ubi diſertis & expreſſis uerbis dicitur: Bibite ex eo oẽs. Poſtremo cõſtat Eccleſiam ſemper uſq; ad papiſticum regnũ, ambabus ſacramẽti ſpeciebus uſam fuiſſe, quod nimirum nõ fuiſſet factũ, ſi Chriſti inſtitutio ſtatim ab Apoſtolis immutata eſſet. Quare relinquamus iſtas impiorũ hominum nugas, & probe teneamus Apoſtolos, & totã Eccleſiam, ſacramẽto cœnæ dominicæ, nõ iuxta ſomnia papiſtica, ſed iuxta inſtitutionem Chriſti uſam fuiſſe. Ad extremũ perſeuerãt in orationibus. Hæc eſt forma ueræ Chriſtianæ Eccleſiæ, nõ ubi uariæ celebrãtur Miſſæ opinione papiſtica, nõ ubi uariæ ceremoniæ ad parãdam iuſticiam exercentur, ſed ubi perſeueratur in doctrina Apoſtolorum, in uero uſu ſacramentorum, in beneficentia erga pauperes, & in orationibus. Cæterum, cum tam ſubito ij qui Euãgelio credebant, in nouos hoies transformarẽtur: obortus eſt omni animæ timor. Admirabantur enim omnes, qui fieret, q̃ tam repentina metamorphoſis, ex auditu nouæ prædicationis de Ieſu, homines multo alij q̃ antea fuerãt prodirent. Et qui prius erant auari, impoſtores, inuidi, oſores, libidinoſi, ſcortatores, ebrij, & maledici, nunc omnino mutati, efficiebantur liberales, benefici, beneuoli, amici, ſancti, caſti, ſobrij & candidi, nec aliunde magis noſcibiles q̃ de emendatione uiciorum priſtinorum. At q̃ his notis manifeſtabantur Chriſtiani recens ex Euangelio renati. A quorum moribus cõſydera obſecro, quantum abſint multi (non enim de omnibus loquor) qui noſtro ſeculo inſyncere & impure Euangelij nomen uſurpant. Hi enim non alia re ſuam fidem, quam non ueram habent ſed fingunt, probare ſolent, q̃ eſu carnium, in feria, quam uocant, ſexta, contemptu confeſſionis, neglectu precum, abominatione ieiunij, & totius propemodum religionis faſtidio. At alios fructus, alios mores parit uera Euangelij fides. Mortificat (non enim iam enumerabo conſcientiæ bona, quæ ex Euangelio credenti proueniunt) membra noſtra terreſtria, ſtuprum, immundiciam, molliciem, concupiſcentiam malam, auariciam, iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam, mendacium, & omnino expoliat nos ueteri homine, ornat nos nouo, ut induamus uiſcera miſerationum, comitatẽ, modeſtiam, manſuetudinem, lenitatem, & ſuper omnia charitatem. His rebus cõfitenda eſt fides Euangelij. His notis diſtinguendus eſt fidelis ab infideli, ſanctus a prophano, Euangelicus a Papiſtico. Nam & his notis internoſcebantur olim Chriſtiani ab Ethnicis idololatris. Itaq; ſi quis nunc Euangelio fidem adhibet, faciat uocationem ſuam certam, proferat Euangelij fructus, ut morum ſanctitate nomen Dei & Euangelij per ipſum glorificetur, & ipſe in fructibus, tanquam in

Communio Cœnæ dominicæ quantũ bonum ſit, et quod ex hoc textu Papiſtæ male probent unam tantum ſpeciem.

,,
,,

quam in certis signis, ueritatem fidei suæ agnoscat. Cæterum, cũ nouitas rei omnes homines in Hierusalem admirabundos & attonitos redderet, comprehendebantur etiam magna formidine, ne quicquam aduersus Euangelio credentes auderent, aut mali quippiam illis inferrent, Domino sic operãte, ut omnes non tam uulgus q̃ magistratus & pontifices, reuerentia, & maiestate populi illius, qui ex Euangelio renascebatur, a uiolenta persecutione initio deterrerẽtur. Hic uides, uere illud impletum esse, quod Dñs Israëli, terram Chanaan ingressuro promittit dicens: Hodie incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur. Etenim qui Euangelio de Iesu Christo credebant, hi uere ingrediebantur terram promissam. Ita q̃ omnibus ita formidini sunt, ut nemo in eos uel manum inj cere, uel saltem hiscere audeat. O manum Domini stupendam, O potentiam Dei inæstimabilem. Potentissimus urbis Hierusalem magistratus, fastuosissimi pharisæi, & ingens uulgi multitudo, imbellem populum, inermem gentem, pauciſſimum pręipsis populum, timent, formidant, ad conspectum eorum trepidant & exhorrescunt. Fecit autem illud DOMINVS hoc consilio, ut manifesto argumento significaret, se toti orbi terribiles & formidabiles reddere, quotquot uocationem diuinam ex fide sectantur. Id quod etiam in Patriarcha Iacob comprobatum est, qui cum ex uocatione Domini ad Bethel, cum inermi sua familia proficisceretur, terror dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & nemo ausus est persequi recedentes, quemadmodum scribitur in libro Geneseos capite tricesimo quinto. Porro admirationem & stuporem Iudęorum etiam illud augebat, q̃ multa prodigia & signa per Apostolos ædebantur. Etenim sicut legis ministerium initio multis & magnis miraculis confirmatum & consignatum est, ita multo magis oportebat Euangelij ministerium miraculis confirmari & consignari, donec authoritatis suæ maiestate non solum uenerabile, uerum etiam probatum redderetur. Nunc cum nos quasi per manus Euangelij ministerium acceperimus, nemo a nobis miracula requirat. Ministetium Euangelij nostri per Apostolos prædicati, iamdudum ita confirmatum & probatum est, ut si angelus, quemadmodum Paulus inquit, e cœlo aliud Euangelion uobis prædicauerit, præter id quod prædicamus de gratuita remissione peccatorum per Iesum Christum, anathema sit. Et si quis omnino miraculorum uidẽdorum cupidus est, producimus ei miracula ab Apostolis facta, quibus illi nostrum ministerium confirmarunt. Quod si propter illa, ministerio nostro fidem non adhibet, nec unquam adhiberet, etiamsi sexcenta miracula ipsi operaremur. Sed audiamus quid sequatur: Omnes qui credebãt erant coniuncti, & habebant omnia communia, possessionesq;, & substãtias uendebant, ac diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Quid hoc? ergo ne Christianorum interest, ut omnia sua uendant, & in commune conferant? aut si hoc non fecerint, Christiani non sunt? Absit. Si enim illud necessario in Christianismo requireret, Paulus Corinthijs scribens, non dixisset: Qui emunt, sint tanquam non possideant. Sed dixisset potius: Nolite quicquam nec emere nec possidere. Nec postea scripsisset: Vnusquisq; largiatur secũdum propositum cordis, non ex molestia aut ex necessitate. Nam hilarem datorem diligit Deus. Sed potius ita scripsisset: Vnusquisq; uestrum, si uolet esse Christianus, uelit, nolit, omnia bona sua in commune conferre debet, & nihil proprium sibi possidere. Quin nec ipse Paulus penulam suam retinuisset, nec Thessalonicensibus quibusdam nihil operis facientibus præcepisset, & obsecrasset per Dñm nostrũ Iesum Christum, ut cum quiete operantes, Suum, suum inquam, ipsorum panem edãt. Et quid illud est quod Philemoni quoq; seruum fugitiuũ remittit. Etenim, si

Miracula nunc non esse opus.

Christianis non liceret proprias substantias habere, multo minus liceret seruos quales inter Ethnicos fuerunt, possidere. Cum autem Paulus Domino Philemoni seruum suum remiserit, nec mandauerit ei ut manumittat illum, alioqui se non agniturum ipsum Christianum, facile conijcimus, Philemonem nec ab alijs suis substantijs, prætextu Christianismi ab Apostolo eiectum fuisse. Et ad quid DOMINVS hoc mandatum dedisset: Non fureris, si non liceret proprias habere possessiones? Quid ergo sibi uult q̃ initio qui Euangelio credebant, diuenditis possessionibus, omnia communia habuerunt? Exemplum narratur, quid illi fecerint, non statuitur præceptum, quid ab omnibus semper faciendum sit. Ab omnibus quidem hoc requiritur, ut unusquisq; diligat proximum suum, & ex dilectione adiuuet eum pro sua facultate, consilio, doctrina, opibus, breuiter quibuscunq; rebus potuerit, & illum indigere cognouerit. Hoc autem non requiritur ab omnibus, ut diuenditis facultatibus in cœnobium conferant. Et licebit quidem, ut aliqui inter se possessiones suas communes habeant, quemadmodum qui initio credebant Euangelio fecerũt. Sed non licebit e singulari quorundam facto, præceptum uniuersale condere. Iam & Euangelica paupertas, non est uenditio facultatum, sed non auarum esse, non confidere opibus, & non difficilem esse ad impartiendum. Sic Paulus ait: His qui diuites sunt in præsenti sæculo præcipe, quid? an ut penitus diuitias relinquant? minime, sed ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut benefaciant, ut diuites sint operibus suis bonis, & faciles sint ad impartiendum, libenter communicantes, recondentes sibijpsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam uitam. Ita pauper erat Abraham, cum erat, ut scriptura ait, diues ualde in possessione auri & argenti. Ita pauper erat Hiob in maximis diuitijs, Dauid in regno ditissimo. Ita q̃ non necessarium est, ut facultates uẽditas in commune conferamus. Necessarium autem est ut auariciam & imposturas fugiamus, & liberaliter egentes opibus adiuuemus, tunc enim etiamsi possessionum administrationem in manu nostra retineamus, tamẽ coram Domino uere omnia communia cum proximis habemus.

Num necessaria sit rerum communio.

Euangelica paupertas.

» Sequitur autem: Et quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes
» per singulas domos panem, inuicem sumebant cibum cum exultatiõe & simpli-
» citate cordis laudantes deum, & habentes gratiam apud omnem plebem. Perdurabant, inquit, in templo, quid illic faciebãt? num pro peccatis suis sacrificabãt? at iam gratis per Christum acceperant remissionem peccatorum. Orabant igitur, ut Dominus & fidem & charitatem in ipsis augeret, ut ecclesiam suam recẽs conditam conseruaret, & quod ceperat in paucis adhuc, in pluribus compleret, errantes in uiam reduceret, cæcos corde lumine fidei donaret, & id genus alia. Iam cum in templo non, ut orare, ita cœnam dominicam obseruare licebat, singulæ domus, singulæ Ecclesiæ efficiebãtur. Frangebant enim seu distribuebãt panem dominicum, iuxta institutionem Christi, in singulis domibus, mortem & beneficia Christi commemorantes. Vnde exhilarati, etiam cõmunem cibum cum exultatione & simplicitate cordis sumebant. Hic enim est fructus fidei, q̃ reddit conscientiam eximiæ tranquillam, pacificatam, exhilaratam, exultabundam, & plane cœlesti gaudio ita ebriam, ut quicquid negocij egerit, seu aduersi patiatur, omnia summa lætitia & agat & sufferat. Præterea reddit per charitatem mores simplices, candidos & synceros, ut iuxta prophetam, lupus habitet cum agno, pardus cum hedo accubet, & uitulus ac ursus simul pascantur. Atq; adeo tota uita nihil aliud sit, quàm continua Dei laus, & optimarum uirtutum doctrina. Hinc & illi gratiosi & accepti redduntur apud omnem plebem, non quidem apud Pharisæos & Pontifices, quibus præ inuidia

nemo,

nemo,nisi ipsi sibi, gratiosus est, sed apud omnes bonos & honestos uiros. Ita uides,eos hominum quoq; assequi gratiam,qui per fidem, dei gratiam assequuti sunt. Hocigitur summo studio curemus,ut per fidem,dei fauorem cõparemus, sic enim sua sponte fauor hominum nolẽtium uolentium sequitur. Hinc Iacob curabat,ut haberet propicium Deum. Itaq; tametsi socer eius Laban hostili animo ipsum insequeretur,tamen coactus est a deo Iacob genero suo fauere. Sed ut tãdem finem sermonis faciamus,rogate obsecro DOMINVM, ut sicut ad confirmandos animos eorum (qui nomen suum initio ex apostolica prædicatione Christo dederant,quotidie addebat congregationi,qui salui fierent.) Ita & hoc tempore quo idem illud apostolorum uerbum prædicamus,addat congregationi nostræ qui salutem cõsequantur per Christũ Iesum Dñm nostrum qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

CAP. III. HOMILIA XIII.



Vdiuimus, dilectissimi,quos fructus, quas uirtutes, quos mores, spiritus sanctus in ijs, qui recens Euangelio crediderunt,protulerit. Audiamus nunc,quomodo Dñs quotidie plures catalogo credentium adiecerit,qui per fidem salutẽ consequerentur. Et quõ nouã Euangelij prædicationem nouis & admirãdis miraculis per Apl'os confirmauerit. Hæc.n. est summa prædicationis Euangelicæ,q; per nullam legem, per nulla legis opera, per nullã humanã industriam, per nullã iusticiã,per nullum nomen, nisi per solum nomen & iusticiã DOMINI nostri Iesu Christi,remissionem peccatorũ, iustificationem & salutem consequamur. Et cum hæc prædicatio, oẽs reliquas in toto orbe religiones,quæ per opera iusticiã quærũt pessundet & conculcet,necesse est eam esse testatissimã & confirmatissimã. In qua re cum maxima momẽta habeãt miracula,uideamus nunc,quod miraculũ Dñs per Petrum & Ioannem ad Euangelij confirmationem operatus sit. Simul(inquit) Petrus & Ioannes ascendebãt in templum ad horã precationis nonam. Quã dissimiles mores pariunt caro & spũs. Alij.n. adhuc carnales, ad horã uergentis diei nonam, non ad templum,sed ad publica conuiuia: non ad precationem, sed ad spectacula publicorũ ludorum ascendunt. Petrus aũt & Ioannes modo spũ sancto donati,in templũ ad precationem ascendunt, num ut precationum suarum opere, peccatorum remissionem consequerentur? num ut propter orationes suas iustificarentur? Absit. Modo enim per fidem in Christum,peccatorũ remissionem consecuti erant, & in Christo iustificationem suam possidebant. Cur igitur ad orationem ascendunt? Primum,ut deo obedirent qui mandauit,sine intermissione orandum esse. Deinde ut fides,quam habebant orationibus, quasi fomentis magis accenderetur. Postremo,ut in templum ubi erat magnus hominum conuentus ascendentes, occasionem captarent,iterum prædicãdi de Iesu Christo, & gloriã nominis eius illustrãdi. Primus retis iactus Petro egregie ceciderat, ita q; oẽm lapidẽ mouet, oẽm occasionem captat,ut iterum aliquos uerriculo prędicationis suæ conclusos, ad nomen Christi attrahat. Ecce autem opportunissima sese occasio offert. Etenim uir quidã qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabat, quẽ ponebãt quotidie ad portã templi,quæ dicitur speciosa,ut peteret eleemosynã ab introeuntibus in templũ. Hic mihi siste gradũ,amice, & primũ impietatẽ phariseorũ & negligentiã, neq d grauius dicã, magistratũ Hierosolymitani paulo diligẽtius cõsydera.

Nam in lege dicitur: Omnino indigens & mendicus non erit inter uos. Et ut hęc lex obseruari posset, ordinatum erat a Domino, ut tertio quoq; anno singulares decimæ darentur, & segetes ac racemi aliquot in agris & uineis relinquerentur, ut illa magistratus in usum aduenarũ, pupillorum & uiduarum colligeret. Erãt etiam collectæ, quas uocant, institutæ, ut in cõmunem fiscum unusquisq; pro facultate sua pauperibus aliquid conferret. Sed uide iniquitatem pharisæorum & magistratus. Hi enim nullam pauperum curam habentes, hoc solum agebant, ut menta & cyminum recte decimarẽtur, & quæ ad usum pauperum ordinata erãt, ea pro sua libidine, uel ad ornanda templa, uel ad muniendam urbem, alioscq; hypocriticos & ciuiles usus transferebant. Vnde factum est ut contra legem regio ipsorum mendicis plena fuerit, quod propter contemptum pauperum ingens argumentum futuræ deuastationis, quæ postea accidit, erat. Est & nostra regio medicis plena, quod nihil boni portendit. Nam cum initio decimæ & collectæ inter Christianos hac causa institutæ sint, ut in usum pauperum, orphanorum, uiduarum, & ministrorum Ecclesiæ cederent, nunc ita dissipantur, ut nemo minus emolumenti e decimis percipiat, & quibus maxime illę deberentur. Et quia iterum decimæ apud nos, communi Christiani orbis & magistratus consensu, in ciuiles usus ordinatæ sunt, & contractus ciuilis e decimis factus est, nulli quidem licet priuata temeritate talem ordinationem cõuellere: interim tamen non sunt negligendi pauperes, sed quia eis subtractæ sunt decimæ, alijs ordinationibus & sumptibus ipsis omnino subueniendum est, alioqui, quo maior crescet numerus mendicorum, eo propior nobis accedit regionis deuastatio, quemadmodum in Iudæa factum est. Et de Sodomitis, præter alia scelera, etiam hoc scribitur, quod egeno & pauperi manum non porrigebant, propter quod incendio perierunt. Ad hæc cum in lege dicitur: Non sit inter uos mendicus, additur, quia benedicet tibi DOMINVS deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. Ergo ubi sunt mendici, argumentum est, nullam ibi pauperum curam haberi, unde DOMINVS maledicit regioni illi, ut aut grando fruges depopuletur, aut bello deuastetur. Habeamus igitur pauperum curam, ut Dominus nostri curam gerat. Sed redeamus ad nostrum mendicum. Is cum uidisset Petrum ac Iohannem ingressuros in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Est enim & sua mendicis prudentia, & probe norunt, non esse oportunius, homines de eleemosyna compellare, quam dum ingrediuntur uel egrediuntur templa, quod eo tempore religiosiores uideri uelint. Defixis autem in eum oculis Petrus cum Iohanne, dixit: Aspice in nos. Quid sibi uult Petrus hac iussione? certe nihil aliud quam ut mendicum attentum reddat, ut probe animaduertat, unde, & quomodo aut quo nomine ei contingat sanitas, ut postea sciat cui gloriam dare & beneficium acceptum ferre debeat. At ille intendebat in eos, sperãs se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, In nomine Iesu Christi surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, erexit eum. Protinus autem cõsolidatæ sunt plantæ illius ac tali, & exiliens stetit & ambulabat, intrauitq; cum illis in templũ inambulans, & saliens, ac laudans Deum. Et uidit eum totus populus ambulantem & laudantem deum, agnoueruntq; illum, q̃ ipse esset is, qui ad eleemosynã sederat ad speciosam portã templi, & impleti sunt admiratione & stupore super eo, quod cõtigerat illi. Principio nos quoq; magna admiratione corripimur qui fiat, q̃ Dominus tantum miraculum per Petrum & non per alium Apostolum meliorẽ Petro operet. Iam & scriptura postea cõmemorat, q̃ multi in plateas exportarent infirmos, & ponerẽt in lectulis ac grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Quid ergo q̃ Petrus ubiq; primas inter Apostolos

Curamen dicũm.

ſtolos tenet? cum tamen alij Petro iuſtiores uidebantur, quippe qui non negauerunt Chriſtum ſicut Petrus, iuramento & execratione? At ſi conſilium dei agnoſcamus, nō magnopere admirabimur. Dei enim conſilium eſt, ut per iſtud miraculum, non homines, non Apoſtoli, ſed nomen Ieſu Chriſti, & doctrina Euangelij de Ieſu Chriſto glorificetur & illuſtretur. Itaq; pro organo huius miraculi aſſumit, Petrum Chriſti quondam abnegatorem, ut manifeſte cognoſceretur, miraculum non cōtingere humana Petri iuſticia. Quā enim iuſticiam haberet ex ſe abnegator Chriſti, ſed diuina nominis Chriſti potentia, & homines diſcerent, non in nomen Petri, ſed in nomē Ieſu Chriſti, cuius uirtute miraculum iſtud factum erat, confidere. Nam & poſtea Petrus cum omnibus propter miraculum eſſet admirationi in concione ſua, miraculum a ſe in Chriſtum reiecit, dicens: Quid nos intuemini, quaſi noſtra uirtute aut pietate effecerimus ut hic ambularet? Sic enim Dominus eligit imbecillia in mundo, ut nō gloriaretur coram ipſo ulla caro, ſed ſolus ipſe glorificetur. Et Paulo dicitur: Virtus mea per infirmitatem perficitur. Itaq; quo aliquis abiectior & cōtemptior eſt, hoc magis confidat, quod deo curæ ſit, & multo commodior, per quem gratia Dei illuſtretur, quam ſi eſſet omnium nobiliſſimus, et ſumma ueneratione ab omnibus habitus. Poſt Petrum, obſecro, hominem illum claudum et mendicum, propius mihi contemplemur. Etenim cum hic homo ex utero matris iam ultra quadrageſimum ætatis ſuæ annum, quemadmodum Lucas poſt hoc commemorat, claudus eſſet, & neceſſe haberet, primum, ob corporis uitium, a baiulis geſtari, deinde ob pauperatem ab alijs uictum & amictum emendicare, uidebatur ſane, & deo inutilis, quippe qui ad nullum diuinum miniſterium aptus erat, & proximis ſuis moleſtus, a quibus et geſtari & gratis enutriri debebat, & ſibijpſi maximo oneri, quod tam diuturno uitio, uelut carcere captiuus tenebatur. At hic initio tam inutilis homo uiſus, ad extremum, & deo & toti Chriſtianæ Eccleſiæ, tam commodus & utilis redditur, ut per ipſum, nomen Chriſti, quo ſanitati reſtituitur, glorioſiſſimū fiat, fama q; eius latiſſime ſpargatur, & multi hoc miraculo moti ad fidem Chriſtianam accedant. Itaq; ſi quis pauper & mendicus nobis proponitur, qui apparet nulli rei commodus, nec deo nec mundo utilis, non præcipiti noſtro iudicio eum reiciamus, aut pedibus conculcemus. Etſi enim nobis non apparet commodus, deus tamen nouit, quantæ utilitatis homo ſit. Nonne & is homo, qui apud Iohannem Euangeliſtam triginta & octo annis morbo tenebatur, plane humano iudicio, nec deo nec hominibus, nec ſibijpſi utilis apparebat? At tamen Chriſto erat commodiſſimus, per quem gloriam nominis ſui illuſtraret: & quo abiectior erat coram mundo, eo acceptior erat Chriſto. Proinde ex hoc mendico primum diſcamus neminem quantumuis abiectum contemnere, neminem faſtidire, ſed quemadmodum deus, quo quis in mundo abiectior eſt, eo maior cura ipſum complectitur, ita nos fauore & auxilio noſtro contemptiſſimos quoſq; foueamus. Deinde, hinc quoq; diſcamus, in oībus afflictionibus quantūuis diuturnis, quantūuis multo tpe durantibus, bene confidere. Ex promiſſione.n. diuina certiſſime cognoſcere licet, neminem qui in deum credit, & bonitate eius per Chriſtum cōfidit, pudefieri. Id quod huius mendici exemplo cōprobatur. Qui cum pluſquam quadraginta annis aduerſam ualitudinem toleraſſet, tandem tñ mirabiliter ex ipſa liberatus eſt, & quo diuturnius fuit corporis uitium, eo glorioſior uenit liberatio. Poſtremo obſeruabis hic maxime omnium potentiam nominis Chriſti, Petrus enim in nomine Ieſu Chriſti Nazareni claudo præcipit, ut ſurgat & ambulet. Et ecce ad nomen Chriſti continuo claudus exilit, ambulat & laudat deum. Quid ergo eſt nomen Chriſti? non aliud eſt quam ipſe Chriſtus, uel potentia, uel maieſtas Chriſti. Cum.n. Petrus dicit: In nomine Ieſu

Neminē eſſe cōtemnendū.

Christi Nazareni surge & ambula, aliud nihil est, q̄ si diceret: Ipe Iesus Christus uel potentia eius efficiat, ut surgas & ambules. Vnde Christus apud Matthæum ad paralyticum simpliciter ait: Surge, tolle lectum tuum & abi in domum tuam. Et ille surrexit, abiitq; in domum suam. Quid autem Christus sibi hoc miraculo uolebat: nimirum id quod ipse suis uerbis testatur dicens: Vt sciatis, q̄ potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tibi dico paralytico, surge tolle lectum tuum, & ille surrexit sanus. Ita si hæc uox in nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula, a Petro dicta tantę efficatiæ fuit, ut per fidem a claudo excepta, restituerit eum sanitati, & robori membrorum, consentaneum est, Euangelion de remissione peccatorum per Iesum Christum potentiam dei esse, quemadmodum Paulus ait, ad salutem omni credenti, id quod postea Petrus in concione sua multis uerbis inculcabit. Credamus igitur Euangelio DOMINI nostri Iesu Christi, & accepta per fidem remissiõe peccatorum, iusticiam coram deo, & salutem perpetuam consequamur per eundem Iesum Christum dominũ nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudãdus in ęcula Amen.

HOMILIA XIIII.

QVæ imbecillia (inquit Paulus) in mundo erant, delegit deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta. Quod cum aliàs sæpenumero clarissimis miraculis comprobatum est, in eo tamen claudo, quem nuper audiuimus a Petro in nomine Iesu Christi, sanitati restitutũ, perspicuo admodũ testimonio confirmatur. Etenim si circumferas oculos tuos, per totam urbem Hierusalem, quot obsecro uidebis illic, uiros potentissimos, robustissimos, amplissimos, & sapientissimos, quot item iusticia & religiõe operum coram hominibus sanctissimos? Hos tamen omnes præterijt & neglexit potentia nominis Christi, ad solum autẽ claudum, hominem coram mũdo miserrimum, diuertit, & per illum maiestatem nominis sui celebrem ac conspicuam reddit. Cum igitur qui sanatus fuerat claudus, teneret Petrum & Ioannem, cucurrit totus populus ad eos in porticu, quæ appellatur Salomonis, stupefactus. Hic mihi primum obserua, humani ingenij stuporem, insciciam & uecordiã, quibus Sathan illud propter peccatum dementat. Nam cum deus, quemadmodum Paulus ait, naturæ humanæ indiderit & patefecerit, ut quæ sint inuisibilia dei opera, peruideat & intelligat, is tamen est hominum stupor, ea uecordia, ut nihil plane intelligant, nisi quod præsenter sentiunt: nihil prouideant, nisi quod ob oculos positum cernũt: nihil denicq; cognoscant, nisi quod manibus tangunt. Quoties obsecro, antea uiderant Iudæi Christum multo maiora miracula operari: nunc enim Christus cæco a natura uisum reddiderat, nunc paralyticos sanos erexerat, nunc leprosos curauerat, nunc mortuos resuscitauerat, horum tamen omnium nunc præ stupore obliti, miraculum illud a Petro & Ioanne in claudo designatum, quia nouiter factum erat, attoniti admirantur, & obstupescunt. Quoties, rogo, audierant, & ab ipso Christo & ab Apostolis, & ab hoc ipso claudo prædicari, nomen Christi tantæ efficaciæ esse, ut sanet infirmos, & miracula operetur, hoc tamen totum surda aure transeunt, & non nomen Christi, sed ipsum claudum, Petrum & Ioannem stupidi aspiciunt, contemplantur & admirantur, hoc quicquid est miraculi illorum potestati, aut uirtuti, aut iusticiæ imputantes. Atq; ita palam significant, se nihil aliud intelligere aut sapere, q̄ quod præsens ob oculos positum est, & eò iudicia eorum inclinare, quo præsens rerum euentus inclinatur. Vnde cum Christus miracula exerceret, admirabantur eum, & tanquam diuinum quendam hominem complectebantur, coram enim cernebant miracula. Cum uero a phariseis captus, omnibus

bus uiribus, uirtute. & potentia destitutus uideretur, ac plane abiectissimus hominum ap pareret, habeꝫ & ab illis talis qualis erat præsens aspectus. Rursus cum modo uiderent mi raculum a Petro & Ioanne factum, non illud Christo, quem non uidebant acceptum fe runt, quod tamen prædicari audierant, sed Petro & Ioanni, quos coram cernebant. Cuius ingenii etiam in nobis cum adhuc in Papistica seruitute captiui detineremur specimen exhibitum est. Nam cum audiebamus de miraculis alicuius sancti prædicari, non assurge bamus ad diuini nominis gloriam, non concipiebamus fiduciam in nomine Christi, cu ius uirtute omnia uera miraculà facta sunt, sed in admiratione sancti detenti sanctũ cole bamus, sanctum inuocabamus, adeoꝫ adorabamus. Idem ingenii stupor apparet in Eth nicis, qui cum aspicerẽt Solem & Lunam, & omnia astra cœli, nobilissimas & clarissimas res esse, non assurgebant per ea, ad diuinandam dei creatoris maiestatẽ, sed in illis rebus uisibilibus affixi manentes, eas pro diis, quemadmodum testatur Mose colebant, & ado rabant. Tanta est ingenii humani propter peccatum uecordia, ut ultra uisibilia & sen sibilia assurgere nequeat. Petrus igitur animaduertens Iudaici uulgi stuporem, in conci onem prodit, oratione sua uecordiam illorum correcturus, & exhortaturus, ut resipiscen tes in nomine Iesu Christi credant, ut per ipsum salutem consequantur. Et ait. Viri Israe litæ quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate ef fecerimus, ut is ambularet? quid ille sibi uult cõcursus Israelitæ? quid defixus in nos intui tus? an nunq̃ antea maiora miracula a præceptore & magistro nostro Iesu Nazareno ui distis? obliti ne estis, ab ipso etiam mortuos esse resuscitatos? certe uidistis, commendastis & admirati estis, qui igitur fit, quod nunc uobis illud miraculum in hoc claudo factum, nouum & stupendum uidetur? Existimatis fortasse (ita enim coniicio ex intuitu uestro) nos duos, hoc miraculum nostra uirtute, aut nostris meritis, aut nostra iustitia effecisse, at ego non paciar uos aberrare. Ingenue fatemur, non esse nostra uirtute factum. Homi nes enim sumus, qui non possumus ad staturam nostram unum cubitum addere, non possumus efficere, ut nos ipsi ab ægritudine tuti simus, & omnino in nos illud uulgatum conuenit. Medice cura teipsum, quomodo igitur possemus nostris uiribus, tot annis clau dum sanum redderet? Multo minus nostra iustitia aut meritis effecimus, ut hic claudus nuper, nunc sanus ambulet. Siquidem agnoscimus nos peccatores eosq̃ maximos, & q̃ ad me cuius uoce miraculum gestum est, attinet, memini adhuc quale facinus gladio meo commiserim, cum Iesus Christus præceptor meus, in hortu comprehenderetur. Memini quantum scelus in atrio Caiphæ designarim, cum non simpliciter sed iureiurando & cũ execraatione DOMINVM deum meum abnegauerim. Quæ igitur merita, quas iustiti as prætexere possem, quibus liceret, ut mihi hoc quicquid est miraculi arrogarem? Quæ so te, diligenter animaduerte ingentem Petri & Ioannis modestiam atq̃ humilitatem. Habuissent enim hoc loco opportunissimam occasionem captandæ auræ popularis, & uenandæ gloriæ humanæ, nec necesse habuissent maledictis blasphemiis deum afficere sed potuissent honestis coram hominibus causis gloriam gesti miraculi nonnihil in se transferre, uidelicet, deum quidem hoc miraculum gessisse, sed tamen ipsos quoq̃ aliquid huc cõtulisse, deum enim non per ociosos, ignauos, & uicioſos operari miracula, sed per iustos, probos, & uirtutis studiosos. Cum igitur deus per ipsos miraculum fecerit non per alios, possit sane quilibet cõiectura adsequi, quales sint, quam iusti & accepti coram deo. At ne gry quidem talium uerborũ e Petro & Ioanne auditur: prorsus enim nihil suæ uirtuti aut iustitiæ, aut meritis adscribunt, arrogantibus & elatis hominibus plane dissi miles, quorum ingenium est, ut quicquid donorum dei possideant, suæ uirtuti, suæ iusti tiæ, & probitati acceptũ ferant. Diues cogitat se uicino suo iustiorem, & ob hanc causam, pluribus diuiciis a domino donatum. Exemplum habes in Nabal conferente se erga Da uidem ut est in priori libro Samuelis capite uicesimo quinto descriptum. Sapiens cogitat se deo propter suam industriam acceptiorẽ quam uicinus paulo insipientior. Ideo putat, se iure a deo sapientiæ dono decoratum. Exemplo sunt amici Hiob conferentes se cum

Hiobe. Potens cogitat se subditis suis meliorem, hinc existimat sibi potentiam optimo merito collatam esse. Exemplo est Nebucadnesar rex Babylonis, qui meliorem se omnibus subditis æstimans, putabat se regnum sua uirtute & industria nactum, quemadmodũ in Daniele capite quarto legitur. Ethnicus, inquies, hic Nebucadnezar fuit: Itaq; non est mirum, si suæ industriæ, donum dei, quem ignorabat adscripsit, at quis inter Christianos tam deploratæ mentis esset, qui dona sua, non ferret deo accepta? Vtinam uere illud diceres, neminem inter Christianos quæ dei sunt sibi adscribere, at res ipsa longe aliud clamat. Qui possidet diuicias, qui bonam habet nominis sui in uicinia famã, qui aliquo prudentiæ dono fulget, & ablatis per malos diuitiis fremit ac desperat, obfuscata per detractatores fama, regerit maledictũ, aut conuitiũ ultioné sectans, & ludibrio tanq; stultus habitus, ægerrimo animo sui contẽptũ fert, hic & si uoce affirmet se agnoscere donũ dei gratuitum, tamen factis negat, quippe qui non possit ferre, ut deus sua dona, quæ dedit gratis recipiat, & quæ ad aliquod tempus tanq; mutuo credidit, repetat. Relinquerem, in quis, libens, si deus ipse a me reciperet. Nunc autem auferũt ea mali homines, & iniquissimi nebulones, qui igitur possem æquo animo ferre? At tu quisquis hæc responsas, cogites, uelim, deum natura sua inuisibilẽ esse, & ad nullum hominem uisibiliter pro humano more accedere, atq; ab eo dona sua mutuo data repetere. Sed quod ad hanc rem attinet quod agit deus, per organa sua agit, & habet uaria organa, habet bonos angelos, habet malos, habet bonos homines habet malos, habet grandinem & pluuiam, habet calorem, ardorem solis, & frigus, breuiter innumera habet organa, innumeros nuncios, quibus bona sua nobis credita, repetit. Itaq; per quæcunq; organa, per quoscunq; nuncios repetit, deus ipse repetere dicitur, unde Hiob ait. DOMINVS dedit, dominus abstulit cũ & hostes armenta eius abegissent, & Sathan liberos eius interfecisset. Et Dauid fatet deum iussisse Semei, ut ipsum conuitiis afficiat, similiter prophetæ testantur deum Iudæos in captiuitatem Babilonicam coniecisse, cum tamen hostes Babilonii, eos captiuos abduxissent. Proinde, si uere agnoscimus dona dei, & deo tantum acceptum ferimus, patienter toleranda est, cum DOMINVS illa a nobis repetat, ut qualescunq; repetitionis seu exactionis nuncii fuerint, domino rem creditam restituamus. Rectius autem Petrus & Ioannes agunt quorum uirtuti cum stupidi Iudæi acceptum ferrent miraculum, sua sponte illud abnegant & recusant, ingenue fatentes, nihil prorsus in eo opere ipsorum industriæ & iustitiæ adscribendum esse. Cui ergo acceptum ferendum est? Sequitur. Deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob, deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem uos tradidistis ac negastis in conspectu Pilati, cum ille iudicasset esse absoluendum. Vos autẽ sanctum & iustum negastis & postulastis, ut uirum homicidam donaret uobis, autorem uero uitæ interfecistis, quem deus suscitauit a mortuis, cuius nos testes sumus, & per fiduciam nominis eius, in isto quem uideris & nostis, confirmauit nomen suum, & fide, quæ per eum est, dedit ei integritatem istam in conspectu omnium uestrum. Priusquam enarremus ista Petri uerba, consideremus quare deus uocetur, deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Num propterea quod tres sunt personæ in diuinitate? ut deus Abraham ad patrẽ, deus Isaac ad filium, deus Iacob ad spiritum sanctum referatur? Tres quidem sunt personæ pater, filius, & spiritus sanctus, sed non colliguntur e nominibus istorum trium patriarcharum, alioqui e Petri uerbis, quatuor essent personæ colligendæ, qui addit deus patrum nostrorum. Cur igitur deus potissimum horum patriarcharum nominibus uocatur? certe non ob aliam causam, quam quod deus cum his patriarchis fœdus iniit se multiplicaturum semen eorum, se deum fore posteritatis eorum, & se e semine ipsorum Christum in quo omnes gentes essent benedicendæ daturum. Vnde etiam deus posteriorum patrũ uocatur. ut Dauidis & qui Dauidem sequũtur, propterea quod Dauidi manifestissima de Christo promissio facta est, quam promissionem postea prophetæ ubiq; israeli inculcant & urgent. Igitur Petrus de Christo, de gloria Christi, de potentia Christi, de fide in Christũ concionaturus, aptissime eos patriarchas commemorat, quibus deus Christũ promiserat

ut auditores

ut auditores horum patriarcharum mentionem ad promissionem de Christo factam reducerentur. Nunc ergo quotquot præsto adestis, cognoscite, qua uirtute, qua iustitia, quibus meritis, hic claudus sanus factus sit, non enim nostra, ut diximus, pietate, non nostra iustitia, sed fidutia, quam habemus in nomen Iesu Christi, & fide, quam in Christum concepimus, effectum est, ut hic quem coram cernitis, & quem plusquam quadraginta annis claudum fuisse nostis, ambularet. Nostræ uires huc nihil contulerunt, nostra sanctitas, quæ nulla est, nihil est cooperata, sed potentia & uirtus Iesu Christi, in quem credimus, quo confidimus, in quo omnis nostra fidutia sita est, ut per ipsum remissionem peccatorum, & æternam salutem consequamur. Hæc, inquam, Christi potentia hunc claudum sanitati restituit, huic acceptum referte miraculum, hunc suspicite, hūc admiramini, & reuerentius eum nunc excipite, quam nuper eum tractastis. Inuitus ea tanquam uulnera attingo, sed nisi tacta tractataq; sanari non possunt. Quæso uos reuocate in memoriam, quam horrendum, quam incredibile scelus in hunc ipsum Iesum, cuius uirtute hic sanus adstat, commiseritis. Nam cum sit filius dei æternus, patribus nostris promissus, sacrificiis legalib⁹ adumbratus, & uariis modis a prophetis uerus Meschias prædicatus: attamen uos (horreo dicere) primum tradidistis ipsum captiuum in manus gentiū. Deinde cum Pilatus eum uobis ioco magis quam serio tanq̄ uestrum Meschiam ostentaret, & iudicaret eum potius ut innocentem & innoxium hominem absoluendum, quam condemnandum, uos præfracte & constanter abnegastis eum, clamantes, Non habemus Meschiam, nisi Cæsarem. Atq; ita multo iniquiores, multo sceleratiores Pilato, homine, ut nihil aliud dicam, Ethnico & incircumciso, facti estis. Ille enim innocentem cum testatus est, uos eum tanquam nocentissimum hominem accusastis, ille pronunciauit eum absoluendum esse, uos crucifige, crucifige, clamastis, ille non nihil regium, imo diuinum in eo suspicatus est, uos, non hominem, sed Beelzebub aut Satanam aliquem ipsum iudicastis. Quanto igitur uobis æquior & honestior fuit Pilatus? Postremo, ut scelestissimam uestram impietatem absolueretis, cum Pilatus uobis Iesum innocentissimum & Barrabā insignem latronem & homicidam, proposuisset, ut alterum uobis pro consuetudine dimittendum eligeretis, quid feciſtis? O scelus, o impietas. Barrabam nebulonem deploratissimum dono postulastis, Iesum autem Christum longe omnium sanctissimū & iustissimum summo fastidio reieciſtis. Barrabam uirum homicidam, qui aliis uitam gladio extorserat, libere dimittendum peciſtis, Iesum uero authorem & principem uitæ morte affi ciendum esse insana uociferatione clamastis. Animaduertite obsecro dilectissimi, quantis amplificationibus Petrus grauitatem sceleris in Iesum cōmissi exaggeret. Nunc enim Iesum filium dei uocat, quantum igitur flagicium est, filium dei tradere, negare, & interficere? nunc confert Iudæos cum Pilato, & ostendit Pilatum multo iustiorem ipsis fuisse. Rogo quam scelerati illi sunt, quorum comparatione pessimi Ethnici iustificantur? nūc confert inter se Iesum & Barrabam, ut ex illorum quoq; collatione appareat, quam ingēs flagitium hi cōmiserunt, qui Barrabam ad uitam, Iesum uero ad mortem postularunt. Non est mirum, q̄ Petrus tanta libertate in auditores suos inuehitur, quippe qui paulo ante libertatis spiritu donatus erat. Mirum autem est, q̄ auditores eius, non obruerint ipsum lapidibus, a quo tam seueriter tam atrociter reprehendūtur. Si hoc sæculo, ecclesiastæ uerbis paulo asperioribus peccata suorum auditorum attingunt, uerius quam carpunt, continuo audiunt, conuitiatores, contumelioſi, uirulenti, seditioſi, tam teneræ sunt huius sæculi aures, imo tam inepta tam stulta sunt hominum iuditia, ut iustam & legittimam reprehensionem, pro conuitiis & contumelia interpretentur. Cæterum, nolle morbū sum intelligere, quid aliud est, quam nolle sanitatem consequi? Itaq; Petri auditores, quia sanitatem (quam nos reiicere solemus, dum nolumus uitia nostra agnoscere) summo studio affectant, non petunt Petrum conuitiis uel lapidibus, sed compuncti corde, uerba eius æquo in ipsum animo obseruant, quod est ingens futuræ salutis consequendæ argumentum. Porro, ut peccatum ipsorum adhuc grauius, & sceleratius appareat, comparat

illud Petrus cũ glorificatione, qua Christus a deo exaltatus est. Vos, inquit, illum abnegastis, repulistis, & omni contumeliarum genere affecistis. Deus autem illum recepit, assumpsit & omni honoris genere affecit, & ut psalmus habet, gloria & honore coronauit eum. Vos interfeciſtis ipsum, deus autem suscitauit illum a mortuis, cuius rei nos testes non auriti sed oculati sumus, quippe qui uidimus his oculis ipsum e morte ad uitam reuocatum esse, Quod si etiam nos taceremus, tamen miraculum modo in hoc claudo per nomen Iesu gestum palam clamat, eum uiuer. Qui enim posset mortui nomen claudũ sanitati restituere? & talem claudum, qui plusq̃ quadraginta annis hoc uicio corporis affectus fuit? Vos abnegastis eum Meschiam, deus autẽ fecit eum dominum & Meschiam. Vos nomen eius uestris conuitiis sordidastis, Deus autem nunc nomen eius per huius sanitatem ita celebre ita glorioſum reddidit, ut fama nominis eius per totum orbem nobilitetur. Nam, cum is claudus, nulla humana uirtute, nulla humana iustitia, nulla humana pietate, sed per solam fidem, quæ in nomine Iesu Christi habetur, sanitatem consecutus sit, futurum est, ut hoc argumento ceu certissimo signaculo omnes gentes cognoscãt, quod Euangelion remissionis peccatorum in Iesu Christo, sit potentia ad salutem omni credenti. Et hæc quidem hactenus. Nam quod in hac Petri concione, amicissimi, reliquũ est, alias, quantum DOMINVS dederit, explicabimus. Nunc commendo charitatem uestram domino deo nostro, ut per fidem a claudicatione liberati, hoc est, a peccatis iustificati, ueram & perpetuam sanitatem consequamini in Christo Iesu DOMINO nostro, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XV.

QVod in oratione Petri explicandũ supereſt, nunc pro mediocritate nostra, & dono diuinæ clementiæ absoluemus. Nam in priori orationis parte, indicauit Petrus cuius uirtute & potentia, claudus plusquam quadragenarius, sanus factus sit, nimirum, non humana uel uirtute, uel iusticia, sed fide in Iesum Christũ. Adhæc ostendit auditoribus suis, quam graue, quam atrox flagitium, in occidendo Iesu Christo designauerint, quod & collatione ipsorum ad Pilatum, & Christi ad Barrabam exaggerauit. Quid autem, indicare peccati atrocitatem, & ostendere sceleris immanitatem, aliud est, quam Sathanæ tradere, & ignibus inferni adiudicare? Siquidem stipendium peccati mors est. Princeps autem mortis est Sathan, cui si quis obnoxius redditur, effugere suis uiribus aut iustitia non potest, quin in perpetuos inferni carceres coniiciatur. Itaq; Petrus, dum indicat auditoribus suis grauitatem homicidii in Christum perpetrati, eo ipso tradit eos Satanæ, & pronunciat dignos æterno ignis supplicio. In posteriori autem parte, quam nunc explicabimus, rursus indicat eis uiam qua possint & a peccati atrocitate, & a Satanæ potestate, & ab æterno ignis supplicio liberari: adeoq; aperit & recludit eis ianuas cœli, ut ad perpetuam felicitatem intrare queant, hoc est, uere & legitime clauibus regni cœlorum, a Christo ipsi & aliis apostolis commendatis utitur. Audiamus igitur attentis animis, ut clauem in seram portarum cœli immittat, & portas aperiat. Non enim illis tantũ qui tunc concioni eius præsto adfuerunt, sed omnibus, qui concioni eius, tanq̃ diuino uerbo fidem adhibent, & eius dictis parent, ianuas regni cœlestis recludit. Et nunc, inquit, fratres, scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Confidite fratres, salua adhuc res erit. Etsi enim clauiger, nondum clauem in seram immiserit, tamen uidemus eum clauem nunc producere. Spes est etiam ianuam recludendam fore. Fratres inquit, scio quod per ignorantiam homicidium

cidium in Iesum Christum commiseritis, sicut & principes uestri. Non minuit, non excusat Petrus peccatum quod ante exaggerauerat, dum dicit, eos ignorantia peccasse. Nam cum ipsa ignorantia, suapte natura non mediocre uicium sit, quomodo aliud peccatum excusaret, quo minus esset uel graue uel atrox? Et si excusaret, cur lex, quæ in Numeris capite decimo quinto scribitur, iuberet, ut pro peccato ignorantiæ uitulus in holocaustum offeratur? Sed Petrus ignorantiam commemorans subindicat, peccatum quidem, quod est in Christum designatum, atrocissimum & immanissimum esse, non tamen esse ad mortem, pro quo, authore Apostolo Iohanne, non est orandum: nec esse peccatum in spiritum sanctum, quod nec in hoc sæculo, ut Christus dicit, nec in futuro remittetur. Sed siquidem est commissum in filium hominis, remissibile, & adhuc, ut sic dicam, ueniale esse. Itaq; ignorantia non minuit peccati magnitudinem, nec reatum eius excusat, sed argumento est, peccatum esse remissibile, non per se & suapte natura, sed per Iesum Christum dominum nostrum, & per fidem quæ est in ipsum. Vnde Christus pro aduersariis suis orans, dicit. Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt. & Paulus. Eram, inquit, blasphemus persecutor & uiolentus, sed & misericordiam adeptus sum, quod ignorans fecerim per incredulitatem. De principibus autem huius sæculi ait. Si cognouissent haud quaquam DOMINVM gloriæ crucifixissent. Ita & hoc loco Petrus ostendere uolens auditoribus suis, ipsos quidem peccatum maximum commisisse, adhuc tamen spem ueniæ, & remissionis esse, siquidem dictis suis parere uelint, ait, scio quod per ignorantiam feciſtis, sicut & principes uestri, qui & ipsi, si uolunt, adhuc remissionem peccati sui consequi possunt. Cæterum, ut maior, non dico peccati excusatio, sed ueniæ spes aperiatur, addit Petrus. Deus autem, qui prænunciauerat, per os omnium prophetarum suorum Christum passurum impleuit sic. Maximum quidem malum est quod designastis, sed deus tam bonus artifex est, ut sciat pessimo hominum malo ad perficiendum optimum bonum uti. Etenim per omnes prophetas multis retro sæculis prænunciatum est, Meschiam Dauidi promissum, non regio fastu, & præclara huius mundi pompa, sed afflictionibus, contemptu, contumeliis, conuiciis, flagellis, cruce & morte, in regnum suum ingressurum, & sedem Dauidis occcupaturum, ut quisquis per fidem ei subiiciatur, remissionem peccatorum, & ueram salutem per sanguinem eius consequatur. Cum igitur uos Christum omnibus contumeliis & conuitiis exaciatum crucifixeritis & morte affeceritis, arripuit deus uestram iniquitatem, & per eam impleuit, quæ ab ipso de Christi sui passione ante multa sæcula decreta erant, & quæ futura de Christo omnes prophetæ prænunciauerant, uidelicet, ut Christus pateretur pro peccatis mundi, & sua morte morti æternæ adiudicatos ad uitam adsereret. In cuius rei figuram, quondam filii Iacob, fratrem suum Ioseph, animo minime fraterno uendiderunt, ut inter exteros perieret aut interficeretur. Deus autem, eam tum dispensationem passionis Christi filii sui meditans, crudelitate filiorum Iacob, in totius familiæ Iacob bonum usus est, & effecit, ut per Iosephum in Aegyptum uenundatum, & fratres qui ipsum uendiderant & tota Aegyptiorum regio, in extrema fame aleretur. Sic enim ad fratres suos Ioseph dicit. Vos cogitastis de me malum, deus autem uertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Itaq; quemadmodum Ioseph spem ueniæ fratribus suis ostentat, cum ait, deum illorum crudelitatem in bonum uertisse, Ita Petrus suis auditoribus, remissionis spem indicat, cum inquit, deum sic per ipsorum iniquissimam crudelitatem impleuisse ea quæ antea per os omnium prophetarũ, de Christi passione, & per passionem satisfactione pro peccatis, prænunciata sint. Proinde, addit paræneſin & ait. Pœniteat uos igitur, & cõuertimini ut deleantur peccata uestra, ut cum uenerit tempus refrigerationis a conspectu DOMINI, & miserit eum qui ante prædicatus est uobis, Iesum Christum, quem oportet quidem cœlum accipere usq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est deus per os omnium sanctorum suorũ a seculo prophetarum. Pœniteat (inquam) uos, ut cum hoc restitutionis tempus uenerit,

Peccatũ ignorantiæ nõ excusari

Ioseph quomodo typum Christi gesserit.

& Christus missus fuerit ad iudicandum uiuos & mortuos, uos per fidem in Christum, a peccatis liberati, omnes illas cœlestes & æternas benedictiones consequamini, quæ per prophetas in Iesu Christo promissæ sunt. Vides nunc Petrum ianuam regni cœlorum, claue Euangelii sui, apertissimam fecisse. Etenim ianuam regni cœlorum aperire, est prædicare remissionem peccatorum per Christum Iesum, & indicare, quod per solum Christum peccata deleantur. Est enim Christus ostium seu ianua, quisquis igitur Christum explicat, ianuam regni cœlorum aperit. Auditorum autem Petri & nostrum omnium nunc erit, ut per ianuam a Petro apertam ingrediamur, & ab ea non aberremus. Quomodo autem ingredimur? si pœniteamus & conuertamur. Quid est pœnitere? quid est conuerti? Pœnitere est peccatum agnoscere, & credere, q̃ per Christum peccatum remittatur. Idem est & conuerti. Primus enim ad deum conuersionis gradus est, turpitudinem peccati sui agnoscere, & detestari. Secundus gradus est, credere in Iesum Christũ quod per ipsum solum commissa peccata remittantur. Et qui ita pœnituerit atq̃ conuersus fuerit, is dignos fert fructus pœnitentiæ & conuersionis, non ut per illos fructus remissionem peccatorum mereatur, quam ante habet ex fide in Iesum Christum, sed ut obsequatur uocationi diuinæ, & gratum sese erga benefactorem Iesum Christum exhibeat. Itaq̃ prædicatione Euangelii de Iesu Christo, aperitur nobis ianua regni cœlestis. Agnitione autem peccati, & fide in Iesum Christum, non supestitione Iudaica, non meritis operum, non iustitia carnis, sed tantum fide in gratuitam remissionem peccatorum quæ in Iesu Christi meritis & iustitia habetur, ingredimur in regnum cœleste. Hic autem mihi uide, quibus nominibus, & qua periphrasi Petrus describat diem seu tempus nouissimi iudicii. Nam Christũ (inquit) nunc quidem oportet cœlũ accipere, non quod in cœlo, humano more sedeat, ambulet, atq̃ hinc inde uagabundus paletur, sed quod nunc regno cœlesti inuisibiliter potiat, & omnibus rebus, tam in cœlo quam in terra, omnipotentia ab oculis humanis abscondita dominetur, & sola Euangelii prædicatione per fidem cognoscatur. Hoc autem absconditum & inuisibile regnum, tunc manifestabitur, tunc reuelabitur, quando Christus appariturus est in nubibus, quemadmodum uidentibus discipulis ad cœlum ascendit, & extremo iudicio omnia compositurus est. Hoc igitur extremi iudicii rempus, primum dicitur tempus refrigerationis, quippe quod huius uitæ tempus non sit nisi tempus calamitatis, & ut Dauid uocat, uallis lacrimarum. Nec aliud in hoc mundo quo ad uenerit tempus extremi iudicii, expectaueris, quam afflictiones, aduersitates, cruces & mortes: & quanq̃ interdum nonulla felicitatis spes affulgeat, tamen nihil est in rebus humanis firmum, nihil stabile, nihil constans. Dies peregrinationis nostræ, quemadmodum Iacob ait, sunt parui & mali. Testatur & uulgatum apud Ethnicos dictũ, maxima esse uitæ nostræ incommoda, sic enim illi aiunt: optimum est non nasci, proximum autem, si natus sis, quam primum mori. Feruntur & Thraces quondam in lucem recens æditos lachrimis, mortuos autem conuiuiis & tripudiis prosecutos esse, qua consuetudine significarunt, uitam humanam miseram admodum & calamitosam, mortis autẽ diem miseris mortalibus optimam esse. Et has quidem uoces ac consuetudines, extorsit illis calamitatum huius uitæ sensus. Nos autem præter sensum, etiam calamitatis causam agnoscimus. Siquidem posteaquam Adam parens noster peccauerat aduersus Deum, audit, maledicta terra in opere tuo, in laboribus commedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore uultus tui uescris pane tuo, donec reuertaris in terram. Cum igitur nos omnes ex Adamo prognati sumus, & præuaricatio eius hæreditaria successione nobis natura adhæret, una cum peccato adhærent etiam nobis peccati authoramenta, quæ sunt afflictiones, cruces & mortes. In die autem extremi iudicii, implebitur illud uere, & perfecte, quod Esaias uaticinatur dicens. Obliuioni tradentur angustiæ priores, & absconditæ erunt ab oculis nostris, quia ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memo-

Pœnitentia quibus cõstet.

Quomodo extremi iudicii tempus sit refrigerationis & restitutionis tẽpus.

in memoria priora, & non ascendunt superecor. Sed gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum in his quæ ego creo, quia ego creo Hierusalem exultationem & populum eius gaudium, & non audietur in ea ultra uox fletus & uox clamoris. Et in Apocalypsi. Absterturus est deus omnem lachrimam ab oculis eorum. Et mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt. Proinde, haud iniuria dies extremi iudicii, quo hæc omnia perfecte impleburtur, tempus refrigerationis uocatur, quo appropinquante, suspiciendum est, & monitore CHRISTO attollenda sunt capita nostra, quoniam appropinquat redemptio nostra. Rursus uocatur quoq; hic dies, tempus restitutionis, quem oportet (inquit) cœlum accipere, usq; ad tempora restitutionis omnium, quæ locutus est deus per os omnium sanctorum suorum a sæculo prophetarum. Etenim DOMINVS per Iesum Christum ita omnia ordinauit, & dispensauit, ut pii optimis benedictionibus fruantur, impii autem pessimis maledictionibus afficiantur. Quemadmodum lex testatur in Leuitico capite uicesimo sexto, & in Deuteronomio capite uicesimo octauo. Ordinauit quoq; ut Christus dominetur, Israel secure habitet. Israelis autem hostes uicti succumbant. Sic enim omnes prophetæ prædixerunt, fore uide licet, ut CHRISTVS dominetur a mari usq; ad mare & omnia habeat subiecta sub pedibus eius, ac pacis non sit finis, feruerturque uerus Iuda, & Israel habitet confidenter, adeoq; montes stillent dulcedinem, & omnes colles culti sint. Et quis omnia enumerare posset, quæ prophetæ passim de regno CHRISTI, & felicitate eorum qui Christo credunt, ac infelicitate aduersariorum Christi inculcant? In hoc autem sæculo, omnia illa inuertuntur, & præpostere succedunt. Impii enim belle uiuunt, feliciter agunt, & quo peiores sunt, ut habet uulgatum dictum, eo fortunatiores sunt. Contra, pii omnibus afflictionibus obruuntur, omnibus maledictionibus afficiuntur, & quo magis pii sunt eo infeliciores sunt. Adhæc uerbum CHRISTI, in hoc mundo contemnitur, ridetur, & profligitur, uerus Israel persecutionem patitur, & iuxta prophetam, quottidie mortificatur, nec usquam habet tutum in hoc muodo asylum, tantum abest, ut habitet confidenter. Quid ergo? mendacia ne sunt, quæ deus de piis & impiis ordinauit, & quæ prophetæ de regno CHRISTI, & eorum qui Christo credunt securitate, prædixerunt? Absit. Quæ enim piis promissa, & de Christi regno prædicta sunt, ea nunc in Christo quidem uerissima constant, & a credentibus in fide possidentur. Deus autem diem constituit, quo omnia illa, quæ lege sua ordinauit, & per prophetas prædicta sunt, ita restituturus, reformaturus & compositurus est, ut immutabilia perpetuo constent, & pii quidem æterno gaudio, impii autem æterno supplicio afficiantur, atq; ut Christi regnum sempiternum, manifesta rerum experientia perduret. Ante eum diem, nulla hominum comitia, nulla concilia, nullæ synodi, nulla conuenticula quicquam efficient, nisi fortassis externa quædam & ciuilia componant. Sed quod attinet ad ueram & durabilem rerum tranquillitatem, nihil prorsus efficient. Solus hic dies, quem DOMINVS suo tempore reuelaturus est, omnia in suum legitimum ordinem disponet & componet. Proinde, recte a Petro, dies restitutionis omnium, quæ a prophetis prædicta sunt, uocatur. Igitur quem admodum Petrus suos auditores monet, ut resipiscant & conuertantur per fidem ad DOMINVM, quo in aduentu Christi in die restitutionis & reformationis omnium, una cum CHRISTO salutem consequantur, ita & nos monendi sumus, ut pœnitentiam agamus, quo fide in CHRISTVM iustificati, in illo die, quo omnia restituentur, rapiamur in nubibus, in occursum DOMINI in aëra, & sic semper cum Domino permaneamus. Fortassis autem partim Mosi & prophetarum autoritas, atq; uetus patrũ religio, partim abnegatio qua Christus coram Pilato palam repulsus est, potuissent non nihil auditores Petri a fide in Christũ remorari, ita in animo suo cogitãtes. Quid? deficiemus

Quod in hac uita de piorũ benedictione & impiorũ maledictiõe omnia inuertantur.

ne a Moſe cuius authoritas hactenus nobis fuit ſemper ſacroſancta? deficiemus né a re
ligione Patriarcharum noſtrorum, qui ueram ſemper pietatem ſectati ſunt? agnoſcemus
ne Ieſum illum Nazarenum, uerum Meſchiam? qui fortaſſis nos non agnoſcet, etiamſi
ipſum agnoſcamus, quippe quem antea coram Pilato publice abnegauimus, & a nobis
repulimus? Petrus igitur optime gnarus affectuum conſcientiæ, hanc fidei in Chriſtum
„ remoram, orationis ſuæ conſequentia amouet, & ait. Moſes quidem ad patres dixit, pro-
„ phetam ſuſcitabit uobis DOMINVS deus ueſter de fratribus ueſtris mei ſimilem. Audie
„ tis eum iuxta omnia quæcunq; locutus fuerit uobis, futurum eſt autem, ut omnis anima
„ quæ non audierit prophetam illum, exterminetur e populo. Non hoc uolo (inquit Pe-
trus) ut a Moſe deficiatis, ut Moſi authoritatem contemnatis, ſed iubeo potius, ut Moſen
audiatis. Moſi obſequamini, Moſen obſeruetis. Audiatis autem & obſeruabitis eum, ſi
Ieſum illum Chriſtum, quem uobis nunc prædico, audiatis & obſeruetis. Ita enim Mo-
ſe iuſſit, ita mandauit, ita præcepit, cum in Deuteronomio capite decimo octauo ſic dicit:
prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi dominus deus tuus,
ipſum audies. Ponam, inquit dominus, uerba mea in ore eius, loquetur ad eos omnia
quæ præcipio illi. Qui autem uerba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit,
ego requiram ab eo. Agnoſcitis opinor, uiri fratres, uaticinium Moſi ueſtri, quo promit-
tit alium prophetam poſt ſe. Et quis eſt ille alius propheta, quam Ieſus Chriſtus, de quo
nunc nobis ad uos ſermo eſt? Omnes enim conditiones, omnes proprietates, quas Mo
ſe de futuro illo propheta ſcribit, in nullum alium, præterquam in hunc ſolum Ieſum
Chriſtum competunt. Nonne Ieſus de gente & familia ueſtra, uidelicet de tribu Iuda na
tus eſt? Sed quod de gente Iudaica natus eſt, commune habet cum multis aliis prophe-
tis. Hoc autē quod ſequitur, ab omnibus aliis prophetis eum ſeparat. Quid ergo illud eſt?
prophetam inquit, ſuſcitabit deus ſicut me, & ponet uerba eius in ore eius. Quibus uerbis
indicat Moſe, quod futurus ille propheta, nouo uerbi diuini miniſterio functurus ſit. Mi
niſterium autem prophetæ illius, non eſſet nouum, ſi nihil aliud quam legem & uerbū
Moſi prædicaret, nec eſſet miniſterium Moſi nouitate ſimile, ſed multo Moſe inferius,
& abiectius, quippe quod ex Moſe originem ſuam duceret, ſi tantum Moſen interpretare
tur. Itaq; oportet, quod ſicut nouum erit miniſterium prophetæ illius, ita nouum ſit uer-
bum, noua ſit prædicatio eius. Quis ergo inter eos prophetas, qui Moſen ſecuti ſunt, no-
ua, & alia quam Moſe prædicauit? Certe nullum alium reperietis, quam Ieſum illum Na
zarenum, in cuius nomine, hic quadragenarius claudus, ſanus effectus eſt. Etenim om-
nibus aliis prophetis ſpiritus Moſi diſtributus eſt, qui & ex illo, non aliud uerbum, quam
Moſe prædicauerunt. Moſe legem adnunciauit. Similiter & alii prophetæ legem a Moſe
latam populo inculcauerunt. Moſe maledictiones ſecuturas eos, qui legem non obſeruāt
prædixit. Similiter & alii prophetæ maledictiones, a Moſe prædictas, quibuſdam etiam
exaggerationibus & amplificationibus adnunciauerunt, aut uerius repetierunt. Moſe
quædam uaticinia de futuro Meſchiæ ſacerdocio & regno ſuis legibus & maledictionibus
inſperſit. Hoc idem fecerunt alii prophetæ, nimirum præceptoris Moſi diſcipuli. Solus au
tem Ieſus Chriſtus noua & longe alia, quam Moſe prædicauit. Non enim legem, peccata
indicantem, exaggerantem & augentem, ſicut Moſe & alii prophetæ, ſed Euangelion pec
cata delens, expurgans, & penitus auferens predicauit. Non legem iratum deum decla-
rantem, & omnes homines occidentem, id quod Moſi erat miniſterium, ſed Euangelion
gratiam & clementiam dei oſtentans, & omnes, quotquot in ipſum credunt, uiuificans,
adnunciauit. Adhæc non uaticinia quædam de futuro Meſchiæ ſacerdocio & regno
prophetauit, ſed quod erat de his prophetatum, hoc ipſe occupauit, compleuit, &
perfecit, ita ut ſacerdos ſit in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, & rex in ſolio Da
uidis longe lateq; a mari uſq; ad mare, in cœlo & in terra dominans. Itaq;, uiri fra-
tres, ſi apud uos authoritas Moſi ſacroſancta eſt, ut debet eſſe ſanctiſſima, multo
ſanctior ſit authoritas IESV CHRISTI, ad quem uos Moſe a ſe remiſit,
& iuſſit

Teſtimonia Moſi, quibus Petrus probat in Chriſtum eſſe credendum.

& iussit ut ipsum audiatis, adhæc graue & seuerum illi supplicium minatus est, qui hunc prophetam contempserit. Qui uerbo eius, inquit DOMINVS, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego requiram ab eo, hoc est, futurum est, ut omnis anima, omnis homo qui non audierit prophetam illum, exterminetur e populo. Videtis igit', quod in Christum credere, non sit deficere a Mose, sed Mosi obsequium præstare, & supplicium dei effugere, ac ueram salutem consequi. Nec est quod existimetis uos fide in Christum defecturos a uaticiniis & oraculis prophetarum. Siquidem omnes prophetæ a Samuele, ac deinceps quotquot locuti sunt, adnunciauerunt dies istos. In Samuele publicus prophetarum ordo incepit, ante quem licet aliquot fuerint prophetæ, tamen nondum erat publicus prophetarum ordo institutus, nondum erat publica prophetarum schola instaurata, nondum erant filii, hoc est, discipuli prophetarum, quales sub Samuele esse ceperunt. Omnes ergo prophetæ, a temporibus Samuelis usq; adhæc nostra secula, quoties prædicarunt de benedictione, quam deus daturũ se per semen Abrahæ promisit, quoties promissionem Dauidi factam repecierunt, tocies ea tacite significarunt, quæ his temporibus per Iesum Christum impleta sunt. Adhæc cum prophetæ Meschiæ sacerdocium & regnũ describerent, explicarent, commendarent, & amplissimis laudibus ornarent, certe in hæc tempora respexerunt, quibus uerus ille Meschias Iesus Nazarenus regnum suum auspicatus est, & regnaturus est perpetuo. Itaq; si prophetarum uaticiniis fidem adhibetis, credite etiam in Iesum Christum. De illo enim prophetæ uaticinati sunt, illius regnum descripserunt, priusq; homo natus esset. Atq; ita non deficietis a prophetis, sed potius prophetarum oracula sectamini. Iam si adhuc uos a fide in Christum remoratur, uetus patriarcharum uestrorum religio, exĩmam etiam uobis, hoc quicquid est offendiculi. Vos enim estis filii prophetarũ ac testamenti, seu pacti, quod testatus est, & pepigit deus erga patres nostros dicens ad Abrahamũ, & in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ. Quia igitur estis is populus, cuius patriarchis, primũ Abrahæ, deiude Isaaco & Iacobo deus promisit, & fœdus nunq; uiolandum percussit, q; efficere uelit, ut omnes familiæ terræ, benedictionem per semen Abrahæ cõsequant', agnoscitis, opinor, pactũ dei, agnoscitis testamentum & fœdus dei. Quod ergo existimatis illud Abrahæ semen esse, per quod benedictio promissa est? Certe non est Isaac, non est Iacob, nec alius quispiam ex horum posteris, qui ante hæc tempora fuerunt, sed est Iesus Christus dominus noster. Per hunc enim quisquis in eum credit, omnium benedictionum thesaurum consequitur, ut peccata eius remittantur, ut sanctificetur, ut ab omnibus afflictionibus seruetur, ut non moriat' sed habeat æternam uitam & felicitatem. Igitur, si in Christum credideritis, non relinquetis religionem patriarcharum uestrorum, sed uere illum cultum deo præstabitis, qui illi deo gratissimum præstiterũt. Crediderunt enim in promissum illud semen Abrahæ, sperauerunt ex eo semine benedictionem, & ex hac fide, primũ coram deo iustificati sunt. Deinde perpetuam felicitatem cõsecuti sunt, ita & uos, si creditis in Iesum Christum qui est illud Abrahæ semen, consequimini & iustitiam & sanctificationem & redemptionem, & ueram salutem. Et tantum abest, ut fide in Iesum Christum, pacta & testamenta a deo cum patriarchis condita, nioletis, ut potius per fidem fructum illorum pactorum & res ipsas testamẽtis aut promissas aut legatas accipiatis. Sed illud adhuc reliquũ est, quod fortassis timetis, ne Meschias ille Iesus uos non agnoscat, propterea q; abnegaueritis eum coram Pilato, & a uobis reieceritis. At iubeo uos æquo animo esse, nam Christus Iesus ideo in hunc mundum uenit, ut peccatores saluos faceret, quorum cum uos primi sitis, in primis etiam Christus ad uos pertinet. Nec hoc solum nomine, quod primi estis peccatores, ad uos pertinet, sed etiam eo præcipue nomine, q; estis filii prophetarum & testamenti. Vobis primum deus cum suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentem uobis, ita ut unusquisq; uestrum conuerteret se ab iniquitatibus suis. Ad patriarchas uestros factæ sunt promissiones de benedictionibus Iesu Christi, & deus fœdus cum illis iniit, quod uelit familias eorum per semen Abrahæ benedicere, & saluare. Cum igitur

Prophetarũ testimonia de Christo.

A pacto quod pepigit deus cum patriarchis.

uos ſitis patriarcharum filii & deus hoc tempore promiſſiones ſuas de Ieſu Chriſto compleuit, quo fœdus ſuum cum patriarchis initum, non uiolaret, uoluit ut uobis primum reſurrectio ſeu regnum Chriſti adnunciaretur, uidelicet, ut credentes in Ieſum illũ Chriſtum, promiſſas benedictiones, quæ ſunt remiſſio peccatorum, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio, & perpetua ſalus, conſequamini. Quanq̃ igitur abnegatione ueſtra Chriſtũ coram Pilato reieceritis, tamen quia ueritas fœderis, quod deus cum patribus ueſtris iniit, adhuc firma durat, adhuc obuiis, quod aiunt ulnis, uos recipiet Chriſtus, & minime uos excludet, modo peccatum ueſtrum agnoſcentes, in ipſum uere credatis. Hactenus Petri oratio, in qua primum quidem auditoribus ſuis, cum peccatum eoꝝ quod aduerſus Chriſtum commiſerunt, exaggerat, ianuas regni cœlorum claudere uideretur. Poſtea tamen recludit eas, & q̃ poteſt latiſſime eas aperit, prædicatione gratuitæ remiſſionis peccatorũ per Ieſum Chriſtum. Agamus igitur & nos pœnitentiam, & conuertamur, ut peccatis noſtris per fidẽ deletis benedictionem æternæ ſalutis adſequamur, in Chriſto Ieſu domini noſtro, qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto deus laudandus in ſæcula, Amen.

CAP. IIII. HOMILIA XVI.



VM Ieſus Chriſtus ex hoc mũdo profecturus eſſet, ait ad diſcipulos ſuos. Non eſt ſeruus maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & ueſtrum ſeruabunt. Quod Chriſtus fore prædixit, hoc iam Petro & Ioanni reipſa accidiſſe, narrãte Luca audimus, Loquentibus enim illis ad populum, ſuperuenerunt illis ſacerdotes ac magiſtratus templi & Sadducæi moleſte ferentes, q̃ docerent populum & annunciarent in nomine Ieſu reſurrectionem ex mortuis, & iniecerunt eis manus poſueruntq̃ eos in cuſtodiam in poſterum diem: nam erat iam ueſpera. Etſi autem hæ fuerunt, poſt acceptum ſpiritum ſanctum, perſecutionum aduerſus regnum Chriſti primitiæ, tamen non eſt nouum quod Satan conatur. Vetus eſt aduerſarius & iam inde ab initio orbis, hoc unum ſemper molitus eſt, ut fines imperii ſui (ipſe enim eſt principes huius mundi, & deus huius ſæculi, quemadmodum Paulus indicat) tueatur & quoquo modo poſſit, regnum DOMINI noſtri Ieſu Chriſti euertat & ad internitionem uſq̃ perdat. Nullum enim eſt conſorcium, nulla concordia Satanæ cum Chriſto, ſed gerunt illi inter ſe bellum irreconciliabile, & quod nullis fœderib⁹ componi queat. Etenim Satan, iuxta nominis ſui interpretationẽ, hominum aduerſarius ac uere diabolus ſeu calumniator eſt. Chriſtus autem eſt hominũ amator & interceſſor: Satan eſt mendax, Chriſtus uerax: Satan ad peccata impellit, Chriſtus a peccatis liberans, ad iuſtitiam ducit: Satan tenebræ, Chriſtus lux eſt: Satan excæcat mentes hominum, Chriſtus illuminat: Satan eſt homicida, Chriſtus hominum uiuificato: Satan princeps eſt mortis, Chriſtus autem princeps uitæ: deniq̃ Satan ad æternam damnationem ducit, Chriſtus autem ad æternam felicitatem. Quæ igitur poſſet eſſe illorum cõmunio? quod amicitiæ fœdus? Satanæ inſtinctu Pharao rex Aegypti opprimebat quondam tyrannide ſua iſraelitas, & publico edicto mandabat, ut omues maſculi Hebræorum interficerentur. Animaduertebat enim Satan Ieſum Chriſtum regnum ſuum in Iſrael iam tum meditari, & quo plures fierent iſraelitæ, eo pauciores relinquerentur imperio ſuo ſubditi. Hoc impulſore, Saul rex iſraelis Dauidi inſidias ſtruebat, ut ipſum occideret. Siquidem intelligebat Sathan, e Dauide proditurum eſſe Ieſum Chriſtum, qui bellum finibus ſuis illaturus eſſet, & populum imperio ſuo ſubiectum perdomiturus.

Quale perpetuo ſatanæ ſtudium fuerit.

Huius

Huius item consilio factum est, ut Prophetæ interficerentur. Hi enim prædicabant de regno Christi, & amplissimas Christi uirtutes celebrabant, unde multi in uenturum Christū credentes, ab imperio Satanæ deficiebant. Cum igitur propheræ populum Satanæ subditum ad defectionem sollicitarent, subornauit Satan satellites suos, reges & principes, ut prophetas trucidarent. Non enim impune fert, qui in alieno imperio seditionem mouet, & populum ad defectionem sui principis sollicitat. Accedit huc, quod etiam Satanæ impulsu Samaritani coram Artaxerxe quemadmodum in Esdra capite quarto scribitur, accusant Iudæos templum in Hierusalem restaurantes, & impediunt, ne templum reædificet. Prospiciebat enim futurum, ut quo magis floreret religio Iudæorum, eo plures a regno eius deficerent. Postremo cum iam Christus in terris ageret, in eum totum impetum suū uertit, in eum omnes artes, dolos, astus, potentiam & industriam suam expedit, ut ipsum de terra uiuentium deleret. Is enim erat, quem antea in omnibus piis persecutus fuerat, per quem solum regnum suum metuerat, & qui expugnato ac deuicto Satana omnes orbis terratum fines occupaturus erat. Itaq; ad Christum persequendum, non unum, sed omnia hominum genera impellit, scribas, pharisæos, magistratus, pontifices, præsides, reges, uulgum, discipulos & apostolos eius, existimans, si solum hunc de terra eradicasset, se postea in summa tranquillitate imperio suo fruiturum. Ecce autem, cum post mortem Christi aliquamdiu securus ageret, & se egregia ac stabili uictoria potitum opinaretur, ex improuiso prodit piscator Petrus, qui Christum abnegauerat & principio quidem tria millia imperio eius subducit. Deinde autem assumens secum alium piscatorem, uidelicet Ioannem, conatur omnes, quotquot in Hierusalem habitant, ad defectionem sollicitare, O rem Satanæ indignissimam uisam, q; tam abiecti, tam contempti piscatores, tam illiterati & imperiti homines, auderent terminos imperii sui inuadere, & populum a regno suo abducere. Proinde existimans iterum principiis obstandum esse & sero medicinam parari, redit ad ueteres suas artes & studia, ac impellit sacerdotes, uetera uidelicet organa sua, magistratus templi & Sadducæos, ut iniiciant in Petrum & Ioannem manus & ponāt eos in custodiam, ut postero die ad concilium pontificum producantur. Quid ergo causæ prætexunt illi, quod Petrum & Ioannem comprehendant, & uinculis custodiant? Nū palam dicunt. Conseruabimus regnum Satanæ, & destruemus regnum dei? minime omnium. Angelus enim Satanæ non reuelat sese sua specie, quippe quæ turpior & fædior est, quam ut reciperetur, & uel aspectu digna iudicaretur. Sed transfigurat sese in angelum lucis, & honesta ac diuina specie comptus prodit, ut ignaros & imperitos fallat. Hinc est, q; cum Pharaonem instigasset, ut israelitas opprimeret, non dicebat Pharao, opprimam israele regnum dei, & conseruabo regnum Satanæ, sed dicebat. Opprimamus israelem ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisq; nobis egrediatur de terra. Hæc est honesta species, honestum enim est, cauere ut subditi non deficiant ad hostes regis sui, & cum hostibus regem non expugnent. Saul quoq; non sentiebat se Dauidem obtruncaturum ut occiso Dauide regnum Satanæ promoueat, sed ne Dauid imperium suum, quod DOMINVS ipsi contulerat, inuaderet, & ipso erecto regnaret, Honestum autem est imperium suum tueri, & seditiosos comprimere. Adhæc reges & principes, non interficiebant prophetas eo prætextu, ut Satanæ regnum conseruarent, sed ut reipub. turbatoribus dignum factis suis supplicium inferrēt. Nam & Christus occisus est, a pontificibus non eo nomine, ut illi Satanæ obsequium præstarent, sed ne Romanus imperator gentem eorum perderet. Prouidere autem ne gens pereat, honestū est. Sic & hoc loco comprehenduntur Petrus & Ioannes, ac in uincula coniiciuntur, non quod qui eos comprehendunt, confiteantur se uiolentia sua uelle Satanæ imperiū tueri, sed alias atq; alias easq; honestas causas prætexūt. Sacerdotes enim & magistratus templi molestē ferebāt, q; homines illiterati, & piscatores, populū docebant quod tamē erat uel solo; sacerdotū & leuitarum, uel hominū doctoq;, inter Pharisæos & Sadducæos. Sadducæi autem molestē ferebant, q; adnūciarent publice resurrectionē mortuoq;, quā ipsi negabāt

Quomodo se Satan in angelum lucis transformet.

in nomine Iesu Christi. Pontifices autem & magistratus urbis ægro animo pacie bantur, & quem ipsi ad crucem damnauerãt, eum Petrus & Ioannes iniuste damnatum assererẽt, & resurrexisse eum a mortuis, adeoq; omnium creaturarum potestatem possidere affirmarent. Cæterum hæc audiens, non quasi simpliciter dicta transeas. Omnes rei circumstantiæ considerandæ sunt, & tunc perspicies, quantæ fuerit libertatis, arguere pontifices & Magistratus iniquæ cædis aduersus Christum designatæ. Erant Petrus & Ioannes piscatores, imbelles, indocti, & illiterati: Pontifices autem & magistratus, qui Iesum occiderant homines erant doctissimi, & potentissimi, & in ea ipsa urbe iurisdictionem habebant, in qua Petrus & Ioannes palam iniustæ eos cædis accusabant. Nec erant absentes in aliis regionibus, sed in ipsa urbe præsentes habitabant. Nũc igitur considera quantæ sit libertatis, imo, si iuxta carnem iudicaueris, temeritatis, si idiota quispiam imbellis & illiteratus publice accuset magistratum, in ea ipsa urbe in qua magistratus habitat, q̃ iniuste damnauerit reum heri aut pridie a carnifice interfectum. Quanto obsecro uitæ suæ discrimini sese obiicit? Petrus autem & Ioannes in hoc a Christo missi erant, ut Euangelion adnunciarent. Porro non poterant Euangelium de Iesu Christo sinceriter adnunciare, nisi etiam ostenderent eum iniuste damnatum esse. Itaq; non est temeritatis, sed officii, non libidinis sed obsequii diuini, quod accusarint palam pontifices & magistratus iniquæ cõdemnationis. Hoc tamen illi haud quaq̃ sic interpretantes comprehendunt apostolos, & uinculis custodiunt, donec concilium cogatur, ut cõmuni consilio collato regnũ Christi euertant. Cæterum quod Satan in hos duos apostolos conat̃, & antea palam in Israelem, in Dauidem, in prophetas, in restauratores templi, & in Christum conatus est, hoc idem priuatim in quosuis priuatos molitur, qui cupiunt deficere ab imperio suo, & Iesum Christum agnoscere, ut exempli gratia. Si auarus impostor, ex fide in Iesum Christum, ab impostura suis resipiscit, & credens promissioni diuinæ, quæ est patrem cœlestem nobis daturum panem quotidianum, uocationem dei non libidinem auariciæ suæ sequitur, confestim Satan cœlum terræ miscet, & uariis eum incommodis afficit, ut Christi regnum in eo eradicet, & ipsum rursus in pomeria sui regni trahat. Si inuidus quispiam conuitiator, credat sibi per Christum peccatum inuidiæ suæ remissum, & pro inuidia candorem assumat, bene precans etiam deuouentibus ipsum, mox Satan obiicit eum uariis aduersariorum suorum calumniis, quibus ipsum ad defectionem a Christi imperio sollicitat, & ad suum regnum inuitat. Breuiter quicunq; uel palam fines imperii Christi prædicatione & confessione proferre studet, uel priuatim pro legibus regni Christi uitam ducere conatur, is statim habebit aduersarium Satanam, qui omnem mouebit lapidem, ut regnum & leges regni Christi in nobis impediat, & nos ad sui obedientiam reducat. Proinde quo magis Satan nobis resistit, eo fortius in obsequio Christi pergendum est, ut deuicto per fidem Satana, solus Christus in nobis regner. Sed quid fit, postea quam Petrus & Ioannes comprehensi sunt, num Christi nomen obscuratur? aut fortassis auditores captiuitate primorum apostolorum deterrentur, ne fidem in Iesum Christum amplectantur? Minime omnium: nomen enim Christi multo clarius reddit̃, ut postea sequit̃, & interim dum illi uinculis detinentur, fide Christi iniciantur duo milia uirorum. Sic enim scribit Lucas.

» Multi eorum, qui audierunt sermonem crediderunt, & factus est numerus uirorum circi
» ter quinq; milia. Quæso te obserua hoc loco diligenter, quam mirabili industria, DOMINVS deus noster, Satanæ consilia & conatus inuertat. Quærebat Satan ut auditores cæ-

Quopacto Deus solet Satanæ consilia retundere ac inuertere.

ceribus principum apostolorum deterriti, Euangeliou de Iesu Christo aut negligerent, aut cõtemnerent. Sed o rem admirandam, quo Petrus & Ioannes in tetriorem carcerẽ cõiiciuntur, hoc plures fidem in Christum capessunt, & per fidem in Christum e tetterrimo Satanæ carcere liberantur. Quærebat Satan ut uinculis principum apostolorum Euangelion uinceretur. Sed quo magis illi uinculis constringuntur, eo liberius Euangelion redditur, Quærebat Satan, ut captiuitate apostolorum fides in Christum extingueretur. Sed quo sæpius illi a pontificibus capiuntur, hoc illustrior efficitur & amplior dilatatur.

Longe

Longe enim alia est ratio scelerum Satanæ, & operum Dei. Satanæ scelera, quæ illo impulsore homines palam designant, minis, persecutionibus, uinculis, captiuitatibus, carceribus, tormentis, uerberibus, gladijs, laqueis & crucibus utcunq; comprimuntur, & quoad in rebus humanis fieri potest, eradicãtur. At opera dei eo magis promouent, quo magis illa minis, uinculis, & id genus rebus, persequeris, & eo plus progrediunt, quo plus carnali resistẽtia impedire moliris. Meditabatur quondam DOMINVS in Ioseph filio Iacob principatũ super fratres suos, & declarabat quicquid erat istud consilij, Iosepho per somnium. Fratres autem eius conabantur consilium Dei impedire, inuidia, persecutione, fratricidio, & traditione Iosephi in seruiturem. Quid fit? Quo illi existimabãt se diuinum consilium impedituros, eo ipso adiuuabant. De Israëlitis tyrannide Pharaonis oppressis scriptum est: Quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant. Saul quoq; eo plus Dauidem regno inaugurabat, quo plus ipsum persequebatur. Et Pharisei Christum quidem ad crucem adegerunt, utregnum eius euerterent. Sed eo ipso Christus in regnum suum intrauit, & fines imperij sui protulit. Gentilitũ quoq; exquisitior crudelitas quondã aduersus Christianos, illecebra magis Christianismi fuit, q; extirpatio. Dixisses Christianorũ sanguinem semen esse, adeo tunc magis ædificabatur Christianismus, cum cædebatur. Et nostra ætate, quo magis prędicatio ueritatis Euangelij de iustificatione fidei, aduersus sophisticam & papisticam hypocrisim minis principum, edictis & mandatis pontificum prohibetur, & crudelissimis supplicijs tyrannorum opprimi uidetur, eo magis promouet, atq; in diuersas orbis partes spargitur. Cum igitur ueritas Euangelij persecutionibus promoueat, admonentur primũ tyranni, ut uel tandem discant contra stimulos non calcitrare, sed diuino operi liberũ permittere cursum. Quid enim efficiũt, si omnino in tyrãnide sua pergant? Certe nihil aliud, q; q; progressum diuini operis sua tyrannide præter ipsorum expectationem adiuuant, & seipsos internitioni tradunt. Qui tangit uos, inquit propheta, tangit pupillum oculi sui. Ita tyranni qui Euangeliũ persequũtur, seipsos persequunt, seipsos pdunt, seipsos dãnant, pgrediente interim Euãgelij ueritate in totũ orbem terrarũ, & quos uocat Dñs a reliquo hominũ corpore seligente. Deinde admonẽtur etiam, qui adhuc in fide Euangelij de Iesu Christo paulo infirmiores sunt, & qui quauis persecutionis fama ad defectionem sollicitantur, ut discant potius ex persecutionibus fortiorem & constantiorem animum per Iesum Christum & spiritum eius assumere, quàm animum despondere, & terrore persecutionum ab Euangelio deficere. Quæ est enim hæc nostra plusquã effœminata mollicies, quod cum certo sciamus opus dei, quod est prædicatio & fides in Iesum Christum absq; ullis operum, uel Mosaicorum uel Papisticorum meritis, iustificatorem, nulla humana tyrannide impediri posse, quouis minarum uento, aut leui persecutionum rumusculo ita territemur, ita concutiamur, quasi cœlum subito esset ruiturum, & omnia subuersurum? Non enim ut Paulus dicit, accepimus spiritum seruitutis ad timorem, sed spiritũ adoptionis, per quem clamamus: Abba pater, spiritum uidelicet libertatis, quo persuasum habemus, quod neq; mors, neque uita, neq; angeli, neq; principatus, neque potestates poterint nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. Itaque depulso metu, certo confidamus Christum Iesum qui in nobis est, maiorem & potentiorem esse, quam qui in mundo, & cum is qui in nobis est, iubeat nos bono animo esse quod ipse mundum uicerit, agite certissima etiam nobis uictoria parata est, in eodem Christo IESV DOMINO nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

IN CAP. QVARTVM ACT. APOST.

HOMILIA XVII.

AVdiuimus Petrum & Iohannem, quos Paulus Eccleſiæ columnas uocat, a ſacerdotibus & magiſtratibus tẽpli in carceres coniectos fuiſſe. Audiamus nunc quid, columnis Eccleſiæ uinctis, inter principes & pontifices ſynagogæ actũ ſit: Factum eſt autem (inquit Lucas) poſtero die, ut congregarentur principes eorum & ſeniores & ſcribæ ad Hieruſalem, & Annas princeps ſacerdotum, & Caiaphas & Iohannes, & Alexander, & quotquot erant de genere pontificio. Principio obſeruandum eſt, q̃ ſecura, q̃ tranquilla, q̃ quieta res ſit recti conſcientia. Rurſus, q̃ ſollicita, q̃ timida, q̃ inquieta, q̃ deſperata res ſit conſcientia malo & iniquo obnoxia. Tametſi enim Petrus & Ioannes uinculis captiui tenentur, tamen quia conſcientia eorum non potuit uinciri, in media etiam captiuitate liberi exiſtebant. Secura mens, ait Salomon, quaſi iuge conuiuium. Et Paulus: Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quomodo igitur potuiſſet Petro & Iohanni carcer grauis & moleſtus eſſe? Etenim quanquam peccatores erant, alter abnegatione, qua etiam execratus fuerat, & iurauerat q̃ nõ noſſet Ieſum. Alter ambitione qua Chriſtum rogauerat, ut ad dexteram eius ſederet, inſignis ac nobilis, tamen credebant per Ieſum Chriſtum, quem hactenus prædicauerant, peccata eorum expiata eſſe. Interim erant ſibi conſcij, q̃ in eo facto, propter quod in uincula coniecti fuerant, obſequium deo præſtitiſſent, & uocationi ſui miniſterij ſeruijſſent. Conſcientia igitur libera, quomodo potuit carcer ipſorum captiuitas eſſe? Scilicet mortem timuerunt. At qui credunt in Ieſum Chriſtũ, ijs mors non eſt damnum, ſed quemadmodum Paulus inquit, lucrum, quippe qui probe ſciant, q̃ omnis qui credit in filium Dei unigenitum, nõ pereat, ſed habeat uitam æternam. Itaq̃ amiciſſimi, hoc curemus, hoc ſtudeamus, ut per fidem ſecurã conſcientiam habeamus, & uocationi diuinæ fideliter ſeruiamus. Tunc enim, quis eſt, ut alias Petrus ait, qui ſit afflictur⁹ nos, ſi bonitatis emulatores fuerimus? immo, ſi quid etiam acciderit incommodi propter iuſticiam, beati tamen ſumus.

Tranquillitas conſcientiæ quantum bonum ſit, et contra.

Sed nunc mihi uide principum & pontificum conditionem. Hi enim & ſi carceribus non concludantur, ſed libere quo uolunt pergunt, tamen quia conſcientia eorum uinculis peſſimorum ſcelerum conſtricta eſt, in media libertate captiui ſunt. Non eſt pax impijs, dicit Dominus deus. Sed impij quaſi mare feruens, quod quieſcere nequit, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Quæ igitur ſunt illa ſcelera, quibus illi tanquam uinculis captiui tenebantur? Innumera ſunt, præcipua tamen enumerabimus. Ea ſunt, ambitio, auaricia, inuidia & homicidium, quod paulo ante in Ieſum Chriſtum deſignauerãt. Itaq̃ his uinculis capti ita turbantur, ita horrore concutiuntur, ut nunc timeant, ne regnum & diuitias ſuas amittant, nunc formident, ne ſeditione uulgi exagitentur, nunc de uitæ ſuæ incolumitate deſperent. Vnde fit, ut primatibus apoſtolis carcere detentis, currant, recurrant, conuentus agant, omnes ſui ordinis, tam extra urbem Hieruſalem, q̃ intra eam habitantes, conuocent, concilia cogant, deliberent, conſultent, decernant, mandent, & omnem, quod dicitur, lapidem moueant, quo ſaltem uitam ſuam tueantur. O admirandam rerum inuerſionem. Apoſtoli carcere captiui mortem non formidant. Principes autem & pontifices corpore non tantum liberi, ſed etiam magiſtratus poteſtate prædi ti mortem adeo formidant, ut a deſperatione incolumitatis uitæ ſuæ parum abſint. Atq̃ huc adigit eos mali conſcientia. Proinde caueamus ab impijs ſceleribus & uocationem noſtrã ex fide adminiſtremus, ut libera cõſcientia ſecuram & tranquillam in omnibus etiam aduerſis uitã agamus. Cæterum cõſyderemus modo qui ſint illi, qui aduerſus

uersus Petrum & Ioannẽ, hoc est, aduersus Christum & Euangelion eius, quod isti prædicauerunt, ad concilium in Hierusalem conueniant. Non enim sunt homines de media plebis fece, non sunt Ethnici & publici idololatræ, sed quemadmodum hic ex ordine commemorantur, Principes Iudæorum, senatores, scribæ, pontifices, & legitimæ fidei defensores ac protectores, & p̃cipuehi ad damnandum Apostolos nunc uelut ad commune incendium extinguendum conueniunt, qui antea ad damnandum Christum conuenerant. Quid igitur pietatis, quid clementiæ in Apostolos, ex hoc concilio sperares? Cuius exemplo quid boni ex ijs concilijs, quæ principes & Episcopi nostri sæculi, nunc post nupera illa comicia in qua palam Euangelij ueritas damnata est, meditãtur, expectares? Dices, illi Iudæi fuerunt, nostri Christiani sunt. Sed quemadmodum illi affectabãt quidem uideri legitimæ & auitæ religionis propugnatores esse, legitimam tamen religionem, specie & prætextu religionis impugnabant & persequebantur. Ita hoc sæculo multi affectant quidem uideri Ecclesiæ Christianæ & Euangelij defensores, qui tamen Ecclesiam & Euangelium religionis prætextu insectantur. An non est Euangelion insectari, uiolentia prohibere usum utriusq; speciei cœnæ dominicæ? an non est Euangelion insectari, diris mandatis præcipere, ut Missa pro peccatis, sacrificium satisfactorium & expiatorium obseruetur? An non est Euangelion insectari, publice decernere, q; fides non sola coram deo iustificet, sed necessaria sint operum merita ad iustificationem? Alia huius generis sexcenta sunt, quæ nũc longum esset numerare. Itaq; cum antea ueritas Euangelij a Pontificibus & Episcopis nostri sæculi condemnata sit, facile conijci potest, quid in eo concilio futurum sit quod nunc illi meditari dicuntur. Videamus ergo quid in concilio principum & pontificum aduersus Petrum & Ioannem congregato actum sit. Cum statuissent eos in medio, interrogabãt, qua uir »
tute, aut quo nomine feciſtis hoc uos? Veriſſime ſcriptum eſt: Perdam ſapientiã »
ſapientum, & intelligentiam intelligentium reijciam. Quid enim potuisset stultius & ad rem impertinentius a principibus & pontificibus interrogari? Conuenerant in concilium, & consyderãt, ut de scelere, de maleficio, de hæresi, aut alio quopiam flagitio eorum qui capti, & ad defendendum se producti erant, cognoscerent ac iudicarent. Illi autem non de scelere, sed de benefacto: non de maleficio, sed de beneficio: non de turpi flagicio, sed de honestissimo opere interrogant. Quærunt enim ex Apostolis, qua uirtute, aut qua potẽtia claudum sanum & integrum effecerint. Num claudum sanare flagitium est? num debilem plusquam quadragenarium sanitati restituere scelus est? Certe non posset gratius beneficium claudo & debili contingere, tantum abest, ut maleficij nomine censendum sit. Nonne medici magnis etiam præmijs afficiuntur, si ægrum quadridua num tantum pristinæ sanitati restituant? quanto magis Apostoli fuissent præmio honorandi, qui sanitatem contulerunt ægro plusquam quadragenario. Q; igitur principes & pontifices de beneficio in claudum collato quærunt, manifeste produnt, se in sapientia sua stultos factos esse, quippe qui de ea re inquirunt, quæ in iudicium non uenit, nec supplicio sed præmio digna est. Atque illud est quod Christus dicit: Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Vnde dabitur? autore quidem spiritu sancto dabitur, quid respondendum sit. Sed tamen ipsa aduersariorum uerba, non mediocrem respondendi occasionem spiritu uos per ea docente præstabunt. Proinde non est, q; ex incredulitate formidemus, ne iustam nostram causam præ infantia defendere non queamus. Sed hoc curandum est, ut iustam habeamus causam contra aduersarios, tunc enim etiam ipsi aduersarij occasionem optime respondendi, & nostram causam constantissime tuendi

præbebunt. Sic enim pontificibus & principibus inquirentibus, qua nam potentia claudus sanus factus esset, Petro respondendi occasio præbita est, qui repletus spiritu sancto, dixit ad eos: Principes populi & seniores Israël, si nos hodie examinamur, de eo quod benefecerimus homini infirmo, qua ratione iste sanus factus sit, notum sit omnibus uobis & toti plebi Israël, q̃ per nomen Iesu Christi quem uos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis, per hunc iste astat coram uobis sanus. Quæso te, diligenter obserues, q̃ longe nunc Petrus coram concilio principum & pontificum, ab eo discrepet, qui nuper ad prunas in atrio Caiaphæ coram seruis sacrificulorum & ancilla sese calefaciebat, ut interim cognoscas, quanta sit spiritus sancti potentia, quanta plerophoriæ efficacia. Etenim Petrus, qui nuper aspectu serui & ancillæ ita terrebatur, ut interpellatus, continuo Christum etiam execrationibus & iureiurando abnegaret, is nunc coram senatu reuerendissimorum pontificum, & illustrissimorum principum, ipsa maiestatis specie metuendo, adeo non terretur, ut non solum Christum liberrime confiteatur, sed etiam principes & pontifices, ob prepostera muneris sui administratione fugillet, & eos homicidij arguat. Vnde noua illa fiducia & libertas Petro? certe non est in carne eius nata, sed autore spiritu sancto donata. Posteaquã enim spiritus sanctus Apostolis missus est, nõ uenit ad eos uacuus & inanis, sed aduexit secum innumeras dotes, noticiam peregrinarum linguarum, uirtutem operandi miracula, intelligentiam eorum quæ antea a Christo dicta erant, constantiam fidei, fiduciam & libertatem loquendi, sapientiam aduersarijs respondendi, gaudium, pacem, lenitatem, mãsuetudinem, benignitatem, & quis omnes spũs dotes recensere posset? Quas si & nos affectamus (omnino enim affectandæ sunt, siquidem monemur, ut superna & cœlestia quæramus) curandum est, ut Euangelion de Iesu Christo per fidem complectamur. Ita fiet, ut per Euangelion, quod fide excipimus, spiritus sanctus nobis administretur. Spiritus autem administratus non solum erit sigillum & arra in cordibus nostris, uerumetiam ornabit nos ijs uirtutibus, quas cœlestis municipatus a nobis requirit, ut induamur tanquam electi Dei sancti ac dilecti, uiscera miserationum, charitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, patientiam in aduersis, & si quando opus erit, libertatem loquendi, fiduciam confitendi Iesum Christum, & quicquid est id genus uirtutum. Quæ erga sunt illa quæ Petrus spiritu sancto repletus maxima loquẽdi parrhesia dixit? Principio ciuiliter admodum fugillat pontifices & principes, q̃ sui officij obliti, non de maleficio, sed beneficio inquirant: Existimabam, inquit, o principes & senatores, nos heri carceri traditos esse propter flagitium aliquod per nos commissum. Nunc autem uideo nos tantum examinari de beneficio, quod in hunc claudum quadragenarium, quem coram cernitis, cõtulimus. Atqui, boni magistratus est, ut eos in uincula conijciat & puniat, qui maleficia designant, nõ qui hominibus beneficia cõferunt. Et præsides quos uos profitemini mittuntur ad uindictam quidem nocẽtium, laudem uero recte agentiũ. Quãdo igitur, uestro etiam testimonio, nihil nocuimus claudo isti, sed multum profuimus, muneris uestri erat, non ut nos ueluti malefactores in carceres conijceretis, & per ora hominum traduceretis, sed ut benefactores laude ac premijs afficeretis. At quia uobis libet præposteris magistratib⁹ esse, & malefactores laudare, benefactores autem uindicare, breuiter respõdebimus, qua ratione hic claudus beneficium sanitatis consecutus sit, & quod dicemus, non uobis solum, sed etiam toti genti Israël dictum esse uolumus. Hic enim nuper plusquam quadraginta annis claudus, astat nũc coram uobis sanus (aderat enim & claudus in concilio, siue a principibus uocatus, siue ab Apostolis introductus, siue sua sponte suis benefactoribus adhærescens) non nostra uirtute, non nostra iusticia, bene

enim

enim nobis conscij sumus nostræ imbecillitatis & iniusticię: nec potentia aliqua magica, quippe qui nullis, nec carminibus, nec characteribus, nec exorcismis, quibus rebus Magi uti solent, hominem excantauimus, sed sola uirtute, potentia, & nomine Iesu Christi Nazareni, quem uos crucifixistis quidem, sed deus suscitauit illum a mortuis. Dictum est ad eum simplicissime: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et ecce continuo exiliens, stetit & ambulauit. Iesus igitur quem uos crucifixistis, huic sanitatem, nostro tãtum ministerio, sua uero autoritate & potentia, qui nunc a mortuis suscitatus, ubiq; dominatur, contulit. Animaduerte obsecrõ, quanta libertate Petrus Christum coram principibus & pontificibus confiteatur. Quod enim antea coram uulgo cui rationem sanitatis claudi reddebat, dixit, hoc idem nunc coram senatu principum & pontificum repetit. Prius enim dixerat, authorem uitæ interfecistis, quem deus suscitauit a mortuis. Idem nunc inculcat, uos crucifixistis, quem deus suscitauit a mortuis. Et quid hoc aliud est, & si quis explicatim diceret: quem uos tyrannide interfecistis, hunc deus clementia uitæ restituit: quem uos crudelitate trucidastis, hunc deus bonitate sua ad uitam reduxit: quem uos summa impietate & iniquitate ad mortem adegistis, hunc deus summa pietate & æquitate a mortuis suscitauit: quem uos latronum more occidistis, hunc deus diuino more uiuificauit. Profecto hæc sibi uolunt Petri uerba. Ergo ne conuiciatur? minime, qui in malefactorem ex officio ministerij sui uera dicit, non conuiciatur, sed uocationi suæ seruit. Et ut Petrus amplius principes ac pontifices pudefaciat, Christum autem glorificet ac celebret, addit: Hic est lapis ille qui reiectus est a uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, nec est in alio quoquã salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Quod Petrus de lapide reprobato & in caput anguli facto dicit, e psalmo iuxta Hebraicam rationem centesimo decimo octauo mutuatum est. Dictum memorabile, quod etiam Christus, testãtibus Euangelistis, Matthæo, Marco & Luca, usurpat, & de seipso intelligi subindicat, inquiens: Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Quin & Petrus hoc dicto tantopere delectatus est, ut non hoc tantum loco, sed etiam in priori sua epistola capite secundo usurpet, & ad explicandam Christi maiestatem repetat. Metaphora enim a lapide ædificio & angulo sumpta, totam fere Christi rationem mira perspicuitate exponit, & oculis mentis nostræ subijcit. Videamus igitur, quod sit illud ædificium, & qui sint ædificatores, de quibus spiritus sanctus in psalmo loquitur, ut & hinc lapis ab ædificatoribus quidem reprobatus, a Deo autem in caput anguli electus, cognobilior nobis reddatur. Itaq; nullus hic fit sermo de ædificio templi illius quod Salomon in monte Sion magno impendio instaurauit. Sed de ædificio templi illius, quod est, congregatio & collectio omnium filiorum Dei, qui ad hæreditatem diuinorum bonorum pertinent. De quibus Paulus ait: Vos estis templum Dei uiuentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et aliàs Petrus: Ipsi ueluti uiui lapides ædificemini, domus spiritualis. Porro hoc templum ædificatur ministerio uerbi Dei. Quotquot igitur Verbi Dei ministros agunt, templum Domini ædificare dicuntur. Vnde Mose, Aheron, pontifices, sacerdotes, prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, & quicquid est ministrorum Ecclesiasticorum, tot lapides ad huius templi constructionem aduehunt & componunt, quot homines per Verbum prædicationis suæ ad DOMINVM conuertunt, & Deo subijciunt. Vel saltem duos Apostolos Petrum & Paulum mihi consydera, qui nimirum fuerunt optimi & fidelissimi templi Dei ædificatores. Petrus uno die aduexit ad

,, ,, ,,

Locus de reiecto lapide angulari, & de ædificatoribus templi dominici.

huius templi ædificium, ter mille lapides, & iterum duo millia, quemadmodum supra dictum est, ut duabus tantum uecturis, circiter quinq; millia uiuorum lapidum adduxerit. Paulus uero gentium Apostolus, tantum lapidum numerum ad istud ædificium ex gentibus aduexit, ut nemo illum ratione comprehendere queat. Et sicut Mose ac prophetæ, quamuis mortui, scriptis suis templum Domini ædificarunt, ita Apostoli, quamuis immaniter ab aduersarijs suis quondam trucidati fuerint, adhuc tamen his temporibus scriptis suis post se relictis, quasi uehiculis tot lapides ad templi dei structuram conuehunt & componunt, quot homines per ipsorum scripta ad cognitionem fidei ducuntur. Iam uero, multa est inter ædificatores templi differentia. Quidam enim non superstruunt nisi fundamento probe collocato, quales dicas ædificatores, Mosen, ueros sacerdotes, prophetas atq; Apostolos, qui Iesum Christum ædificij sui fundamentum locarunt. Quidam ita insaniunt, ut uel absq; fundamento temere quicquid congesserint, in unam molem mox ruituram conijciunt, uel præ nimia quam affectant industria, eo insipientiæ & stoliditatis dilabuntur, ut lapides fundamento aptissimos & accommodatissimos reijciant, & lignum, fœnum ac stipulam pro fundamento locant. Quales dicas ædificatores fuisse, Sacerdotes, pontifices, Scribas & pharisæos, qui Iesum Christum DOMINVM nostrum ad crucem adegerunt. Erat autem Christus lapis ad ædificium templi longe omnium accommodissimus & minime uulgaris. Sed angularis & fundamentalis, de quo per Esaiam Deus prædixerat: Ecce ego mittam in fundamentis Zion lapidem angularem, lapidem probatum, precio sum, in fundamento fundatum. Hunc igitur lapidem, cum isti ædificatores arripuissent, ut ædificio templi aptarent, uisus est ipsis longe omnium incommodissimus, & qui totum ædificium non solum deformaturus sit, sed etiam destructurus. Ipsi enim ædificabant templum Domini, doctrina operum, meritis humanæ iustitiæ, circuncisione, Sabbatis, Neomenijs, sacrificijs, decimationibus mentæ & cymini, longis precibus, hypocriticis ieunijs, lotionibus manuum, & alijs traditionibus humanis. Docebant his operibus peccata expiari, iram Dei mitigari, gratiam Dei conferri, & perpetua fœlicitate donari. Iesus autem Christus longe diuersa docebat, uidelicet, peccata non expiari, nec operibus legis, nec iustitia humanarum traditionum, nec meritis carnis, sed tantum per suum ipsius sanguinem, & per fidem, ut quicunq; in ipsum crederet, non solum consequeretur remissionem peccatorum, sed etiam uitam æternam. Qui uero non crederet in ipsum, iam condemnatus esset, etiamsi alioqui omnia opera legis & traditionum humanarum fecisset. Proinde pontifices, sacerdotes, pharisæi & scribæ, templi ædificatores, animaduertentes doctrinam Christi prorsus non conuenire cum suis traditionibus, iudicauerunt Iesum Christum plane esse fastidiendum, contemnendum & reijciendum, tanquam lapidem ædificio templi Dominici, non solum incommodum, sed etiam maximo damno futurum, quippe qui sua inæqualitate totum ædificium euersurum sit. Hinc est q; clamarunt aliàs, reus est mortis, aliàs, tolle tolle crucifige eum, aliàs, non habemus Messiam, nisi Cæsarem, alias, nolumus hunc regnare super nos. Verum enimuero, longe alia sunt iudicia & sententiæ Dei q; hominum. Lapis enim Iesus Christus, quem reprobauerunt ædificatores, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Clamauerũt ædificatores pontifices de Iesu Christo, reus est mortis, at Deus constituit eum autorem uitæ. Clamauerunt sacerdotes, tolle crucifige eum, at: Dixit Dominus, per prophetam, Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Clamauerunt Scribæ, nolumus hunc regnare super nos, at clamat Dominus ad eũ: Specie tua & pulchritu-

Ædificatores templi.

dine

dine tua, intende prospere, procede & regna. Clamauerunt pharisæi: Non habemus Messiam nisi Cæsarem, at clamat spiritus sanctus per os Petri: Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat saluos fieri, q̃ nomine Iesu Christi. Qua una Petri uoce omnia omnium religionum ædificia euertuntur, & solum illud statuitur, quod fundamẽtum Iesum Christum ponit. Vna quoq; hac uoce sordidantur omnia nomina, quæ ad consequendam salutem excogitata sunt, & celebratur unum tantum nomen Iesu Christi, ad consequẽdam salutem commodum & idoneum. Etenim iuxta uarias religiones, uaria quoq; sunt consequendæ salutis nomina. Iudæus carnalis habet circuncisionem, sacrificia, baptismata carnis, & Leuiticum cultum, quibus nominibus sperat se ad salutem peruenturum. Pharisæus habet prolixas preces, ficticia ieiunia, dilatationes phylacteriorum, lotiones manuum, & id genus alia, quibus nominibus confidit sibi salutem adfore. Philosophus Ethnicus habet uirtutes, prudentiam, fortitudinem, iusticiam & temperantiam, quibus nominibus putat se sibi salutem parare posse. Turca habet Mahumeten, cultus diuinos speciosissimos & deuotissimos, quibus nominibus ueram salutem inquirit quidem, sed nunquam inuenit. Papistica hypocrisis habet Missas pro peccatis satisfactorias, habet peregrinatiões, certas preculas, certa ieiunia, certos cibos, certa uestimenta, certa festa, habet oblationes, sanctorum inuocationes, & id genus innumera, quibus nominibus certissimam sibi salutem pollicetur. Omnia autem hæc noia quoquo modo uocentur, ad consequendam salutem uanissima & mendacissima sunt. Solus Iesus Christus nomen illud est, quod deus hominibus dedit, ut in eo salutem acquirant. Et quanq̃ Iesum Christum ædificatores pontifices tanq̃ lapidem inutilem reprobauerint, tamen Dominus ita preciosum eum iudicauit, ut fecerit ex eo lapidẽ angularem, qui in primis totum templi dei ædificium sustineat. Deinde duos parietes templi qui sunt Iudæi & Gentes ita connectat, ut ex utrisq; unum faciat. Sed ut tandem finem sermonis faciam, ex hac Petri apologia, qua ille cõcilio pontificum rationem dat sanationis claudi, discamus primum, dilectissimi, q̃ miracula uisibilia & corporalia per nomen Christi ædita, eo respiciunt, ut testentur, maiestatem nominis Christi, & quasi signaculis quibusdam, ministeriũ Euangelij de Iesu Christo confirment. Deinde obseruemus, q̃ Iesu Christi Euangelion non habet nec̃ infestiores nec̃ perniciosiores, nec̃ uirulentiores persecutores, q̃ eos qui sese gloriantur tẽpli dei ædificatores, & Ecclesiæ defensores. Postremo animaduertamus nullũ uspiam nomẽ, hoc est, nullũ opus, nullũ meritũ, nullã iusticiam carnis, nullam uirtutẽ humanã, nullam facticiã pietatẽ, consequendæ ueræ salutis uiã esse, sed solũ nomẽ Iesu Christi, solam passionẽ, sanguinẽ, mortẽ & resurrectionẽ eius nobis esse propiciationẽ pro peccatis & uiã uitæ propositã, ut p̃ solã fidem in Iesum Christũ a peccatis purificati corã deo iustificemur, & uerã atq̃ perpetuã salutẽ adsequamur, per eundẽ Iesum Christũ Dñm nostrũ qui est unà cũ patre & spũ sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

Varia nomina ad consequendam salutem ab hominibus excogitata.

HOMILIA XVIII.

QVod Iesus Christus Dominus noster, amicissimis, aliàs discipulis suis pollicitus est, dicens: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, nec̃ resistere omnes qui aduersabuntur uobis. Hoc nunc ipsum in Petro & Iohanne egregie præstitisse uidemus. Tametsi enim illi conditionibus iniquissimis coram Concilio Pontificum & principum constrictissent, quippe q̃ aduersarij ijdem erant & accusatores & testes & iudices, tamen illi ita causam suam peroraucrunt, ut omnes, quotquot præsto

» aderant aduersarij, haberent quidem quod admirarentur, non autem haberent
» quod responderent. Sic enim sequitur: Videntes autem Petri in dicendo liber-
» tatem ac Ioannis, comperto q̄ ꝙ homines essent illiterati & idiotæ, admiraban
» tur & agnoscebant eos ꝙ cum Iesu fuissent. Hominem autem uidentes stantem
» cum eis qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere. Quod principes & pon
tifices in Petro ac Ioanne admirantur, hoc idem & nobis in ipsis admirari licet,
non ut uerbo Euāgelij & nomini Christi resistamus, sicut pontifices restiterūt,
sed ut agnita libertatis, fiduciæ, & aliarum uirtutum in Petro & Ioanne causa &
autore, sollicito studio ad easdem uirtutes consectandas contendamus. Etenim
multa sunt, quæ & si aliquid fiduciæ & libertatis dicēdi de Christo Iesu in Apo
stolis fuisset, non solum tamen tentare, sed etiam prorsus euertere & opprimere
potuissent. Nonne confessus tot amplissimorum uirorum, qui & authoritate &
potentia, & sapientia, & sanctitate omnibus alijs præstant, magnis etiam orato-
ribus, de rebus fauorabilibus dicturis, ingentem terrorem incutit, nedum duo-
bus uiris illiteratis & idiotis, causam capitalis criminis agentibus? Quid? duo
ne illiterati & idiotæ piscatores, prudentiores & eruditiores essent, q̄ electissi-
morum principum & pontificum concio? Confederant illi in concilio quos scri
ptura uocabat deos, inquiens: Dijs non detrahes, & principi populi tui non ma-
ledices. Illi, inquam, confederant, de quorum authoritate scriptum est: Qui su-
perbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino
deo tuo, ex decreto iudicis, morietur homo ille, & auferas malum de Israël, cun-
ctus q̄ populus audiēs, timebit, ut nullus deinceps tumescat superbia. Quantam
igitur efficaciam putas hunc confessum ad terrorem formidolosis reis incutien
dum habuisse? Qui possent isti errare, aut ueritatem damnare, qui ab incunabu
lis legi diuinæ operam dedissent, & illorum septuaginta seniorum, quibus deus
spiritum Mosi quondam distribuerat, sectatores & successores essent? Qua igi-
tur fiducia constabant Petrus & Ioannes? num fiducia sanctitatis suæ? Sed pon
tifices & pharisæi qui in concilio aderant, omnibus non solū Apostolis, sed etiā
reliquis hominibus sanctiores apparebant. Num sapientiæ? sed senatores con-
cilij sapientissimi erant. Num cognitionis diuinæ legis? sed pontifices erāt in le
ge doctissimi, Apostoli homines illiterati & idiotæ. Num potentiæ, aut multitu
dinis uulgi ipsis adhærentis? sed principes in concilio erant longe oīum poten-
tissimi, & qui Apostolis adhærebant, plane inermes erant, & iam antea edocti,
ut impietati quidem non obedirent, non tamen arma cōtra aduersarios suos ma
gistratus expedirent, nec ui resisterent. Postremo huc accedebat, q̄ certo consta
bat Petrum & Ioannem Iesu discipulos fuisse, qui antea uno omnium ore dam-
natus fuerat. Nonne unum illud potuisset ipsis præsentissimam mortem ob ocu
los obij cere, ac ita eos territare, ut ne hiscere quidem contra ausi fuissent. Vobis
ne parcent discipulis, qui præceptori non pepercerunt? Vos ne seruos liberos
dimittent, qui Dominum tam crudeliter occiderunt? Vos ne famulos absoluēt,
qui patrem familias ad crucem adegerunt? Apostoli autem omnibus his nihil
prorsus perterrefacti, summa & admiranda libertate, coram concilio nomen Ie-
su Christi confessi sunt. Vnde obsecro tanta animis eorum fiducia accessit? Spi
ritus sanctus, inquis, præsto eis adfuit, & animauit eos. Bene dictum est, sic enim
Lucas scribit, Petrum spiritu sancto repletum locutū fuisse. Sed quæso te, quan-
do spiritus sanctus sua habet ministeria, & sua organa, quibus opera sua in ho-
minibus & inchoat & peragit, quæ tādem illa sint ministeria, quibus corda Apo
stolorum animauit, & tanta fiducia corroborauit? Ex prædicatione fidei, inquit
Paulus, spūm accepistis. Et fecit nos deus idoneos ministros noui testamēti, nō
literæ occidentis, sed spiritus uiuificantis. Item aliàs, Euangelion est potentia

Euangelion esse organon spūs sancti

Dei ad

Dei ad salutem omni credenti. Quod si est potentia ad salutem, quanto magis est potentia ad præstandam animo fiduciam & constantiam? Ita q̃ Euangelij prædicatio ministerium & organum illud est, per quod spiritus sanctus mẽti nostræ illabitur, & admirandas ac incredibiles uirtutes operatur. Videamus igitur, qd illud Euangelion sit, per quod duo Apostoli Petrus & Ioannes coram concilio ita animati fuérunt, ut nec potentia principum, nec autoritate pontificum, nec periculo præsentis mortis a confessione nominis Christi perterriti sint. In Matthæo sic loquitur Christus ad eos: Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Et ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna, & reliqua quæ in eodem loco sequuntur. Idem repetit Christus iam e mundo discessurus: Mementote, inquit, sermonis quem ego dixi uobis: Non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & uos persequentur. Et postea: In mundo afflictionem habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mundum. Hæc & alia his similia, Euangelia seu promissiones Christi sunt, quas spũs sanctus Petro & Ioanni suggessit, & per quas corda illorum, quouis adamãte firmiora effecit. Intentissimo igitur studio, Euangelij, seu promissionum diuinarum prædicationem sectemur, ut Euangelio credentes, spiritus sancti participes efficiamur, & dona ac uirtutes eius consequamur. Non enim solum ad publicam nominis Christi cõfessionem, & libertatem dicendi de Christo, coram principibus & pontificibus, sed etiam ad omnia priuata obsequia deo præstanda, & ad uirtutem resistendi Satanæ & omnibus angelis eius, spiritu sancto opus est. Ita q̃ ministerium quo q̃ spiritus sancti necessarium erit, ut per illud spiritus sanctus nobis illabatur, & suas uirtutes operetur. Quo dico uno aut altero exemplo, clarius demonstrabo. Sicut Apostolis præceptum erat, ut publice Euangelion de Iesu Christo prædicent, & cuiuis demandatum est, ut nomen Iesu Christi confiteatur, ita omnibus priuatim præceptum est, ut non furentur, & nulli proximorum suorum in negocio imponãt, nec quenq̃ circumueniant. Iam si quis decreuerit hoc præceptum Dei sequi, & iussum eius capessere, quid fit? continuo Satan & angeli eius proponunt illi exempla honestissimorum hominum, qui magnas opes impostoris pararunt, obtrudunt ei authoritatem multitudinis, quæ fere diuitias mendacijs & periurijs consectatur: obijciunt illi paupertatem & famem, minantur ei dedecora & probra quæ paupertatem sequuntur: quibus rebus moliuntur, ut ipsum ab obsequio diuinæ legis deterreant. Nisi igitur spiritus sanctus cor animauerit, fieri nequit, ut suis uiribus constet. Quo autem ministerio, quo organo spiritus sanctus cor animat, & suis uirtutibus corroborat, ut possit Satanæ resistere? Nimirum non alio q̃ uerbo Euangelij. Ita q̃ Euangelij uerbum est, Pater cœlestis alit uolatilia cœli, & uestit lilia agri: an non multo magis uobis id faciet? nouit enim pater uester quod opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Et in psalmo: Tu das escam illorum in tempore oportuno, Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Hæ sunt illæ promissiones Dei, hæc sunt Euangelia, per quæ, si fide accepta sint, spiritus sanctus tantas in corde humano uirtutes operatur, ut non solum alienæ opes impostoris non conquirantur, sed etiam propriæ opes egentibus pro sua cuiusq̃ facultate distribuantur. Quod de præcepto furti diximus, idem de præcepto homicidij & alijs omnibus sentiendum est. Omnibus enim mandatum est, ut non occidant, nec inuideant, inuidia enim homicidij pars est. Iam si quis huic mandato obsequi conatur, mox Satan proponit ei exẽpla honestissimoꝝ uiroꝝ, qui se inuicẽ inuidia persequunt, exaggerat ei iniuriã & cõtu-

Quomodo spiritus sanctus per Euangelium uirtutes suas in nobis operatur.

meliam ab aduersario illatam, ostentat ei opportunas ultionis occasiones. Itaq; si quis spiritu sancto destitutus fuerit, nõ potest nõ cedere Satanæ instinctui: ut aũt resistatur ei, necessarius est spũs sanctus, necessarium quo q; est organon per quod spũs sanctus suas uirtutes in homine exerceat. Porro, diximus Euãgelion seu promissionem diuinam esse spũs instrumentũ. Quod ergo illud Euangelion est, quod ad hãc rem attinet? Si remiseritis, inquit Christus, hoĩbus errata sua, remittet & uobis pater uester cœlestis. Et iterum: Remittite, si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cœlis est, remittat uobis delicta uestra. Q; si quis hanc Euangelij promissionem (Remittet uobis pater uester cœlestis) fide concipiat, tunc autore spũ sancto tantæ per eam uirtutes exercentur, ut animus humanus non solum remittat illatam iniuriam, sed etiam magna libentia inimico benefaciat. Proinde Euangelij promissiones altissima fide reponamus, ut spiritus sanctus semper organon suum in nobis paratum inueniens, suas uirtutes in nobis ad salutem operetur. Sed redeamus ad explicandam cõcilij principum & pontificum consultationem. Iussis enim Petro & Ioanne e cõcilio secedere, conferebant inter sese dicentes: Quid faciemus hominibus istis, nam conspicuum signum editum esse per eos, omnibus habitantibus Hierosolymis manifestũ est, nec possumus inficiari. Sed ne amplius diuulgetur in populum, minaciter interminemur eis, ne post hac loquantur in nomine hoc ulli hominum. Amabo te, obserua in hac consultatione manifestissima & alta mente reponenda Dei miracula. Conuenerunt enim in hoc concilium, primum sapientissimi pontifices, deinde potentissimi principes, ut duos illos piscatores, partim industrijs rationibus conuincerent, partim uiolenta potentia coërcerent. Sed ecce mirabile dei opus. In ipsa consultatione deficiunt illos rationes, argumenta, & calumniæ: hos autẽ uincula, carceres & gladij, adeoq; nihil reliquũ eis fit, præter uanissimas minas. Quid enim facerent? Negarent ne factum? at manifestius erat, q; ut quisquam inficiari posset. Conuincerent ne rationibus & argumentis, non esse diuina uirtute factum? At nulla apta & idonea ad eam rem conuincendam argumenta reperiebantur. Calumniarentur ne factum? at, quod est uehementer admirandum, hominibus ad calumniandum natis, nunc calumniæ desunt. Iterum ne Petrum & Ioannem carceribus includerent? at timebant illi ne uulgus carceres infringeret. Occiderent ne? Sed formidabãt, ne ea sententia seipsos seditiosæ turbæ trucidandos obijcerent. Hoc unum reliquum est ut interminentur Apostolis, ne post hac in nomine Iesu ulli hominum loquantur. Accersitis ergo illis, præceperunt, ne omnino loquerentur, nec; docerent in nomine Iesu. Sic enim omnes diuinæ ueritatis & eorum qui uocationem diuinam sequuntur, aduersarij & persecutores a Dño exarmantur. Non est (inquit Salomon) sapientia contra Dñm.

Quomodo Deus pestiferos impiorũ conatus in piorum bonũ ac salutem uertat.

Vis aliquot exemplis cognoscere, quomodo eor; qui uocanti Deo obsequũtur aduersarij, oĩbus suis armis priuentur? Nõne Saul misit nũcios ad Romatha, ut illic Dauidem ad necandum comprehenderent? Sed cum nunc primi, secundi, tertij, postremo ipse quo q; Saul illuc ad prophetarum conuentum peruenissent, cœperunt mutata mente unà cum alijs prophetare, & Dauidem præsentẽ ne digito quidem attigerunt, quemadmodum in priori Samuelis libro cap. 19. scriptum est. Ahab in fame illa trium armorum, nuncios ad omnes finitimas gẽtes misit, ut Eliam ad necem quærerent. Cum autem Elias uocatione diuina ad Ahab ueniisset, num mox euaginato gladio confoditur? Habebat quidem Ahab gladios, sed his ita exarmatur, ut nihil ei aduersus Eliam præter minaces quasdam expostulationes relinquatur. Tu ne es ille (inquit Ahab) qui conturbas Israël? hoc erat gladius, hoc ensis regis, hoc est, fumus & nebula. Quid ẏo de eo miraculo dicã, q̃d Dñs in equitibus regis Syriæ ad capiendũ prophetã Elizã emissis edidit?

Nam

Nam cum illi ad Elizam peruenissent, tantæ cęcitate sunt percussi, ut quem comprehensuri uenerant, eum cæci ad hostes suos Israëlitas ducem sequantur, & qui capere uolebant prophetam, a suis hostibus ductore propheta capiuntur. Habebant illi oculos quibus Elizam in omnibus fere gentibus nobilem agnoscere, habebant uincula, quibus & manus & pedes eius colligare, habebant gladios, habebant hastas, quibus eum configere, poterant. Sed ut oculis excęcantur, ne quẽ coram cernunt non agnoscant, ita uincula, gladij, & hastæ, diuina manu continentur, ut quæ illi habent, eis uti aduersus Elizam non queant. Quid enim dicit Hiob de Domino deo nostro? Ducit (inquiens) consiliarios tanquã prædam, & iudices stupidos facit, uincula regum dissoluit, & ligat cingulo lumbos eorũ. Cum igitur Dominus prudẽtes diuinæ ordinationi & uocationi resistentes, stultos reddat, & potentes seruorum dei persecutores suis armis spoliet, confidenter & intrepide diuinæ uocationi seruiendum est. Etsi enim aduersarij in nos fremant, insaniant, & grauissima quęq; minentur, tamen citra uoluntatem patris nostri cœlestis ne pilo quidem nos lædere possunt. Vnde Petrus & Ioannes uanissimis & impotentissimis pontificum minis, multo confidentiores effecti, respondentes dixerunt ad eos: An iustum sit in conspectu Dei uos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Responsio, priori apologia ferme liberior. Quàm admirabilis est potentia spiritus sancti? Vt enim ignis tectus magis æstuat, ita spiritus sanctus ab hominibus oppressus, magis uires suas exerit. Antea carceres plus irritarunt Apostolos ad confitendum Christum q̃ ad negandum. Nunc minæ pontificum & principum ita animos Apostolorum accendunt & inflammant, ut palam & ingenue in ipso senatu recusent, se impijs eorum præceptis aduersus Dominum obeditu-ros, tantum abest, ut minis territi, uocationem Dei & prædicationem Euangelij de Christo Iesu abnegent. An iustum sit (inquiunt) in conspectu dei, uos potius audire q̃ deum, iudicate. Deus enim mandauit nobis, ut Euãgelion de Iesu Christo prædicemus, uos quod Deus mandauit, prohibetis. Vos ergo ipsi qui estis pontifices, & diuinæ religiõis professores, ac maiestatis dei defensores, iudicate num iustum sit, ut uobis potius q̃ deo obediamus. Diserte autem addũt: In conspectu Dei. Siquidem norunt, in conspectu hominum iustissimum & prudentissimum uideri, multitudinis opinionem sequi, ad mores huius sæculi sese accommodare, & magistratus præceptis, siue æquis siue iniquis, siue pijs siue impijs citra discrimen parere. Contra uero iniustissimum & stultissimum reputari publicam aliorum religionem damnare, sibi soli pietatem arrogare, sapientum opiniones despicere, & iussa magistratus in maximam sui ipsius pernitiem negligere atq; irridere. Alius autem est conspectus, aliud iudicium dei, aliud hominum. In conspectu dei quidem & iudicio dei iustum est, ut sapientũ scita complectamur, & iussa magistratus capessamus, si illi ex uerbo Domini dogmata sua proferunt, & hi non impia, licet nonnunquam iniqua, sed tamen ciuilia præcipiunt. Rursus iniustissimum est, opiniones carnalis sapientiæ contra spiritus sancti scita sectari, & impijs mandatis magistratus aduersus præcepta Domini obedire. Lex enim iubet, ut soli deo seruiamus: DOMINVM (inquit) deum tuum timebis, & illi soli seruies. Tantisper igitur hominibus, hoc est, principibus & magistratibus seruiendum est, dum in illis deo seruire licet. Cum autem illi mandauerint, quod a seruitute & obsequio dei nos abducit, sequendum est non quod principes, sed quod deus iussit, ut soli deo seruiatur. Adhæc, pepigit Dominus cum Israëlitis fœdus, ut ipse sit deus eorum, illi autem populus Dei, mandatis eius obediens. Cum igitur Israel hoc fœdus receperit, & suo consensu firmauerit, nonne fidefragus iudicandus est, qui propter magistratus iussa man-

Quatenus hominibus obediendũ sit.

data dei negligit? Esto sane, q̄ quis iureiurando receperit se obediturum principibus suis, at iusiurandum homini præstitum, non est tanti ut obliget contra obsequium deo debitum. Quid enim sunt principes, nisi ministri dei? Deus autem Dominus est. Qui ergo conueniret, ut ministro contra Dominum obedires? Nonne principes creaturæ sunt, Deus autem creator? Nonne principes solum corpus occidere possunt, & nec illud possunt, nisi deus annuat. Deus autem potest & corpus & animam perdere in gehennã: Ita q̄ non solum iustum, sed etiam nisi uelimus & corpore & anima perire, necessarium est, ut principibus impia mandantibus, magis obediamus deo q̄ hominibus. Vnde & Petrus ac Ioannes addunt: Non possumus quæ uidimus & audiuimus non loqui. Vidimus Iesum Christum resurrexisse a mortuis, uidimus in nomine eius maximas uirtutes fieri, audiuimus nobis commendatum esse, ut eamus in mũdum uniuersum & prædicemus Euangelion omni creaturæ. Audiuimus ad nos dictum esse a Christo: Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos, ut docentes omnes gentes, baptizetis eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Audiuimus, & reipsa sentimus, data nobis esse potestatem ædendorum in nomine Iesu Christi miraculorum, ut uocationem nostram miraculis confirmemus. Innumera alia de Iesu Christo in prophetis, uidimus, & spiritu sancto nobis uisibiliter communicato, interprete, cognouimus, quæ impossibile est ut reticeamus, & non palam adnunciemus. Quare, principes & pontifices, ualeat impium uestrum mandatum, nos uocationi diuinæ obsequemur. Quid ad hæc principes? quid pontifices? ueterem cantilenam repetunt, & prioribus minis alias addunt. Sic enim sequitur: Illi additis
» minis, dimiserunt eos, nihil inuenientes qua ratione punirent eos propter popu
» lum, quia omnes glorificabant deum super eo quod acciderat. Annorum enim
» erat amplius quadraginta homo, in quo æditum fuerat signum istud sanatio-
» nis. Glorificemus & nos, dilectissimi, Dominum deum nostrũ per Iesum Christum. Principio, q̄ in his duobus Apostolis Petro & Iohanne libere dimissis, significarit, se omnibus illis præsentaneum auxiliatorem adesse, qui propter diuinam uocationem difficilibus periculis obijciuntur. Deinde q̄ in pontificibus & principibus declararit, se omnem sapientum, qui diuinæ ueritati argucijs suis resistunt, sapientiam stultam efficere, & omnem principum qui Euangelion persequuntur, potentiam inermem & imbecillem reddere, adeo q̄ nihil eis præter uanissimas minas relinquere. Postremo, q̄ in claudo plusquam quadragenario sanato, ostenderit & confirmauerit Euangelion de Iesu Christo esse potentiam ad salutem omni credenti. Proinde, neglectis omnium principum & pontificum minis uerbum Euangelij fide & confessione sectemur, ut a claudicatione animę nostræ liberati, & integritati uirium spiritualium restituti, ad perpetuam fœlicitatem saltemus, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA XIX.



Discessum est, amicissimi, a concilio, & põtifices quidem ac principes, quasi re optime gesta & prudentissime composita, securi domum abeunt. Quid enim duo indocti piscatores contra atroces tot pontificum & principum minas tentare auderent? num duo uiles homunciones, autoritati & potestati eorum uirorũ non cederent, quibus totus Iudaicus orbis obsequens est? At Petrus & Ioannes uanitatem illarum minarum ne pili quidem facientes, sed potius maiorem ex minis fiduciam prędicandi Christũ concipientes, dimissi ueneruntad suos, & annunciarunt, quæcunq̄ sibi principes sacerdotum & seniores dixe-

nes dixerant. Narrauerunt enim suis, qui hactenus cupidissimo animo euentum rei expectauerãt, & summa alacritate, ingentiq; lætitia redeuntes apostolos exceperant omnia concilii acta, uidelicet cuius criminis accusauerint eos pontifices, & qua ipsi apologia se defenderint. Postremo, q̃ pontifices minaciter eis interminati sint, ne posthac loquantur in nomine Iesu ulli hominum. Quid igitur illi ad hæc? num minis territi consulunt apostolis, ut prædicationem nominis Iesu Christi intermittant, & ad piscatorias suas artes, quas minori uitæ periculo exercere licet, redeant? Profecto si fuissent aliquot delicatiores inter illos Christiani, censuissent, non esse contemnendam tot pontificum & principum autoritatem, quibus etiam ex mandato legis diuinæ obediendum esset. Adhæc licere in corde fidem in Iesum Christum tenere & conseruare, etiamsi ob magistratus uiolentiam non liceat palam nomen Christi profiteri. Postremo, non esse tentandum deum, nec sese sua sponte periculo obiiciendum, id quod fieret, si apostoli pergerent contra concilii decreta Christum prædicare. Hæc nimirum mollior Christianus censuisset. At hoc consiliũ, & si in speciem prudens & diuinum uideatur, tamen probe excussum, nihil eo imprudentius & magis impium. Obediendum enim est authoritati magistratus, si ille pia, si iusta, si æqua, adde etiam, si iniqua, præcipiat. Sic enim deo obedit, qui iussit, ut æquas magistratus in rebus ciuilibus ordinationes diligenter obseruemus, iniquas autem patienter toleremus. At si impia mandauerit, quæ obseruari aut ferri nisi uiolatione diuinæ legis non possunt, soli deo seruiendum & magistratus mandatum negligendum est. Proinde, hæc consilii pars de authoritate magistratus, nihil ad apostolos, quippe quibus diuina authoritate ministeriũ Euangelii de Iesu Christo commissum erat. Multo minus illud locum habet, quod potuisset dici de conseruatione fidei in corde, & oris taciturnitate. Etenim quemadmodum dominus præcepit, ut non solum corde non futeris, non occidas, non adulterium designes, sed etiam opere nihil horum flagitiorum pepetres, ita non solum præcepit, ut corde credas, aut fidem tibi fingas, sed etiam ut ore confitearis Iesum Christũ & tum maxime cum impia magistratuum mandata Christũ, & iustitiã fidei, quæ est per Christum, persequũtur. Ad extremum quod de tentatione dei dici potuisset, obseruandũ est, hoc demum esse deum tentare, si quis sese periculis exponat, cum posset ea citra uiolationẽ diuinæ legis & mandati uitare. At qui sese illis periculis obiicit, quæ non possunt citra uiolationem legis dei uitari, non dicitur deum tentare, sed deo obsequi, & uocationi diuinæ seruire. Sic Israelitæ mare rubrum ingredientes, non tentabant deum, sed uocationem diuinam sequebantur, propterea quod non licebat eis absq; inobedientiæ nota in Aegyptum redire. Sic apostoli Iesum Christum in Hierusalem, contra decreta pontificum & principum prædicantes, non tentant deum, etiamsi obiiciant sese præsentaneis periculis, sed deo seruiunt, & uocationi eius obediunt. Facessat igitur mollioris illius Christiani consilium, quod bona specie malum timiditatis affectum in corde celat. Iam finge mihi in hoc apostolorum & discipulorum congregatione fuisse aliquot Christianos temerarios & licentiæ studiosos, qui sub prætextu nominis Christiani & Euangelii, nihil aliud q̃ diuitum opes, & status reip. turbationem, ac ueterem religionem pertæsi, nouas res quæsiuerint, quam existimas illorum fuisse sententiam, postq̃ ex apostolis, pontificum minas acceperunt? nimirum, quantum ex ingenio temeritatis & licentiæ animaduerti potest, primum diris & execrationibus deuouissent pontifices. Hi enim sunt temeritatis mores. Deinde censuissent præsidia uulgi esse conquirenda, & impetum faciendũ in omnes pontifices & sacrificulos, ut digno impietatis supplicio afficiantur & interficiantur. At hoc non est Christum, sed execratorem, sed maledicum, sed latronem, sed Barrabam profiteri Cæterum, a sancta illa apostolorum & discipulorum congregatione longissime abest, omne prudentiæ carnalis & timiditatis consilium, omnis temeritas, omneq; licentiæ studium. Hoc enim solum illi quærunt, ut uocationem diuinam sequant, & quæ deo placent, per agant. Proinde, cum pontifices grauissima quæq; supplicia ipsis minati essent, uertũt sese ad arma sua spiritualia, uidelicet ad preces & orationes, quibus sese a pontificum minis &

Argumenta rationis in negotio fidei.

Confessio Christi quam necessaria.

Tentare deũ quis dicatur.

uiolentia tuentur. Nam cum audiuissent Petri & Ioannis de minis pontificum narratio-
» nem: unanimiter attollebant uocem ad deum, dixerũtq;, DOMINE, tu es deus, qui fecisti
» cœlum ac terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Exordium argumento orationis haud sane ineptum. Precaturi enim sunt. Primum, ut deus irritet aduersariorum Euangelii de Iesu Christo minas & uiolentias. Deinde ut largiat ipsis fiduciam loquendi & prædicandi de Christo, ne a professione Christi mandatis & decretis concilii terreantur. Postremo, ut det ipsis uirtutes ædendi miracula, quibus nouum Euãgelii ministerium confirmetur. Hæc autem opera & dona, omnipotentiam dei requirunt. Quis enim posset summi magistratus in terris uiolentiam coërcere, nisi omnium magistratuum potentissimus? quis tribueret uirtutem contemnendi decreta principum, & confitendi Christum, ac miracula ædendi, nisi omnipotens? Itaq; apostoli & discipuli, in exordio precum suarum, omnipotentiam dei commemorant, significantes se id a domino postulaturos, quod non nisi omnipotentia eius confici possit. DOMINE, inquiunt, tu es deus, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, hoc est. Tu es omnipotens omnium rerum creator & administrator. Existimas ne hæc uerba apostolis in summo tantum ore & in bucca, nata esse, non item e summa cordis fide proficisci? Certe non numerant illa uerba precũ suarum, quod hypocritæ facere solent, sed ponderant. Quid ergo in se ponderis habet, q; appellent deum omnipotentem omnium rerum creatorem & administratorem? Primũ significant sese credere, quod nec Christo, nec ipsis quicq; aduersi acciderit, nisi uolente, administrante, & efficiente deo. Deinde, quod nec principes nec pontifices queant sua uiolentia opus dei impedire, & Euangelion de Iesu Christo extinguere. Postremo, q; possit & uelit omnia eis benigniter tribuere, quæ ab ipso postulant. Hæc enim credit, qui uere fatetur deum esse omnipotentem omnium rerum conditorem, & administratorẽ. Illo igitur epitheto, quo apostoli deum in exordio orationis suæ celebrant, fidem suam confitentur, & confessione fidem suam confirmant, ut eo confidentiori animo maiestatem diuinam precibus suis accedant, hoc modo sencientes. Agnoscimus quidem summã esse pontificum & principum, qui nobis mortem minantur, nisi nomen Christi abnegemus, in hac regione, potentiam & maiestatem, sed interim credimus quoq; DOMINVM deum nostrum, contra quem illi insaniunt, esse illis multo potentiorem & longe augustiori maiestate prædituṁ. Scimus illos posse occidere corpus nostrum, sed scimus quoq; deum, cuius uocationem illi nobis prohibent, posse corpus & animam non occidere solum, uerumetiam perdere in gehennam, cum illi nec corpus nostrum perdere possint, nolente deo. Proinde, neglectis illis imbecillibus principibus, principi omnium principum, regi omnium regum, pontifici omnium pontificum maximo obsequamur. Exordium
» sequitur Narratio. Tu, inquit, per os Dauid pueri tui dixisti. Quare fremuerunt gentes,
» & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in
» unum, aduersus DOMINVM & aduersus CHRISTVM eius. Cõuenerunt enim uere ad
» uersus sanctum filium tuum Iesum quem unxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus, cũ
» gentibus & populis Israel, adfaciendum quæcunq; manus tua & consilium tuum prius
» decreuerat, ut fierent. In hac narratione maxime omnium obseruandũ est, q; psalmus secundus, cuius partem hoc loco apostoli allegant, principio de persecutione regum, principum & uulgi aduersus Christum, prophetat, & admiratione imo increpatione quadam in eos qui Euangelion persequũtur inuehitur. Quare tumultuantur gentes & populi meditantur fruſtra? Astant reges terræ & principes stant simul aduersus DOMINVM & aduersus Christum eius? Deinde admonet, ut fremitum gentium, uanas populi consultationes, impia regum fœdera, & blasphema principum decreta atq; mandata, aduersus Euangelion Christi ædita, negligamus. Dirumpamus, inquit, uincula eorum, & proiiciamus a nobis iugum ipsorum. Et additur ratio. Qui habitat in cœlis irridebit eos, deus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo perturbabit eos. Quis ergo uanum eorum fremitum pertimesceret? quis minas eorum non contemneret? quis impia

Quæ sub omnipotentiæ nomine intelligenda ueniant.

impia eorum uincula & iuga, imperia, leges, & decreta non uiolaret? Postremo describit regnum & maiestatē Christi, admonens ut omnes huic regi obediant, & ipsum complectā tur, ne pereant. Ego inquit constitui regem meum super Zion montem sanctum meum. Prædicabo de præcepto. DOMINVS dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ. Et cæ tera. Nam psalmus notus est. Apostoli igitur ex hoc psalmo, quem de Christo interpretan tur, narrationē petitionis suæ texunt, & indicant eam persecutionem quam psalmus cō memorat, iam in Christo completam esse. Quibus narratis petitionem suam exponunt. Et nunc (inquiunt) DOMINE, aspice in minas eorum, & da seruis tuis, ut cum omni fidu " cia loquantur sermonem tuum, manum tuam porrigendo, in hoc ut sanatio & signa & " prodigia ædantē per nomen sancti filii tui Iesu. Primum, uide mihi quid apostoli hac ora " tione petant. Nō ambiunt humanas dignitates, non carnales potestates aut magistratus, non postulant diuitias, non gloriam popularem, non nominis sui famam, sed tantū fi duciam confitendi Euangeliō Christi, & uirtutem ædendi miracula nō ad nominis ipsoꝝ celebritatem, sed per nomen, inquiunt, sancti filii tui Iesu, ut illius solius nomen in omni bus per miracula illustretur. Deinde obseruabis quam scite, quam industrie, apostoli to tam orationem suam ex secundo illo psalmo mutuantur, & ipsum in suum usum uertunt. Etenim postq̄ exinitio psalmi persecutionem narrarunt, nunc precantur, ut sicut persecu tio impleta est, ita deus, quod in psalmo sequitur de irrisione, subsannatione, & perturba tione eorum, qui Christum persequūtur, item de profectu regni Christi, compleat. Nam quod dicunt. Aspice in minas eorum & da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur ser monem tuum, quid aliud est, quam si psalmi uerbis ita dicerent. Admonuisti domine, ut dirumpamus impia principum, Christi Euangelion persequentium uincula & decreta, promisisti te ipsos irrisurum, subsannaturum, & in ira tua conturbaturum, precamur igi tur te, ut qui habitas in cœlis, irrideas & subsannes eos, & loquaris ad eos in ira tua, ac in furore tuo conturbes eos, adeoq̄ clementer seruis tuis dones fiduciam dirumpendi & reii ciendi impiissima eorum mandata, quibus Euangelion de Iesu Christo extinctum cupi unt. Deinde, quod sequitur manum porrigendo in hoc, ut sanatio & signa & prodigia ædantur, per nomen sancti filii tui Iesu, quid aliud est, quam quod precantur, ut regnum & maiestas Christi, quam ad finem usq̄ psalmus describit, promoueat? Constituisti, ō DOMINE, regem tuum Iesum Christum super Zion montem sanctum tuum. Dixisti ad illū, filius meus es tu, ego hodie genui te. Itaq̄ rogamus, ut nomen DOMINI nostri Iesu Christi, quem in regem unxisti, miraculis illustres, & efficias, ut ipse, glorificato nomine eius per orbem terrarum, accipiat gentes hæreditatem suam, & possessionem suam fines terræ: ut & reges & iudices terræ erudiantur, seruiant DOMINO in timore, exultent in tremore, & osculentur filium tuum, ne exardescente ira tua de uia pereant, sed ut omnes, qui in eo confidunt, beatitudinem consequantur. Hæc nimirum est sententia precatio nis apostolorum, quorum exemplo etiam nos docemur, quis sit usus psalmorum, & quo modo psalmos diuinos ad preces nostras mutuo accipere & accommodare debeamus. Agite ergo amicissimi faciemus nunc uno aut altero psalmo periculum, num queamus ad exemplum apostolorum e psalmis orandi formulas, in nostris afflictionibus petere. Est aliquis qui ab inimicis suis, ita circumuenit, ut nullā uideat euadendi uiam. Quid fa ciat? Arripiat psalmum, qui numeratur tercius, & ex eo huiuscemdi orationem compo nat. DOMINE deus noster, qui iisdem afflictionibus nunc me obiecisti, quibus quondā seruum tuum Dauidem, & Iesum Christum filium tuum, ut multi sint tribulantes me, multi surgentes aduersum me, multi dicentes animæ meæ, non est salus ei a deo. Sis igi tur mihi, quod Dauidi & Iesu Christo fuisti, scutum, & gloria mea, & exaltans caput meum. Siquidem uoce mea ad te clamo, responde mihi de monte sancto tuo. Ego qui dem nūc iaceo & dormio, expergiscar autem, quoniam DOMINVS sustentat me. Non timebo multitudinem populorum qui circundederunt me. Surge domine saluum me

In oratione quid petendū

Psalmi quo modo in usum trans ferendi sint.

fac deus meus,& percute omnes inimicos meos in maxilla,dentes impiorum confringe. A domino enim est salus & super populum suum benedictio eius. Nonne oratio quæ quondam erat Dauidis,nũc uere tua facta est,si eodem affectu laboras,& eadem fide diui num nomen inuocas? Est alius cui diuinam uocatioem sequenti,aduersa quæq; accidũt, obseruans autem, iis qui scelera sectantur, omnia prospera euenire, offenditur, & de re linquenda uocatione dei ac de sectandis scelerib⁹ deliberat,ut & ipse prospera fortuna frua tur. Quid faciat? Psalmum,qui iuxta Hebræorum rationem septuagesimus tertius ha betur,& incipit: Quam bonus Israel deus,his,qui recto sunt corde,capessat, & oratione ex eo composita,affectui suo medeatur:quinpotius ipsissimis psalmi uerbis utatur,quibus & affectus sic tentatorum propriissime exprimitur, & remedium affectui efficacissime ad mouetur. Vsum psalmorum, ad imitationem apostolorum, uno & altero exemplo paucis demonstrauimus.Reliquũ est,ut in omnibus aduersis,& animi nostri mor bis,ex orationibus psalmorum, uelut ex pharmacopolio remedia petamus. Ita enim fiet, ut quemadmodum apostoli per orationem suam ex fide profectam, spiritum fortitudinis aduersus omnes persecutiones impetrarunt,ita nos per orationem fidelem,in omnibus afflictionibus eodem spiritu animemur,per Iesum Christum DOMINVM nostrum,qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA XX.



Vdiuimus orationem apostolorum, audiamus nunc reuelationẽ exauditionis eius, audiuimus preces apostolorum Christi,audia mus nunc impetrationem earum. Nam cum orassent illi, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto,& loquebantur sermonem dei cum fiducia. Quid hic tre mor loci aliud est, quam manifestum argumentum præsentiæ maiestatis diuinæ,& miraculum quo DOMINVS confirmat sese apostolorum preces exaudisse? Sic quondam Salomone in dedicatione templi oran te,descendit ignis de cœlo,& deuorauit holocausta & uictimas, & maiestas DOMINI im pleuit domum. Quo miraculo significatum est preces Salomonis exauditas esse. Sic Dani cle pro populo suo deprecante,uenit angelus Gabriel,& sua reuelatione testatus est, pre cationem Danielis efficacem fuisse. Ergo ne illorum tantum orationes exauditæ sunt, aliorum autem preces uanæ & inefficaces iudicandæ erunt, si DOMINVS miraculo nõ declaret se exaudiuisse eas? Absit. Miracula enim diuina, non hac causa fiunt, ut semper fiant,sed ut semel aut iterum facta,manifeste testentur,declarent,& confirment,quid DO MINVS semper abscondite, & occulte operetur. Proinde, quod in oratione Salomonis ignis cœlestis holocausta deuorauit,quod Daniele precante angelus apparuit, quod apo stolis orantibus locus tremuit, significat non illorum tantum preces exauditas esse, sed his miraculis confirmauit DOMINVS promissiones suas de exauditione precum,& re uelauit,sese maiestate sua in omnibus piorum orationibus præsentissimum esse,& preca tiones eorum clementissima bonitate suscipere. Multæ enim sunt promissiones diui næ,quod deus uelit credentium preces exaudire. Inuoca me(ait DOMINVS in psalmo) in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me. Et in Esaia. Erit antequã clamẽt ego exaudiam:adhuc illis loquentibus,ego audiam. Rursus in Iohanne dicit Christus. Quic quid pecieritis patrem in nomine meo,dabit uobis, & sunt innumeræ aliæ de exauditio ne piæ orationis promissiones,quas longum esset recensere. Quo autẽ plures sunt, eo gra uioribus aduersis orantes tentantur,& eo magis contraria orationi sæpenumero eueniũt Tentat enim DOMINVS orantem,dilatione auxilii,ut fidem eius probet. Tentat Satan orantem

Quibus miraculis deus suorum preces soleat confirmare.

orantem, impediendo, ne ſtatim illi auxilium conferatur, ut a fide ipſum deiiciat, & in deſperationem impellat. Itaq; promiſſiones de precibus exaudiendis confirmatæ ſunt a domino miraculis, ut quoties in oratione aduerſis tẽtamur, miracula iſta ob oculos noſtros ponamus & fidem noſtram his fulciamus. Sed ut ad apoſtolos & diſcipulos Chriſti reuertar, poſtq̃ repentino loci tremore declaratum eſt, orationem ipſorum exauditam eſſe: repleti ſunt omnes, inquit Lucas, ſpiritu ſancto, & loquebantur ſermonem dei cum fiducia. *Repleri ſpiritu ſancto.* Quid hoc? nonne in die Pentecoſtes acceperunt ſpiritum ſanctum? quid igitur ait Lucas, ipſos nunc eſſe ſpiritu ſancto repletos? num interim, poſt diem Pentecoſtes ſpiritu ſancto caruerunt? Vt reſpondeam, obſeruandũ eſt, repleri ſpiritu ſancto hoc loco, non eſſe nunc ſecundũ, aut tertio, aut quarto ſpiritum ſanctum accipere. Semel enim per fidem exhibetur unicuiq; credentium ſpiritus ſanctus. Siquidem qui ſpiritum Chriſti non habet, nõ eſt eius: & tantiſper in homine manet, dum incredulitate & peccatis non eiicitur. Tametſi autem perpetuus ſit credentium inhabitator, tamen dona & uirtutes eius non ſemper manifeſte ſentiuntur. Sic apoſtoli & diſcipuli priuſquam peroraſſent, habebant quidem ſpiritum ſanctum, alioqui non oraſſent ex fide, ſed uirtutem præſentiæ eius in hac afflictione nondum ſenciebant. Erant enim propter minas & decreta concilii una congregati, & maximis tentationibus, ueluti arietibus inrra ſe concutiebantur. Sibi quiſq; ante oculos captiuitates, uincula, carceres, torturas, & mortes proponebat. Iam tyrannidem & crudelitatem pontificum in Ieſum Chriſtum DOMINVM eorum recordantes, quid ſibi clementiæ apud illos polliceri poterant? Iam uxores & liberos ſuos deflentes quos ſuo interitu uariis periculis obnoxios redderent, fortunam ſuam queſtibus tacitis ſecum iterabant, & prorſus omnia erant afflictionis & tribulationis pleniſſima, ita ut præter nudas dei promiſſiones nihil haberent ſolatii, & paracletus ſeu conſolator ille plane abſens uideretur. Poſtquam autem in tanto animi mœrore DOMINVM ex fide inuocauerũt, exerit ſpiritus ſanctus uirtutes ſuas in eis, & ita eos animat, ita eos inflammat & accendit, ut omni triſtitia & mœrore abiecto, maxima animi læticia perfunderent & uerbum dei ſeu Euangelion de Ieſu Chriſto, liberrima fiducia (ſic enim petiuerant) contra minas & mandata pontificum prædicarent. Animaduerte igitur quid in ſummis afflictionibus faciendum ſit, ut ſpiritu ſancto repleti, conſolationem accipiamus, & gaudio perfuſi, confidenter uocationem dei ſequamur. Quod enim dominus apoſtolos ſuos in hoc loco ſpiritus gaudio repleuit & conſolatus eſt, non tam propter ipſos fecit, quam propter omnes credentes, ut illi huius exempli forma agnoſcerent, quid in extremis afflictionibus agendum foret, ut ſpiritus ſolatio afficiantur. Cum ergo omnia extrinſecus uidentur deſperata & conclamata, adeoq; in animo nihil præter mœrorem, & miſeriam ſentiẽ, ad promiſſiones diuinas feſtinandum eſt, e quibus fides orationem ad deum componat, & auxilium dei inuocet. *In extremis afflictionibus quo confugiendum.* Quod ſi ſine intermiſſione dum afflictio ſentitur, fiat, nihil certius ſequitur, quam ſpiritus ſancti ſolacium. Sic enim uoco, ſenſum gaudii & læticiæ in mediis afflictionibus exorientem. Vide mihi Hannam Samuelis matrem, quæ cum eſſet mulier infeliciſſima, & præter afflictionem in corde ſuo nihil aliud ſentiret, uertit ſeſe ad orationẽ, quemadmodum in priori Samuelis libro capite primo ſcriptum eſt, & poſt orationem, uno Eli uerbo tanto gaudio perfundiẽ, ut depoſita omni mœſticia, iam nihil præter uoluptatem in animo ſuo ſentiret, quod certe nihil aliud erat quam ipſiſſima ſpiritus ſancti uirtus & ſolatiũ. Sic Dauid inquit: Cum inuocarem exaudiuit me deus iuſticiæ meæ in tribulatione dilataſti mihi. Et iterum. Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laqueî mortis. In tribulatione mea inuocaui DOMINVM, & ad deum meum clamaui. Et exaudiuit me de templo ſancto ſuo uocem meam, & clamor meus in cõſpectu eius introiuit in aures eius. His uerbis ſignificat Dauid, ſe ſpiritus ſancti ſolatio, quod dilatationem cordis & exauditionem uocat, ſemper poſt orationem affectum fuiſſe. Quis uehementiores unquam mœrores & dolores ſenſit quam Chriſtus Ieſus DOMINVS noſter? præ mœſticia enim & dolore cordis, factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis. Quid ergo in hoc doloris

ſenſu agebat? Ad preces feſtinabat, poſt quas apparuit ei angelus, gaudio ſpiritus ſancti ita eum exhilarans, ut ſe ipſum ſponte aduerſariis & interfectoribus ſuis obuiam daret. Itaq; in omnibus aduerſitatibus, ad orationem tanquam ad aſylum confugiamus, ut ſpiritus conſolationem adſequamur. Poſt hæc repetit Lucas iterum eccleſiæ recens natæ mores, & dicit. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quiſq; aliquid eorum, quæ poſſidebat ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Et uirtute magna reddebant apoſtoli teſtimoniũ reſurrectionis DOMINI Ieſu, & gratia magna erat ſuper omnes illos: neq; enim quiſq egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut ædium erant, uendentes afferebant precia eorum quæ uendita fuerant, & ponebant ad pedes apoſtolorum. Diſtribuebatur autem ſingulis prout cuiq; opus erat. Etenim ſpiritus ſanctus diſcipulos Chriſti non ſolum gaudio in afflictionibus afficiebat, nec dabat tantum fiduciam libere prædicandi Euangelion de Ieſu Chriſto, ſed etiam multa alia operabat: primũ quod apoſtoli uirtute magna, hoc eſt, ſtupendis miraculis & ſignis uirtute ſpiritus ſancti æditis, ueritatem reſurrectionis Ieſu Chriſti confirmabant. Eſt enim reſurrectio Ieſu Chriſti, fidei noſtræ ſcopus. Nam ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, inanis & ſuperuacanea eſſet (ut Paulus ait) fides noſtra, & adhuc in peccatis eſſemus. Itaq; ut reſurrectio Chriſti quam probatiſſima eſſet, quemadmodum Chriſtus eam apoſtolis ſuis uariis reuelationibus ante aſcenſionem comprobauit, ita apoſtoli poſteaq; acceperunt ſpiritum ſanctum, uariis miraculis eam confirmarunt. Et hoc eſt, quod Chriſtus ait, cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre, ſpiritus ueritatis, qui a patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Quin & uos teſtes eſtis, quia ab initio mecum eſtis. Reſurrectione autem confirmata, totũ Euangelion de peccatorũ remiſſione per Chriſtũ, de iuſtificatione fidei, quæ eſt in Chriſto, deq; hæreditate cœleſtium bonorum confirmatum eſt. Etenim Euangelion de Chriſto eſt ueluti literæ noui teſtamenti quod pater per filium ſuum nobiſcum credentibus condidit, in quo omnium cœleſtium bonorum hæredes inſtituit, quotquot in Ieſum Chriſtum credunt. Miracula autem ſunt ueluti annuli, quibus literæ noui teſtamenti conſignatæ ſunt. Quid ergo adhuc dubitas de ueritate noui teſtamenti, uidelicet, quod per ſolum Chriſtum & per ſolam fidem, quæ eſt in Chriſtum contingat remiſſio peccatorũ, iuſtificatio, & beatitudo? Habes literas quæ ſunt Euãgelii ſcriptura, habes teſtes, qui ſunt apoſtoli, habes ſignacula quæ ſunt miracula. Quid amplius requiris? Hominis teſtamentum, ſi ita legitime, literis, teſtibus & ſignaculis comprobatum fuerit, nemo reiicit, aut addit aliquid, & tu putas teſtamentum Dei, quondam iuramento promiſſum, & nunc per Chriſtum legitime ordinatum, uanum ac irritum eſſe? Noua inquis ſigna expecto, & tunc fidem ei adhibebo. Sed audi quid Chriſtus dicat. Natio praua & adultera ſignum requirit. Proinde ne & tu inter homines prauæ nationis computeris, depoſita nouorum miraculorum curioſitate, uetera ab Apoſtolis ædita conquire, & iis conſcientiæ tuæ imbecillitatem confirma. Alterum eſt, quod ſpiritus ſanctus in neophytis operabatur, uidelicet, ſumma pax & concordia. Multitudinis (inquit) credentium erat cor unum & anima una. Spiritus enim Chriſti, uerus eſt cordium pacificator. Et Eſaias fore prædixit, ut cum exeat uerbum de Hieruſalem, conflaturi ſint populi gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces, nec leuatura ſit gens contra gentem gladium, quod quid aliud eſt quam pacis periphraſis? Idem poſtea dicit. Egredietur uirga de radice Yſai, lupum habitaturum cum agno, & pardum cum hœdo accubiturum. Cuius nimirum uaticinii ſpecimen exhibetur in eo, quod multi unum cor & una anima efficiuntur, atq; ea parte conueniunt, qua alii homines inter ſe maxime diſſident. Sunt qui conueniant ſermone, ſunt qui conueniant externis moribus, ſunt qui conueniant lineamentis corporis, ſunt qui conueniant habitu, at qui conueniant corde, nuſquam fere inuenies, quam inter eos, quos ſpiritus CHRISTI conIunxit. Studeamus igitur fratres, ut ſpiritu CHRISTI per fidem donati, unum inter

nos

nos cor & una anima per uincula pacis efficiamur. Ecce enim inquit Psalmus, quam bonum & quam iocundum est habitare fratres simul: si quidem tantum bonum est charitatis uinculum, ut qui in charitate manet, in deo maneat, & deus in ipso. Cæterum tam concordem animorum unitatem in neophytis, alius fructus sequitur, uidelicet, quod nullus aliquid eorum quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia. Quotquot enim possidebant aut agros aut ædes, uendentes afferebant precia & dabant ea Apostolis, ut singulis distribuerentur. Vnde tanto dei beneficio afficiebantur, ut nullus inter illos egens esset. Quid, obsecro, sibi uult hoc cœnobium? quid hæc rerum communitas? Fortassis spiritus in primiciis Christianorum subindicauit Christianissimum debere ordinem quendam monasticum esse, in quo omnia sint communia? Absit. Non hoc, sed longe aliud sibi uoluit spiritus sanctus. Principio enim declarauit tantam esse fidei efficaciam, ut qui uere in CHRISTO renascatur animum prorsus liberum ab affectu, opum & facultatum terrestrium acquirat, qui paratus sit eas omnes, uel in commune conferre, si ratio publicæ policiæ id exigat: uel diuendere & dare pauperibus, si DOMINVS iusserit: uel pacienter relinquere hostibus, si ablatæ fuerint, atq; adeo omnino, soli diuinæ uoluntati in administrandis aut distribuendis aut relinquendis opibus seruire. Etenim si diuitiæ donum dei sunt, profecto, quemadmodum reliqua dei dona, ut potentiam, fortitudinem, prudentiam & alia id genus, possidere licet, sed in DOMINO. Ita diuitias habere licebit, sed in DOMINO, uidelicet, si diuitiæ affluant, cor non apponatur, sed in eis seruiatur DOMINO. Hunc autem affectum a fide in CHRISTVM creari, declarauit spiritus in primiciis Christianæ religionis. Deinde ostendit, nullas opes tam paruas esse, quæ non sufficiant multis, si ex fide administrentur. Maior enim pars eorum qui bona sua in commune conferebant, tenues, & uix mediocris fortunæ erant. Vnus tantum inter ipsos diuitiis eximie pollebat, nomine Ioses, Leuites, Cyprius genere, hic cum haberet agrum uendidit eum & attulit precium & posuit ad pedes apostolorum. Vnde & ab apostolis cognominatus est Barnabas, quod est filius consolationis. Bar enim filium, & Naphas refrigerium seu refocillationem significat. Sic autem cognominatus fuit ab apostolis multis de caussis. Primum, quia et si Leuites erat, qui ordo Christum uehementi odio persequebatur, tamen credebat in Christum, & fidei suæ exemplo, multos ad capessendam fidem Iesu Christi inuitabat, credentes iam in fide animabat, & refocillabat Deinde ualde diues erat. Credens igitur in CHRISTVM, & bona sua in commune conferens, maxima erat consolatio toti Christi ecclesiæ, quod & tam honestus Christum amplecteretur, & tam diues reliquorum inopiæ suis opibus succurreret. Vnus igitur ille Barnabas satis opulentus erat. Alii autem in albo inopum recensebantur. Attamen, cum liberaliter suas, quas habebant paruas opes ex fide communicarent, tantam benedictionem DOMINI consecuti sunt, ut nullus inter ipsos egens inueniretur. Melius est enim, ut Dauid ait, modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Et Salomon: Quidam largiuntur & tamen ditescunt. Quidam parci, quanquam magnas opes habuerint, subinde puperiores fiunt. Ac mox. Qui liberaliter benedicit, impinguatur. Qui inebriat, inebriatur. Huc pertinet quod in Exodo de collectoribus Mannæ scribitur. Collegerunt enim alius plus, alius minus, & cum metirentur ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Audis & multas opes, paucas fieri, si ex auaritia corraduntur, & paucas multas, si ex fide administrantur. Dispensemus igitur fratres iuxta suam quisq; uocationem facultates, siue multas, siue paucas, quas dono DOMINI possidemus, & ex fide eas administremus, memores beneficentiæ domini nostri Iesu Christi, quod propter nos pauper factus sit cum esset diues,

Qualis cõmunio bonorum fuerit in primitus Christianæ religionis.

Ioses quare cognominatus Barnabas

ut nos illius paupertate ditescceremus. Sic enim fiet, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes, exuberemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Domino nostro, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

CAP. V. HOMILIA XXI.

QUI uspiam alias, dilectissimi, grauissima iræ diuinæ seueritas, & efficacissima uerbi dei potentia in mendaces hypocritas cognoscitur, profecto in Anania & Sapphira, quorum exemplum in huius capitis principio describitur, maxime omnium cognosci potest. Quid enim potest aut efficacius aut seuerius dici, quam quod coniuges alioqui honesti, auari tamen & mendaces, non gladio, non telo, non laqueo, non ueneno, sed simplici, nudo, & quantum ad externã speciem attinet, inermi uerbo repentina morte interierunt? Proinde afferamus ad hanc historiam summam animi attentionem, ut agnoscentes diuinæ iræ grauitatem in mendaces, & uerbi dei potentiam erga incredulos, mendacium fugiamus, & uerbo DOMINI ad consequendam salutem credamus. Vir (inquit) quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua, uendiderat possessionem, & sepositerat de precio, conscia etiam uxore sua, & allatam partem aliquam ad pedes Apostolorum posuit. Principio, obseruandum est, nec solum baptismum, nec solam cœnæ dominicæ participationẽ, nec sola externa spiritus sancti dona, nec solã facultatũ suarum in egenos distributionẽ ueram iusticiam cõferre posse. Quid enim ex omnibus his duobus illis coniugibus Ananiæ & Sapphiræ deest? Baptisati sunt, una cum aliis sanctis cœnam domini accipiunt, replentur externis spiritus sancti donis, & multam facultatum suarum partem in cõmune conferunt, adeoq; in tam sancta piorum congregatione, præcipuum pietatis locum obtinent. Attamen a uera iusticia longissime absunt, & in iniusticia sua tandem pereunt. Quid ita? quia etsi confitean tur ore, se in IESVM CHRISTVM credere, tamen non credunt in eum uera cordis fide, quæ sola in conspectu Dei iustificat. Vbi autem non est uera fides, ibi non sequuntur ueri fructus fidei, nec induitur nouus homo, sed uetus una cum affectibus & factis suis manet. Videamus igitur, quomodo ueteris hominis affectus & facta sese in Anania & Sapphira prodant. Et primum quidem, prodit sese ambitio, & cupiditas auræ popularis. Etenim alii qui uere in Christo per fidem renati erant, conferebant precia diuenditarum suarum possessionum in commune, non sui compendii, aut gloriæ humanæ gratia, sed ex mera & simplici fide in Christum, atq; charitate in proximũ. Siquidem credebant Christum esse uerum illum Meschiam, in quo omnes diuinæ promissiones essent etiam & Amen. Inter immuneras autem promissiones, quas deus pater cœlestis in CHRISTO Iesu filio suo pollicitus est, etiam illa continetur quæ est de uictu & amictu, uidelicet, quod Deus promisit se daturum escam omni carni, quanto magis his qui uocationem suam sequuntur. Et hanc promissionem confirmauerat deus Israelitis ex Aegypto egressis in deserto, quando Manna de cœlo pluebat, & petra aquam fundebat, Paulo ante autem confirmauerat eam quoq; Christus, dum quater mille pauerat septem panibus & paucis piscículis. Et iterum quinquies mille uiros, quinq; panibus & duobus piscibus. Deinde, uidebant inter fideles multos esse egentes. Quare, ut ipsorum copia, illorum inopiæ succurreretur, precia suarum facultatum Apostolis distribuenda offerebant. Sciebant enim mandatum DOMINI esse, ut pauperum inopiæ subueniatur: & adhuc memores erant dicti Christi. Qui reliquerit propter nomen meum (Dare autem pauperibus est etiam propter Christũ relinquere) agrũ aut domũ, centuplum recipiet. Ex fide igitur in Christum & charitate in proximum, conferebant illi possessiones suas in com-

Vera cordis fide esse credendum.

Ambitio in Anania & Sapphira.

in commune. Ananias autem & Sapphira, longe aliud spectabant. Nam cum aniadueretbãt inter Christianos laudabile, glorioſum & celebre haberi, ſua bona in cõmune conferre, & uidebãt Ioſen, cuius prius mentio facta eſt, hac potiſſimũ ratione clariſſimũ Barnabæ cognomẽtũ, perpetuũ pietatis ſuæ teſtimoniũ ab apoſtolis cõſecutũ eſſe, atq; ab omnibus piis ob beneficentiam ſuam mirum immodum cõmendari, affectabant & ipſi honores & laudes, & cupiebant non minores aut illiberaliores aliis haberi. Itaq; facultates ſuas uendunt, & allatam partem aliquam precii Apoſtolis diſtribuendam exhibent, ut & ipſi cognomen aliquod beneficentiæ ſuæ monumentum ab apoſtolis, & glorioſam nominis ſui famam inter alios Chriſtianos ſortirentur. Sed quid hoc aliud eſt, quam turpiſſima ambitio, & ſordidiſſima humanæ gloriæ cupido? Ergo ne, inquis, turpiter & flagitioſe uiuendum eſt, ut humanam gloriam deuitemus? Abſit. Chriſtus enim dicit. Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis. Et Paulus quæcunq; ſunt uera, quæcunq; honeſta, quæcunq; iuſta, quæcunq; pura, quæcunq; accommoda, quæcunq; boni nominis, ſi qua uirtus, & ſi qua laus, hæc cogitate, hæc facite, & deus pacis erit uobiſcum. Vides & bona opera coram hominibus eſſe facienda, & ea quæ laudem ac bonam famam pariunt ſectanda. Hæc autem non ſunt facienda ambitione & affectu humanæ gloriæ, ſed fide in deum, & affectu obſequii deo debiti, ſic efficietur, ut humana gloria ſua ſponte non requiſita ſequatur. Sed reuertamur ad Ananiam & Sapphiram, quorum ambitionem audiuimus. Nunc igitur audiamus impiam & infidelem ipſorum auariciam. Cum enim non uere in Chriſtum crediderant, ſed potius ex curioſitate, & rerum nouarum cupiditate, ſeſe Chriſtianis adiunxerant, non ſperabant Euangelii cauſam, & CHRISTI negocium, quod tunc ab apoſtolis tractabatur, diu inter tot minas pontificum, & perſecutiones principum perdurare & conſtare poſſe, nec credebant, etiamſi Euangelion de Ieſu Chriſto conſtaret, benedictionem DOMINI tam efficacem eſſe, ut paucis opibus innumeram populi multitudinem nutrire queat. Proinde communicato inter ſe conſilio, ſeponunt clam aliquid de precio facultatum ſuarum, ut ſi uel ſecta deficeret, uel collatæ in commune opes abſumerentur, haberent ipſi, unde reliquis egentibus uiuerent. Quid autem hoc aliud eſt, quam impius affectus & infidelis auaritia? Ergo ne nihil opum aut precii reponere licet? Cur igitur Ioſeph in Aegypto frumenta repoſuit? Cur CHRISTVS marſupium Iudæ commiſit, ut in illo reponerentur, quæ apoſtolis mittebantur aut donabantur? Vt reſpondeam, conſiderandum eſt, repoſitionẽ reỹ ſuapte natura, nec eſſe malam nec bonam ſed iudicari ex animo reponentis. Si enim animus fuerit pius & fidelis, repoſitio erit pia. Sic repoſuit Ioſeph frumenta, ſic CHRISTVS nummos. Si uero animus infidelis & auarus fuerit, repoſitio erit impia. Exemplum habes in Exodo capite decimo ſexto. Nam aliis quidẽ diebus, ſi quid de manna uſq; in alterum diem reponebatur, conputreſcebat, & uermibus ſcatebat. Si quid autem ſexta die ſeu in paraſceue reponebatur, integrum manebat. Quid hæc ſibi uult uariatio? nimirum ſignificatum eſt, eam repoſitionem, quæ fit ex infidelitate aut inobediencia uerbi dei, coram deo abominationem eſſe, eam autem, quæ fit ex fideli induſtria & pia obediencia, eſſe deo gratam & acceptam. Nam de aliis diebus dicebat Moſe, nullus relinquat ex eo in mane. Nemo igitur his diebus ex fide poterat aliquid reponere. De ſexta autem die dicebat. Quicquid reliquum fuerit, reponite uſq; ad mane. Ita in eo die licebat ex fide nonnihil uſq; ad ſequentem diem reponere. Expurgemus igitur animum noſtrum per fidem ab impia infidelitate, & infideli auaritia, & aſſumamus animum pium diuinæ uocationi obedientem, & candide liberalem, ut nou ſimus in craſtinum ſolliciti. Sic enim fiet, ut quæ reponamus, non exiſtant coram deo faſtidium & abominatio, ſed odor bonæ fragrantiæ, hoſtia accepta, quemadmodum Paulus ait, & deo grata. Cæterum, Ananias & Sapphira ab hoc pio candore longe abfuerunt. Quæ enim reponunt, ex incredulitate & auaricia reponunt. Incredulitatem autem & auariciam ſequitur ueluti pediſſequa

Quod nõ ſit turpiter uiuẽdum propter gloriam humanam uitandam

Auaricia in Anania & Sapphira.

An nihil ſit reponẽdum in craſtinum

mendacium. Nam cum Ananias (quemadmodum indicant uerba Petri increpatoria, & uerba uxoris, quæ postea sequũtur) partem precii ad pedes apostolorum poneret, celabat repositum, & quod est sceleratissimũ, agrum non pluris ueniisse palam & impudentissime mentiebantur, Dixit ita Petrus. Cur impleuit Satanas cor tuum, ut mentireris spiritui sancto & fraudares de precio agri? Nonne prorsus tibi manebat & uenundatus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem istam? Non es mentitus hominibus, sed deo. Vide ut Petrus iteratis interrogatiunculis instet, urgeat, & increpet. Principio cur impleuit (inquit) Satanas cor tuum ut mentireris spiritui sancto & fraudares de precio? Ergo mendacia & fraudes seu impostura, authore Satana e corde humano proueniunt. Et quisquis mentitur ac proximo suo fraudibus imponit, cor habet a Satana impletum & obsessum. Non enim hi solum dæmonio exagitantur qui ob furorem suum uinciuntur catenis, & custodiuntur compedibus, sed multo magis illi qui corpore quidem liberi obambulant, cor autem mendaciis fraudibus imposturis aliisq; Sathanæ furoribus ita impletum habent, ut in proximos quosq; insania suorum scelerum grassentur. Siquidem ut Christus dicit: Satan mendax est & eius rei pater. Sed & ipse Satan idem alias testatur, inquiens: Egredior, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Quod uerbis de ipso dicitur, factis eius semper comprobatur. Nonne statim ab initio, mendaciis suis imposuit Euæ dicens? Nequaq̃ morte moriemini: scit enim deus quod inquacunq; die comederitis ex eo aperientur oculi uestri & eritis sicut dii scientes bonum & malum. Quid, quod quouis momento mendaciis suis nobis blanditur, ut persuadeat, multo nobis utilius esse, nostras cupiditates, desideria, & studia, quã uoluntatem, præscripta, & præcepta dei sectari? Itaq; si uolueris Satanam uere timere & ab ipso cauere, non necesse habes horribilem illam imaginem in parietibus depictam aut exculptam formidare, aut longe ab ea fugere. Timenda & fugienda sunt mẽdacia, uitandæ sunt imposturæ & fraudes: hoc enim demum uere est Satanam timere, fugere & uitare. Deinde cum Petrus dicit, ut mentiris spiritui sancto: & postea addit. Non es mentitus hominibus sed deo, significat impostores & calumniatores mendaciis suis, non simpliciter aduersus homines, sed potius aduersus deum peccare & non tam proximos suos, quemadmodum uidentur, quam seipsos decipere. Etenim cum lex domini falsum testimonium aduersus pximũ dicere prohibeat, certe, qui mendacio contra proximũ peccat, contra DOMINVM deũ suum peccat. Hinc Dauid inquit, Perdes omnes qui loquũtur mendacium. Et Salomon. Abominatur DOMINVS mendacia labia. Iam q̃ mendax & impostor, seipsos potius quam proximos decipiant, argumento est lex illa, quæ habetur de falso teste deprehenso. Si steterit (inquit) falsus testis contra hominem, iudices reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Sed cur testimonia longinqua petimus, cum in promptu sint Ananias & Sapphira uxor eius? Nonne hi potius seipsos fraudauerunt & deceperunt quam apostolos & reliquos discipulos Christi? nonne hi mendacio & fraude sua sibi ipsis mortem intulerunt? Defraudatis autem commoditatem timoris DOMINI & salutis auxerunt, tantum abest, ut ipsos incommodo aliquo affecerint? Deposito igitur mendacio, loquimini ueritatem quisq; proximo suo, ut deo obsequium præstantes, spiritum sanctũ nõ amittamus. Sed quid illud est, quod Petrus dicit, fraudares de precio agri? nõne & ager & precium Ananiæ erant? cur ergo Petrus aliquotæ precii partis seposition em uocat defraudationem? potest ne quispiam in propriis suis facultatibus & opibus, fraudator, fur & sacrilegus fieri? Maxime omnium. Etenim, qui opes suas, aut ex auaritia reponunt, aut mendacio his qui e uera inopia mutuum petunt, abnegant, aut ludis, scortationibus, ganeis, delitiis, ebrietatibus, & aliis id genus sceleribus perdunt, hi in suis ipsorum opibus fiunt fures & sacrilegi. Nonne diues ille, cuius mentionem facit Christus in Euangelista Luca, qui dicebat animæ suæ: Anima, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, gaude, sibi ipsi suas opes tanquam sacrilegus furabatur?

Mendatia & fraudes fieri autore Sathana.

Quomodo quispiã in propriis suis opibus fiat fraudator & fur.

Audit

Audit enim statim, stulte, hac nocte animã tuã repetunt abs te: quæ uero parasti, cui cedũt? Similiter diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide, in his micis ſacrilegium committebat, quas Lazaro mendico denegabat. Vnde ſacrilegium ei? ita punitur, ut poſtulanti in tartaro & tormentis unam ſaltem aquæ guttulam in refrigerium, denegatum fuerit. Proinde nihil opum reponamus aut auaritia, aut mendacio, nec quicquam facultatum impuris deliciis perdamus, ſed iis egentes liberaliter adiuuemus, ut iuſtitia noſtra quemadmodum pſalmus ait, maneat in æternum. Poſtremo, quod Petrus ait, nonne prorſus tibi manebat? & uenundatus in tua erat poteſtate? ſatis perſpicue indicatur, Chriſtianos non neceſſe habere facultates ſuas in cõmune conferre, ſed poſſe eas in ſua adminiſtratione retinere, modo illas retineant ſine mendaciis & impoſturis, atq; adminiſtrent eas ex fide. Poteras, inquit Petrus ad Ananiam, opes tuas tibi retinere, poteras & totum precium tuarum poſſeſſionum reponere, nemo te ob eam cauſam ex ordine Chriſtianoꝝ mouiſſet, ſed quia aliquam tantum partem in commune confers, & mentiris te totum precium conferre, hoc demum mendacium intolerabile eſt, & cum non nobis hominibus, ſed DOMINO deo tuo mentitus ſis, haud impune ille impudentiam tuam feret. Audiens autem Ananias hæc uerba collapſus expirauit. O inauditam humani alloquii potentiam, o ſtupendam apoſtolicæ increpationis energiam. Petrus pauca tantum uerba cum Anania collocutus eſt, & Ananias quaſi peſtifero telo ictus, ſubito mortuus concidit. Vnde obſecro, tanta humanæ uocis uirtus? profecto humana uox ſuapte natura non eſt niſi ſonus uanißimus, & inefficaciſſimus. At ſi humana uoce uerbum dei uehatur, iam non manet ſermo hominum, ſed eſt, quemadmodum Paulus inqt, uere ſermo dei. Quicquid igitur energiæ, quicquid uirtutis in ſe habet ſermo dei idem habet humana uox qua ſermo dei uehitur. Iam uerbum dei mortificat & uiuificat, occidit & reſuſcitat. Eadem igitur humana uox peragit ſi potentia diuini uerbi ſuffulta prodierit. Quid autem uox Petri aliud eſt quam uerbum dei? quid increpatio eius aliud eſt, quam explicatio legis dei? Non hominibus, inquit, ſed deo mentitus es, hoc eſt, non inultum ſinit deus mendacem, tu coram deo mendax es: non igitur aliud expectabis, quã ultionem diuinam. Ecce autem confeſtim hanc uocem ultio ſequitur, & Ananias repentina morte periit. Vides ne uerbi dei quamuis humana uoce pronunciati potentiam? An nunc intelligis, quid illud ſit, quod Paulus ait, Euangelion eſt potentia dei ad ſalutẽ omni credenti? Etenim ſi lex dei tantæ eſt efficatiæ, ut queat homines peccatores occidere & damnare, quanto magis Euangelion dei poteſt credentes uiuificare & ſeruare? Si Petrus occidit uerbo legis diuinæ, hominem mendacem, cur miniſterio Euangelii diuini credentes ueraces non uiuificaſſet? Proinde amiciſſimi timeamus diuinam iram, hoc exemplo manifeſtatam, & complectamur per fidem miſericordiã eius Euangelio promiſſam, ut effugientes mortem, ueram ſalutem adſequamur. Quid autem mortuo Anania alii egerunt? Num Petrum tanquam homicidam inuaſerunt? Nequaq̃, ſed timor magnus ortus eſt ſuper omnes qui hæc audierunt. Senciebant enim mendacem hominem, non a Petro, ſed diuino iudicio Petri uoce pronunciato interfectum eſſe. Vnde & iuuenes ſurgentes amouerunt eum, elatumq; ſepelierunt. Non enim pertinebat ad ſanctam illam congregationem, ſed ad tartarum, & dæmonum colluuiem. Et hæc quidem de uiro Anania acta ſunt. Nunc audiamus, quid uxori eius Sapphiræ, acciderit. Interceſſit ferme horarum trium interuallum, uxor quoq; ipſius neſciens, quod factum fuerat introiuit. Reſpondit autem ei Petrus. Dic mihi, num tanti agrum uendidiſtis? At illa dixit, etiam tanti. Petrus autem ait ad eam. Cur conſpiraſtis inter uos, ut tentaretis ſpiritum domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt uirum tuum, ad oſtiũ adſunt & efferent te. Confeſtim autem concidit ad pedes eius, & expirauit. Ingreſſi autẽ iuuenes repererunt illam mortuã & extulerunt, ac ſepelierunt iuxta uirum ſuum. Vetus eſt prouerbium, Caſcus caſcam ducit, quod in quos uerius competit, quam in Ananiam & Sapphiram? Qualis maritus, talis uxor. Maritus ſubtraxerat aliquid de precio agri, & conſenſerat uxor. Maritus menti-

Non eſſe neceſſariam rerum communionem

tus fuerat se tanti uendidisse agrum, uxor idem mentitur. Eadem igitur pœna, ut dignũ erat, uxor plectitur, & ad increpationem Petri, quasi fulmine icta corruit & moritur. Sed quid est, inquis, quod hi soli coniuges tam atrociter subitanea morte, ob mendatium puniuntur, cũ multi alii fuerint Hierosolymis peiores illis, qui incolumes manserint? Erant in Hierusalem interfectores DOMINI nostri Iesu Christi, erant illic blasphemi, latrones, sacrilegi, fures, adulteri, & aliis turpissimis sceleribus sordidati. His nullum terribile supplicium ab apostolis infertur. Et soli mendaces coniuges neci traduntur. Num mendacium maius peccatum est interfectione Christi & latrocinijs? Recte dicis, quisquis hæc obiicis, multo sceleratiores fuisse homines in Hierusalem, quam hi mendaces coniuges. Et impia Christi interfectio maius est omnibus aliis peccatis flagitium. At ita placuit DOMINO deo nostro, ut alii quidem scelerati felicem aliquandiu uitam agerent, hi autem mẽdaces infelici morte perirent. Quam ob causam? Primum quia iudicium a domo dei, quẽ admodum Petrus ait, incipit. Et Ananias ac Sapphira erant de familia domus dei, & in populo die censebantur. Ab ipsis igitur incipit iudicium dei, ut obseruemus quis futurus sit finis aliorum, qui non sunt de familia dei. Si enim DOMINVS tam crudeli supplicio familiares & domesticos suos afficit, quali obsecro afficiet extraneos & hostes suos? Ecce, ait DOMINVS Zebaoth per Hieremiam ad gentes, in ciuitate in qua inuocatum est nomẽ meum, ego incipio affligere, & uos quasi innocentes & immunes eritis? Non eritis immunes. Gladium enim ego uoco super oẽs habitatores terræ dicit DOMINVS Zebaoth. Deinde leue mendaciolum absq; iuramento designatum, tam atroci pœna plectitur, ut discamus quantum pœnarum mereatur periurium, homicidium, latrocinium, & alia id genus horrenda scelera. Etenim hi duo mendaces coniuges repentina morte horribiliter conciderunt, non, ut omnes aut mendaces, aut alii scelerati, statim cum flagitium designauerint, similiter repentina morte pereant, sed ut hac terribili pœna ad resipiscentiam inuitentur, aut si non resipuerint, sciant eo seuerius suppliciũ ipsis imminere, quo serius uenit tarditatemq; supplicii grauitate conpensandam fore. An ignoras, inquit Paulus, quod bonitas dei ad pœnitentiam te inuitat? sed iuxta duritiam tuã, & cor pœnitere nescium colligis tibi ipsi iram in die iræ? Itaq; Ananias & Sapphira, qui ambitiosa cupidine, partem precii agrorum suorum apostolis offerebant, quo bonam nominis sui famam, & laudem popularem inter reliquos Christianos sibi comparẽt, impudenti suo mendacio efficiunt, ut non solum subita morte corruant, sed etiam sordidissimam nominis sui mentionem post se relinquant, & exemplum omnibus & mendacibus & aliis flagitiosis hominibus præbeant quo aliena insania fruantur, & deum timere discant. Hoc tamen exemplum non malis solum prodest, uerumetiam bonis. Sic enim ait Lucas. Ortus est timor magnus super uniuersam congregationẽ, & super omnes qui audierant hæc. Boni enim hoc supplicio ad maiorem pietatem inuitabantur. Mali autem in suis sceleribus terrebãtur, & resipiscentiæ admonebantur. Proinde amiciſſimi paucorum supplicium præbeat omnibus nobis sapiendi occasionem, ut aut ex alienis uiciis nostra emendemus, aut emendati in uera pietate perseueremus, in Christo Iesu DOMINO nostro, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in secula Amen.

Quare tam atrociter mẽdatium punitũ sit in Ananiã & Sapphira cum lõ sceleratiores impune Hierusolymis uixerint.

HOMILIA XXII.



IN Anania & Sapphira, dilectiſſimi, metuendum nobis exemplum exhibitum est, quo admonemur, ut Christum non fuco, non dolo, non mendatio, non hypocrisi sed candida sinceritate, & ingenua ueritate complectamur. Quoniam autem Ananias & Sapphira a Petro uerbo oris sui occisi sunt, ne quis existimaret, ministerium apostolicum seu Euangelicum, esse mortis potius quam uitæ ministe-

rium

rium. Sequunt nũc miracula in ægris ad sanitatẽ restitutis prodita, quibus comprobatur ministerium Apostolicum non esse suapte natura mortis & internitionis, sed multo magis uitæ ac salutis ministerium: Per manus, inquit, Apostolorũ ædebantur signa & prodigia multa in populo. Et quæ fuerint illa signa, sequit: Exportabantur in plateis infirmi, & ponebantur in lectulis ac grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferens ægros ac uexatos a spiritibus immundis, qui sanabantur omnes. Quam ergo ob causam Dominus tot ac tanta miracula per Apostolos operabatur, ut etiam per umbram Petri aliquot ægri sanati restituerentur? num ut ostentaret his miraculis eximiam Apostolorum sanctitatem? Sed quàm sancti homines suapte natura sint, obseruare licet ex defectione eorum a Christo tempore passionis, & ex incredulitate, qua etiam post resurrectionem Christi tenebantur. Num, q̃ illi qui sanabantur, tanta sanctitate prædíti fuerint, ut sanitatem iustícia sua meruerint? At quę potuit esse illorum sanctitas, qui a spiritibus immundis obsidebãtur? & cum omnis homo mendax sit, nec iustificetur quisquam in cõspectu dei, quod potuit esse meritum ægrorum? Num, ut Dominus declararet, Christianos semper sanaturos esse ægros, & Euangelion in hoc reuelatum esse, ut infirmi corpore sanitati semper restituerentur? At si hac causa ædita fuissent miracula, nunc nec essent ulli Christiani, nec haberemus Euangelion reuelatum, propterea q̃ eiuscemodi miraculorum nihil inter nos ædatur. Huc adde q̃ nec Apostolorum temporibus, quiuis priuati credentes miracula faciebant: Per manus, inquit Apostolorum, non per manus omnium credentium ædebantur signa et prodigia, atq̃ adeo hos tantum ædidisse miracula legimus, qui ministerio prædicationis functi sunt, ut Apostoli, Stephanus, Paulus, & alij, Euangelion de Iesu Christo prædicantes. Itaq̃ hæc tantum causa prodita sunt miracula, ut nouum ministerium Euãgelij Iesu Christi confirmaretur & obsignaretur. Etenim Apostoli, quemadmodum aliqua ex parte, etiam in superioribus homilijs demonstratum est, nouam doctrinam & publice nunquam auditam, in orbem inuehebant, uidelicet, q̃ nulla sit, nec iustícia nec salus, in sacrificijs legis, in meritis bonorum operum, sed tantum in Iesu Christo nuper crucifixo, & q̃ nullum aliud nomen sub cœlo inter homines datum sit, in quo oporteat nos saluos fieri, cẽ Iesus Christus. Vt igitur huius nouæ doctrinæ ministerium confirmaretur, & ut nostri loquuntur, canonizaretur, addita sunt miracula, ueluti sigilla, quæ hanc doctrinam de fide in Iesum Christum ita obsignant, ut si angelus de cœlo descenderet, & aliud Euangelion prædicaret, non esset recipiendum. Proinde, reuelatio illa spiritus, quam iactãt Papistæ, de meritis operum, de satisfactionibus peccatorum per opus operatum Missæ, & de alijs id genus nugis contra iustíciam fidei, quæ in solo Iesu Christo habetur, item de mutanda altera specie Sacramenti contra institutionem Christi, non est habenda pro spiritus sancti reuelatione, sed pro Satanæ impostura. Ad hæc spiritus ille quem iactant Anabaptistæ, & alij eius farinæ impostores, subinde noua contra scripturam & iustíciam, quæ per fidem in Iesu Christo habetur, somnians, uanissimus est, & tanquam ipsissimus Satan deuitãdus. Soli autem doctrinæ, de iustícia, salute & redemptione, quæ est in Christo Iesu adhærendum, & illi soli fides adhibenda est, quippe quæ Apostolicis miraculis, ueluti sigillis comprobata & obsignata est. Iam, quid obsecro hoc rei est, q̃ aliqui incedentis Petri umbra obumbrati, sanitatem cõsecuti sint? Quid uanius umbra? scilicet defectoris illius Petri & abnegatoris umbra tam sancta, tam potẽs est, ut ægros sanet? Multi sentiunt in Petro impletum est, quod Christus, autore Euangelista Ioanne, dicit: Amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio,

Cur tanta miracula uoluerit deus per Apostolos fieri.

& ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad patrem uado. Tametsi enim Christus quosdam sanarit manus attactu, mulierem etiam tacta fimbria, neminem tamen sanauit umbra sua, quemadmodum de Petro scriptura testatur. At quia sola uoce quatriduanum mortuum suscitare, quod Christus in Lazaro designauit, maius miraculum est, q̃ umbra ægrum sanitati restituere, ideo cum Christus dicit: Maiora his faciet, non intelligitur de miraculis, sed de ministerio prædicationis, uidelicet, q̃ Apostoli plures prædicatione sua ad ueram fidem conuersuri sunt q̃ Christus. Loquor autem non de interna Christi authoritate, qua omnem in omnibus credentibus salutem operatur, sed de externo eius ministerio, quo in circuncisione, inter Iudæos functus est. In eo enim ministerio pauciſſimos tantum Iudæos ad ueram fidem adduxit, & quos adduxerat, hi rursus passionis suæ tempore defecerunt. Apostoli autem ministerio prædicationis suæ innumerabiles & Iudæos & gentes ad fidem conuerterunt. Maiora igitur, quod ad externum ministerium attinet, opera Apostoli fecerunt q̃ Christus, qui in hoc tanta Apostolis miraculorum ædendorum dona contulit, ut maiora ministerio prædicationis suæ opera efficere possent. Hinc est, q̃ Petri umbra quidam sanati sunt, non quia umbra abnegatoris tam sancta fuerit, ut infirmos sanaret, sed ut per hoc miraculum ministerium Petri de Iesu Christo approbaretur. In posteriori Malachim libro de ossibus Elizæ prophetæ iamdudum mortui tale extat testimonium, q̃ quidam sepelientes hominem, uiderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchrum Elizæ. Quod cum tetigisset ossa Elizæ, reuixit homo, & stetit super pedes suos. An existimas tantam affuisse sanctitatem mortuis ossibus Elizæ, ut ex eorum attactu mortuus reuiuisceret? At quæ seipsa non poterant uiuificare, quomodo alijs uitam conferrent? Miraculum igitur istud factum est, non ad comprobandam ossium Elizæ sanctitatem, sed ad confirmandum ministerium prophetiæ eius, quod adhuc uiuus gesserat. At q̃ hæc est uera miraculorum ratio, uidelicet, non q̃ propriam illorum per quos ædunturiusticiam ac sanctitatem ostentent, sed q̃ ministerium ipsorum illustrent, & uerbum prædicationis eorum confirment. Cæterum cum Euangelij prædicatio miraculis illustraretur, magis accrescebat credẽtium Domino, multitudo uirorum simul ac mulierum, & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Fides enim in Christum eximebat eis omnem timorem, & ita animabat eos, ut libere Euangelion Christi prædicarent, & palam profiterentur, contra omnium hominum minas, decreta & mandata. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Quid hoc rei est, q̃ qui Euangelio non credebant, non ausi fuerint sese adiungere congregationi credentium? Num credentes tam duri fuerunt, ut neminem ad se admiserint? Minime omniũ, Admittebant enim exemplo magistri sui quosuis. Sed pars eorum qui non credebãt, in eam uerecundiam propter miracula adducti sunt, ut reputarent se indignos, qui cum tam sanctis hominibus cõtubernium agerent. Pars metu supplicij, quod in Anania & Sapphira contigisse audiuerant. Pars metu phariſæorum & pontificum, qui decreto suo prohibuerant, ne quis huic nouæ sectæ sese adiceret. Omnes tamen (non enim de persecutoribus, sed de uulgari hominum nondum credentium multitudine sermo est) glorificabant eos, humana interim passi. Nam qui reputabant sese indignos ut coniungerentur tam sanctæ congregationi, debuissent ideo sese coniungere, ut per fidem in Iesum Christum quem illi profitebãtur, digni facti fuissent. Qui uero metu supplicij quod in Anania cõtigisse acceperant, hoc contubernium uitabant, debuissent potius metu supplicij sese illis adiũgere, ut suppliciũ deuitassent, imo ut inferni pœnas effugissent. At q̃ hi pſimiles illis mihi uidẽtur, qui quondã non baptizabant, nisi in mortis articulo, timentes

Quomodo maiora Apostoli Christo fecerint.

Vera miraculorum ratio.

mentes, ne si sani baptizarentur, necesse haberent aut honestam uitæ rationem inire, aut excommunicatione turpiter a Christianorum consorcio excludi. Vel illis, qui tunc nostro sæculo a communione cœnæ dominicæ abstinent usq; ad nouissimum spiritum, formidantes, ne si communicent, indigne accipiant, & fiant rei corporis ac sanguinis Christi. At is metus non debet eos a communione deterrere, sed potius inuitare, ut studeant digne communicare. Qui autem metu pharisæorum & pontificum fugiebant contubernium Apostolorum & discipulorꝫ Christi, hi uitantes Charybdim, incidebant in Scyllam. Timebant corporis interfectores, & non timebant animæ & corporis damnatorem. Vitam corporis seruare studebant, & animæ simul ac corporis uitam amiserunt. Proinde nulla nos sicut illos inutilis uerecundia, nullus metus contineat, quo minus tam sancto collegio adiungamur. Adiungimur autem ei, si eãdem doctrinam Euangelij capessamus, & solum Christum Iesum, nostram iusticiam & salutem credamus. Sic enim fiet, ut in communionem sanctorum recepti, omnia cœlestia bona hæreditate acquiramus. Sed nunc tempus est, ut uideamus, quid pontifices iterum aduersus Apostolos tentauerint: Quis enim non secum conijceret, eos maxima indignatione commotos, qꝫ uidebant decreta sua a piscatoribus contemni, & a uulgo negligi, qꝫ animaduertebãt maiestatem & authoritatem suam prorsus uilipendi, solum autem Iesum Christum quem ipsi crucifixerunt, esse in ore omnium. Cum igitur hæc minime ferre possent, exurgens princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est factio Sadducæorum, repleti sunt ,, ,, ,, æmulatione, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Quid hoc, inquis? Siccine exauditi sunt Apostoli, qui ante precati fuerunt, dicẽtes: Domine, aspice in minas eorum? Hoccine illud est, quod cõmotione loci declarauit deus sese illorum preces exaudisse? Ecce Deus conniuet, ut Apostoli ducantur captiui, & ponantur ueluti publici scelerati in publica custodia, ut mox sequenti die ad pœnam producantur. An hoc est aspicere in minas pontificum, & prohibere, ne quicquam mali inferre queant? Sed heus tu quisquis hæc obijcis, finem rei expecta, Exitus acta probat, Facta non sunt ab euentu notanda. Precati sunt Apostoli ut Dominus respiciat in minas pontificum. Q2 autem uere fuerint exauditi, & Dominus in minas aduersariorum respexerit, partim e prioribus, partim e sequentibus obseruare licet. Audi quid sequitur: Angelus Domini per noctem aperuit ianuas carceris, eductisq; illis dixit: Ite & ,, stantes loquimini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Num existimas ,, hoc non esse aspicere in minas aduersariorum, angelum mittere, qui carceris ianuas recludat, uinctos liberet & educat? An putas hoc non esse dare fiduciam loquendi, mittere angelum qui uinctos soluat, & admoneat, ut illi in prædicatione Euangelij pergant? An hoc non est fiducia loquendi, qꝫ liberati e carcere, confestim Christum prædicant? Sic enim sequitur: Illi uero cum hæc audissent, in ,, trauerunt diluculo in templum ac docebant. Certe, non potuisset Deus exaudi- ,, tionem precum Apostolicarum, & qꝫ respiceret in minas aduersariorum, & qꝫ daret Apostolis fiduciam prædicandi Christum, admirabilius & potentius declarare ac comprobare. Nam qꝫ conniueat ad captiuitatem Apostolorum, & auxilium suum differat, donec illi in carceres includantur, ideo facit, ut quo magis minæ pontificum promouere uideantur, eo manifestius & dilucidius impediantur, & quo contemptiori captiuitati Apostoli tradantur, eo glorioſiori libertati restituantur. Hic enim est mos Domini Dei nostri, qꝫ sinat impios exaltari, & pios deijci, ut illi grauius deijciantur, & hi admirabilius exaltentur. Exemplo sunt, Pharao & Israelitæ, Saul & Dauid, Pharisæi & Christus, & hoc loco Pontifices & Apostoli. Prævalent enim Pontifices Apostolis, donec eos uinculis

ſuis conſtringant,& Apoſtoli Pontificibus inferiores ſunt,q; ab ipſis carceri tradantur. Ita exaltantur pontifices,& deijciuntur Apoſtoli. Sed uide huius rei cataſtrophen. Pontifices in ſua potentia pudefiunt, Apoſtoli autem glorioſe e carcere liberantur. Angelus enim Domini aperuit ianuas carceris,& hortatur Apoſtolos,ut libere contra decreta pontificum Euangelion Ieſu Chriſti prædicent. O infœliciſſimos pontifices,quorum decreta angelus impia iudicat. O fœliciſſimos Apoſtolos,quibus angelus ſeruit,aperiendo carcerem, educendo & exhortando. Vis ergo ut tibi quoq; angeli ſeruiant: uis ut tibi miniſtrent & te ſeruẽt? miniſtra tu Chriſto,ſerui Chriſto,crede in Chriſtum,ſic enim fiet, ut ille angelis ſuis mandet de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis, ne forte offendas ad lapidem pedes tuos. Ergo ne cuiuis captiuo, in Ieſum Chriſtum credenti, & ex fide auxilium eius imploranti,miſſurus eſt deus angelum,qui ipſum e carcere liberet ac educat: Sic Petrus ab angelo e carcere eductus eſt. Sic Paulo & Sylæ facto terræ motu, aperta ſunt omnia carceris oſtia,& uincula ſoluta. An quæ aliquibus Chriſto credentibus euenerunt, omnibus euentura ſunt? Omnibus certe in Chriſtum credentibus, & ex fide eum inuocantibus, euenit certiſſima e periculis liberatio & ſalus, ſed non omnibus idem liberationis modus aut eadem ſalutis ratio euenit. Etenim ſacræ ſcripturæ exempla,quibus commemoratur aliquot pios,miraculis e diſcrimine ſuo liberatos eſſe, non in hoc nobis proponuntur,ut plane eundem liberationis modum nobis euenturum ſperemus. Sed potius in hoc,ut modum quidem & tempus liberationis Deo relinquamus, ipſam autem liberationem quoquo modo nobis euenturam, certiſſima fide concipiamus. Nam ut Deus eundem hominem Chriſto fidentem ſemper quidem liberat. Ita omnibus credentibus certa eſt ex omnibus periculis liberatio, ſed liberationis modus ipſis incertus eſt,& ſoli deo reſeruatus. Quoties Dauid in manibus capitalis ſui hoſtis Saulis iamiam comprehendendus tenebatur? qui & ſi ſemper liberabatur,nunquam tamen eodem liberationis genere,periculum euadebat. Nunc enim ſagittam a Saule emiſſam & aberrantem declinat,ne configatur. Nunc per ualuas domus a ſua ipſius uxore funedemittitur. Nunc in modũ coronæ ab exercitu Saulis in deſerto Moon circundatus, & deſperans ſe poſſe euadere,liberatur tamen,cum Saul accepto inopinato de incurſione Philiſtinorum nuncio,neceſſe habebat relicto Dauide fines imperij ſui tueri. Audis eandem quidem liberationem,ſed diuerſa liberationis genera. Quoties Paulus periculis obiectus eſt,& ſemper quidem euaſit, nũquam tamen eodem genere euaſit: Nunc enim a diſcipulis in ſporta per murum ſubmiſſus eſt,nunc lapidatus in columis ſurrexit,nunc carceri traditus, apertis ab angelo ianuis,& rogante magiſtratu,liber exiuit. Poſtremo in media etiamnum morte liberatus, ita ut mors nihil prorſus incommodi ei inferre potuerit: ſcilicet, nullum tu liberationis, ſed potius perditionis genus in morte eſſe exiſtimas? At ſi in morte perditionis tantum,non item ſalutis genus eſſet, quomodo Ieſus Chriſtus in media morte ita ſeruatus eſſet,ut per eam in regnum patris ſui intrauerit,& ſummam poteſtatem adeptus fuerit? Et cur diceret: Ego ſum reſurrectio & uita,qui credit in me,non morietur in æternum? Ita q; uaria & in uita & in morte liberatiõis genera ſunt, quæ licet nobis ſint incerta,& ab oculis noſtris abſcondita,ipſa tamen liberatio, ſiue hoc modo,ſiue alio euentura nobis per Ieſum Chriſtum certiſſima facta, & per miracula ſcripturarum obſignata atq; confirmata eſt. Quæ igitur pericula in obſequio diuinæ uocationis times? quæ aduerſa formidas? An ideo non uis uocationem diuinam ſequi,quia non uides uiam euadendi pericula quæ imminent? At Deus tibi certam euaſionem pollicitus eſt,uiam & modum ipſe nouit. Quid nunc conquereris? quid tergiuerſaris? En tibi certam liberationem,quid

Omnibus credentibus contingere liberationem,ſed non eodem modo.

Etiam in morte eſſe liberationem.

ad te

ad te modus liberationis? is deo curæ esto. Tu uero uocationem eius confidenter sequere, & commodior tibi liberationis modus suo tempore ostendetur, quam nec optare unquam nec sperare potuisses. Cæterum nec hoc prætereundum est, quod angelus monet quidem Apostolos, ut loquantur populo in templo, nihil autem aliud nouí loquendum monet, q̃ uerba uitæ huius. Sic enim uocat Euangelion de Iesu Christo ab Apostolis prædicatum. Falsus igitur angelus est, qui suadet & cogit aliud Euangelion prædicare q̃ Apostolicum, de gratuita remissione peccatorum, & iustificatione, per Christum Iesum DOMINVM nostrum. Euãgelion enim illius angeli, qui hortatur, ut amplificemus uires humanas ad benemerendum, ut credamus peccata expiari & remitti propter opera, propter Missarum sacrificia, aliaq; id genus superstitiosa & impia, nõ est nisi Euangelion mortis. Quod autem iuxta Apostolorum prædicationem adnunciat gratuitam in Christo peccatorũ remissionem, & q̃ propter Christum non propter nostra opera coram Deo iusti & accepti simus, hoc demum Euangelion, uerbum uitæ est, ut quotquot in illud credant, habeant uitam æternam in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula, Amen.

Euangelium esse uerbum uitæ.

HOMILIA XXIII.



VDiuimus dilectissimi, q̃ bonus DOMINI angelus Apostolis fores carceris recluserit eosq; eduxerit, & admonuerit, ut uerbum uitæ, quod est Euangelion, palam annuncient, & publice doceant. Audiamus nunc quid malus angelus qui est Satan, omnis pietatis inimicus, in pontificibus & magistratibus Hierosolymitanis aduersus Apostolos molitus sit. Nam Satan qui agit nunc, ut Paulus inquit, in filijs contumacibus, postquam Apostoli in carcerem conclusi fuerũt, confestim subornat, ut summus pontifex concilium cogat, & nescio quod horribile mortis genus in Apostolos statuat, uidelicet hoc agens, ut interemptis Apostolis, nomen & gloria Christi euanescat. Adueniens (inquit Lucas) princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium & uniuersum seniorum ordinem filiorum Israël, miserunt q̃ ad carcerem qui adducerent eos. Iterum conueniunt, iterum cõcurrunt pontifices, quasi ad commune incendium restinguendum. Et quid in eo conuentu, priusquam Apostoli adducerentur, consultant? Quid putas aliud, nisi atrocissimum supplicium, nisi crudelissimum mortis genus in Apostolos illos, homines non solum maiestatis pontificiæ contemptores, sed etiam præfracte contumaces. Nunc tandem existimant occasionem aduenisse, qua iure possint in discipulos Christi, tanquam in publicæ pacis turbatores, & læsæ maiestatis reos, animaduertere, quemadmodum antea in Iesum præceptorem eorum animaduerterunt. Quis enim captiuos de manibus ipsorum liberaret? quis carceri inclusos eriperet? quis omnium hominum auxilio destitutos defenderet? Carcer cum omni diligentia clausus est, & custodes ante ianuas sollicite adstant, quomodo igitur possent captiui euadere? At tu mihi uide uanissimas pontificum opiniones & consultationes. Existimant enim Apostolos probe custoditos, ut effugere minime omnium queant, & consultant in eos horribile genus supplicij. Interim autem Apostoli ab angelo illis insciis, liberati, publice in templo Euangelion de Iesu Christo, quod pontifices Paulo anteuertuerunt, prædicant, & alacri libertate profitẽtur. Ad hæc etiam DOMINVS Deus noster de ipsis statuit, quod Pontifices ne tantillum quidem incommodi, uitæ eorum inferre possint. Sic enim sequitur: Cum autem uenissent ministri,

» nec reperissent illos in carcere, reuersi nunciauerunt dicentes. Carcerem quidem
» inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes foris stantes ante ianuas,
» cum aperuissemus autem, neminem intus reperimus. Vt autem audierunt hos
» sermones & sacerdotes & magistratus templi, principesq; sacerdotum ambige-
» bant de illis, quid nam hoc futurum esset. Adueniens autem quidam, nunciauit
» eis: Ecce uiri quos posueratis in carcere, sunt in templo stantes, ac docentes po-
» pulum. Obserua quæso, quam ridicule pudefiant pontifices, paulo ante tormen
ta, flagella, ignes, laqueos, gladios, lapides, mortes, & si quid his erat crudelius,
summa arrogantia in Apostolos spirantes. Quod & si hoc loco de Pontificibus
& Apostolis tantum scriptum sit, tamen Dominus deus noster hanc rem, non
illorum tantum gratia sic administrauit, sed ut hoc factum esset piorum in sectan
da dei uocatione consolatio, & impiorum in persequenda pietate admonitio.

Quid pios abterreat à uocatione diuina.

Quid enim pios magis a sectanda uocatione diuina absterret, quàm timor aduer
sariorum, & metus aduersitatis? Nonne metu Pharaonis Mose detrectat duca
tum Israëlis, ad quem a Deo uocabatur, dicens: Quis sum ego, ut uadam ad Pha
raonem, & educam filios Israël de Aegypto? Quid aliud, quàm timor aduersi-
tatum detinebat Hieremiam, quo minus continuo uocationi Dei obsequere-
tur, sed diceret: Ah Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum? Nam & hic
metus etiam Petrum ad abnegationem & exprobationem adegit, alioscp Apo-
stolos in fugam impulit. Nec in solis ministris Ecclesiasticis huiusce modi timo
ris locus est, uerumetiam in magistratu ciuili. Vocatio magistratus ciuilis est,
ut sit ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit, hoc est, ut sontes supplicio
afficiat. Quoties autem uidemus magistratum, tenues & abiectos homines, ob
leuissimum crimen grauissime plectere, opulentos autem & potentes in atrociss
mis sceleribus impunes dimittere, propterea quod timeat ne amici, affines, aut
consanguinei illorum, qui digni essent supplicio, urbem aut regionem aliquo in
commodo afficiant? Quid regem Dauidem, alioqui magistratum seueríssimum
a supplicio ducis sui Ioab, qui bis homicida, Abnerum & Amasam iniuste in-
terfecerat, continuit, quam metus consanguineorum & affinium Ioab, uidelicet
ne si Ioab plectatur, illi ob potentiam suam, a regno Dauidis deficerent? Iam, &

Vocatio priuatorum.

priuatos homines metus aduersitatis absterret, ne pietatem sectentur. Vocatio
enim priuatorum hominum est, ut pie sua artificia exerceant, & nemini in mer-
cimonijs emendis & uendendis imponant. At timent illi paupertatem, timent
egestatem, si recte sua administrauerint, itaq; impostoris quosuis decipiunt, ut
multas diuitias corradant. Vides metum aduersariorum, & timorem aduersi-
tatis, fere omnibus authorem esse, ut derelicta uocatione Dei, sua desyderia se-
ctentur. DOMINVS autem deus noster, hoc facto, quod in Apostolis & Pon
tificibus peregit, omnes pios monet & confirmat, ut excluso metu, alacriter sua
am uocationem sequantur. Quid enim aduersarios quantumuis atrocia minan
tes aliud manet, quam extremus pudor, ignominia & confusio? Fremunt, in-
quit Psalmus, gentes, & populi meditantur inania. Adstant reges terræ, & prin-
cipes conueniunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Sed
qui habitat in cœlis irridet eos, & Dominus subsannat eos. Loquetur ad eos in
ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Ac rursus: Maledicent illi, & tu bene-
dices. Qui insurgunt in me confundentur, seruus autem tuus lætabitur. Induen
tur qui detrahunt mihi pudore, & operientur, sicut diploide, confusione sua.
Nonne sic confusi sunt pontifices, dum acceperunt nuncium, carcerem esse ua-
cuum, & Apostolos in templo Euangelion profitentes? Et quod hic pontifici-
bus erga omnes Apostolos contigit, postea eueniet regi Herodi erga solum Pe-
trum. Erat enim Petrus ab Herode in carcerẽ cõiectus, & seruabatur inter duos

milites

milites, uinctus duabus catenis, præterea custodes ante ostium custodiebant carcerem. Sed cum esset magna expectatione producendus populo, angelus DOMINI eduxit eum e carcere. Quid autem Petri euasio aliud fuit quam extrema pudefactio & confusio regis Herodis, adeoq; totius eius custodiæ? Sed hoc ipsum longe omnium clarissime in capite Apostolorum & omnium piorum Domino nostro Iesu Christo obseruatur. Hunc enim comprehendunt pontifices, ad crucem adigunt, interficiunt, sepultum diligentissime custodiunt, ita ut nemo ipsorum uel somniaret, quod Iesus posset mortem euadere. Vide autem quid tertia die post mortem eius contingit. Resurgit ille, & regnum patris sui occupat, non solum custodibus territis, sed etiam omnibus pontificibus pudefactis. Quotquot igitur pij sunt, non terreantur a pietate aduersariorum sæuicia, sed magis mordicus pietatem retineant, quod sciant ipsos certissimam salutem, & aduersarios extremam confusionem manere. Quotquot autẽ impij sunt, ab impietate absterreantur, quod audiunt non solum uerbis Dei, sed etiam factis & exemplis imminere ipsis horribiles tremores & pudores. Sed reuertamur nunc ad pontifices in concilio aduersus Apostolos congregatos. Cũ enim audierant Apostolos in templo stare ac docere, quid facerent? non erat tutum in tanta populi frequentia manus uiolentas in eos iniicere, non erat consultum armata manu in totam multitudinem irruere. Proinde, quod tutissimum uidebatur id agunt: abijt enim magistratus cum ministris, & adduxit illos sine ui, time- »
bant enim populum ne lapidarentur. Vidisti antea in pontificibus pudorem & »
confusionem, nunc uides in eis timorẽ. Audisti in Apostolis captiuitatem, nunc audis libertatem. Res est omni sæculo memorabilis. Potentes & armati reddun- *Ratio quare*
tur impotentissimi, & planè inermes. Impotentes autem & inermes ita formida- *pij reddãtur*
biles redduntur, quasi essent innumerabili cataphractorum militum manu cinc- *potentes, im-*
cti. Vnde, obsecro, tanta rerum munitio, & quæ res tam impotentem reddit po- *pij uero im-*
tentiam, & tam potentem impotentiam? Rogas? Audi. Vt pietas armat inermes, *potentes.*
ita impietas exarmat armatos. Si in præceptis meis ambulaueritis (inquit Dominus) & mandata mea custodieritis, persequentur quinq; de uestris centum alienos, & centum de uobis decem milia. Si uero non audieritis me, terrebit uos sonitus folij uolantis, & ita fugietis quasi gladium, cadetis nullo persequente, & corruetis singuli super fratres suos, quasi bella fugientes. Vides pietatem terribilem, impietatem autem meticulosum efficere. Non igitur mirum, q̃ pontifices populi impetum metuant. Quod enim in Apostolos conantur, non pie, non iuste, non legitime, sed impijssime & iniquissime conantur, & hæc res facit eos pusillanimes. Vis ergo in magistratus tui functione non metuere uulgum? uis non formidare populi impetum? age quæ recta sunt, sequere uocationem Dei diligenter, & eris populo etiam metuendus, tantum aberit, ut tu eum pusillanimiter metuas. Porro cum magistratus & ministri adduxissent Apostolos, statue- »
runt illos in concilio, & interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Nonne »
etiam atq; etiam præcepimus uobis ne doceretis in nomine isto? Et ecce reple- »
stis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem ho- »
minis istius. Pontifex agit Apostolos duorum grauissimorum, ut putat crimi- »
num reos: prius est quod non obseruauerint decreta sacri concilij, nam in priori concilio, pontifices communi decreto minaciter Apostolis interminati sunt, ne posthac loquantur in nomine Iesu ulli hominum. Dicit igitur pontifex, non ne etiam atq; etiam præcepimus uobis, ne post hac quicquam siue remissionem peccatorum, siue iusticiam, siue resurrectionem, siue uitam æternam in nomine Iesu prædicaretis? ecce aũt sacri cõcilij decreta ita præfracte neglexistis, ut totã Hierosolymã uestra doctrina repleueritis: uix igit supplicium facto uestro satis

dignum decerni potest. Lex mortem in illum pronunciat, qui contumaciter sacerdotis imperio non obedierit. Quanta ergo pœna uobis debetur, qui non unius tantum, sed multorum sacerdotum ac pontificum decreta, adeoq; sacri concilij statuta præfracte uiolastis? Et si filius contumax ac proteruus a parentibus suis accusatus, q; monitis suis obsequi nolit, lapidibus iuxta legem obruitur, eo atrocior pœna in uos statuenda est, quo maiori peruicacia, spiritualium patrum, qui carnales patres longe superant, monita contempsistis. Atq; hoc prius est crimen quod Apostolis obijcitur. Audiamus nunc alterum. Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Possemus utcunq; ferre, q; concilij authoritatem, quæ tamen debet esse sacrosancta, contemnitis. At hoc nobis intolerabile est, quod prædicatione uestra de Iesu Nazareno, iniqui iudicij & iniustæ condemnationis, nos palam accusetis, condemnauimus enim Iesum uestrum Nazarenum ad mortem, adegimus hominem istum ad crucem. Nunc autem cum uos asseritis eum a mortuis resurrexisse, & in nullo alio quam in ipso ueram esse salutem, quid hac assertione aliud dicitis, quam Iesum uestrum insontem ac innocentem fuisse, nos uero iniquam in ipsum sententiam pronunciasse, & peruerso iudicio condemnasse? Quis hanc contumeliam in uobis ferret? An existimatis pontifices sacros diuino oleo inunctos, & locum Dei tenentes, inique iudicare, & innocentes condemnare? Num, si errare possent, Deus tanta authoritate eos ornasset & præcepisset, ut causæ ambiguæ ad ipsos referrentur? Cum ergo non solum decreta concilij uiolaueritis, sed etiam sacrum concilij nomen maxima cõtumelia affeceritis, nulla satis digna pœna excogitari potest, qua uestra scelera pro meritis suis plectantur. Hæc sunt atrocia illa crimina, quorum pontifex Apostolos reos agit. Sed ut ille ait: Si accusare sufficit, quis innocens erit?

» Videamus igitur nunc Apostolorum apologiam. Respondens autem Petrus
» & Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis q; hominibus. Grauissima & plane Apostolica sententia, crimen primo obiectum depellitur: Fatemur inquiunt, decreta pontificum obseruanda esse, fatemur obediendum esse sacerdotibus, sed usq; ad aras: uidelicet, si decreta eorum cum lege diuina conueniant, si mandata eorum cum uerbo Domini non pugnent, at si diuersa & contraria præcipient, q; deus præcepit, tunc oportet Deo magis obedire q; hominibus, quantumcunq; potentibus, sanctis, & sapientibus. Atq; ita prius crimen paucissimis quidem, sed tamen grauissimis uerbis depulsum est. Posterius autem pluribus
» diluitur. Sic enim inquiunt Apostoli: Deus patrum nostrorum suscitauit Ie-
» sum, quem uos interemistis, suspendentes in ligno, hunc principem & seruato-
» rem deus exaltauit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israëli, remissionemq;
» peccatorum, ac nos sumus ei testes horum quæ dicimus. Insuper autem & spiri-
» tus sanctus, quem dedit deus obedientibus ipsi. Alterum crimen quod obijcieba tur huiusmodi erat, q; Apostoli prædicatione traducerẽt pontifices iniustæ condemnationis, & hoc factum adeo non negant, ut clarius repetant, explicent ac testificentur. Prædicamus (inquiunt) uos inique interemisse Iesum, & iniuste ad crucem adegisse, id quod deus palam in ipso testatus est. Etenim, deus non commenticius quispiã, sed uerus ille, qui patribus nostris promissiones suas de Messia dedit, suscitauit hunc Iesum a mortuis: nec hoc solum, sed etiam exaltauit eum potentissima sua dextera, ut esset uerus ille princeps ac seruator, qui Patribus promissus est, ut Israël in ipso haberet remissionem peccatorum, iusticiam, redemptionem & uitam æternam. Atq; huius rei, uidelicet, q; Iesus a deo sit a mortuis suscitatus, & ad principatũ Israëlis exaltatus. Primũ nos ipsi testes sumus, q; nostris oculis ipm uiuũ uidimus, manibus nostris cõtrectauimus, unà cũ ipo edimus ac bibimus. Deinde testificatur hoc ipsum spũs sanctus, dona & uirtutes,

quas

quas spiritus sanctus per nos operatur. In nomine enim eius datus est nobis spiritus sanctus, qui efficit in nobis ut loquamur uarijs linguis, ut nomine Christi claudos sanemus, leprosos mundemus, cæcis uisum reddamus, cuius etiam nomine efficitur, ꝙ e carceribus mirabiliter liberemur. Quis autem negaret eum uiuere, & summa potestate præditum esse, in cuius nomine tanta miracula fiũt? Nos igitur ipsi, & miracula nostra testificantur, Iesum suscitatum a morte, & ad rerum omnium dominium exaltatum esse. Hæc est Apostolorum responsio, ad posterius crimen, in qua illud præcipue nobis obseruandum est, ꝙ dicunt Iesum exaltatum esse, ad dandam pœnitẽtiam & remissionem peccatorum Israëli. Hoc enim est officium Christi, ꝙ sedeat ad dextram patris, ut sit nostra iusticia, sanctificatio & redemptio. Quid hoc officio nobis gratius, quid acceptius accidere posset? Non enim ideo iusti sumus coram Deo, quia nos aliquid boni operis facimus, sed quia Christus satisfecit pro peccatis nostris, & remisit ea nobis. Hæc peccatorum remissio nostra est iusticia. Nõ ideo sancti sumus quia sancta opera exercemus, sed quia Christus unica oblatione perfectos efficit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Obediamus igitur Christo per fidem, ut per ipsum spiritu sancto donati, non solum coram deo iusti reputemur, sed etiam in obsequium eius coram mundo iusta opera, quæ deus nobis mandauit, faciamus, & tandem perpetuæ uitæ hæreditatem consequamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

Officium Christi.

HOMILIA XXIIII.

APologiam Apostolorum, dilectissimi, sequitur consultatio & sententia Pontificum. Quanquam autem Apostolorum responsio fuerit modestissima, maior tamen pontificum pars tanto furore accensi sunt, ut non aliud, quàm dira supplicia & crudelissimas mortes in Apostolos spirarent. Sic enim dicit Lucas: Hæc autem cum audissent, dis- »
secabantur, & consultabant, ut interficerent illos. His pau »
cissimis uerbis, maxima pontificum, qui sibi sapientissimi uidebantur, stulticia (ut nihil de impietate dicam) describitur, atq; adeo stulticiæ simulachrum, in his pontificibus, nobis ob oculos pingitur. Etenim, hæc est natura & ingenium stultorum, ꝙ nihil eorum intelligant, quæ ad ipsorum commodum & utilitatem dicuntur, sed potius ea in contumeliam suam interpretantur, & modestis ac humanis etiam uerbis ad tantam iracundiam irritantur, ut parum ab insania distent. Postremo hoc solum quærunt, ut cupiditati suæ satisfaciant, interim nullam habent rationem, uel æquitatis, uel honestatis, uel utilitatis. Hoc autem ingenium plane in hoc concilio produnt pontifices. Nam Apostoli in sua Apologia, neq; quicquam contumelioſe, neq; quicquam arroganter in pontifices dixerant, sed dignis eos honoribus affecerant, & ostenderant ipsis salutis uiam, tantum abest, ut eos contumelioſe appellauerint. Cum enim dicebant: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Profecto sentiunt hominibus etiam obediendum esse, & hominum authoritatem non esse contemnendam, attamen authoritatem dei præferendam. Hoc autem non est hominum authoritatem contumelia afficere, sed eam in suis finibus continere, & suo pede eam metiri, id quod est honorare & commendare. Qui enim authoritatem humanam, uel æquaret uel præferret diuinæ, is potius sordidaret eam, quàm celebraret. Qui autem recte utramque distinguit, & unicuique quod suum est tribuit, legitimo honore utramque afficit. At stulti Pontifices, quod non intelligunt, hoc

Stulticiæ simulachrum.

rapiunt in sui contumeliam, existimantes se maximo probro ab Apostolis contaminatos, quod illi dixerint, Magis obediendum esse Deo quàm hominibus. Deinde ostendunt Apostoli eis salutis uiam, cum proponunt ipsis Iesum principem a Domino exaltatum, ad dandam Israëli remissionem peccatorum, quod perinde est, ac si ipsos ita fuissent allocuti. Tametsi uos pontifices inique Iesum ad crucem condemnaueritis, tamen exaltatus est Iesus, ut per eum consequeremini iniquitatis uestræ remissionem. Si enim Iesus princeps est ad dandam peccatorum remissionem populo Israël, quanto magis etiam ad uos populi Israël principes hoc beneficium pertinebit? Sed quomodo hãc salutiferam uocem pontifices accipiunt? Dissecantur (inquit Lucas) in cordibus suis & consultant, ut interficerent illos. Is enim est stultorum mos, & eos, qui recta monent tanquam in nomen ipsorum contumelioſos, persequantur, & furore Satanæ, qui ab initio homicida fuit, mortem in eos meditentur. Quo ergo fœdior est stultorum imago, hoc magis nobis cauendum est, ne similes illis temeritate, subita iracundia, furore & insania efficiamur. Sed nunquid omnes qui in concilio pontificum affuerunt, stulticiæ & insaniæ morbo laborauerunt? Inter tot pontifices, sacerdotes, senatores & pharisæos, unus tantum inuenitur uir uere prudens & doctus, licet nondum coram Deo iustus, nomine Gamaliel, quem sentiunt multi illum Gamalielem fuisse qui fuit præceptor Pauli, de quo ita scribitur: Surgẽs autem quidam in concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, in precio habitus apud totum populum, iussit, ut paulisper secederent foras Apostoli. Primum prudentiæ suæ specimen exhibet Gamaliel, & cunctanter, deliberate, & remotis partibus seu reis sententiam suam pronunciat. Alij enim, Apostolis adhuc in concilio præsentibus, præ iræ suæ impotentia erumpebant, dira supplicia in Apostolos statuentes, sed hoc ipso prodebant suam stulticiam. Sic enim dicit Salomon: Vidisti hominem uelocem ad loquendum, de stulto magis sperandum est & de illo. Gamaliel autem uir sapiens, tempus loquendi expectat, nec quicquam consilij profert, nisi remotis reis. Postquam igitur illi e concilio

Prudentiæ simulachrum.

secessissent, dixit Gamaliel ad illos: Viri Israelitæ, attendite uobis super hominibus istis quid acturi sitis, ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui adhæsit numerus uirorum circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum multum post se, & ipse periit, & omnes quotquot parueranr ei, dispersi sunt. Et nunc dico, abstinete ab his hominibus, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissoluetur: sin ex deo est, non potestis dissoluere, nequando & Deo repugnare reperiamini. Hoc est Gamalielis consilium, ut prudentissimum, ita doctissimum. Prudentiæ est & nihil temere, nihil præcipitanter, nihil irate agendum consulit. Attendite, inquit, uobis super hominibus istis, quid acturi sitis, hoc est, admoneo uos, ut nihil præcipitanter, nihil irate in hos homines statuatis. Nihil est tam aduersum bonis consilijs & ira & præcipitantia. Si uultis hos homines castigare, prius deponenda uobis est ira. Castigatio medicina est, quis autem ei irascitur cui medetur? Ira breuis insania est, quis autem insanus recte castigabit, ipse potius castigãdus? Præterea ira animi delictum est, qui ergo conueniret, ut horum hominum delictum alio delicto castigaretis? Proinde censeo non esse festinandum, donec ira concoquatur, ut tum melius rem ipsam dispicere queamus. Prudentiæ item est & doctrinæ excellentissimæ, & consulit, abstinendum esse ab hominibus istis, & sinendos esse. Qua ratione? quia supplicium ipsis inferre periculosissimũ, frustraneũ tamen & irritũ erit. Quæ est autẽ insania, seipsum in præsentaneum periculum frustra & absq; fructu conijcere?

Ira

Periculum

Periculum enim est, ne si hi supplicio ultimo afficiantur, plebs in nos cooriat, & nos trucidet. Deinde ne & Deo repugnemus, fortassis enim hoc quicquid est negocij, authore Deo geritur. Ita q; si ex Deo est negocium istud, promouebit magis uestra persecutione q; impediri possit. An nescitis quam rem Mose & Aheron in Aegypto inchoauerint? Nonne rex Pharao totis uiribus conabatur eam impedire? Sed quo magis ille impediebat, eo magis peragebatur. Et ut adhuc uetustiora commemorem, nonne patriarchæ filij Iacob nitebantur impedire principatum Ioseph fratris sui, quem ei dominus somnio quodam reuelauerat? Sed quo magis illi renitebantur, eo plus promouebat principatus eius. Possem huius generis sexcenta exempla recẽsere, sed his duobus abunde satis declaratum est, q; opera Dei non impediantur persecutione, sed adiuuentur. Sin autem hoc Apostolorum negocium ex hominibus est, hoc est, uel humana ambitione, uel humana prudentia, uel humana auaricia excogitatum, tũc frustraneum erit præceps supplicium. Aut enim sua sponte negocium istud dissoluetur, aut si amplio res uires receperit a Pilato & alijs præsidibus Romanis, satis mature opprimetur. Hac enim causa ab Imperatore Romano in hanc regionem destinati sunt, ut exorientes motus & seditiones comprimãt. Exempla huius rei, licet paulo a memoria nostra remota commemorare queam, tamen ea tantum recensebo, quę nostra ætate contigerunt. Superioribus diebus extitit quidam magus Theodas nomine, qui suis nugis populum ita persuadendo seduxerat, ut circiter quadringenti suas facultates reciperẽt, & illum ad fluuium Iordanem sequerentur. Asseuerabat enim se prophetam esse, & uelle præcepto suo fluuium diuidere, ut eis facile transitum præberet, sicut quondam mare rubrum a Mose, & hoc ipsum flumen Iordanis a Iosua diuisa sunt. Cum ergo hæc palam Theodas asseueraret, multos seduxit. At uero Fadus præses Iudææ non permisit, ut ad experimẽtum conatus sui peruenirent. Sed missa equitum cohorte super eos, multos peremit, plures autem uiuos cepit, & ipsum Theodam capitis sectione multauit. Euentus rei declarauit Magi conatum non fuisse ex Deo, quia igitur ex hominibus fuit, facillime impeditus est. Non alienum fuerit huic addere Iudam Galilæum qui dictus est Gaulonites. Is enim eo tempore quo ex edicto Imperatoris Romani, nouus & inauditus census a singulis Iudæis exigebatur, adiunxit sibi Saddocum pharisæum, quo adiuuante, multos ad defectionem a Romano imperatore sollicitauit, dicens censum & exactionem nihil aliud esse q; ipsissimam seruitutem, & quo honestiori specie libertatem tueretur, docuit solum Deum principem ac Dominum omnium dicendum, nec ullum hominem pro Domino agnoscendum. Qua re effectum est, ut multi sermonibus eius persuasi, maluerint mortem subire, q; Romanum imperatorem aut prçsides eius pro dominis agnoscere, eisq; tributum persoluere. Cum igitur is Iudas, & grata multitudini, quæ exosam habet seruitutem, & uerisimilia doceret, multos sua suauiloquentia sibi adiunxit sectatores, sed quia partim ambitio, partim carnale libertatis desyderium, non autem spiritus Dei huius negocij author fuit, periit ipse Iudas, & omnes quotquot paruerũt ei dispersi sunt. Proinde, censeo nihil crudele in hos homines statuendum, sed eos dimittendos esse. Si enim propositum eorum fuerit aut humana prudentia, aut ambitione, aut alio carnali affectu excogitatum, sua sponte dissiliet. Sin uero a Deo excitatum fuerit, nihil persecutione, aut cędibus uestris aliud efficietis, q; q; successum eius adiuueritis. Quid hac Gamalielis sententia prudentius, quid doctius dici potest? Loquitur enim Gamaliel ex ipsissimo sacræ scripturæ animo, quæ sentit omnes humanos conatus, consilia, proposita & opera pudefieri. Solum autem consilium, decretum & opus Domini consistere. Nondum tamen pius dici potest Gamaliel, quantumcũ q; prudentem ac

Theodas magus.

Iudas Gaulilæus.

doctam ſententiam pronunciauerit, ſiquidem diuerſa dona ſunt, prudentia, do
Prudentiam, doctrinam et pietatem eſſe diuerſa dona ctrina & pietas. Poteſt eſſe prudens qui ſit impius: Filij huius ſeculi, ait Chriſtus prudentiores ſunt filijs lucis. Poteſt & doctus eſſe qui ſit impius. Vbi ſcriba (inquit Paulus) ubi diſputator huius ſæculi? Rurſus poteſt eſſe pius, qui nec ſit prudens nec doctus. Videtis, ait iterum Paulus, uocationem ueſtram, q̃ non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ ſtulta erant ſecundum mundum delegit Deus, ut pudefaceret ſapientes. Cæterum, ſi Gamaliel præter prudentiam & doctrinam etiam pietatis dono fuiſſet prædítus, non dubitaſſet in concilio, utrum opus illud Apoſtolorum ex hominibus an ex Deo originem ſuam duceret, nec mentione ſeditioſorum Theudæ & Iudæ Galilæi illud quaſi ſeditioſum ſuggillaſſet, ſed ingenue fuiſſet cõfeſſus, id quod res eſt uidelicet, opus Apoſtolorum eſſe diuinum negocium, nec ullum hominem, quamuis potẽtem, ſuis uiribus aut perſecutionibus ipſum impedire aut diſſoluere poſſe. Denicq; omnes in ſenatu præſentes exhortatus fuiſſet, ut prædicationi Apoſtolorum fidem adhiberẽt, & Ieſum Chriſtum uerum illum Meſſiam amplecterentur, quo & ipſi ſalutem conſequerentur. Hæc non ſolum fuiſſet prudens & docta, uerum etiam pia ſententia, quæ tamen quantum ex peruicaci pontificum obſtinatione diuinare licet, omnium manibus exploſa fuiſſet. Prior autem illa quia uidebatur eſſe & tuta & impietati pontificum non
» contraria, recepta & approbata eſt. Sic enim ſcribit Lucas: In huius ſententiam
» pedibus itum eſt a cæteris. Qua de cauſa? num fauore Apoſtolorum? ſed pontifices peius eos cane & angue odio habebant. Num tacita approbatione doctrinæ Apoſtolicæ? ſed nullam doctrinam pertinacius perſequebantur. Conſentiunt igitur in ſentẽtiam Gamalielis, timore periculorum, quæ in caput ipſorum a uulgo impendebant, ſi durius aliquid aut crudelius in Apoſtolos ſtatuerent. Nam q̃ non approbatione cauſæ Apoſtolicæ hanc ſententiam ſecuti ſint,
» ex ſequentibus manifeſtum redditur. Cum enim aduocaſſent Apoſtolos, cæſis
» præceperunt, ne loquerẽtur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos. Audis adhuc animum in pontificibus homicidam, audis & impietatem. Primum enim pontifices flagellis cædunt Apoſtolos, quos magna animi uoluptate occidere maluiſſent, ſi id tuto ipſis licuiſſet. Cędunt autem eos, ut puto, iuxta legem, quæ in Deuteronomio capite uiceſimo quinto ſcribitur: Si eum (inquit lex) qui peccauit, dignum uiderint plagis, proſternant & faciãt ut coram ipſis uerberetur pro menſura peccati: erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant. Iuxta hanc legem etiam Paulus ſæpenumero cæſus eſt. Ita uides impios lege Dei contra legem abuti, & pœnam quæ contemptoribus ac uiolatoribus uerbi Dei decreta eſt, ijs potiſſimum infligere, qui hoc unum agũt, hoc unum ſtudent, ut uerbum dei obſcuretur. Deinde renouant pontifices impium ſuum decretum, quod in concilijs prius habitis condiderunt, uidelicet, ut Apoſtoli non prædicarent in nomine Ieſu. Etenim cum impij alioqui uel Proteo mutabiliores, uel efferueſcenti mari inſtabiliores ſint, tamen in hoc ſolo conſtantes & firmi ſunt, q̃ nunquam deſinant perſequi nomen Chriſti, ſed repetitis ſubinde mandatis, decretis, & edictis illud condemnẽt. Quid ergo Apoſtoli ad plagas iniuſtiſſime inflictas? num fatentur crimen, & deprecantur pœnam? num dolent ob acceptam ignominiam? Abſit. Quod enim crimen faterentur, cum nullum commiſerant? aut quam pœnam pro nomine Chriſti deprecarentur, cum pro eo nomine etiam mori parati fuerint? aut qui fieret, ut ob illatam contumeliam dolerent, quibus antea dictum erat: Gaudete & exultate, quoniam merces
» ueſtra copioſa eſt in cœlis. Ibant igitur gaudentes a conſpectu concilij, q̃ digni
» habiti eſſent, ut pro nomine Ieſu contumelia afficerent. Ibant, inquit, gaudẽtes,

non

non tristes,nõ deiecto animo,sed alacres,sed læti. Quã obrem? quia digni habiti essent, ut pro nomine Iesu contumelia afficerentur.Ergo ne beneficium est pro nomine Iesu ig nominia affici? Certe beneficium lõge omnium maximum est. Vobis, ait Paulus ad Phi lippenses,donatum est pro Christo,non solum ut in eum credatis,uerumetiam,ut pro il lo paciamini? Audis non solum donum dei esse credere in Christum, sed etiam pati pro nomine eius.Quam ergo utilitatem hoc donum affert? quam commoditatem hoc bene ficium præstat? Profecto commoditatem minime uulgarem aut mediocrem. Cui enim hoc donum contingit, ei una contingit etiam beatitudo & merces multa. Beati, inquit Christus,estis cum probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos,mencientes propter me,gaudete & exultate,quoniam mer ces uestra multa est in cœlis.Et quæ sit illa merces,alias Paulus explicat,dicens.Siquidem simul cum eo patimur,ut & una cum illo glorificemur. Quis obsecro sermo,quæ oratio, satis digne explicare potest,quantum hoc sit beneficii,una cum Christo glorificari? quid enim hoc aliud est, quam una cum Christo perpetua frui felicitate, sempiterno honore ab omnibus creaturis affici,in æternum regnare,omniumq; diuinorum bonorum hære ditatem possidere? At tantis beneficiis afficitur is,cui hoc donatur,ut pro Christi nomine patiatur. Non igitur quibusuis hoc munusculum cõtingit ,sed deo acceptissimis, sed fide sanctissimis.Multi erant homines temporibus patriarcharum, at nemini hoc donum a deo conferebat ut propter nomen dei affligeretur,præterq; ipsis patriarchis. Multi erant Israelitæ temporibus prophetarum,at hoc beneficium,uidelicet,pro nomine seu ueritate uerbi dei aduersa pati,solis propemodum prophetis contingebat.Itaq; apostoli sentientes se eo dono affectos,quo hactenus nõ nisi sanctissimi quiq; & deo acceptissimi amici affecti fuerũt, maxima animi lætitia a concilio discedunt gratias deo agentes pro beneficio suo, tantum abfuit,ut maledicta,& uirulencias in percussores regererent. Sed quid(inquies) de illis fiet,qui patiuntur quidem aduersa,sed alio nomine quam Christi, uidelicet, qui iniusta & iniqua patiuntur ab aduersariis,sicut Naboth Israelita a rege Ahab,aut qui pa tuntur aduersa,propter sua ipsorum maleficia ut homicidæ,ut fures,ut facinorosi? Non est difficile de his respõdere,qui iniqua ab inimicis suis patiuntur. Omnia enim quæ ali cui iniuste inferuntur,etiamsi nomen dei aut Christi non prætexitur tamen dicitur ea pa ti propter Christum,siquidem Christus est ueritas & iusticia, quæcunq; igitur propter ue ritatem aut iustitiam alicui iniuste accidunt,ea iudicanda sunt illi propter nomẽ Christi accidere.Itaq; si is in Christum crediderit,non minus coronam gloriæ per suas afflictio nes consequitur, quam qui aperte propter nomen Christi persecutionẽ patitur. Beati in quit Christus,qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est reg num cœlorum.Et Petrus Hæc est gratia,si quis propter conscientiam dei suffert molesti as,præter meritum affectus malis. De aliis autem, qui propter maleficia sua affliguntur, dicit quidem Petrus,quæ est laus si cum peccantes alapis cædimini sufferetis? Et rursus. Ne quis uestrum affligatur ut homicida,aut fur,aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. Attamen si ita res cadat,ut propter scelus perpetratum paciendum sit,fieri nihilo minus potest,ut ex merito supplicio fiat sanctissima passio, non minus deo grata, quam innocentissimorum martyrum. Etenim si facinorosus ingenue coram deo peccatum suũ confiteatur,& credat illud sibi per Iesum Christũ remitti,tunc per Iesum Christum effici tur, ut supplicium optime meritum,ad consequendam perpetuæ gloriæ coronam sancti ficet. Nonne,quamprimum latro in cruce ad latus Christi pendens suum scelus agnouit, & Christo ex fide salutem suam cõmendauit, in suo supplicio sanctificatus est, & audiuit: hodie mecum eris in paradiso? Nec mirum quod facinorosi per fidem in suis meritis sup pliciis,æque ut innocentes martyres sanctificentur. Vt enim martyres suo supplicio testi monium Christo et Euangelio eius exhibent, ita facinorosi sua pœna testimonium dant legi dei,& exemplo sunt,ut alii a facinoribus caueant,ne similiter plectantur. Esse autem exemplo ut scelera ulcentur,nonne sanctitatis opus est? Proinde siue quis iniuste siue iuste

Demum esse non uulgare pro nomine Christi pati.

Qui alio nomine q̃ Christi iniusta patiuntur.

Quomodo ex merito supplicio facinorosorum fiat sanctissima passio.

patiaſ,credat in Ieſum Chriſtũ,& paſſio eius ceſſura eſt ipſi apud DOMINVM in immar ceſſibilem gloriæ coronã· Redeamus autẽ ad apoſtolos,& quomodo quidem ſeſe ad inflictas plagas geſſerint audiuim⁹.Quid uero de renouato decreto põtificũ,quo ipſis præcipiebatur ne loquerentur in noie Ieſu? Quotidie(inqt Lucas)in templo & in ſingulis domib⁹ non ceſſabãt docere & annunciare Ieſum Chriſtũ. O homines inobedientes· Quo enim magis uetanſ prædicare Euangelion de Ieſu Chriſto,hoc magis ipſi prædicãt. Quæ enim deus præcipit, inuitis omnib⁹ etiam inferorũ portis urgẽda ſunt, inculcanda ſunt, iteranda ſunt,& in dei uocatione nunq̃ ceſſandum eſt,ſed ſemper inſtandũ,pergendum, & perſeuerandũ.Itaq; amiciſſimi, quemadmodũ apoſtoli nunq̃ ceſſarunt & in templo & inpriuatis domib⁹ urgere Euangeliõ Chriſti,ita nos nunq̃ ceſſemus fidem adhibere Euãgelio & in Chriſtũ credere, ut fide ſanctificati ac iuſtificati, in bonis operib⁹ ambulemus, & æternam ſalutem conſequamurper, Chriſtũ Ieſum DOMINVM noſtrũ,qui eſt deus laudandus in ſæcula Amen.

CAP. VI. HOMILIA XXV.



Actenus ꝓpoſita eſt nobis Eccleſia, ſpiritus ſancti donis ac uirtutibus ita exornata, ut iam tũ externa propemodũ facie uidere licuerit Eccleſiam illã glorioſam,non habentem maculã aut rugam, aut quicq̃ eiuſmodi ſed omnino ſanctã,& irreprehenſibilẽ, inqua etſi nõnihil uicii ſuppululare per Ananiæ & Sapphiræ auaritiã atq; mendacium incepiſſet,mox tñ ſupplicio de ſceleris autoribus admirabiliter ſumpto,oppreſſum eſt. Nunc autẽ deſcribiť Eccleſia renata quidem ex ſpiritu ſancto,ſed tñ adhuc carnali infirmitati obnoxia. In diebus enim illis creſcente numero diſcipuloꝝ,ortũ eſt murmur Græcoꝝ aduerſus Hebræos, eo ꝙ deſpiceréť in miniſterio quotidiano uiduæ ipſoꝝ. Principio inquirendũ eſt,qui fuerint Græci illi,qui nouã & ſanctã Eccleſiam ſuo murmure ſordidarũt & cõſpurcarunt. Igitur non eos intelligas græcos,qui e gentilitate ad Chriſtianiſmũ cõuerſi fuerint.Tales enim græci adhuc nulli in eccleſia erant,quando tũc Euangelion nondũ ad gentes emanauerat,ſed uel gentes,primũ ad Iudaiſmũ cõuerſas (proſelyti dicebanť):deinde Chriſtianiſmũ amplectẽtes:uel Iudæos,ingræcia quidem natos (erant enim Iudæi in omnes gentes diſperſi)ſed ad Hieruſalem profectos, & illic aut religionis, aut ſtudii gratia habitantes.Poſtq̃ autẽ ex iis græcis multi una cum aliis Iudæis Chriſtum confiterenť, & numerus diſcipuloꝝ copioſior eſſet, quam ut apoſtoli ad quoꝝ pedes omniũ facultates poſitæ fuerant,unicuiq; pro ſua neceſſitate,inadminiſtratiõe quotidianaꝝ diſpenſationũ ſatisfacere potuerint,factũ eſt,ut præcipue græcoꝝ uiduæ, genus mulierũ ut deſpectũ ac derelictũ ita querulũ & moroſum,negligerenť, & aliis ab apoſtolis expenſa præripientib⁹,uictum ſuũ non ſatis conſequerenť. Non enim integrum erat apoſtolis præ negotio ſuo accurate inquirere,quid cuiq; deeſſet,quippe qui præter adminiſtrationẽ communiũ facultatum neceſſe habebant Euangelion prædicare, propter quam unam functionem, omnes aliæ derelinquendæ erant. Cum igitur in quotidiana diſpenſatione, & œconomia, aliis plus aliis uidelicet uiduis græcoꝝ minus diſtribueretť,ortũ eſt murmur græcoꝝ aduerſus Hebræos,conquerentiũ ꝙ cũ ipſi æque ſuas facultates atq; alii in cõmune cõtuliſſent,ac eundem Chriſtũ cõſtanter confiterenť,inique tamen uiduæ eoꝝ tractarenť & ita negligerentur,ut nonnunq̃ uictu careréť. Porro autẽ Lucas nomine murmuris ,indicat non ſimpliceť querelã græcoꝝ fuiſſe,ſed ira plenã & uirulentã,quale olim fuit murmur Iſraelitaꝝ deficiente pane,aqua & carnibus,aduerſus Moſen indeſerto.Exiſtimas ergo leue fuiſſe illorum peccatũ qui murmurauerũt aduerſos apoſtolos? Profecto ſi DOMINVS eos ſummo iure iudicaſſet,

Murmur Græcorũ aduerſus Hebræos in recens nata Eccleſia.

Murmuris nomine quid intelligendũ uenat.

iudicasset, omnes digni fuissent repentina morte perire, quemadmodũ ante perierant Ananias & Sapphira. Etenim si olim multa milia Israelitarum qui hiatu terræ Dathan Chore & Abyron deglutiente, aduersus Mosen & Aheron murmurabant, seueriſſima dei ira ad internitionem usq; percussi sunt, & DOMINVS sæpenumero sese totum Israelem, ob murmura deleturũ proposuit, qua pœna putas eos dignos fuisse, qui leuiori causa, quã quondam Israelitæ, aduersus apostolos uirulenter murmurauerunt? Describitur autem hoc delictum Ecclesiæ recens natæ multas ob causas. Primum ut hac occasione res gestæ a Stephano, qui unus inter septem diacones seu œconomos fuit, narrentur. Deinde ut manifeste sentiamus spiritũ sanctũ, nõ ita regenerare pios, ut nihil carnis, sanguinis, aut infirmitatis in ipsis relinquat, sed Ecclesiã in hac terra uere esse nosocomion, seu, quod dicitur hospitale. Nemo enim quantũuis pius quo ad uixerit, ita spiritualis est, ut nihil carnis habeat. Quomodo ergo Ecclesia lauacro aquæ per uerbũ ita sanctificat, ut sit gloriosa, nõ habens maculam, neq; rugam, sed sancta & irreprehensibilis? Quomodo Ecclesia simul sancta & peccatrix, simul reprehensibilis & irreprehensibilis est? Hæc res animũ tuum non discruciabit, si partim in Christũ Ecclesiæ caput, partim in homines Ecclesiæ membra, oculos tuos sustuleris. Nam si credentem iudicaueris iuxta Christum, in quẽ credit, sicut Christus totus sanctus & irreprehensibilis est, ita credens totus in Christo, sanctus & irreprehensibilis est. Qui illud (inquis) fieri potest? Optime. Etenim Christus, ut ita dicã nihil aliud est quam remissio peccatorũ. Remissio autẽ peccatorũ est iustitia & beatitudo. Beati (inquit psalmus) quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ergo qui in Christo est, ut habet in eo remissionem peccatorum, ita habet in eo iustitiam & beatitudinem. Siquidem non potest alia esse nostra iustitia, nisi peccatorũ remissio. Quod si uero iudicaueris credentem iuxta opera sua, quid aliud quæso est, quã omniũ malorũ Lernam? Non enim solum peccat manifestis flagitiis, uerumetiam bona opera non ita exequitur, ut a diuina lege exiguntur. Quis enim tantum credit, quis tũ diligit deum, quis tanto amore cõplectitur proximum, quantũ debet? at totam legem non implere peccatũ est. Proinde in omnib⁹ hominũ operib⁹ inuenies peccatũ. In solo aũt Christo iustitiã, hoc est remissionẽ peccatorũ, quæ est iustitia nostra. Hinc non est difficile iudicare, quare hi græci, qui nũc in Ecclesia aduersus apostolos murmurãt, iusti hactenus fuerint. Nũ ppter opera sua, q; opes suas in cõmune cõtulerint? q; perseuerauerit in orationib⁹ & cõmunicatiõe cænæ dominicæ? q; pertulerint multa probra, & uitæ pericula propter Christũ? Nequaq;. Nũc enim aperte intelligis, quid sub his operibus latuerit, nimirũ, caro, hoc est, indignationes, suspitiones, uirulentiæ, impacientiæ, murmura & id genus alia. Quomodo igitur potuerunt ex illis operibus iusti reputari? Certe deus, qui scrutat renes & corda, non respicit speciem, sed medullam operis. Itaq; quoniam in omnibus operibus inuenit carnem latentem & uicia carni adhærentia, non iudicat nec computat ullũ opus pro uera iustitia. Iam & hoc mihi uide, qualis illorum qui murmurauerũt fuerit per se iustitia. Si enim nõ potuerunt pacienter ferre, ut paululum a dispensatoribus apostolis negligerent, quanto minus æquo animo tollerare suapte natura potuissent, ut propter Christũ aut carceribus aut morti traderentur? Debet enim quiuis, non solum iniuriam propter Christũ, sed etiam quamcunq; a quocunq; illatam æquaminiter ferre. Non enim solum dictum est. Beati qui persecutionem patiunt propter iustitiam, sed & illud dictum est. Ne resistas malo, & benefacite iis qui uos odio persequunt. Vnde igitur murmuratores illi hactenus iusti fuerunt, & unde adhuc iusti manent? Non aliunde, quam ex eo, q; Christus remiserit eis peccatũ. Hæc fuit iustitia eorũ, hæc fuit sanctitas eorũ: & non eorũ solum sed etiam omniũ qui in Christum credunt. Postremo describitur hoc Ecclesiæ primitiuæ murmur erga apostolos, ut uideamus, unde in Nosocomia & ut uocant hospitalia, tot odia, tot inuidiæ, tot murmura irrepserint. Habent enim nostratia hospitalia aliquam speciem eius congregationis, quæ initio reuelati Euangelii in Christum credidit. Siquidem ut tũc Christiani, opes suas in commune contulerunt, alius plus, alius minus, alius fortassis nihil, ita nunc quidã

Quod Christiani accipiant primitias spiritus, & nondum decimas

Vnde tot odia in hospitalia uenerint.

opes ſuas ad hoſpitalia conferunt, alius item plus alius minus, alius præ paupertate ſua plane nihil, ut cómunem habeant uictum. Quemadmodũ autem tunc ſeu ex inuidia ſeu ex auaritia, murmura aduerſus œconomos orta ſunt, ita ea murmura ſemel orta, hactenus in hoſpitalibus ita durant ut qui in his uiuunt, quaſi hæreditario quodam iure aut potius morbo aduerſus diſpenſatores ſuos ſemper murmurare ſoleant. Non habent hi ſui murmuris excuſationẽ, qꝑ & Chriſtiani abinitio aduerſus ſuos œconomos murmurarint, ſed potius eo grauiori accuſatione digni ſunt, quod ſciant quantum mali iſti murmure ſuo aduerſus apoſtolos deſignarint, & quanto ſupplicio digni fuerint, ipſi tamen malum non uitent, nec reſipiſcant. Quæ. n. obſecro inſania eſt, conuitiis in diſpenſatorem bacchari, qꝑ nonnunq̃ res familiares inæqualiter diſpenſent, cum impoſſibile ſit, ut in tanta hominum multitudine, non multa diſpenſatorem fallant? Et fieri nequit, ut omnia æqualiter adminiſtrentur, inter tam uaria hominũ genera. Aut quæ eſt illa ingratitudo, quod nequeas paucis pro tua portione tibi diſtributis contentus eſſe, cum ſi excuſſeris meritũ, ac dignitatem tuam, non ſplendore ſolis dignus ſis, & nec dum DOMINO pro paucis illis gratias egeris? At dicis. Nimium inique tractor: aut enim, quæ mihi iure debentur, inique ſubtrahuntur, aut uiliſſima quæq; mihi in cibum aut potum obtrudunt? Vt tibi reſpondeam, ingenue fateor, interdum in hanc partem maxime a diſpenſatoribus peccari, quod aut inique ſuis conuiuis ſubtrahunt, quod illis iure debetur, aut ſordidum ac putridum cibum & potum, eis obtrudãt, contumelioſa dicta adiicientes muſcas (ita enim ſuos conuiuas uocant) hoſpitales, nec his dignas eſſe. Atq; ita exiſtimãt illi ſeſe probe remp. Noſocomiorum curare, dum in fiſcum reponunt quod in uſum conuiuarum expendendum erat. Sed heus tu bone uir, qua obſecro fronte, audes illis conuiuis tuis, neſcio quam indignitatem obiicere, ipſe fortaſſis hac ſolis luce ob ſcelera tua indigniſſimus? Si de dignitate, quod res eſt, dicendum eſt, nouimus non illos ſolũ, uerumetiam omnes quotquot uiuimus coram deo indigniores eſſe, quam ut aura hac uitali fruamur. At nunc non eſt nobis ſermo de dignitate noſtra coram deo, in cuius iudicio nemo iuſtificatur, & omnes æqualiter indigni ſumus, ſed de dignitate hominis erga hominem. Itaq; ſi de hac loquamur, ne dicas conuiuam tuum indignum eſſe ſordido uictu, talem ſe coram deo fatetur. At coram te digniſſimus eſt ſuo iure, & pacto, quod cũ ipſo iniiſti quando in Noſocomium eum admiſiſti, digniſſimus eſt ut ei fides illa ſeruetur, quam te ab initio illi ſeruaturũ recepiſti. Iam ut de rep. & commodo Noſocomii, quod exiſtimas te maligna diſpenſatiõe & auara opum repoſitione curare, aliquid dicam, non erras fortaſſis affectu, uehementer tamen erras delectu. Omnino publica Noſocomiorum res diligenter curanda eſt: non curatur autem probe auaris impoſturis, quibus conuiuæ circumueniuntur, nec augetur cõmodum eorum, his rebus quæ conuiuis maligne ſubtrahuntur, ſed ut ingenue fateor, negligitur, maledicitur, perditur & diſſipatur. Vis ſcire quod nullæ opes ſiue publicæ ſiue priuatæ augentur impoſturis? obſecro te conſideres, quid ſit impoſtura. Nonne peccatũ eſt? nonne flagicium eſt, uerbo domini prohibitum? Audi igitur quid lex DOMINI dicat, ſi non audieris uocem domini dei tui, ut cuſtodias & facias mandata eius, maledictũ erit horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus terræ tuæ, armenta boũ tuorum, & greges ouium tuarum. An neſcis quid illud ſit, male partum male dilabitur? Quod ſi DOMINO fœnerat, qui largitur pauperi, ergo diſpenſator, qui pauperibus (tales enim fere ſunt Noſocomiorum conuiuæ) auare quod eis debetur ſubtrahit, DOMINO ſuas opes furatur. At qualis benedictio furtum, & tale furtum, quod non in hominem ſed in deum committitur, hoc eſt ſacrilegium, comitari poſſet? Non igitur exiſtimes te publicam Noſocomiorum ſeu hoſpitalium utilitatem curare, ſi conuiuas ſordide tractes, & theſaurum fiſci auare augeas, ſed potius, ſi fideliter ea conuiuis diſtribuas, quæ iure diſtribuẽda ſunt, & pauperes tuos non aliter tractes, quam ſanctiſſima dei uaſa in miniſterium tuum commendata. Sed reuertor ad Noſocomiorum conuiuas. Tametſi enim diſpenſatores interim non fideliter neq; æqualiter ſuo officio fungantur, non habent tamẽ

Diſpenſatores hoſpitalium q̃ grauiter peccent in ſuos pauperes, & quod hi tamen non habeant excuſationem coram Deo.

conuiuæ

conuinæ ullam uirulenti ſui murmuris coram DOMINO excuſationem. Nihil ne ad te pertinere exiſtimas, quod Chriſtus ait: Ne reſiſtas malo, ſed quiſquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram? Putas ne te poſſe peccatum peccato mederi? Diſpenſator ſua infidelitate peccat, tu uero murmure peccas. Poteſt ne fieri ut peccatum peccato corrigatur? An quia alius delinquit, tibi impune delinquere licebit? Certe quo magis peccatum in diſpenſatore deteſtaris, hoc magis tibi a peccato cauendū eſt. Proinde ne murmuretis ſicut & quidam Iſraelitarum (ut cum Paulo loquar) murmurauerunt & interempti ſunt ab extinctore, ſed potius quæ exhibentur quamuis pauca grato animo erga deum accipiatis. Sic enim DOMINVS gratitudine uestra inuitatus efficiet, ut aut fideliores diſpenſatores conſtituantur, aut pauca illa ubertim benedicantur. In hanc digreſſionem duxit me Græcorum murmur aduerſus Hebræos. Reuertor igitur ad inſtitutum, ut cognoſcamus qua prudentia apoſtoli murmur iſtud compeſcuerint. Itaq; apoſtoli, cum aduerſus ipſos potiſſimum murmur exortum fuiſſet, non regerūt maledicta, non petunt murmuratores contumeliis, non inſaniunt aduerſus eos, nec enituntur eos ſpiritu oris ſui occidere, quemadmodum antea Ananias & Sapphira interfecti ſunt, ſed continuo circumſpiciunt, ſi quam occaſionem illis ad murmurandum dederunt, quam cum inueniunt, a ſe quidem non tamen ſua culpa datam, conuocant concilium, & abdicant ſeſe officio œconomiæ, miniſterium tm̄ uerbi & orationis ſibi reſeruantes. Sic enim ſcribit Lucas. Cæterum, duodecim illi cum iuſſiſſent adeſſe multitudinem diſcipulorum, dixerunt. Non eſt placitum ut nos derelicto ſermone dei miniſtremus menſis. Circumſpicite ergo fratres uiros ex uobis ſpectatæ probitatis ſeptē, plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, quibus delegabimus hoc negotii, nos uero deprecationi & adminiſtrando ſermoni incumbemus. Vide obſecro egregiam apoſtolorum modeſtiam, non accuſant murmuratores coram multitudine, non ſugillant illorū ingratitudinē, ſed diſſimulato illorum murmure, culpam in ſe ipſos trāſferunt. Hactenus, inquiunt, utcunq; officium, uidelicet œconomiam, & Euangelii prædicationem adminiſtrauimus, ſed dum utriq; ſatisfacere enitimur, neutri ſatisfieri comperimus. Etenim ſi œconomiæ operam damus, negligitur interim prædicatio Euangelii, & publicæ orationis officium. Si uero prædicationi & orationi operam damus, negligitur interim œconomia, ita ut multis ſuæ portiones non æqualiter diſpenſentur. Scimus quidem non impium eſſe, ſimul & œconomiam, & Euangelii functionem adminiſtrare, ſed difficile eſt utriq; intanta hominum frequentia ſufficere, & non eſt nobis integrum, ut miniſterio Euangelii aliis delegato, ſoli œconomiæ operam demus. Itaq; abdicamus nos officio adminiſtrationis rerum domeſticarum & monemus uos, ut ſeptem uiros, qui & ſapientia & probitate præſtent deſignetis, quib⁹ miniſterium œconomiæ delegabimus. Nos uero quod noſtri muneris eſt, prædicatione tantum Euangelii & publica oratione defungemur. In hac apoſtolorum oratione primū obſeruandū eſt, quod apoſtoli nō ideo abdicant ſeſe officio œconomiæ, quia impium ſit ſimul & prophanis & ſacris muneribus fungi. Alioqui cur hactenus ſimul & menſis miniſtraſſent, & prædicationis Euangelii officiū geſſiſſent? nemo profecto in hac re impietatis eos accuſare poteſt. Nam & Moſe quondam, & Samuel ſimul ciuilibus ac ſacris officiis ſeruierunt. Nec Dauid ſolum regem ſed & prophetam egit. Si enim ciuilia ſiue politiæ ſiue œconomiæ officia, ordinatio dei ſunt, quid impediret quo minus miniſtri Eccleſiaſticorum munerum, quæ ſimiliter ordinatio dei ſunt, iis fungi poſſent? Num ordinationes diuinæ ſibi ipſis contrariæ ſunt? abſit ut hoc de ſumma concordia uel ſuſpicemur. Itaq; ut ciuilia & Eccleſiaſtica officia, ordinationes dei ſibi ipſis conſencientes ſunt, ita poſſunt ab eodem homine, pie geri, ac tractari. Quid igit̄ Chriſtus ait ad apoſtolos: Principes gentium dominantur eis, inter uos autem non ſic? Chriſtus his uerbis non indicat principum prophanorum & apoſtolorū officia eſſe contrarias uocationes, ſed tantum diuerſas. Exiſtimabant enim apoſtoli ſe ideo quoq; prophanos fore principes, quia ad apoſtolatum Meſchiæ, quem primum credebant pro gentium more in terris dominaturū

Quod ciuilē & Eccleſiaſticum officium ſimul gerere impium non ſit.

uocati fuerant. At Christus corrigit illorum opinionem & docet quod officia principũ & apostolorum diuersa sint, nec consequaꝫ, apostolos ideo fore prophanos principes, quia apostoli sint, sicut nec consequitur principem prophanum ideo apostolũ fore quia princeps est. Potest tamen & princeps esse apostolus, si præter principale suum officium, ad apostolatum uocetur, & potest apostolus esse princeps, si præter apostolatũ, etiam ad munus principis prophani uocetur. Sine autem uocatiõe nec principi apostolũ, nec apostolo principem agere licet, sed unusquisq; ut Paulus ait, maneat in sua uocatione. Quamobrem ergo apostoli abdicant sese officio suo ciuili, & reseruant solum Ecclesiasticum? Diximus nõ hac causa factum esse, q̃ ciuile & Ecclesiasticum officium simul gerere, impium sit, sed q̃ sit difficile, utriq; officio pro sua necessitate satisfacere. Itaq; apostoli abdicato ciuili munere, id solum retinent, quod est uere apostolicum, uidelicet, administrationem Euangelii, & publicæ orationis. Qua in re præcipue uides quã longe a maioribus apostolor̃ distent papistici Episcopi, qui tamen palam audent gloriari se esse apostolor̃ successores. Nam apostoli retinuerunt id officium, quod minimum habet honoris & uoluptatis, plurimũ autem laboris, molestiæ, tædii, & afflictionis. Quantũ enim molestiæ, quantum afflictionis habeat, officium Euangelii pure & diligenter prædicandi, & sentiunt qui hoc officio funguntur, & non est nunc de ea re dicendi tempus. Episcopi autem abdicato aliisq; delegato prædicandi Euangelii officio, præsides prophanos agunt, id officiũ sibi retinentes, quod minimum periculi, plurimũ autem honoris & maiestatis in hoc sæculo habet. Et tolerabile id esset, si saltem prophano suo muneri diligentem & piam operam darent. Nũc autem maxima eorũ pars etiam huius administrationem aliis delegant, ipsi interim genio & uoluptatib⁹ indulgent, & sinceram Euangelii prædicationẽ prohibẽt, immo ferro, igni, aliisq; tyrannidos suæ instrumentis, ueros Euangelistas persequunt, nimirũ canem in fœno cubantem imitantes, qui ipse fœno non uescit, & iumentum latratu & morsib⁹ suis a uescendo deterret. Proinde non sunt apostolorũ, uti gloriantur, sed illorũ potius successores, de qubus Christus dicit. Serpentes progenies uiperarum, ecce ego mitto ad uos prophetas, sapientes, & scribas, & illorum aliquot occidetis, crucifigetisq; ut ueniat super uos omnis sanguis, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti usq; ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ quẽ occidistis inter templũ & altare. Deinde in oratione apostolorum obseruandum est, quales illi describant diaconos seu œconomos, & dispensatores opum in cõmune collatarum. Viros inquiunt spectatæ probitatis, hoc est, qui bonum habent testimonium & nominis sui famam ac plenos spiritu sancto & sapientia. Vt maxime fateamur prudentiam necessariam esse œconomi seu publicarum opum dispensatoris uirtutem, ad quid is opus habet spiritu sancto? Si spiritum sanctum non pro uulgi opinione sed iuxta ueritatem intelligas, profecto necessarius est dispensatori spiritus sanctus. Vulgus enim existimat eum solum spiritum esse sanctum, qui est in prophetis & futura prospicit, qualis fuit in Esaia, Ieremia, Ezechiele & aliis prophetis. At ueritas rei ita se habet, q̃ spiritus sanctus quidem suapte natura simplicissimus sit, uariorum tamen & diuersorum donorum aut uirtutum autor est, & ut Paulus ait, idem spiritus est, diuisiones autẽ donorum sunt. Omnium enim bonorum ac diuinarum uirtutum, autor est spiritus sanct⁹ Exempli gratia, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides in administrandis negociis, mansuetudo, temperantia, castitas, moderatio, ueritas, comitas, consilium, prudentia, fortitudo, iusticia & temperantia, adeoq; quicquid uirtutis nomine uere continetur, ab autore spiritu sancto proficiscitur. In dispensatore autem communium facultatum plures requiruntur uirtutes. Non enim solum requiruntur in eo probitas, hoc est, fides in administrando negotio, quæ est pars iustitiæ, & prudentia, sed etiam comitas, benignitas, patientia, atq; adeo quicquid nomine fortitudinis & temperantiæ comprehendit. Itaq; apostoli requirunt dispensatores non quosuis sed plenos donis ac uirtutibus spiritus sancti, ut quicquid hoc est muneris, non iuste solum & prudenter, sed etiam fortiter ac temperanter administretur. Placuit autem hic apostolorum sermo coram tota multitudine,

Episcopi Papistici quam prepostere referant apostolos.

Quõ dispensatores oporteat esse plenos spiritu sancto.

& elegerunt

& elegerunt Stephanum uirum plenum fide ac ſpiritu ſancto & Philipum,& Prochorum & Nicanorem & Timonem,& Parmenam,& Nicolaum proſelytum Antiochenum. Hos ſtatuerunt in conſpectu apoſtolorum,& cum oraſſent,impoſuerunt eis manus. Nullam hic audis contentionem, nullam uides ambitionem. Omnia peraguntur ut tranquille ita ſimpliciter. Apoſtoli ſuadent eligendos œconomos, obſequuntur auditores ſumma animi libentia,& eligunt ſeptem uiros,iis uirtutib9 ornatos, quas apoſtoli in œconomis requirebant.Sed quid illud eſt q̃ cum oraſſent,manus eius impoſuerint? Primum, orat tota Eccleſia in eo loco congregata,pro iis qui ad œconomicam functionem electi erant, Vt DOMINVS uirtutes ſpiritus ſancti in ipſis confirmet & augeat, quo digne queant uocationi ſuæ ſatiſfacere.Obſeruandum exemplum, ut pro publicis magiſtratibus,œconomis,officialibus,& omnibus,qui ciuilibus officiis publice fungũtur, diligẽter oremus. Non enim ideo pro ipſis non orandum eſt, quod functio eorum uideatur prophana, ſed quia illi opus habent uirtutibus ſpiritus ſancti, & non ſatis eſt publicum officium probe inchoare,ſed requiritur ut etiam recte peragatur.Ad hæc publici officiales,ſi impii & iniqui fuerint, maximo priuatorum incommodo impii & iniqui ſunt. Proinde maximo etiam ſtudio precibus apud DOMINVM inſtandum eſt, ut uirtutibus diuinis ornentur quo & ipſi ſalutem conſequantur,& priuati placitam ac quietam uitam cum omni pietate & honeſtate degant.Deinde imponunt illis apoſtoli manus,ut publica manuum impoſitione & ipſos de uocatione ſua certos facerent. Plurimum enim ad officiũ pie fideliterq; adminiſtrandum facit uocationis certitudo,& ut hoc ſigno omnibus commendarentur, ac pro electis & confirmatis œconomis agnoſcerentur.Nulla eſt hic ſuperſtitio,nulla neſcio cuius characteris indelibilis impreſſio,quale quid Papiſtæ finxerunt. Sed omnia tranſigunt,ut ſumma pietate,ita ceremoniis minime ſuperſtitioſis, ſed ad nouæ uocationis confirmationẽ conducibilib9 iiſq; arbitrariis nõ neceſſariis.Diutius fortaſſis quã par eſt, amiciſſimi,charitatẽ ueſtram,ſermone meo detineo. At nũc uos dimittam ſi pauciſſimis iterum admonuero uos.Primum ut ad exemplum apoſtolorum ſumma fide pro magiſtratibus & publicis ueſtris præſidibus deprecationes, obſecrationes,interpellationes & gratiarum actiones fiant.Hoc enim bonum eſt,& acceptum coram ſeruatore noſtro deo. Deinde ut non exiſtimetis,uerum Chriſtianiſmum,in publicis illis ceremoniis,quas adhuc in Eccleſia retinemus ſitum eſſe:neq; protinus uos Chriſtianos putetis, ſi publica ſacra feceritis,ſed quemadmodũ apoſtoli impoſitionem manuum ſuarum ad præſentem tantum uſum libere obſeruarunt, ita uos ceremonias ueſtras libere ad uitandam rerum confuſionem obſeruetis. Verũ autem Chriſtianiſmũ in hoc ſitum eſſe certo cognoſcaris,quod Ieſus Chriſtus ſit noſtra ſapientia,iuſtitia,ſanctificatio & redemptio,& quod qui cunq; hunc fide agnoſcat,non ſolum deo acceptiſſimus efficiatur, ſed etiam remiſſionem peccatorum & perpetuam felicitatem adſequatur,in eodem Chriſto Ieſu Domino noſtro qui eſt una cũ patre & ſpiritu ſancto deus laudandus in ſæcula Amen.

Quare orandum pro his qui in publica functione ſunt.

HOMILIA XXVI.

AVdiuimus,amiciſſimi,ingẽtia miracula,quæ deus hactenus ab eo tempore,quo ſpiritus ſanctus in diſcipulos Chriſti effuſus fuit per apoſtolos ad confirmationem miniſterii Euangelii palam edidit. Nunc enim claudus ab utero matris ſanus effectus eſt, nunc mendaces non gladio, ſed ſpiritu oris repentina morte interfecti ſunt, nũc infirmi in plateas exportati, & ab umbra prætergrediẽtis Petri obumbrati ſanitatem cõſecuti ſunt.Breuiter cuiuſuis generis ægri, & a ſpiritibus immundis uexati poſtq̃ ad apoſtolos allati ſunt, ſanitatem recuperauerũt. Quibus & hoc miraculum acceſſit, quod angelus domini noctu ianuas carceris aperuit, & uinctos apoſtolos liberauit,atq; e carceribus cuſtodia undiq; munitis, nullo obſtaculo

eduxit. Et hæc quidem satis memorabilia sunt miracula. At quod sequitur longissimo in teruallo, omnia prius commemorata superat. Qnod ergo est illud tam memorabile miraculum? Sermo dei (inquit Lucas) crescebat, ac multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis ualde, multaq; turba sacerdotum obediebat fidei. Hoccine inquies tantum miraculum est, ut omnibus aliis anteponendum sit? Ego uero ita existimo. Cur enim opus dei non maximum censeretur miraculum, quod aduersantibus ac repugnantibus omnibus huius seculi sapientibus, potentibus, & externa honestate iustis, adeoq; inuitis omnibus inferorum portis promouet? Pontifices & principes in Hierusalem noctes atq; dies enituntur. quo possint Euangelion quod est sermo dei opprimere, apostolos in carceres concludunt, catenis uinciunt, uirgis palam in contumeliam cædunt, grauissima q̃q; supplicia eis minantur, si quicq̃ in nomine Iesu doceant, interim & Satan turbam quoq; inter ipsos Euangelii discipulos excitat, ut murmurent græci aduersus Hebræos, si quoquomodo fieri posset, ut Euangelii cursus impediretur. At quo magis principes & pontifices resistunt, & quo solertiori astu Satan conatut Euangelion reddere inuisum, eo subinde magis crescit, & numerus discipulorum multiplicatur, idq; Hierosolymis in qua urbe maxime omnium aduersus Euangelion & eius confessores sæuiebatur. Iam & hoc quod magis mirandum est accedit, quia nõ unus aut alter sed magna turba sacerdotum, qui prius & Iesum Christum ad crucem adegerant, & discipulos eius extremo odio persecuti fuerant, in Euangelicæ fidei obedientiam sese tradebant. Ad quid ergo profuerit, quod scriptura hoc miraculũ nobis proponat & inculcet? Nõ mediocris est huius miraculi commoditas. Primum enim impii, Euangelii aut aliorum diuinorum operum persecutores, hoc miraculo a persecutione sua deterrentur, siquidem palam sentiunt, quod aduersis suis conatibus, cursum operum dei adiuuent potius, quam impediant, & quod non hominibus sed deo resistunt, qui nolentibus uolentibus ipsis, consilia sua fortunat. Deinde hoc miraculum, eximium omnibus piis sacramentum est, quo fidem suam in omnib⁹ afflictionibus confirmare, & consolationem accipere possunt. Etenim hoc sacramento cognoscitur, opera dei aduersis non impediri sed adiuuari & promouere. Opera autem dei sunt ueritatem uerbi diuini seruare, ex afflictionibus liberare, adeoq; in ipsa morte saluare. Non prophanabo inquit DOMINVS, testamentũ meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. De liberatione autem dicit, quoniam in me sperauit liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Et rursus. De manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos. Ero mors tua o mors ero morsus tuus inferne. Audis conseruationem uerbi diuini, liberationem e periculis, & salutis beneficium, esse opera dei. Itaq; si quis siue in confessione uerbi dei siue in periculis siue in morte, aduersa sentiat, non despondeat animum propter aduersa, sed potius firmam fidem ex huius loci miraculo ceu sacramento concipiat, quippe quod aduersa nõ impediant opera & auxilia dei, sed multo magis adiuuent, & prosperum eis successum afferant. Iam nec illud surda aure prætercundum est, quod significanter scribit multam turbam sacerdotũ fidei obediisse. Ex hoc enim & maxima dei clementia obseruatur, & maxima nobis admonitio proponitur ut proximis nostris sua delicta remittamus & ignoscamus. Hi enim sacerdotes ex eo⁹ ordine erant, qui prius Iesum Christum unigenitum dei filium persecuti sunt, & morte eum affecerunt, quiq; initio reuelati Euangelii etiam contra Apostolos insidias molitĩ sunt. Attamen sceleratis illis homicidis, imo Christicidis confertur donum fidei, & cognitionis Christi, ut & ipsi per Christum habeant remissionem peccato⁹, & salutem consequantur. Agnoscis ne ingẽtẽ dei clementiam, q̃ fauore suo interfectores unigeniti filii sui complectat peccata ipsis remittens, & salutẽ perpetuã conferens? Quid nos faciemus homũciones erga malefactores nostros? num retinebim⁹ delicta eo⁹ quæ illi in nos cõmiserũt? Scilicet nos soli insontes sumus, illi aũt soli sontes. An putas ullũ hominẽ posse maiorib⁹ nos iniuriis afficere q̃ sacerdotes deũ affecerũt, occidẽdo Christũ ei⁹? Nõ ꝓfecto etiamsi quis parẽtes nostros aut nos ipsos trucidaret. Vide igit, q̃ sit nõ solũ stultitia uerũetiã insania

Quod opera Dei non impediũtur per secutione.

Clementiam dei cõmendat quod & sacerdotibus donũ fidei confertur.

insaniâ & impietas, quod deus longe omniũ iustissimus, remittat iis delicta quũ interfectione Christi sui maximum contra deum scelus designarunt, & nos homunciones longe omnium iniustissimi, non remittimus nostris aduersariis sua in nos delicta, præsertim, cum illorum delictum non possit esse tam graue, quam uel sacerdotes in deum deliquerint, uel nos ipsi aduersus deum peccauerimus, maxime omnium autem, cum retinendo aliorum delicta, etiam nostra retineantur, ne a deo remittantur. Itaq; amicissimi fugiamus hanc insaniam, & imitatores simus patris nostri cœlestis, qui finit solem suum oriri super bonos & malos, & pluuiã mittit super iustos & iniustos. Sed reuertamur ad nostrũ institutum. Postq̃ autem Lucas hoc miraculum commemorauit, quod sermo dei persecutionibus pontificum creuerit, & numetus discipulorum ita auctus sit, ut etiam multa sacerdotum turba in Christum crediderit, diuertit ad enarrationem rerum gestarum per Stephanum, qui ut primus ad ministerium mensarum seu officium œconomiæ, quemadmodum supra dictum est a discipulis Christi designatus est, ita uirtus eius inter alios ministros clarius emicuit. Stephanus (inquit Lucas) plenus gratia & fortitudine ædebat » prodigia & signa magna in populo. Primum omnium in Stephano hoc nobis obseruan » dum est, quod DOMINVS deus in ipso ueritatem suarum promissionum quas pollicitus est iis qui suæ uocationi summa fide seruiunt, comprobauit. Dixit enim Christus. Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis super multa te constituam. Et rursus. Omni habenti dabitur & abundabit. Itaq; cum Stephanus summa fide cõmissum munus administraret, & super pauca fidelis esset, maiora a DOMINO beneficia ac plane apostolicas uirtutes consecutus est. Principio plenus fit gratia, hoc est, apud eos qui Euangelio credebant redditur gratiosissimus atq; acceptissimus. Nemo quidem omnibus placere potest, at piis placere, hoc demũ ingens Dei beneficium est. Qui enim apud pios gracioſus est, is habet qui semper pro sua salute solliciti sunt, & qui pro ipso apud deum intercedant. Non potest autem fieri, ut piorum sollicitudo & oratio uana atq; irrita sit. Deinde plenus etiam redditur fortitudine, hoc est fortem & inuictum habet animũ tolerandi aduersa, quæ partim ipsi a querulis & morosis quibusdam discipulis propter dispensationem, partim ab aduersariis fidei accidebant. Posse autem aduersa æquo & forti animo perferre, maxima uirtus est, & ingens dei beneficium. Mundus eum iudicat fortem uirum, qui iniurias sibi illatas grauiter uindicat & seueriter ulciscitur, eum autem imbecillem censet, qui iniurias negligit & remittit. At quemadmodũ is corpore fortior est, qui maius onus ferre potest, imbecillior, qui non potest, ita is animo fortior est, non qui iniurias quæ sunt grauissima onera, ferre non potest, sed qui iniurias suffert, & iis animo non deiicitur. Adeoq; hæc animi fortitudo tanta uirtus est, ut non nascatur in carne mortali, sed sit opus spiritus sancti. Proinde a domino postulanda est, & precibus ambienda, ut hoc dono præditi, aduersa magno animo toleremus. Præter has uirtutes, etiam hoc donum Stephano contingebat, quod ædebat in populo prodigia & signa magna. Id quod erat apostolicum donum, atq; talib⁹ ornamentis honorat DOMINVS eos qui super pauca fideles exiſtunt & suæ uocationi diligenter seruiunt. Porro inter prodigia quæ Stephanus in populo ædebat, non minimum est quod sequitur, Exorti sunt quidam e Synagoga quæ appellatur Libertinorũ, » & Cyrenẽsium, & Alexandrinorum, & Cilicum & Asianorum, disputantes cum Stepha- » no, nec poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Ingens donum Dei est cæ- » co uisum reddere, aut languentem sanitati restituere. At non minus ingens donum est, sapientes huius seculi stultos efficere, & doctrinam eruditorum uanissimam declarare. Vt ergo manifestũ fiat DOMINVM etiam hoc donũ Stephano cõtulisse, omnes fere gymnasiarchæ Stephanũ adoriunt, & cũ ipso de religiõe disputant. Erant autẽ Hierosolymis, multæ Synagogæ, quas nos p nostro more publica gymnasia appellam⁹, in quib⁹ studia literarum tractant. Et alia quidẽ synagoga uocabat Libertinoꝝ, alia autẽ Cyrenẽsiũ, alia Alexandrinoꝝ, alia Cilicum, alia Asianorum, fortassis quod in iis operam literis dabant Iudæi qui a Cyrene Alexandria, Cilicia & Asia, studii gratia ad Hierusalem missi erant. Inter quos cum fere nihil alioqui conueniret, quemadmodũ & apud nos uariæ sunt sectæ

Promissiones eorũ qui uocationi suæ ex fide seruiunt.

Animi fortitudo.

Synagogæ publica gymnasia erant.

in Gymnasiis. Alii enim sunt Scotistæ, alii Thomistæ, alii Occanistæ, alii Albertistæ, & quis enumeraret omnia huius hydræ capita? quorum unicum studium est abinuicem dissentire: hoc tamen inter omnes conuenit, ꝙ unanimiter pietatem oppugnent, ac ueritati Euangelicæ resistant. Itaq; sua eruditione confidentes Stephanum inuadunt, cum ipso de ratione ueræ fidei digladiaturi. At res longe alium exitum habuit, quã sperauerant. Non enim poterant resistere sapientiæ & spiritui sancto, qui loquebat in Stephano, quãuis essent gymnasiarchæ longe omnium doctissimi. Primum ergo dominus deus noster in Stephano comprobauit, ꝙ deligat stulta secundum mundum, ut pudefaciat sapientes Per unum enim Stephanum non eximie secundũ mundum eruditum pudefiunt innumerabiles legis doctores. Deinde ueritatem promissionis suæ opere consignauit. Dixit enim: dabo uobis os & sapientiam cui non poterunt contradicere neq; resistere omnes qui aduersabuntur uobis. Sed quomodo dicitur, ꝙ gymnasiarchæ Hierosolymitani non potuerunt resistere sapientiæ Stephani, cum nihilominus perseuerarint in sua impietate, nec obticuerint, sed se quidem disputando uictores, palam in populo sparserint, Stephanũ autem uictum & impium in deum ac Mosen? Vt respondeam, obseruandũ est, ꝙ cum dicitur, aduersarios non potuisse resistere, non intelligitur Stephanum ita obstruxisse os aduersariorum suorum, ut nihil contradixerint aut ut resipuerint, sed ꝙ quamuis aduersarii manserint, nihil tamen potuerint contradicere quod uerisimile aut probabile, etiam communis sensus iudicio uidebatur. Itaq; ueritate destituti, ad mendacia & calumnias sese conuertunt. Subornarunt enim uiros qui dicerent: Audiuimus eum dicentem uerba contumelioſa in Mosen ac deum. Verissimum est illud quod uulgo dicitur: non esse remedium aduersus Sycophãtæ morsum. Stephanus enim, quantũ ex apostolica doctrina cõiici

Calumnias etiam esse beneficia dei propter nomen Christi.

potest dixerat, opera legis Mosaicæ non iustificare, nec templum illud Hierosolymitanum uerum esse templum, sed solum Iesum Christũ esse iustitiam nostram per fidem, per quẽ etiam abrogato cultu Mosaico, ac umbratili templo, uerum templum, ueruſq; cultus, qui est adorare patrem in spiritu ac ueritate, instaurandus sit. Hoc ut simpliciter ita uere dictũ rapiunt illi in calumniam, & traducunt Stephanum, tanq; contumelioſum in deum & in Mosen per quem deus legem dederat. Est autem & hoc inter beneficia dei, Stephano collata recensendum, uidelicet, ꝙ homines calumniati sint Stephanum mentientes propter nomen Christi. Quod beneficium, etsi carni durissimum sit, tñ animæ salutis æternæ siti enti gratissimũ est. Christus enim pronunciat eos beatos, quos homines insectati fuerint & aduersus quos omne malum uerbum dixerint, mentientes propter ipsum & addit. Gaudete & exultate, qm̃ merces uestra multa est in cœlis. Quantum ergo beneficium est, beatitudine affici & multam mercedem in cœlis habere (est autem beneficium immensum & inæstimabile) tantum est, contumeliis & calumniis propter Christum affici. Cur igitur fremendum & debacchandũ esset in calumniatorem? qui etsi in seipsum maxime iniurius sit, quo nomine misericordia dignus est, eum tamen quem calumniatur, tuntũ abest, ut damno suis sycophanciis afficiat, ut potius eius salutem & beatitudinem adiuuet. Videamus autem nunc quomodo calumniatores Stephano in bonum adiumento fuerint. Conuenerunt enim plebem, & seniores & scribas, atq; inuadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in concilium, statueruntq; falsos testes, qui dicerent, homo iste non cessat loqui uerba contumelioſa aduersus locum sanctũ hunc & legem. Audiuimus enim eũ dicentẽ, Iesus Nazarenus iste demolietur locum hunc, & mutabit instituta, que tradidit nobis Moses. Hoccine, inquies, est in bonum adiumento esse? Calumniatores totum populũ, summates pariter & infimates aduersus Stephanũ ita incitarũt ut primũ cõprehenderint ipsum, deinde falsis testimoniis conuicerint, postremo lapidibus obruerint, & sentiendũ est calumnias non esse damnosas? At si tu perpenderis quod inter hæc, quæ tu damnosa censes, Stephani facies tanq; facies angeli splendescat, ꝙ Stephanus uiderit cælos apertos filiumq; hominis stantem a dextris eius, quod DOMINVS Iesus spiritũ eius suspiciat, quẽ admodum sequentia indicant, haud difficulter opinor nostræ sententiæ adstipulaberis.

Quando

Quando igitur calumniis effectum est, ut Stephanus comprehensus quidem sit & lapidatus, sed per istas afflictiones regnum dei intrauerit, arbitramur maximi beneficii loco censendum esse, quod Christus Stephanum propter nomen suum uinculis & turpi morti obiecerit. Interim obseruandum est, & quam credulum sit uulgus, & q̃ euanidus sit fauor popularis. Postq̃ enim Sycophantæ de Stephano sparserunt contumeliosa ab eo dici in deũ ac Mosen, uulgus non plebis solũ sed & Senatorũ ac scribarum cõfestim mendacio fidem adhibent, & fauorem suum quo prius Christi discipulos amplectebantur (de his enim dictum est, quod habuerint gratiam apud omnem plebem, & quod omnis populus glorificauerit deum super eo, quod de claudo sanitati restituto acciderat) eum mox in extremum odium mutant. Cum igitur ita se habeant mores uulgi, non est quod uel uulgi rumoribus credas, uel auræ populari studeas, sed enitere potius ut uerbo dei credas, & gloriam apud deum tibi compares. Sic enim fiet, ut perpetuo bene audias, & gloria nunq̃ peritura fruaris. Etenim specimen gloriæ eius quam DOMINVS credentibus in ipsum parauit, etiam in Stephano adhuc in medio aduersariorum suorum concilio uersanti exhibitum est. Nam intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, uiderunt faciem eius tanquam faciem angeli. Alii qui in mortis periculo comprehenduntur uiribus suis deficiunt, colore mutantur, ac metu mortis pene exanimantur. Stephanus autem in medio mortis discrimine existens, uultu angelico splendescit, tantũ abest, ut timore mortis exanimetur. Vnde obsecro, tanta faciei claritas Stephano? Profecto illud quoq; inter beneficia clementiæ diuinæ Stephano collata cõnumerandum est. Voluit enim DOMINVS in Stephano declarare, primum, quanta sit in ipsis afflictionibus alacritas mentis sibi nihil conscię. Vt enim non est pax impiis, & nihil est miserius quam animus sibi conscius, ita nihil est lætius, nihil alacrius bona conscientia. Secura mens, inquit Salomõ, quasi iuge conuiuiũ. Et Paulus. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Deinde, quanta gloria maneat eos qui Iesum Christum per fidem sectantur, quæ ut nobis quoq; contingat DOMINVM deum nostrum precabimur in Christo Iesu, qui est una cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

Vulgi incõstantia.

CAP. VII. HOMILIA XXVII.



Vdiuimus, dilectissimi, calumnias falsoꝝ testiũ in Stephanũ, audiam⁹ nũc Stephani apologiã angelico uultu plane respondentem. Princeps autẽ sacerdotũ dixit, num hæc ita se habent? Tametsi enim illi cõdemnaturi erant Stephanũ quicqd respondisset, immo iam antea nondũ auditum cõdemnauerant, & a domo sua iudicium attulerãt, tamen ut iuste & secundũ legẽ eũ cõdemnare uiderent, dant ei locũ ad accusatiões respõdendi, ut possint uulgo fucũ facere se satis superq; causam audiuisse & perpendisse, sed hæreticos illos pertinatiores esse, q̃ ut uelint a sententia sua recedere, pinde iure eos cõdemnari. At lex de audiẽdo reo nõ est lata ut audiat tantũ, sed poti⁹ ut causa ei⁹ iuste iudicet, postq̃ satis audita ẽ. Impii uero illi hypocritæ existimãt se qd̃ legis est p̃stitisse, si tm̃ reũ audierint, nec referre quõ iudicauerint. Itaq; eo maior illoꝝ iudicũ iniquitas est quo plus studẽt æqtate legis suã iniqtatẽ tegere. Postq̃ autẽ Stephano dicẽte loc⁹ datus est, ait. Viri fratres & patres audite. Quid hæc obsecro sibi uolũt cognoia? illos ne fratres & patres Stephan⁹ uocat, quos postea noiat p̃ditores & homicidas? ex eodẽ ne ore calidũ & frigidũ? At aliud ẽ ciuilitatis officiũ, aliud fidei. Pro officio ciuilitatis & publicæ honestatis hostis etiã in medio bello, solennes titulos hosti tribuit: & Christ⁹ quoq; iubet ut bñ precemur deuouẽtib⁹ nos, quãto magis uult ut eis nõ inuideam⁹ solẽnia cognoia q̃ ipsis publice

Lex de audiendo reo.

honoris gratia attribuuntur. Fides autem suo fungens munere, nescit ullam comitatē, sed simpliciter, q̄ res est pronunciat. Scaphā scapham & ficus ficus uocans. Quemadmodū enim eiusdem uiri, qui est Iudex in reum capitalis criminis conuictum duplex est officiū alterum hominis, alterum iudicis. Et pro hominis officio clementer reum alloquitur, conuiuium splendidum & opiparum ei proponit, adeoq̄ omni humanitatis genere eū prosequitur. At pro iudicis officio grauiter pronunciat ipsum homicidam aut latronem, & carnifici tradit ut capitali eum supplicio afficiat. Ita in eodē homine, diuersa sunt publicæ honestatis, & rectæ fidei officia. Proinde, quod Stephanus in exordio apologiæ suæ uocat concilii iudices, fratres & patres, publicæ seruit consuetudini & honestati, quæ necessario, ubicunq̄ saluo fidei officio fieri potest, obseruanda est. Quod uero postea uocat eos proditores & homicidas, iustitiæ fidei seruit, quæ recte sentit eos esse proditores & homicidas qui Iesum Christum ad mortem crucis adegerūt. Sed nunc operæ preciū est audire quibus argumentis Stephanus obiecta diluat, & suam causam defendat. Deus, inquit, gloriæ
» apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, priusq̄ moreretur in Charran
» & dixit ad illum. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram, quamcunq̄
» monstrauero tibi. Hæc est Apologiæ Stephani narratio, ab ouo, quod dicitur repetita, qualem narrationem prophanus Rhetor uicioſam appellauerit. At insania est in reo pro capite suo dicenti, orationis ornamenta pociusq̄ dictorum ueritatē quærere, & fidei Christianæ confessor libenter peccat in Rhetorum disciplinam, modo fidem suam plene exponat & inculcet. Est & istud peculiare genti Iudaicæ, principia orationum alte repetere. Requirebat etiam causa Stephani narrationem paulo altius petitam. Etenim accusatus erat quod non cessaret loqui uerba contumelioſa, in Mosen ac deum seu aduersus templum & legem. Huic autem accusationi Stephanus ansam præbuit, dum prædicauit templum Hierosolymitanum, non esse uerum templum, nec esse duraturum, & neminem iustificari operibus legis, sed tantum fide in Iesum Christum. Vnde accusatores ita argumentabantur: Stephanus palam dixit, templum Hierosolymitanum non esse uerū templum sed periturū, adiiciens, opera legis per Mosen a deo nobis datæ, non iustificare, cōtumelioſus igitur est, in deum, legem, templum, ac Mosen. Itaq̄ Stephano erat indicandū & probandum, quod non propterea contumelioſus esset in deum, legem, ac templum, quia prædicarit templum periturū, & opera legis non iustificare. Hoc autem alia ratione fieri non potuit, quam ut declararet, quæ esset ueralegis & templi ratio: quam ut ostenderet, necesse erat narratiōe ab exordio eius gentis, cui lex data erat, repetere. Et quia Abrahā pater gentis Israeliticæ est, ideo Stephanus ab ipso causam dicere exorditur. Deus inquit, gloriæ apparuit patri nostro, cum esset in Mesopotamia priusq̄ moraret in Charran (uel Haran, utrumq̄ enim dicitur) primum omnium auditis, me minime esse cōtumelioſum in deum, quia ingenue confiteor, eum deum qui patri nostro Abrahamo apparuit, esse deum gloriæ & solum uerum deum, ab omnibus adorandum. Deinde neq̄ in legem ac templum me esse contumelioſum, quod dixerim opera legis non iustificare, & hoc templum quod in monte Zion extructum est, non esse uerum templum cuius cultu iustificatio constet. Nam temporibus quibus Abraham uixit nondum erat lex, nec templum, attamen Abraham deo acceptus, & coram deo iustus fuit. Aliud igit esse oportet, quo iustificamur, quam legem & templum, quod autem illud sit, nunc requiremus. Dixit deus ad
» Abraham, exi de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram, quamcunq̄ monstra-
uero tibi. In libro Geneseos capite duodecimo, apparet hoc ad Abrahamū, postq̄ cū patre suo ex Hur Chaldeorum seu ex Mesopotamia profectus fuerat ad Haran, dictum esse. Stephanus autem in hoc loco indicat ad Abrahamum dictum esse, priusq̄ uenisset ad Haran: sed facilis est huius nodi solutio, si intelligatur, hoc semel quidem scriptum, bis autē dictum esse. Ac principio quidem Abrahamum ex uocatione diuina in Haran una cum parente suo profectum esse, deinde post mortē patris in terram Chanaan migrasse. Porro præcepto adiecta est promissio: faciam, inquit deus, te in gentem magnam & benedicam

tibi, atq̄

tibi, atq; in te benedicentur uniuersæ nationes terræ. Quid ergo illud est, quod fecit Abrahamum Deo ita gratum, ita acceptum, ut & ipsi appareret, & oẽm benedictionem ei polliceretur: Num propria Abrahami iustícia: At Abraham adhuc erat idololatra, quemadmodum Dominus deus Israël testatur in Iosua capite uicesimo quarto. Trans fluuium (inquiens) habitauerunt patres uestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntq; díjs alienis. Num q̃ ad uocationem dei reliquerit patriam & cognationẽ suam? At quando tam amicea Domino compellatur, nondum e patria exiuerat. Num circumcísione? num templi cultu? num sacrificijs legis? at circumcísio nondum erat instituta, lex nondum erat data, templum nondum erat extructum. Reliquum igitur est, q̃ Abraham fuerit Deo charus & acceptus, nullo Abrahami merito, nulla eius iustícia, nullis operibus, nullis sacrificijs, sed tantum mera & gratuita dei elementía ac misericordía, qua ille immeritum, & in medijs idololatriæ sordibus iacentem complexus est, propter unigenitum suum filium Iesum Christum, quem e semine Abrahami propiciationem pro peccatís mundí daturus erat. Et ut hæc misericordía & clementía Abrahamo reuelaretur, promisit ei deus, fore, ut ipse benedíceretur, & in semine suo omnes gentes benedícerentur. Cui promissioni, cum Abraham fidem adhiberet, imputata est ei fides illa ad iustíciam, ita ut fructum benedictiõis, qui est remissio peccatorum & iustificatio, per nullum aliud opus, per nullum meritum, per nullum sacrifícium q̃q; per fidem, propter semen ex sese nascendum, Iesum Christum DOMINVM nostrum acceperit. Iustificatus autem iam per fidem, exijt e terra Chaldæorum, & habitauit in Haran. Q2 enim Abraham secutus est uocationem Dei, & exijt e patría sua, iustum quidem opus est, non tamen est iustificãs opus. Nisi enim prius fuisset factus iustus per fidem, propter semen suum promissum, non potuisset iusta agere. Vt arbor bonos ferat fructus, bonam prius arborem factam esse oportet. Et quis collígit uuam de spínis, & ficus de tribulis? Solum igitur promissum semen in quod Abraham credídit, iustícia Abrahami fuit, & quæ deinceps ex ea fide operatus est, non fuerunt iustícia eius, sed iustíciæ eius fructus. Iam, quía Abraham per fidem iustíciam suam accepit, & per fidem Deo acceptus fuit, uideamus, quanta fides eius fuerit. Nam cum deus promisísset ei & terram & semẽ benedictum, confestim secutus est uocantem deum, & exijt e patría, nescíens, quo esset uenturus. Et primo quidem habitauit in Haran, sed non erat illa terra promissionis. Inde autem postquã mortuus est pater eius, trãstulit illum deus in terram hanc (inquit Stephanus) in qua nũc uos habitatis. Quid ergo? num Abraham in hac terra firmam sedem & hæreditatem habuit? Sequitur: Non dedit illi hæreditatem in ea, ne uestigium quidem pedis, & repromisit illi eam se daturum possidẽdam, & semíni eius post ipsum, cum non haberet filium. Ex illis omnibus æstímare facile licet, quanta fuerit Abrahæ fides, & q̃ præter spem sub spe in promissionẽ Dei credídit. Etenim pollícitus erat ei Deus & terram & semen, sed ecce non statim in eam terram introducebatur, & postquam introductus erat, rursus necessitate famis urgente, quemadmodum liber Geneseos capite duodecimo testatur, ex ea eijcitur. Huc accedebat, q̃ promittebatur ei semínis multíplicatio & benedictio, cum tamen non haberet filium, & esset iam prouectioris ætatis, q̃ ut natura posset sperare, se líberos procreaturum. Verum ad promissionẽ Dei, ut Pauli uerbis utar, non hæsítabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tríbuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, q̃ is qui promíserat, idem potens esset & præstare. Qua propter etiam imputatum est illi ad iustíciam. Cæterum q̃ illic Paulus addit, hoc idem Stephanus potuisse suæ narrationi adjícere, nisi maluisset breuitati studere, & multa auditori intellígenda relinquere. Existímat. n. se suo

officio satis functum, si in narratione sua, semina tantum rationum suarum iaciat, quibus comprobet se non esse uel in deum uel in Mosen, uel in legem uel in templum contumelioſum. Sic autem Paulus ait: Non scriptum est autem propter illum tantum, imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Iesum DOMINVM nostrum a mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Ad eundem modum licuisset Stephano suam de Abrahamo narrationem concludere, & dicere: Ostendi nunc patriarcham Abrahamum deo acceptissimum, & coram eo iustissimū fuisse, idq; nullo suo merito, nullo sacrificio, nullo cultu templario, nullo legis opere, cum nondum nec lex nec templum condita fuerint, sed tantum fide in promissionem dei. Non est autem illud propter Abrahamum tātum scriptum, sed etiam propter nos, ut cognosceremus nos eodē modo, eadē forma deo acceptos fieri ac iustificari, qua Abraham iustificatus est, uidelicet nullo templi cultu, nullo q̄ legis opere, sed tantum fide in semen Abrahę, quod est Iesus Christus, qui est expiatio pro peccatis nostris. Iam cum opera legis, & templi cultus non iustificent, recte dixi instituta Mosi aduentu Christi abrogari, & huius templi religionem non esse ueram ac perpetuam iusticiam, sed umbratilem, quæ reuelata ueritate cessatura sit. Porro, præter promissionē, quā deus Abrahamo de terra & benedictione seminis eius pollicetur, ostēdit quo q̄ ipsi deus quæ sit futura seminis eius fortuna. Ita enim Stephanus sermonē suum
» prosequitur: Locutus est autem deus sic, q̄ futurum esset semen eius inquilinum
» in terra aliena, quod q̄ seruituti illud subiecturi sint, & male tractaturi quadrin-
» gentis annis, & gentē cuicunq; seruierint iudicabo ego, dixit deus. Et post hæc
» exibunt, & seruient mihi in loco hoc. Scripta sunt hæc in libro Geneseos cap. 15. & loquitur deus de Tyrānide Aegyptiaca, qua Israelitæ post mortē Ioseph usq; ad Mosen pessime tractati sunt. Vbi autē hic fit ulla mentio legis ac templi? De afflictione tantum, & liberatione fit sermo, & q̄ Israelitæ post liberationem deo in isto loco demum seruituri sint. Quid ergo? num in Aegypto non seruierunt deo? num intra hos quadringentos annos, in quibus lex & templum nōdum instituta fuerunt, nulli extiterunt iusti & deo accepti? Profecto qui sic sentit, & in deum & in patriarchas nostros iniurius est. Vnde ergo fuerunt iusti? certe nō e cultu templario, nec ex operibus legis, quæ nondum extabant, sed ex fide in promissionem Abrahæ factam. Proinde iterum apparet legem & templum, non esse ueritatem seu iusticiæ authorē, ob quam causam, abrogationi obnoxia sunt. At ne quis obijciat, illi circuncisione fuerunt iusti & deo accepti, quare non est q̄ fidei tantum iusticiam adscribas: meminit Stephanus circumcisionis & ueram
» eius rationem uno uerbulo explicat dicens: Et dedit illi testamentum circunci-
sionis. Hoc quid aliud est q̄ quod Paulus pluribus dicit: Quomodo imputata est Abrahæ fides ad iusticiam? cum esset in circuncisione, an cum esset in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis signaculum iusticiæ fidei quæ fuerat in præputio. Itaq; circuncisio non est iusticia sed tantum signum pacti & testamenti eius, quod deus cum Abrahamo & semini eius pepigit & condidit, uidelicet, se fore deum Abrahami & seminis eius, & ipsos in semine illo promisso benedicturum ac iustificaturum. Atq; ita circuncisio non confert iusticiam, sed tantum sigillo suo comprobat q̄ uera iusticia sit ex fide in semen promissum. Iam quemadmodum circuncisio non iustificauit Abrahamum, ita nec iustificauit filium eius Isaac. Abraham enim genuit Isaac, & circuncidit eum octauo die, uidelicet non ob hanc causam, ut Isaac ex circuncisione iustificaretur, sed tātum ut acciperet signum, q̄ uera iusticia esset ex ea fide, quæ habetur in promissionē dei de semine benedicto. Et Isaac genuit Iacob, & Iacob

Quod nec opera legis nec cultus tē pli iustificēt.

& Iacob genuit duodecim patriarchas, qui omnes, & si circuncisi fuerint, tamen non fuerunt ex circũcisione iustificati, sed tantum ex fide in promissionẽ Abrahamo factam. Quod si circuncisio, quæ est omniũ operum sanctissimũ & iustissimum, sine quo nemo ante Christum in populi dei catalogum receptus est, nõ iustificat, quanto minus opera legis Mosaicæ, & religio templi iustificãt. Si uero non iustificãt, consentaneum est eam religionem non ueram & perpetuam, sed umbratilem & transituram esse. Atq; ita de lege & tẽplo concionari, non est contumelioſum esse in Mosen & templum, sed est ueram illorum rationem explicare, & patriarcharum iusticiã asserere, quorum nulla fuisset iustícia, si per legem & templi religionem uera esset iustícia. Hæc ferme est narrationis Stephani usq; ad mentionem duodecim patriarcharum sententía, in qua id potissimum urgeri censendum est, q; nec opera legis, nec cultus tẽpli iusticiam cõferant, & peccata cõmissa expient, quippe q; patriarcharum temporibus nõdum fuerit lex aut templum, sed q; remissio peccatorum seu iustícia (non enim alia est nostra iustícia, cũq; q; iniustícia nostra nobis per Christum remittitur) per solam fidem in promissionem Abrahæ factam, contingat. Itaq; dilectissimi, iustificemur & nos exẽplo patriarcharum per fidem in promissionem Dei, hoc est, in Christum a deo maioribus promissum, nobis autẽ exhibitum, & credamus nobis per ipsum peccata remitti, ut in illo iustificati, ueros iusticiæ fructus proferamus, deoq; obsequium prẽstemus ad perpetuam salutem, in eodem Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Ergit, amicissimi, Stephanus in narratione sua, pergamus & nos in eius enarratione. Patriarchæ, inquit, inuidia moti, Ioseph uendiderũt in Aegyptum. Paucissimis uerbis, & peccatum filiorum Iacob in fratrem suum Ioseph indicat, & auditori cogitandum & æstimandum relinquit, quomodo illi remissionem peccati sui impetrauerint, & iusticiam adsecuti sint. Per opera ne legis, an per cultum templi, an per quiddam aliud? Igitur peccatum filiorum Iacob ita se habet. Principio enim postq; patriarchæ filij Iacob audiuissent e Ioseph somnium de manipulis adorantibus ipsius manipulum, & de sole, luna ac stellis undecim, ipsum supplíciter uenerantibus, maxima inuidia erga Ioseph incensi sunt. Existímas ne uero inuidiam, leuis momenti peccatũ esse? In conspectu quidem & in iudicio hominum, iudicrũ reputatur, at iudicium dei sentit esse peccatũ morte dignum, & quod in hominũ conspectu est homicidiũ, hoc in diuino iudicio est inuidía. Vnde & eodem præcepto, inuidía & homicidium prohibentur, nõ occidas, quam legem, si quis uiolauerit, audit generalem illam quidem, sed horribilem & terrificam uocem, maledictus omnis qui nõ permanserit in uerbis legis huius. Deinde patriarchæ inuidia moti, necẽ fratri suo parabant. Iam & hic ipse conatus, & si non successerit, pro ipso opere computandus est. Abraham ducebat filium suum ad sacrificium, & quanq; ab angelo prohibebatur ne filium suum mactaret in oblationem, audit tamen, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quoties Saul Dauidis uitæ insidiebatur, ut ipsum interimeret? quod Saul non est quidem adsecutus, attamen pro homicida corã deo iudicatur. Itaq; etiam patriarchæ fratrem suum Ioseph ad necem rapientes, pro fratricidis habendi sunt, quanq; ipsum non occiderint. Omitto nunc mendacium & impostúram qua patrem suum Iacob in cælanda impietate sua deceperunt. Hoc tantum adijciam, quod postremo fratrẽ suum Ismaëlitis efferis gentibus uendiderint, quod quid

Peccatum filiorum Iacob in fratrem Ioseph.

aliud est, ꝯ non dico semel occidere, sed semper, & quouis momento occidere: Quid enim est, in seruitutẽ effero homini tradi, nisi continenti morti obijci? Vnde quidã inter Ethnicos maluerũt suo se gladio iugulare, ꝯ in seruitutẽ redigi, qua relicet impie fecerint, tñ significarunt seruitutẽ morte duriorẽ esse. Et lex dicit: Qui furatus fuerit hoiem & uendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. Nonne & lex ista tacite innuit, seruitutẽ morte grauiorẽ esse? Proinde ꝙ patriarchæ fratrẽ suum uẽdiderint & in seruitutẽ tradiderint, grauioribus malis, quantum in ipsis fuit, eum affecerunt, ꝯ si semel eũ gladijs suis trucidassent. Audiamus quantũ peccatũ patriarchæ aduersus fratrẽ suum, immo aduersus Deũ designarint, uidelicet peccatũ homicidio multo grauius. Audiamus nunc quõ remissionẽ peccatorꝝ suorum adepti sint, & quõ sibi iustitiã parauerint. Num propter circuncisionẽ ipsorꝝ peccatũ eis remissum est: at fuerũt illi circũcisi, priusꝯ tantũ scelus in fratrẽ cõmitterent. Ita ꝯ scelere suo potius circuncisionis fœdus sordidarunt, ꝯ ut propter circuncisionẽ in scelere suo iustificati fuissent. Num sacrificijs & cultu templario expiarunt peccatũ suum, at sanguis tauorꝝ non potest peccata expiare, & tẽplum nondum erat instauratũ. Num operibus aut religione legis, at lex nondum erat data. Reliquũ igitur est, ut benedictionẽ, hoc est, remissionem peccatorꝝ & iustitiã nõ aliunde adsecuti sint, ꝯ e semine benedicto Abrahæ promisso, idꝯ per fidẽ. Quid ergo obtruditur nobis templũ & cultus eius, tanꝯ uera & perpetua religio, qua peccatorꝝ remissionẽ & iustitiã adsequamur? Si quidẽ ea demum uera & perpetua est religio, qua ante datam legẽ & conditum templum, patriarchæ iustitiam & salutẽ sibi pararunt. At eam pararunt fide in semen Abrahæ promissum, hoc est, in Iesum Christũ, nec aliã unꝯ iustitiã habuerunt, ꝯ ꝙ in iustitia eorꝝ per fidẽ ipsis remissa est. Vt igitur Christus uera est benedictio, iustitia & sanctificatio, ita fides in Christum uera & perpetua est religio, qua cœlestia bona consequimur. Cæterꝝ quẽadmodum Stephanus pro fide in Iesum Christũ contra superstitiosam pharisæorꝝ & pontificũ opinionẽ, quam de tẽplo Hierosolymitano & lege Mosaica conceperant, disseruit, ita nobis disserere licet contra impiã sophisticæ religionis superstitionẽ. Etenim, ut Iudæi senserunt cultum templi sui eam esse religionem, per quã ex opere ipso operato, peccata expiarentur, & iustitia adquireretur, ita Sophistæ sentiunt suũ pharisæismũ, uidelicet, missas, ieiunia, peregrinationes, statutas præculas, monachatum, indulgentias, & id genus alia, ualere, ex opere ipso operato, quod uocãt ad remissionẽ peccatorũ, & parandã iustitiã. Contra hanc impietatem producendi sunt patriarchæ, prophetæ & sancti quiꝯ, qui remissionẽ peccatorꝝ, iustitiam & sanctitatẽ acquisierũt, priusꝯ missas, monachatus, aliarumꝯ sophisticarꝝ superstitionum noïa orbis nouisset. Adepti aũt sunt illa per fidem in Christum, non propter opus operatũ missæ. Igitur fides in Christũ uera illa & perpetua religio est, ab oïbus obseruanda. Sed reuertamur ad orationẽ Stephani, qui cum e peccato patriarcharꝝ tacite indicasset, aliam oportere esse religionẽ, qua peccata expiarentur, ꝯ templum ac legẽ, pergit Iosephi conditionẽ explicare, & dicit: Erat deus cum eo, & eripuit eum ex oïbus afflictionibus eius, & dedit ei gratiã & sapientiam coram Pharaone rege Aegyptiorũ, & constituit eum præfectũ super Aegyptum & super totam domũ suam. Hic iterum probare e Iosephi conditione licet ꝙ templũ & cultus eius, non sint eiuscemodi, propter quæ iustitia & beneficia dei acquirantur. Consydera mihi obsecro Iosephi rõnem, & uidebis longe aliud esse, quo deo grati efficimur, ꝯ religionem tẽpli. Etenim postꝯ Ioseph a fratribus suis uenditus est Ismaelitis & ab his Putiphari eunucho Pharaonis, ita a Deo seruatus est, ut oïa aduersa incolumis euaserit. Non trucidarunt eum Ismaelitæ, quãuis gens effera, nõ occisus est in Aegypto, quãuis alienigena. Sed

Vnde patriarchæ consecuti sint remissionem peccatorum.

Exemplo Ioseph probat aliam esse iustificationem quàm ex operibus.

multam

multam etiam gratiam consecutus est apud Dominum suum Putipharem. Etsi autem postea ob adulterium falso intentatum in carcerem coniectus fuerit, Dominus tamen deus noster non solum effecit ut e carcere liberaretur, sed etiam ut in principem totius Aegypti proueheretur. Quid obsecro egit Ioseph q̃ tam acceptus deo fuerit, ut ipsum non solum e periculis liberauerit, sed etiam principem Aegypti constituerit? Nunquid peregrinatus est ad hoc templum & hecatombem obtulit? at nondum erat templum, nec licebat ei in aliena terra sacrificare, preterea in carcere captiuus detinebatur. Nihil igitur habuit Ioseph quod faceret, q̃ ut confideret promissione ad auum suum Abraham facta, & crederet oraculo illi diuino quod in somno ei reuelatum fuerat, ac inuocaret deum ex fide in afflictionibus suis. Hoc habuit Ioseph quod faceret, hoc fecit & liberatus est. Proinde non templum, sed fides in diuinam promissionem de Christo Iesu, religio illa est, per quam benedictionem diuinam nobis paramus. Et ut hoc amplius ostendatur, tractemus etiam quod in oratinne Stephani sequitur. Venit autem fames in uniuersam terram Aegypti, & Chanaan, & afflictio magna, nec inueniebant cibos patres nostri. Cum audisset autem Iacob esse frumenta in Aegypto, misit patres nostros primum, & cum iterum misisset eos, agnitus est Ioseph a fratribus suis, & innotuit Pharaoni genus Ioseph. Misso autem nuncio Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, omnemq̃ cognationem suam in animabus septuaginta quinq̃, & descendit Iacob in Aegyptum, defunctus q̃ est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sychem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham precio argenti a filijs Emor filij Sichem. Quæ Stephanus compendio narrat, ea explicatius in libro Geneseos unde hæc desumpta sunt, habentur. Principio, quod de fame in terra Aegypti & Canaan, & de profectione Iacob unà cum familia sua in Aegyptum, dicit, eo respicere uidetur, ut auditoribus æstimandum relinquatur, quo merito Iacob a Deo hoc beneficium consecutus sit, ut famis iniuriam unà cum familia sua euaserit. Nam in dedicatione templi Hierosolymitani ita ait Salomon: Fames si oborta fuerit in terra, & expanderit populus Israel manus suas in domo hac, tu exaudias in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis. Quid ergo in maxima terræ Canaan & Aegypti fame egit Iacob? num profectus est ad hanc domum, & expandit ibi manus suas, ut propicium sibi deum redderet? at domus illa nondum erat ædificata, nec cultus eius institutus. Non igitur propter huius cultus religionem fami Iacob consultum est. Sed longe aliud fuit, propter quod assecutus est, ut propitio Deo famem effugeret. Credidit enim in promissionem Dei ad Abraham factam, credidit in promissionem ad se quoq̃ factam, & fidem suam confirmauit e beneficijs diuinitus ipsi collatis, uidelicet q̃ baculo trãsijsset Iordanem, & regressus fuisset cum duobus turmis, q̃ de tyrannide fratris Esau seruatus esset. Itaq̃ propter promissionem, cui Iacob firmam fidem adhibebat, Dominus deus noster clementia sua Iacobum & familiam eius ita complexus est, ut lõge ante famem Ioseph filium Iacob in Aegyptum occulta rerum administratione traxerit, quo is fertilitatis tempore, non tam propter habitatores Aegypti, q̃ propter familiam Iacob frumenta reconderet, & uenturæ fami consuleret. Iam uero & hoc mihi consydera, q̃ Iacob profectus est in Aegyptum cum tota familia sua. Num in Aegypto templum ad huius formam extructum fuit, in quo Iacob deum his cultibus & hac religione ueneratus est? At Iacob nullum unquam in Aegypto phanum habuit, nec unquam illic sacrificasse legitur. Ergo ne in Aegypto impius fuit? Absit. Locus non mutauit pietatem eius. Qualis erat Iacob in terra Canaan, iustus, pius, & deo acceptus, talis semper in Aegypto absq̃ sacrificijs, absq̃ templis permansit. Proinde cultus templi, non est illa religio, propter quam fa-

Vnde Iacob promeritus sit q̃ fame nõ perierit.

Locum non mutare pietatem.

ctores iusti reputantur. Sed fides, ea religio est, per quam credentes in diuinam promissionem, deo accepti, & coram ipso iusti efficiuntur, propter semen Abrahæ benedictum, quod est Iesus Christus DOMINVS noster. Hoc loco forassis obijciet quispiam, ut maxime Iacob in Aegypto pius ac sanctus manserit, noluit tamen in ea terra sepeliri, sed iuramento etiam a Ioseph accepto, exegit ab eo, ut conderet ipsum in sepulchrum maiorum suorum quod erat in terra Chanaan. Hoc autem indicat terram Chanaan sanctiorem esse alijs regionibus, & religionem quoq; huius terræ eam esse, propter quam iustitia & sanctitas acquiratur. Sed hæc obijcienti facile responderi potest, Si ratio sepulturæ patriarcharum probe consyderetur, negari non potest, quin Iacob uoluerit in terra Chanaan sepeliri, Ioseph quoq; adiurauit fratres suos, ut egredientes ex Aegypto, asportent secum ossa eius ex Aegypto, & condant in terra Chanaan. Acueresimile est, multos alios patriarchas in Aegypto mortuos, ad terram Chanaan, unà cum Ioseph ossibus translatos fuisse, Sic enim dicit Stephanus; Defunctus est Iacob & patres nostri, & translati sunt in Sichem. Nemo autem existimet patriarchas sepulturam in Chanaan ambijsse, quia crediderint se aliquid sanctitatis & salutis, uel mortuos ex eo loco attracturos. Sed quia crediderint promissioni diuinæ, qua Deus pollicitus erat se posteritati ipsorum terram Chanaan in hæreditatem daturum. Vt igitur hanc fidem palam testarentur, uoluerunt non in Aegypto, sed in Chanaan sepeliri. Atq; per hanc fidem deo propter promissionem suam, non propter cultus ita accepti fuerunt, ut & iustos eos ac sanctos reputauerit, & æternam salutem eis contulerit. Promissionum autem diuinarum caput ac fastigium est Iesus Christus Dominus noster. Itaq; credamus in Iesum Christum, q; per ipsum peccata nobis remissa sint, & accepti Deo facti simus, ut iustificati ex fide, pacem habeamus erga deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

Sepultura patrum.

HOMILIA XXIX.



Actenus exposuit Stephanus originem gentis Israeliticæ in terra Chanaan, initio sumpto ab Abraham, qui primus gentis illius patriarcha numeratur, qua expositione significauit, non templũ illud Hierosolymitanum, seu diuinum cultum eius templi, ueram esse religionem, propter quam cultores iustitiam & gratiam dei mereantur. Cum enim nec templum, nec cultus templi ab initio Israeliticæ gẽtis fuerint, ac nihilominus patriarchæ iustissimi coram deo habiti sint, & maxima a clementissimo deo beneficia acceperint, consectaneum est religionem ueram non esse sitam in templo & cultu eius, sed in fide quę habetur in promissionem diuinam, per hanc enim, propter promissum semen Abrahæ quod est Iesus Christus, iustificantur credentes, & fiunt deo accepti. Et de his quidem antea, nunc autem exponit Stephanus gentis huius incremẽta, postq; Iacob cum familia sua in Aegyptum profectus est, dicens: Cum autem appropinquaret tempus promissionis, de qua iurauerat deus Abraham, creuit populus & multiplicatus est in Aegypto, donec exortus est alius rex qui non nouerat Ioseph. Priusquã hanc historiæ partem explicem, charitatem uestram iterum de statu huius orationis admonendum duxi, ut eo rectius intelligatur, quorsum partes eius referendæ sint. Etenim Stephanus accusatus erat, q; contumelioſa uerba diceret in religionem, seu ut uocant, fidem Iudaicam, ac præsertim templum & cultum eius, uanitatis argueret. Ad hæc respondet Stephanus, se nec templum nec cultum eius contumelia afficere, sed docere quod res est, uidelicet, ueram religionẽ ac fidẽ non esse sitam in tẽplo illo lapideo

pideo,& diuinis cultibus eius,sed in promissione diuina Abrahæ facta,quæ per fidem recipienda est.Per hanc enim & iustitia paratur, & gratia apud Deum impetratur, hic est præcipuus orationis status. Ad hanc etiam illud, quod nunc de gentis incremento Stephanus narrat,referendum est:Deus, inquit, pollicitus est Abrahæ,ꝙ sit aucturus & multiplicaturus posteritatem eius sicut stellas cœli & arenam maris.Præterea addidit,ꝙ in semine eius sint oẽs gentes benedicẽdæ. Et ut hoc eo firmius esset,confirmauit illam promissionẽ iuramẽto: Per memet ipsum(dicens)iurauí,benedicam tibi,& multiplicabo semen tuum. Cũ igitur Iacob profectus esset in Aegyptũ,atꝙ ibidem mortuus,posteritas eius ita multiplicata est,ut iam dinumerari non potuerit,ac formidabilis esset toti Aegypto, atꝙ ita quod Deus Abrahæ pollicitus est,fidelissime præstare incœpit. In qua ergo re tunc sita fuit uera huius gẽtis religio: num in hoc templo aut cultu eius: at templum nondum erat ædificatum,& cultus eius adhuc nesciebatur. Q2 si quæuis perscrutemur,nihil tamen reperiemus aliud, in quo gentis religio tunc sita fuerit,ꝙ promissionem ad Abrahamum factam,& fidem,quæ huic promissioni adhibenda erat. Propter hanc enim promissionem patres deo accepti erant,& per fidem quam in promissione habebnt,reputabant illos deus iustos & probos. Porro autem non existimemus Stephanum hæc ijs tantum qui in cõcilio sedent, narrare,quin potius nobis quoꝙ ea narrat,propter quos tota scriptura literis manda ta est. Quid ergo nobis hinc emolumẽti accedit: omnino multum, nam ex hac narratione etiam nos discimus,in qua re sita sit uera religio qua iustificamur & saluamur. Ea autem non est sita in externa uitæ honestate,quam etiam gentes idololatræ & docuerunt & obseruarunt. Hæc quidem obseruatu necessaria est, & a Deo mandata,& ad hanc conseruandam dedit Deus ciuiles leges & magistratum,ob cuius uiolationem & neglectum uenire solet,quemadmodum Paulus ait: Ira Dei in filios intractabiles. Attamen in hac externa honestate nondũ est sita uera religio qua iustificamur & saluamur. Nec est sita in hypocriticis illis cultibus, quos suopte ingenio sophistica impietas finxit, ut sunt Missa, peregrinationes,certa ieiunia,statæ preces,indulgẽtiæ,& id genus uanitates, quæ si fiant,ea opinione,ut per illa opera remissio peccatorum & iustitia acquiratur, blasphema sunt in Iesum Christum,qui solus est remissio peccatorum & iustitia nostra. Et ut maius quiddam dicam,nec uera religio,in audienda tãtum concione ecclesiastica,in baptismo,in cœna dominica,& publicis cantibus ecclesiasticis sita est. His quidem rebus uera religio promouet, & hæc ueræ religioni seruiunt,sed tamen non est in his sita. In qua ergo re sitam dicis: certe in nulla alia ꝙ in ea in qua religio Abrahæ & aliorum sanctorum patrum ab initio orbis sita fuit. Iam ad Abrahamum dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Semen autem illud est Iesus Christus DOMINVS noster, benedictio est remissio peccatorum, iustificatio, sanctificatio,redemptio ac uita æterna. In hoc ergo sita est uera religio, ut credamus in Iesum Christum quod propter ipsum coram Deo iusti & sancti simus,ex remissione peccatorum,quam in Christo habemus, & quod per ipsum maneat nos perpetua fœlicitas ac uita æterna. Hæc autem religio promouet per prædicationem uerbi dei in qua Christus adnunciatur & agnoscitur. Huic religioni seruit baptismus ,per quem in communionem bonorum Christi inauguramur & sanctificamur. Seruit ei cœna dominica,per quam conscientia in fide firmatur, & de peccatis tentata consolationem accipit. Seruiunt quoque ei publicæ in Ecclesia conciones, ut per illas nos inuicem in fide animemus & recreemus. Ita uides ueram religionem habere quidem uaria adminicula, diuinitus instituta, in hoc autem solo duntaxat sitam esse,ꝙ Christus Iesus sit pro nobis a Deo peccatum factus, ut

A multiplicatione posteritatis Iacob.

In quo sita sit uera religio.

nos essemus iustícia dei in illo,& q̃ sit sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio nostra. Hæc fuit religio Adæ, Abel, Enoch, Abrahæ, Isaac, Iacob, & omnium patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, martyrum & sanctorum. Extra hanc religionem non est alia quæ nos iustificet aut saluet. Sed redeamus nunc ad Stephani orationem. Cum enim gentis Israeliticæ multiplicationem commemorasset, adijcit etiam aduersam fortunam, qua hostes gentis tentauerunt multiplicationem eius impedire, ac gentem usq̃ ad internitionem delere.

» Multiplicatus est (inquit) in Aegypto, donec exortus est alius rex, qui non no
» uerat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut ex-
» ponerent infantes suos, ne fœtus essent uitales. Hæc plenius habentur in pri-
mo capite Exodi. Etenim cum Pharao rex Aegypti animaduerteret Israelem subinde magis atq̃ magis multiplicari, timens ne ab ipsis opprimeretur, de internitione totius gentis consultat, & primo quidem adultos Israelitas durissima tyrannide premebat, deinde mandabat obstitricibus, ut masculos Israelitarum recens natos exponerent ac interficerent. Hæc autem Stephanus ob hanc causam commemorat, ut auditoribus cogitandum relinquat, qua re maiores eorum in tanta Pharaonis tyrannide incolumes conseruati sint. Num templo: num religione templi: atq̃, ut sæpe nunc dictum & iteratum est, nec templum, nec cultus eius tunc instaurata fuerunt. Nihil autem aliud eos conseruauit, q̃ promissio Dei Abrahamo facta, qua etiam credentes in ipsam iustificati & saluati sunt. In hac igitur uera religio sita est, propterea quod propter hanc Israelitę in medijs rerum procellis conseruati, & in peccatis suis iustificati sint. Est autem hoc diuinum opus, quod Deus in Israel sub Pharaonis tyrannide fecit, uidelicet, quod quanto magis Aegyptij opprimebant Israelitas, tanto magis illi multiplicabantur & crescebant, alta mente reponendum. Nam quemadmodum Deus Abrahæ dixerat, se obiecturum quidem posteritatem eius tyrannidæ Aegyptiacę, conseruaturum tamen eam, & magnis miraculis liberaturum. Et quod Deus uerbis dixerat, id etiam reipsa præstitit. Obiecit Israelem tyrannidi, & ita conseruauit eum, ut quo magis affligebatur, eo maiori numero ipsum augebat. Ita dixit ad nos per Iesum Christum filium suum: In mundo afflictionem habebitis, & si me odit mundus (hic enim est Aegyptus nostra) quanto magis uos persequitur: In me autem habebitis pacem, & gaudete, quia ego uici mundum, & ero uobiscum usq̃ ad consumationem sæculi. Igitur, si id quod Christus prius de afflictione dicit, nostris humeris incumbere sentimus, certo cõfidamus, in nobis quoq̃ uerum fieri, quod posterius dicit de sua præsentia, conseruatione & liberatione. Sed de hac re aliàs. Nunc ad Stephani orationem reuertamur, qui uel tandem ad Mosen descendit, in quo maxima dei clementia, & admirabilia eius opera cernuntur.

Ab incolumitate quæ à Pharaonis tyrannide seruati sunt.

» Eodem, inquit, tempore natus est Moses, & fuit gratus deo, qui nutritus
» est tribus mensibus, in domo patris. Expositum autem illum sustulit filia Pha-
» raonis, & nutriuit eum sibi uice filij. In historia de Mose, quæ in exodo capite se
cundo plenius describitur, principio illud obseruandum est, quæ fuerat religio parentum Mosi, per quam tanta uirtute prædíti fuerint, ut contra regis edictum Mosen recens natum incolumen conseruauerint, nec interfecerint eum, quemadmodum rex præceperat, sed potius seipsos periculo mortis exposuerint, q̃ infantem trucidarint. Certe non conceperunt tantã uirtutem ex eo q̃ ad templum illud peregrinati fuerint, & cultus eius obseruauerint, neq̃ n. per tyrannidẽ Pharaonis licebat alio peregrinari, & tẽplum ĩstud nondũ erat ædificatũ. Sed ex eo conceperunt q̃ crediderunt promissioni diuinæ, qua Deus receperat se gentem Israëliticam conseruaturum & liberaturum. Et cum uiderent Mosen filiũ suum summa pulchritudine prædítũ, tacito spũs motu intellexerunt, hunc fore Israelí

Ab incolumitate Mosi.

tarum

tarum liberatorem. Per hanc igitur fidem occultatus est Mose tres menses in domo patris, contra regis edictũ. Per hanc fidem cum amplius puer occultari non posset, positus est a parentibus in fiscellã bitumine litam, & in flumen expositus est, certa fiducia ab ipsis cõcepta, deum in medijs etiam fluctibus puerum conseruaturum, per hanc fidẽ soror Mosi mansit ad flumẽ stans, uisura euentũ rei. Itaq; cũ tanta fidei in promissionem diuinam efficacia sit, ut ea operetur, quę humanę naturæ impossibilia sunt, necessario sentiendũ est, fidẽ in diuinam promissionẽ ueram esse religionẽ, per quam iusticiam & salutem consequimur, idq; non propter sequentia fidei opera, sed propter ipsam promissionẽ fide acceptã, seu misericordiam dei promissione oblatam. Cæterę ut deus manifeste suam clemẽtiam, sine templo & sine religione tẽpli declararet, effecit ut Mose in aquã expositus mirabiliter seruaretur & matri suæ rursum lactãdus traderetur. Cum enim esset expositus, filia Pharaonis descendebat ut lauaretur in flumine, et inuentum illic puerum in fiscella, tradidit matri eius nutriendum. Postq; aũt adoleuit puer, redditus est filiæ Pharaonis, quę adoptauit ipsum in locum filij, uidelicet, ut esset futurus regni Aegyptiaci hæres, & enutritus est omni sapientia Aegyptiorum, & erat potẽs in factis & in dictis. Vt uero expletum est ei quadragintã annorę tempus, subijt in cor eius ut inuiseret fratres suos filios Israhel. Quid hoc? an in his quadraginta annis Mose fratres suos neglexit? minime uerisimile est, q; etiamsi in regia aula celebris & potens fuit, parẽtes et fratres suos neglexerit. Itaq; quod Stephanus dicit, ipsum post quadragesimũ ætatis sue annũ, inuisisse fratres suos, intelligẽdum est, q; eo tẽpore prorsus aulam regiam reliquerit, secq; ab officijs & honoribus aulicis abdicauerit, renuens uocari filius reginæ, & uolẽs haberi Israelita. Hic tu mihi perpende, q; difficile, q; impossibile humanæ naturæ sit relinquere aulam regiam, & sese contemptissimæ genti adiungere: spernere hæreditatem regni, & sese paupertati exponere: contemnere regiam maiestatẽ, & sese probro & ludibrio cuiusuis obijcere. Attamen hæc a Mose facta uidemus. Quæ igitur illa religio fuit, ex qua Mose tantum uirtutis cõcepit, ut potuerit in obsequiũ dei regnum fastidire, & paupertatem ac cõtemptum eligere? num externus templi illius lapidei cultus? at nondũ reuelatus erat nec institutus, fides uero ea fuit religio, per quã Mose primũ iustificatus est, deinde renuit uocari filius filiæ Pharaonis, potius eligẽs simul malis affici cũ populo dei q; temporarijs peccati cõmodis frui, maiores arbitratus diuitias probrũ Christi, q; Aegyptiorũ thesauros. Quã autẽ fidem dicis? an non & gentes fidẽ habent in suam idololatriã, & Iudei in suum templũ, & hypocritæ in suas superstitiones? At nũc non est sermo de fide gentium & hypocritarũ, quæ non est fides, sed impietas, sed de fide quæ habetur in promissionẽ diuinã. Nouerat aũt Mose Abrahæ promissum, pacto & iuramento confirmatũ, q; deus uelit deus esse posteritatis eius, & q; in semine suo benedicendæ sint oẽs gentes. Ex huius promissionis fide noluit Mose haberi Aegyptiacus, sed censeri uoluit inter Israelitas, unde & aulã reliquit, & genti Israeliticæ sese adiunxit. Hæc igitur fides, per quã Mose priusquam legẽ accepisset, primũ iustificatus est. Deinde relicta aula uocationẽ dei secutus est. Vera est religio ab oĩbus sectanda & obseruãda. Quantũ aũt nos fratres ab illa Mosi religione absimus nũc mecũ quæso consyderate. Credidit ille diuinæ promissioni, multi inter nos adhuc credũt superstitiõibus Sophisticis, hoc est, spiritibus impostoribus. Reliquit ille aulã ad prestandũ obsequiũ deo, at nos ne teruncíũ quidẽ propter nomẽ Christi æquo aĩo relinquimus. Tradidit ille se uarijs afflictiõibus ad uocationẽ dei, nos ad uocationẽ dei, ne tantillum quidẽ aduersi patienter toleramus. Breuiter, ille maiores arbitratus est diuitias, probrũ Christi, q; Aegyptiorę thesauros, nos autẽ probrum Christi summã contumeliã ducentes, nil aliud spi-

A dono quo Moses contempserit aulicam regiã.

Collatio Mosi cũ nostræ ætatis hominibus.

ramus q̃ opes & thesauros Aegyptiorum. Proinde ut abiecta hac impietate, uir tutum Mosaicarum æmulatores efficiamur, enitendum est, ut uere in Iesum Christum credamus, & per fidem ipsum complectamur. Sic enim fiet ut purificato corde nostro per fidem deo obsequamur, & ad perpetuam fœlicitatem perueniamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

HOMILIA XXX.



B incremẽto gentis Israëliticæ, peruenit Stephanus usq; ad Mosen, in quo aliquanto diutius commoratur, tum, q̃ sicut Iesus Christus ab ædificantibus quidẽ reprobatus est, a deo autem factus est in caput anguli, ita Mose ab Israelitis initio repulsus est, quem tamen postea constituit deus principem & redemptorem eorum e captiuitate Aegyptiaca, tum q̃ Mose palam de Christo scribit, & monet ut ille audiatur, siquidẽ deus sit positurus uerba sua in ore illius, & ip̃e locuturus sit oĩa quæ præcepit ei deus. Et adiectæ sunt minæ seueriſſimæ. Qui uerba eius (inquit Dominus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. Proinde Stephanus Mosi rationem paulo pluribus explicat, ut ostendat se non aduersus Mosen & templum, quemadmodum accusatus erat prædicare, in eo, dum Iesum Christum nostram esse iustitiam prædicet, sed potius Israëlitarum maiores Mosen contempsisse, & legem eius neglexisse, se autem uerbo eius obsequi, q̃ eum prophetam audiat, & de eo loquatur, quem Mose audiendum præcepit. Cum uidisset (inquit Stephanus) Mosen quendam iniuria affici defendit eum, & ultus est uicem eius qui affligebatur, percusso Aegyptio. Audiuimus Mosen quadraginta annorum factum, reliquisse aulam regiam, & se adiunxisse populo Israëlitico, renuentem uocari filius filiæ Pharaonis, ac potius eligentem simul malis affici cum populo Dei, q̃ temporarijs peccati commodis frui. Audiamus nunc quæ strategemata in populo Dei gesserit. Etenim cũ inter fratres suos Hebræos conuersaretur, uidit q̃ Aegyptius quidam percutiebat quendam de Hebræis fratribus suis, cunq; circumspexisset huc atq; illuc, & nullum adesse uidisset, trucidauit Aegyptium, & abscondit eum in harenam. Quid igitur dicemus, num Mose designauit homicidium aduersus diuinam legem, nondum literis comprehensam, sed tamen mẽti naturaliter insculptam? Naturalis enim lex est, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Mose autem ægro animo tulisset, si alius quispiam sequester, ipsum cum proximo quodam contendentem trucidare conatus esset. Peccasse igitur contra charitatem proximi uidetur, q̃ alium defendendo alium occiderit? Vt respondeam, obseruandum est legem de homicidio nõ perpetrando ad priuatos tantum homines, non ad legitimum magistratum respicere. De magistratus enim potestate dicitur: Quicũq; fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Per quem? num per priuatos quosdam obuios? nequaquã, sed per magistratum. Item Christus ait: Qui gladio dimicat, gladio peribit. Per quem peribit? num per proximum quemuis? minime, sed per magistratum. Et Paulus docet, magistratum esse ministrum Dei, ultorem ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Mose autem non erat tunc inter priuatos homines recensendus, quippe qui iam in magistratum & ducem Israëlis a Deo designatus erat. Nam cum per fidem reliquerit aulam regiam Aegypti, & adiunxerit se populo Dei, profecto existimandum est ipsum reuelatione diuina cognouisse, q̃ per ipsum Deus populum Israel liberaturus sit. Vnde & Stephanus ait, Existimabat intelligere fratres suos, quod deus per manum ipsius daret salutem illis.

Legem de nõ occidẽdo ad priuatos tantũ pertinere

Occidendo

Occidendo enim Aegyptium specimen suæ uocationis exhibebat, ut hoc argumento Israëlitæ agnoscerent, ipsis liberatorem a deo missum, quando hactenus nullus Israelitarũ ne mutire quidem aduersus aliquem Aegyptiorum ausus fuerit. Non igitur peccauit Moses occidẽdo Aegyptium, sed uocationi suæ seruijt. Et exemplo Mosi magistratui quidem licet, ut plectat sontes, at non licet priuatis propria temeritate, ut alterum defendendo, alterum trucident. Videmus autem nunc, quam gratiam propter benefacta sua Mose apud populum suum inierit: At illi, inquit, non intellexerunt. Et sequenti die conspectus est illis litigantibus, & redegit eos in concordiam, dicens: Viri, fratres estis, cur uos inuicem lædatis? Cæterum, is qui iniuriam faciebat proximo suo, repulit eum dicens: Quis te cõstituit principem ac iudicẽ super nos? nunquid interficere tu me uis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem Mose ad dictum hoc, & factus est aduena in terra Madian, ubi generauit duos filios. Hic mihi uide, obsecro, summam ingratitudinem. Etenim Mose propter populum Israel reliquerat aulam regiam, in qua summis honoribus fruebatur, & maxima ueneratione ut filius regis obseruabatur, adiunxeratq; se populo Israel, apud quem necesse erat inglorium ab omnibus Aegyptijs contemptum, & egenum uiuere. Huc accedit q; periculo uitæ suæ Aegyptium inuadit, & occidit, ut Hebræum suum liberet, & specimen uniuerso Israeli exhibeat, se fore Israelis liberatorem. Quæ ergo gratia illi refertur? profecto nulla alia, q; inuidia, contumelia, proditio, fuga & exilium. Nam cum sequenti die, posteaquã Aegyptium occidisset, uideret duos Hebræos inter se contendere de rebus nescio quibus, accessit, iterum magistratus sui officio functurus, & enitebatur, ut pacificaret eos. At reijcitur ab impio, addita etiam contumelia, num me, inquit ille, latrocinio perdere uis sicut Aegyptium perdidisti? Ita impius ille Hebræus author fuit, ut Mose coram rege Pharaone proderetur, & coactus fuerit fuga sibi salutem quærere, ac in exilium proficisci, ne a rege interficeretur. Cæterum quemadmodum Mose omnium eorum, qui fideliter & diligenter suo munere, maximo etiam uitæ suæ discrimine funguntur, forma est, ita unus ille impius Israelita contumeliose in Mosen inuehens, ingenij omnium fere hominum simulachrum est, qui eo contumeliosius suos magistratus, præsides, consultores, ecclesiastas, & ministros tractãt, quo illi salubrius ipsis consultum cupiunt. Hæc enim est fortuna omnium fere eorum qui publicæ suæ uocationi fideliter seruiunt: uidelicet, ut summo labore & fidelitate, summã inuidiam & aduersa quæq; sibi parent. Præter Mosen, exemplo sunt Prophetę, Christus, & omnes Apostoli. Hoc autem proponitur nobis, non ut propter hominum ingratitudinem, fidelitatem uocationis quisq; suæ negligat. Sed ut admoneatur, ne ingratitudine hominum ab officij sui diligẽtia deterreatur. Nota enim mala, quemadmndum prouerbio dicitur, optima, & huius sæculi homines imbecilliores ac magis inopes sunt, q; ut ulla mercede fidelitatem ac diligentiam ipsorum ministrorum compensare queãt. Proinde ut fideles ministri eo copiosiorem fidelitatis mercedem apud deum sibi repositam esse sciãt, summa ingratitudine in hoc sæculo tractantur, propterea q; quo ingratior est erga illos mundus, eo clemẽtior & liberalior est in eos Dominus deus noster. Sed quid illud est, q; Mose fugit? cur non mansit in sua uocatione? cur reliquit populum, timore mortis, ad quem liberãdum ex uocatione Domini aulam Pharaonis reliquerat, & illi se adiunxerat? Tametsi uideri potest, Mosen hanc fugam timore carnis inijsse, uidelicet, ne a rege interficeretur, tamen non est improbabile q; ex fide fugerit. Ex repulsa enim impij Hebræi animaduertebat nõdum adesse tempus liberationis. Itaq; ne deum temere tentaret, & seipsum præter uocationẽ diuinã certo periculo inconsulte exponeret sæuitiã regis Pharaonis declinauit.

Exemplum eximiæ ingratitudinis erga Mosen.

Cur fugerit Mose à suis.

Accedit huc, ꝙ apparet Mosen ad hãc fugam capessendam, certo quodã Dei consilio adactum fuisse. Etenim cum Mose in principem & ducem Israhelis a Domino designatus esset, & nemo iuxta uetus dictum, bene administrat imperio, n. si qui paruerit imperio, necesse habuit Mose, ut in exilium ejceretur, quo alieno traditus imperio, prius seruire disceret quàm dominari. Peruenit enim ut scriptura dicit, ad sacerdotem Midianitam, cuius cum factus gener esset, oues eius pauit; quæ est durissima seruitus. Sed hac seruitute oportebat Mosen exerceri, ut ad ducatum & principatum Israelis diligenter administrandum præpararetur. Sic Saul prius tulit imperium patris sui in inquirẽdis amissis asinabus, ꝙ imperium Israelis administrauit. Sic Dauid ante pastorem ouium, ꝙ populorum egit. Sic Christus prius factus est obediens patri suo usq; ad mortem crucis, ꝙ elatus est in summam sublimitatẽ. Sic Christi discipulus cui promissum est regnum cœlorum, necesse habet prius sese exercere seruiendo proximo, ꝙ regiam in regno cœlorum dignitatem capescat. Proinde, qui uoluerit rectà ad imperium pergere, non ambitiose illud desyderet, sed seruitutem ad quam uocatus est, diligenter seruet. Sic enim fiet, ut qui super pauca fuit fidelis, super multa cõstituatur. Cuius rei ipsissimum exemplum in Mose habes, ut in oratione Stephani sequitur. Expletis enim quadraginta annis in seruitute pastoricia, apparuit illi in deserto montis Sina angelus Domini, in flammeo incendio rubi. Moses autem ut conspexit, admiratus est uisum. Porro cum accederet ut attenderet, facta est ad eum uox Domini: Ego sum Deus patrum tuorum, deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob. Tremefactus autem Moses, non audebat attendere. Dixit autem illi Dominus: Solue calciamentum pedum tuorum, locus enim in quo stas terra sancta est. Vidi, uidi inquam afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi ut eruam eos. Nunc uenito & mittam te in Aegyptum. Multa sunt in hac historia, quam Stephanus e secundo libro Mosi recenset obseruatu dignissima, sed quæ commodius & opportunius in eo loco in quo historia illa scripta est, quàm in hac Stephani oratione tractantur. Nos igitur omittentes explicationem flammei rubi ardentis quidem, sed ardore non pereuntis, illud quoque prætereuntes quod Christus ex his uerbis ad Mosen dictis: Ego sum deus Abraham, deus Isaac & deus Iacob, probat mortuorum resurrectionem aduersus Sadducæos, sed & solutionem calciamentorum alio loco tractandam relinquentes, ea tantum perstringemus, quæ non nihil ad principale Stephani argumentum facere uidentur. Primum enim apparuit Mosi admirabile uisum, & uox Domini uocauit eum, ut esset dux Israelis. Hunc igitur (ait Stephanus) Mosen quem negauerunt dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? Hunc inquam deus principem & redemptorem miserat per manum angeli, qui apparuit illi in rubo. Quo igitur merito, qua dignitate præditus Mose tanta a deo impetrauit beneficia, ut ab ipso in ducem Israelis uocaretur, et quẽ prius Israelitæ ueluti tribularem hominem reiecerant, is a deo in liberatorem & redemptorem Israelitarum constitueretur? Profecto Mose his tẽporibus pastorẽ ouium agebat, quod officium ut durissimum, ita inter homines inglorium est. Nec ullum erat templum in deserto ubi Mose oues pascebat, quod frequenti sua peregrinatione peteret, nec ulla erant sacrificia, quæ ad emerendam gratiam dei faceret, attamẽ deo longe omnium acceptissimus fuit, ita ut manifestis signis clarissime eum uocauerit. Quid ergo illud est, quo Mose gratus deo extitit? nimirum non est aliud, ꝙ quod Mose eandem fidem in promissionem Abrahæ factam de benedictione, multiplicatione & liberatione seminis eius, qua aulam regis Pharaonis reliquit, etiam in deserto, post greges ouium ambulans conseruauit, & in ea constanter perseuerauit. Cum enim per hanc fidem deus Mosen iustum

A Mosi uocatione probat iustificationẽ ex promissione cõtigisse.

stum reputaret contulit ei beneficia illa, ut & manifestis miraculis ipsi reuelaretur, & ipsum in redemptorem Israelis ex Aegypto constitueret. Itaq; non templum illud Hierosolymitanum, non cultus aut sacrificia quæ in eo fiunt, iustificant, aut cultoribus gratiam conferunt, sed fides in promissionem Abrahæ factam, illa ipsa religio est, per quam credentes propter semen Abrahæ promissum iustificantur, & grati Deo efficiuntur. Hoc ipsum confirmat etiam, quod Dominus ad Mosen ait: Vidi afflictionem populi mei, & gemitum eorum audiui & descendi ut eruam eos. Quid, obsecro, illud est, cuius merito Israelitæ impetrauerunt, ut Dominus afflictionem eorum respiceret, gemitum eorum audiret, & ad liberandum ipsos descenderet? Num impetrauerunt illud sacrificijs suis, & religione lapidei templi in Hierusalem ædificati? at nec templum aut sacrificia eius tunc instituta erant, nec si fuissent instituta, potuissent illi quicquam iusticiæ aut gratiæ propter ipsa a deo impetrare: quomodo enim iustificaret uitulus aut agnus combustus, qui ipse nihil iusticiæ in se continet? quomodo cæremoniæ templariæ gratiam impetrarent a deo, cum æque ab impijs in impietate sua manentibus, atq; a pijs fiant? Nihil autem aliud est, propter quod Dominus afflictionem Israelitarum respexit, & gemitum eorum audiuit, & descēdit ut liberaret, q̄ promissio Abrahamo, Isaaco & Iacobo facta. Sic enim dictum erat ad Abraham: Gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egrediētur cum magna substantia. Et iterum: Dabo semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroq; deus eorum. Propter has & similes promissiones patriarchis factas, respexit Deus populi sui afflictionem, & suspiria eius exaudiuit. Non igitur templum, non cultus templi gratiosos fecit Israelitas Domino deo nostro, sed propter promissiones fuerūt illi deo accepti, promissiones autem fidem requirunt. Itaq; fides ea religio est, per quam Israelitæ iusticiam & salutem consecuti sunt. Quæ cum in nostri doctrinam primum a Mose scripta sunt, deinde a Stephano coram concilio commemorata, agite, fratres in Christo amicissimi, obediamus quidem mandatis diuinis, & sicut necesse habemus, bona opera a Deo præcepta faciamus, attamen non cōfidamus, q̄ propter illa coram Deo iustificemur & gratiosi reddamur, sed credamus, q̄ solus Iesus Christus sit nostra iusticia, sanctificatio & redemptio, certa quoq; persuasione teneamus, q̄ Dominus Deus noster propter Iesum Christum filium suum eligat contempta huius mundi, ut glorioſa pudefaciat, idq; exemplo Mosi, qui a suis repulsus, a Deo in redemptorem electus est. Exemplo quoq; Israelitarum, qui quo magis ab Aegyptijs oppressi fuerunt, eo maioribus miraculis a Deo liberati sunt. Proinde credamus, q̄ quo contemptius in hoc mundo tractamur & conculcamur, eo clementius Deus nos respiciat & conseruet. Sic enim fiet, ut tandem e contemptu liberati, ad perpetuā gloriam transferamur, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA XXXI.

AVdiuimus dilectissimi Stephanum in oratione sua usq; ad uocationem Mosi peruenisse, qua Mose a Domino deo nostro ad liberandum populum Israel ex Aegypto missus est, audiamus nunc Stephanum in commendationem Mosi, & rerum ab ipso gestarum, assurgētem, ac beneficia per ipsum Israeli collata explicantem, id quod admodum opportune ab ipso fieri censendum est. Erat enim Stephanus a calumniatoribus accusatus, q̄ contumelioſa uerba in Mosen & aduersus legē dixisset

& prædicasset, q Iesus Nazarenus mutaturus sit instituta quæ tradidit Moses. Itaq; cõmendat nunc Mosen, commendat & legem per Mosen latam, & indicat se Mosi decretum obseruare, prædicãdo Iesum Christum esse iusticiam nostrã. Maiores uero ipsorum, ut ipsi nunc Iesum, ita illi quondam Mosen repulisse, nec unquã uoci eius uere obedijsse. Principio autem repulsus fuit ab illis Mose dum
» adhuc in Aegypto uitã ageret. Sed hunc Mosen (inquit Stephanus) quem nega
» uerunt dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc inquã, deus prin
» cipem & redemptorẽ miserat, per manũ angeli qui apparuerat illi in rubo. Quod Stephanus de Mose narrat, hanc habet sententiam: Accusastis me uiri q contra Mosen contumelio se loquar. Sed perpendite quæso mecum diligenter, utrũ ego potius contumelia afficiam Mosen, an maiores uestri. Hi abnegauerunt eum, & uirulentis uerbis ex Aegypto fugere compulerunt: ego uero sentio, fateor, & pa
Collatio Mosi cũ Christo. lam affirmo, q deus hunc elegerit in principem & in saluatorem populi Israelis, non quidem ex peccato, sed ex Aegypto. Quod de Mose affirmo, idem intelligi uolo de Iesu Christo, cuius gratia captiuus huc adductus sum. Nam sicut maiores uestri Mosen reiecerunt, ita nunc uos reiecistis Iesum Christum filium Dei. Sed quemadmodum Mose in liberatorem populi ex Aegypto a deo electus est. Ita Iesus Christus in liberatorem populi ex peccato & inferno a deo electus est, ut quisquis uoluerit iusticiam & salutem consequi, necesse habeat in Iesum Christum credere. Et hæc quidem Stephani sententia est. Nobis autem Mose & Christus, primum a suis reiecti, deinde a deo ita excepti, ut alter quidem legis, alter autem Euangelij perpetuam salutem conferentis author factus fuerit, uoluntatem diuinam erga abiectos in hoc mundo clarissime manifestant, & ob oculos ponant. Hæc enim est uoluntas dei, hic est animus eius, q quo aliquis in hoc sæculo contemptior est, hoc est deo acceptior, hocq; magis a Deo respicitur & curatur. Quid ergo in afflictionibus animum tuum despondes? quid desperas, quasi hominibus te abnegantibus, deus etiam te abneget, aut quasi ingrauescentibus malis, deus mortuus sit? Crederem, inquis, me in maximis afflictionibus tam curæ esse deo, q; Mose & Christus, si tanta sanctitate præditus essem, quanta Mose & Christus. Nunc autem sentio me præter maximas afflictiones, etiam maximis peccatis obrutum esse, quid igitur faciam? Ad hanc obiectionem non est difficile respondere si rectam Christianismi rationem teneas. Et si enim nullus hominum in conspectu dei iustificatur aut sanctificatur, tamen qui credit in Iesum Christum, q peccata per ipsum remissa sunt, is eadem sanctitate afficitur, qua Mose & Christus. Mosi enim sanctitas fuit, non operum iusticia, sed Christi iusticia, uidelicet, q propter Christum in quem credidit remissa sunt ei peccata, & non est imputata ipsi iniquitas eius. Christi autem iusticia est, q obedierit patri suo usq; ad mortẽ crucis, & pro peccatoribus mortuus sit, ut per ipsum iustificarentur. Itaq; qui credit in Christum, huius iusticiæ ita particeps per fidem efficitur, ut & cohæres Christi in regno cœlorum fiat. Non est igitur quod sentias te ideo minus a deo in calamitatibus respici, quia non tanta sanctitate polles, quanta Mose & Christus. Sed potius sentiendum est, te ideo maxime a deo respici, q Christi sanctitatem, quæ est remissio peccatorum per fidem possideas, sed hoc argumentum alias sæpe tractatum est. Nunc reuertemur ad Mo
» si commendationem. Hic (inquit Stephanus) eduxit illos, ædens prodigia
» & signa in Aegypto, & in mari rubro, & in deserto annis quadraginta. Obseruate quanti faciam Mosen, fateor enim illum liberasse populum ex Aegyptiaca seruitute, fateor illum stupenda ædidisse miracula. Primum in Aegypto uersa uirga in colubrum, uersa aqua in sanguinem per uirgæ percussionem, eductis ranis e paludibus, & rursum mortuis ranis, & id genus alijs miraculis.

Deinde

Deinde in mari rubro quod uirga Mosi diuisum est, ut Israelitæ siccis pedibus per ipsum transirent, & quod iterum in suum alueum reductum est ut Aegyptij submergerentur. Postremo in deserto impetratione Mannæ & coturnicum, eductione aquæ de petra, aliisq; admirabilibus signis. Iam cum tanti faciam Mosen, qui fieri potuisset, ut contumelioſa uerba in eum dixissem? Porro autem nemo existimet Mosen tanta miracula quãta scriptura testatur, & Stephanus hoc loco pauciſſimis indicat, ædidisse ad ostentationem suæ sanctitatis, putãt enim hypocritæ miracula a sanctis ædita nihil aliud esse quàm sanctitatis illorum argumenta & demonstrationes. Sed ædita sunt ad confirmandam noui ministerij a deo commissi institutionem. Deus enim uocauerat Mosen, ut ipse educeret ac liberaret Israëlitas e grauissima seruitute Aegypti, qua multis iam sæculis pressi erant, adhæc ut legem ferret, & nouam rempublicam in Israël instituеret, legibusq; formaret. Quod ministerium, cum nouum & inauditum esset, opus erat, ut diuinitus confirmaretur. Itaq; collatum est Mosi donum ædendorum miraculorum, non ut illo suam sanctitatem ostentaret, nulla enim sanctitas Mosi fuit, nisi communis illa sanctitas, remissio peccatorum, uidelicet, q; propter Christum remissæ sunt ei iniquitates, & tecta peccata, sed ut illo nouum suum ministerium confirmaretur, & authoritate obseruabile redderetur. Sed quia ministerium legis non sufficit ad adquirendam ueram iusticiam, tantum enim ostendit peccatum, & si multum efficit, manum ab iniquitate cohibet timore pœnæ, cor autem non purificat. Ideo ipse Mose, instituto legis ministerio, de alio ministerio uaticinatur, per quod uera iusticia contingat. De qua re Stephanus ita disserit. Hic est Moses, qui dixit filijs Israël: Prophetam suscitabit uobis Deus uester e fratribus uestris similem mei, illum audietis. Scio Mosen a Deo uocatum esse, ut simul esset & liberator & legis lator populi Israël. Sed scio eum quoq; dixisse Prophetam suscitabit uobis deus uester similem mei, illum audietis. Iste ergo propheta de quo Mose uaticinatur, Iesus Nazarenus est quẽ ego prædico. Itaq; Iesum prædicans, non reijcio Mosen, sed Mosi dicta & authoritatem sequor. Nam Mose sentiens suum ministerium diuinum quidem esse, sed inefficax ad iusticiam, prædicit fore alium prophetam, ad quem a se auditores legis remittit. Prophetam, inquit, suscitabit DOMINVS de gente tua & de fratribus tuis similem mei, non quidem natura, Mose enim homo fuit, Christus autem Deus & homo, sed authoritate ministerij, illum audite. Ponet enim deus uerba sua in ore eius, & loquetur præcepta Dei, qui autem uerba eius non audierit, ego ultor existam, dicit Dominus. Ita q; Mose aliquatenus similis est Christo, aliquatenus dissimilis. In hoc est similis, q; sicut Mose a suis reiectus est, a Deo autem susceptus, ita Christus, & sicut Mose nouo ministerio miraculis confirmato functus est, ita & Christus. Is enim non solum in Iudæa Euangelion prædicauit, sed etiã miraculis confirmauit. In hoc autem dissimilimus, quod Moses homo tantum fuit, Christus autem deus & homo, adhæc q; Mose legem occidentem administrauit, Christus autem Euangelion uiuificans. Postremo q; in Mosi doctrina non est perseuerandum, sed a Mose ad Christum migrandum. In Christi autem doctrina semper perdurandum est, nec alio spectandum. Dicit enim Mose de Christo, ipsum audite, hoc est, me quidem nunc auditis, proponentem uobis legem, at cum ille uenerit, quicquid dixerit, audite. Dixit autem ille: Qui in me credit habet uitam æternam. Ego enim sum uia uita & resurrectio. Dixit ille: Ego pono animam meam pro mundi uita. Dixit ille: Non Moses dedit uobis hunc panem, ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Item: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum (hoc est) in me credit, quod pro ipso morior, habebit uitam æternam. Igitur qui docet quod non Mose, aut opera, aut sacra

Miracula quare fiant.

»
»

Testimonia Mosi de Christo.

In quibus Moses & Christus conueniant, & in quibus nõ.

ab ipso præcepta & institutа, sed fidem in Iesum Christum iustificare, is non contra Mosen loquitur, sed Mosi sententiam loquitur. Siquidem Mose præcepit, ut se relicto, propheta iste Iesus Nazarenus audiatur. Audiamus & nos dilectissimi Christum, ut fide iustificati pacem erga deum habeamus. Non enim huc solum nos uocat Mose, sed etiam uox patris de cœlo clamans, hic est filius meus
„ dilectus, ipsum audite. Sequitur alia Mosi commendatio: Hic est (inquit) qui
„ fuit in congregatione in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Si-
„ na, & cum patribus nostris, qui a accepit sermonem uiuum, ut daret nobis. Quis ergo adhuc tam impudentis frontis est, qui accusare audeat, quod contumeliosa uerba in Mosen & legem proiecerim? En confiteor Mosen, non solum remotis arbitris in deserto cum angelo apparente ei in ardenti rubo collocutum, sed etiam palam cum eo in monte Sina, uidentibus & præsentibus patribus nostris conuersatum esse. His addo, quod per angelum a deo acceperit legem, quam fateor non solum, authore deo latam, sed etiam sermonem uiuum esse, in hoc ipsi commendatum ut ad nos ferret. Et quæ nunc de Mose ac lege fateor, ea sem per hactenus ita sensi & adhuc sentio. Qua ergo impudentia audent isti Sycophantæ me blasphemiæ in Mosen & legem accusare? Cæterum quæ Stephanus hic de Mose commemorat, ea plenius leguntur in Exodo capite decimo nono, & postea uicesimo quarto. Obseruandum autem est, quod legem diserte appellet sermonem uiuum. Sic enim dicit DOMINVS deus noster: Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo uiuet in eis. Et Mose testes inuoco cœlum & terram, quod proposuerim uitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo uitam ut tu uiuas & semen tuum. Huc accedit, quod Dauid in Psalmo canit: Lex Domini immaculata conuertens animas testimonium DOMINI fidele sapientiam præstans paruulis. Postremo Christus quoq; calculo suo illud approbat dicens: Si uis ingredi in uitam, serua mandata Dei. Sed hic potuisset fortassis quispiam Stephano obstrepere & dicere:

Cum lex sit sermo uiuus quare nõ iustificet.

Heus tu Stephane, tuo ipsius laqueo nunc captus teneris. Etenim legem uiuum sermonem fateris. Itaq; si lex est uiuus sermo, cur prædicas non legem sed fidem in Iesum Christum illum tuum uiuificare? Si est uiuus sermo, quomodo non iustificaret? quomodo non sanctificaret? quæ tamen tu omnia legi auferens, fidei in Iesum attribuis? Posset etiam inter nos aliquis imprudentior, Stephano resistere ac dicere: Quid tu audes legem uiuum sermonem uocare, cum Paulus uocet eam aliàs potentiam peccati, aliàs cognitionem peccati, aliàs operationem iræ, aliàs administrationem mortis & condemnationis. Quis igitur dicet legem esse sermonem uiuum? Hæc obiecta Stephanus ita ut sequitur diluit, inquiens: Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt & auersi sunt
„ corde suo in Aegyptum, dicentes ad Aheronem, fac nobis deos qui præcedant
„ nos. Mosi enim huic qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Et uitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur super operibus manuum suarum. Conuertit se autem Deus, & tradidit eos ut colerent militiam cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum.
„ Num uictimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus
„ Israël? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei uestri Remphan, fi-
„ guras quas fecistis ad adorandum eas. Et transferam uos ultra Babylonem. Quæ Stephanus dicit hanc habent sententiam. Confessus sum Mosen legem diuinam tulisse, & legem esse uiuum sermonem, & ad uitam parandam esse institutam. Sed interim hoc quoq; addo, quod maiores nostri nunquam nec Mosi obedierunt, nec legem obseruarunt. Etenim cum Mose in montem ascendisset legem a Domino allaturus, maiores nostri, contempto Mose, factitios

Dei

Dei cultus instituerunt, uitulum uidelicet aureum, cui in honorem Dei sacrificantes, maximam sibi iusticiam ex eo pollicebantur. Atqui hoc erat, non Deum colere, sed præceptum DOMINI per Mosen datum uiolare. Vnde DOMINVS ad tantam iracundiam prouocabatur, ut in animum suum induceret, se totam gentem ad internitionem usq; deleturum, quemadmodum Exodi capite triceſimo ſecundo ſcriptum eſt. Nec hac præuaricatione contenti fuerunt maiores noſtri, ſed grauiora ſcelera prioribus addiderunt. Poſt legem enim latam, miraculis confirmatam, & publico conſenſu approbatam atq; receptam, nihilominus perſeuerarunt in ſua impietate. Quod cum uideret DOMINVS, ut ſcelus ſcelere, impietas impietate puniretur, tradidit eos in reprobam mentem, ut coluerint ea quæ condita ſunt ſupra eum qui condidit, uidelicet, militiam cœli, hoc eſt, ſydera, quæ deus non ut ipſis cultus diuinus præſtetur, ſed ad miniſterium hominum creauit. Nam authore propheta Amos, circumuexerunt ſecum tabernaculum, hoc eſt, cultum & omnia inſtrumẽta cultus Moloch, qui eſt deus Ammonitarum. Deinde portauerunt etiam ſecum idolum ſyderis cuiuſdam, quod loco Dei colebant, alia q; multa ſimulachra quæ lege DOMINI prohibita erant. Porro quod Stephanus hic addit, Remphan, non habeẽ in Hebræo, ſed in græcis exemplaribus inuenitur. Lucas enim qui eſt ſcriptor actorum Apoſtolorum, quoniam græce ſcripſit non hebraice, teſtimonia etiam prophetarum non ex hebræis, ſed e græcis poſuit. Græci autem falſi literarum ſimilitudine, pro Kiiun, quod a quibuſdam dicitur nomen ſtellæ eſſe apud Iſmaëlitas, tranſtulerunt Remphan, ut & aliàs ſæpenumero interpretes græci, ſimilitudine literarum falſi aliud nomen pro alio tranſtulerunt. Præterea quod hic dicitur, trans Babylonem. In propheta habetur, trans Damaſcum. Eſt autem ſenſus uel a Stephano uel a Luca potius relatus quam uerba, itaq; ſenſu integro manente, nemini torquere debet uerborum diuerſitas. Sed ut redeamus ad id unde digreſſi ſumus. Quid hinc ſequitur, etiamſi Stephanus probet, maiores legem nunquam obſeruaſſe? nimirum hoc ſequitur, q; quia maiores nunquam legem obſeruarunt, factum eſt, ut lex quæ erat inſtituta ad uitam, cedat præuaricatoribus in mortem. Etenim, quemadmodum lumen ſolis ſuapte quidem natura, clariſſimum et ſplendidiſſimum eſt, imbecilles tamen oculos ac cæcutientes non reddit clariores, ſed excæcatiores, atq; illud non ſolis, ſed oculorum imbecillium uitio adſcribendum eſt, ita lex quidem ut Paulus ait, ſancta eſt, & præceptum ſanctum ac iuſtum & bonum, attamen quia homines ſunt carnales, uenditi ſub peccatum, efficitur, ut lex iuſticiam præcipiens, gratiam Dei promittens & ad uitam ducens, peccatum augeat, iram operetur, & mortem ſubminiſtret, idq; non ſuo ſed hominis uitio, qui peccatis adeo obrutus eſt, ut lex optima præcipiens, non niſi peſſima quæq; ſcelera hominis antea occulte latentia, moueat & in lucem proferat, tantum abeſt, ut auferat peccata & iuſticiam conferat. De qua re Paulus ad Romanos ſcribens capite ſeptimo diſertiſſime diſputat. Et huc facit Ezechiel dicens: Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent. Itaq; cum dicitur, legem eſſe uiuum ſermonem, ad naturam legis reſpicitur. Cum uero dicitur augere peccatum, iram operari, & mortem ſubminiſtrare, non ad legis, ſed ad hominis in peccatis concepti & geniti naturam reſpicitur. Talia enim ſunt opera legis in homine peccatis natura ſua obruti. Iam quia lex uitio hominum non iuſtificat, ſed peccata auget: non uiuificat, ſed mortificat, profecto aliud abrogata lege inquirendum eſt, quo iuſtificamur & uiuificamur, ſi enim lex non adducit ad perfectionem, ſed imbecillior ac inutilior eſt, (quemadmodum ad Hebræos ſcribitur) quam ut poſſit iuſtificare atq; uiuificare, profecto æquiſſi

Quomodo uiolauerint legem.

Kiiun.

Quomodo lex ad uitam inſtituta cedat præuaricatoribus ad mortem.

Lex quare ſit abrogata.

mum est ut abrogetur. Quin DOMINVS ipse deus noster eadem de causa, q̃ non iustificet, eam abrogat, dum per prophetam Ieremiam ita ait: Ecce dies uenient, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus uestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & cætera quæ illic sequuntur. Per hoc autem quod Dominus dicit: nouum fœdus feriam, nonne antiquauit prius? Proinde tametsi Stephanus prædicauit Christo reuelato, Mosi instituta mutanda esse, non affecit nec Mosen nec legem contumelia. Sed id docuit quod Mose scripsit, quando uaticinatus est de nouo propheta, qui sit audiendus, & quod prophetæ futurum prædixerunt, quando diuinarunt de
Nouũ fœdus. um, abrogato ueteri pacto, nouum instituturum. Nouũ autem illud est, q̃ deus per Iesum Christum nobiscum pepigit, se propter illum remissurum omnia peccata nostra, & patrem nobis clementissimũ fore, adeo q̃ per fidem in Iesum Christum spiritum sanctum nobis daturum, quo lex eius non amplius in tabulis lapideis, sed in uisceribus & corde nostro conscribatur, ut auferatur a nobis cor lapideum, & detur carneum. Itaq; dilectissimi, credamus q̃ per Iesum Christum habeamus peccatorum remissionem, & patrem clementem in cœlis. Sic enim fiet, ut corde lapideo in carneum per spiritum sanctum mutato, ambulemus in præceptis dei, & iudicia eius custodiamus, ut tandem ueram salutem consequamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA XXXII.

EXplicuit, amicissimi, Stephanus ueram rationem legis diuinæ per Mosen latæ, uidelicet, q̃ lex quidem uiuus sermo sit, ac iusta ac sancta præcipiat, attamen quia auditores legis carnales sunt, & peccatis prorsus obnoxij, tantum abest, ut iustificet, sanctificet, & a peccatis purificet, ut potius peccata augeat, & quo quis maiori studio enititur, iussa legis capessere, eo manifestius sentit se legi minime omnium satisfacere. Etenim si conatur huic præcepto, non occidas, obedire, & continet manus ab homicidio, ac os a uirulentia & execratione, existimans se probe legem impleuisse, mox appellat eum lex, heus tu bone uir, non hoc solum præcipio, ut os & manum a facinore contineas, sed optimam tui partem, nimirum cor seu animam, puram, sanctam & immaculatam requiro. Atq; ita cum conator ille quisquis fuerit, intelligat legem spiritualem, se autem carnalem esse, sentit peccatum subinde magis atq; magis efferuescere, & occasione accepta per præceptum, omnem concupiscentiam gignere, ut fiat maiorem in modum peccans peccatum. Vbi autem peccatum augescit, ibi lex etiam mortem & condemnationem exaggerat: Maledictus, inquit, qui non permanserit in uerbis legis huius. Cum igitur ita se habeat legis ratio, & q̃ peccata augeat, & q̃ ministerium mortis & condemnationis sit, manifestum est, longe aliud inquirendum esse quo iustificemur & sanctificemur, uidelicet, fidem in Iesum Christum, q̃ per ipsum contigerit nobis remissio peccatorum. Atq; hæc sentit Stephanus dum dicit, legem sermonem quidem uiuum esse, maiores tamen, mox ut lata est eam uiolasse, nec unquam obseruasse, sed subinde peiores ex lege factos esse. Audiamus nunc eum de tabernaculo & de templo differentem, & clarissimis scripturæ testimonijs
ostendentem, q̃ non fuerit contumelios us in templum etiamsi prædicauerit templum Hierosolymitanum non esse uerum illud templum, quo deus concluda
» tur, nec cultum eius esse uerã iusticiam. Tabernaculum (inquit) testimonij fuit

patribus

patribus noſtris in deſerto, ſicut ordinauerat illis, loquens ad Moſen, ut faceret illud ſecundum formam quam uiderat. Quod & induxerũt, qui ſucceſſerunt patres noſtri cum Ioſua in poſſeſſione gentium, quas expulit Deus a facie patrum noſtrorum. Etenim calumniæ, quibus Stephanus ab accuſatoribus ſuis petebatur, his aut ſimilibus argumentis potuiſſent probabiles uideri. Quid tergiuerſaris Stephane: confiteris te prædicaſſe ꝙ Deus non uere habitet in tabernaculo aut templo, nec cultum horum eſſe ueram iuſticiam, quid amplius egemus teſtimonijs, tuo te gladio iugulas. Quiſquis enim ita prædicat contumelioſus eſt in tabernaculum & templum DOMINI, ſiquidem Dominus præcepit Moſi ut faciat ſanctuarium. Et addit: Habitabo in medio eorum. Et in huius rei teſtimonium: Ingreſſo Moſe in tabernaculum, deſcendit columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturq; Dñs cum Moſe facie ad faciẽ, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum, quemadmodum Exodi capite triceſimo tertio ſcriptum eſt. Qua igitur impudentia audes tu negare tabernaculum illud non eſſe uerum dei habitaculum, in quo ſacrificijs alijſq; cultibus uera iuſticia parari poſſit? hæc accuſator. Stephanus autẽ pauciſſimis uerbis illa diluit, ac ingenue fatetur, tabernaculum a deo inſtitutum, & duraſſe uſq; ad dies Dauidis, quemadmodum ſcribitur in priori libro Chronicorum capite uiceſimo primo. Sed addit, ꝙ Moſe iuſſus fuit illud tabernaculum & omnia uaſa eius parare ad exemplar, ꝙd ei in monte monſtratum eſt. Ex quo manifeſte apparet, ꝙ tabernaculum illud non fuit uerum tabernaculum, in quo Deus includeretur, & propter cuius ſacra cultores iuſtificarentur, ſed tantum umbra & figura ueri tabernaculi, quod fuit Moſi in monte monſtratum. Oſtenſum autem fuit Moſi, ꝙ Ieſus Chriſtus uerum ſit Dei tabernaculum, in quo Deus corporaliter habitet, & per quem deus fœdus cum credentibus percuſſit, ut quiſquis in Ieſum Chriſtũ crediderit, conſequatur per ipſum remiſſionem peccatorum, & uitã perpetuam. Vnde & umbratile illud tabernaculum dictum eſt tabernaculum fœderis, non ꝙ fœdere quodam deus concluſerit ſeſe in illud, ſed ꝙ eſſet ſignum eius tabernaculi, in quo Deus uere habitaret, & in quo uera iuſticia coram deo per fidem pararetur. Iam ut tabernaculum non ueritas ſed umbra fuit, ita & ſacra atq; cultus eius. Nam quemadmodum teſtatur author epiſtolæ ad Hebræos, in priorem partem tabernaculi ſemper ingrediuntur ſacerdotes, qui ſacrorum ritus peragant, in alteram uero ſemel in anno ſolus pontifex ingreditur non ſine ſanguine, illud ſignificante ſpiritu ſancto, ꝙ quotidianæ oblationes non potuerint pro peccatis ſatisfacere, ſed futurus ſit pontifex, qui ſemel ſanguine ſuo ipſius fuſo, omnia peccata expiet. Proinde non is cultus qui in umbratili tabernaculo peragitur, ſed is qui in uero tabernaculo completus eſt, hoc eſt, effuſio ſanguinis Chriſti pro peccatis uera & æterna iuſticia reputatur, & is quidem cultus ſemel peractus eſt ac perfectus. Noſtrum autem erit eum cultum ſemper uenerari, obſeruare, & iugiter tractare. Quid? Num ſemper a nobis occidendus eſt Chriſtus? Num ſemper fundendus eſt ſanguis eius? Abſit, Chriſtus ſemel mortuus eſt, non amplius moritur, & ſemel ſeipſum ſacrificauit, non amplius ſacrificatur, quamuis impietas Papiſtica id ipſum quotidie conetur. Sed credere oportet quod ſanguis eius pro nobis effuſus ſit. Fide enim ueneramur & obſeruamus cultum CHRISTI ſemel pro nobis peractum. Et hæc de tabernaculo. Nunc etiam audiamus Stephanum rationem templi a Salomone ædificati explicantem: Tabernaculum, inquit, induxerunt uſque ad dies Dauid, qui inuenit gratiam coram Deo, & petijt ut inueniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem ædificauit illi domum. Sed excelſiſſimus ille non in manufactis habitat templis, ſicut Propheta

Quod cultus tabernaculi non fuerit uerus cultus.

,, dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam
,, domum ædificabitis mihi, dicit DOMINVS: aut quis locus requietionis
,, meæ locus est: nonne manus mea fecit hæc omnia? Peruenit uel tandem Ste-
phanus ad explicationem templi, quod perinde a Iudæis habebatur, atq; a pa-
pistis Missa. Sentiunt enim impij illi hypocritæ, quod missa sit sacrificium pro
peccatis uiuorum & mortuorum, quod propter missam omnem fœlicitatem in
cœlo & in terra adipiscamur, & omniqo religio eorum in missa sita est. Ita Iu-
dæi reputabant templum suum & sacra eius, quod sacra templi essent satisfa-
ctoria pro peccatis, quod propter templum omnia prospera eis acciderent, adeo-
que totam religionis suæ uim in templo sitam esse existimarent. Vnde apud Hie
remiam prædicentem eis clades suas Babylonicas clamant, templum Domini,
templum Domini, templum Domini, significantes se nihil aduersi passuros a
Babylonio rege, propterea quod secum habeant templum DOMINI. Quo
maiori igitur fiducia spem suam in templum collocabant, hoc ægriori animo
ferebant, quod Stephanus prædicauerat ueram religionem non esse sitam in
templo, nec sacrificijs illius ueram iustitiam ac fœlicitatem parari. Quare blas-
phemiæ in templum accusatus est. Stephanus autem egregie accusatores suos
confutat, & efficaciter, tum e sententia Salomonis qui templum ædificauit, tum
e propheta Esaia, probat templum illud non esse ueritatem, sed umbra tantum.
Primum igitur fatetur Dauidem omnia impendia & sumptus ad ædificatio-
nem templi parasse, idq; Deo placuisse. Deinde templum ædificatum esse maxi-
mis sumptibus a Salomone filio Dauidis. Postquam autem ædificatum est tem
plum, testatur Salomon sua ipsius uoce, quod deus non habitet in manufactis
templis, id quod non ita intelligendum est, quasi deus ab illis templis absit. Qui
enim omnia implet, quomodo non impleret etiam templa manufacta? Sed in-
telligendum est, quod non ita concludatur in templa manufacta, quasi illic tan
tum, & non alibi habitet. Hanc enim sententiam manifeste tradunt uerba Sa-
lomonis in dedicatione templi ita dicentis. Ergo ne putandum est quod uere
deus habitet super terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non pos-
sunt, quanto magis domus hæc quã ædificaui tibi? Salomoni subscribit Esaias
per quem Dominus ita loquitur. Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pe-
dum meorum, & cætera quæ sequuntur. Quomodo potuisset Stephanus cla-
rius rationem templi explicare, & efficatius comprobare, quod templum illud
Hierosolymitanum non sit uerum templum, nec religionem in eo sitam esse?
Quid aduersarij nunc habent quod respondeant: profecto nihil prorsus. Osten
dit enim se nihil contumeliose, nec in Deum nec in Mosen, nec in legem, nec
in templum dixisse. Sed tantum, id quod res est, de Mose, de lege, & de tem
plo semper sensisse, & adhuc sentire. Videlicet quod Mose a deo uocatus sit,
ut liberaret populum Israël ex Aegypto, & legem ferret. Quam & Mose tulit,
institutam quidem ad uitam, sed cedentem uitio hominum ad mortem. Lex igi-
tur non iustificat, sed potius peccata auget. Et tabernaculum institutum quidem
esse a Mose, ac templum ædificatum a Salomone, sed testibus Salomone &
Esaia, non esse uerum templum, in quo uis religionis ueræ sita sit. Haberet au-
tem nunc Stephanus quod his adderet, uidelicet, ut etiam a prophetis ostende-
ret, sacrificia templi a Deo quidem ordinata esse, non autem in eam opinio-
nem, ut sint expiationes pro peccatis ex opere operato, ut sint opera gratiæ di-
uinæ meritoria, sed ut sint umbra sacrificij Iesu Christi. Quare hac opinione fa-
cta, ut ex opere operato pro peccatis satisfaciant, non solum frustranea, sed etiã
impia sunt, & ab idololatria nihil distant. Propter hanc etiã causam damnant a
prophetis

Templum et sacrificia nõ esse ordinata ut expient peccata ex opere operato.

prophetis, nimirum non, quia sunt umbræ Christi, sed quia fiunt a Iudæis opinione consequendæ iusticiæ per opera illa operata. Apud Esaiam dicitur: Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incēsum abominatio mihi est. Et rursus: Qui immolat bouem, quasi qui interficiat uirū. Esaiæ adstipulatur Hieremias. Hæc dicit Dominus Zebaoth: Holocautomata uestra addite uictimis uestris. Huc accedit Amos: Quod si obtuleritis mihi holocautomata & munera uestra, non suscipiam, & uota pinguium uestrorum non respiciam. Sed quis posset breuius omnes locos prophetarum enumerare, quibus sacrificia ea opinione facta quod sint satisfactiones pro peccatis, reijciuntur? Præter hæc potuisset Stephanus e scriptura firmissimis testimonijs comprobare, quod sola fides in Iesum Christum, non in templum illud lapideum, non in sacrificia templi iustificaret. Sed quid bonas horas male collocaret apud impios, qui non meliores sed peiores, non illuminatiores, sed magis cæci e maiestate uerbi diuini efficiuntur? Proinde, postquam comprobauit templum Hierosolymitanum non esse ueritatem, ab orationis suæ argumento discedit, & uertit sermonem ad eos qui in concilio assident, grauissima increpatione in eos inuehens. Duri ceruice, & incircuncisi corde & auribus. Vos semper spiritui sancto resistitis, sicut & patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri, & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti illius, cuius uos nunc proditores fuistis, qui accepistis legem per dispositiones angelorum, nec seruastis. Haberem quæ possem dictis adijcere, & clarissime e scriptura ostendere, quod uera iusticia hæc tantum sit, ut credamus in Iesum Christum, quod pro peccatis nostris satis fecerit. Sed quid dicam? quid loquar? quid pergam? Non est mihi negocium cū bonis uiris qui ueritatē audire cupiunt, sed cum perditissimis & impijssimis nebulonibus. Vos ēm, uos inquā, pontifices, sacerdotes, seniores & principes, qui huic concilio præsidetis, sicuti generi, ita impietati patrum uestrorum successistis. Vt enim illi semper restiterunt uerbo DOMINI per prophetas instinctu spiritus sancti prædicato, ita pari impietate uos nunc doctrinæ euangelicæ resistitis. Et ut dicam quod res est, uos patres uestros sceleribus longe superatis. Etenim illi, iam inde ab initio persecuti sunt prophetas, qui adnunciauerunt aduentum iusti illius Iesu Christi, qui solus est iusticia nostra, qui factus est pro nobis peccatum, ut nos essemus iusticia Dei in illo. Vos autem huius iusti proditores & homicidæ estis, interim gloriamini de lege, & minimum apicem legis non obseruatis. Hæccine (inquis) est modestia Christiana, quod Stephanus tam contumelijosis ac uirulentis conuicijs in pontifices quasi furibundus debacchatur, & uocat eos incuruiceruicos, incircuncisos (hoc est) non dissimiles gentibus idololatris, repugnatores spiritus sancti, legis uiolatores, proditores & homicidas? Quid obsecro grauius potuisset in eos dicere? Fateor, dura satis uerba sunt, at caue dixeris esse uirulenta conuicia, aut impotentis & minime pij animi contumeliam. Stephanus non est oblitus modestiæ Christianæ, cuius se memorem esse in exordio orationis suæ declarauit, ubi hos qui in concilio præsident fratres & patres, honoris gratia uocauit, & postea manifestius declarat, dum pro his qui ipsum lapidibus trucidant, orat, ne DOMINVS statuat illis hoc peccatum. Quod autem in fine orationis tam acriter in eos inuehatur, officium est, non conuicium, ueritas est non impudentia, zelus spiritus est, non impotens carnis ira. Etenim Stephanus agebat nunc coram concilio prædicatorem Verbi Dei. Interest autem prædicatoris, ut peccatum arguat, & peccatores increpet, quo ad agnitionem peccatorum ducantur, & ad Christum peccatorum propiciatorem perducantur. Si dicente me (ait Ezechiel) ad impium morte morieris, non adnunciaueris ei, nec̄ locutus fueris, ut auertatur a

Quod prædicator ex officio arguat et non conuicietur.

uia sua impia & uiuet, ipse impius morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Et quemadmodum his quibus mandatum erat ut Moabitas trucidarent, per Hieremiam dicitur: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, & Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine, ita ad omnes Apostolos, Euãgelistas, Ecclesiastas, & Concionatores dicitur. Maledictus Apostolus aut Ecclesiastes, qui adulatur peccatoribus, & prohibet os suum ab increpatione, ut peccatores ad cognitionem peccatorum suorum non ducantur. Nonne crudele homicidium uidetur, si magistratus hominem occidat: At quia ex uocatione sua latronem legitime occidit, non designat homicidium sceleratum, sed diuinum opus facit, quia magistratus officium est sontes punire. Quare etiamsi Stephani uerba appareant sono uocis conuicia carnis esse, & contumelia ex inuidia aut impotenti ira profecta, tamen, quia pro officij sui uocatione pontifices alloquitur, ipsissimi spiritus sancti uerba sunt. Ita q̃ optimi in Christo fratres, si non nunquam dura uerba in publicis concionibus, quibus in peccatores inuehitur, audiuerítis, nolite existimare, ea esse conuicia & contumeliam, sed reputate officium concionatorium hoc requirere, ut peccatores duriter increpantur, quo ad peccatorum cognitionem & pœnitentiam perueniant. Cæterum, si non uultis audire, scelerati, malicioſi, iniqui, impij, & dura id genus cognomina, abstinete obsecro a sceleribus, fugite maliciam, abominamini iniquitatem, odio habete impietatem, sectamini autem iusticiam, & amplectimini pietatem, sic enim audietis tandem: Venite benedicti patris mei possidete regnum quod uobis ab initio paratum est, cuius participes nos reddat gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

HOMILIA XXXIII.



Vperioribus diebus, amicissimi, perstrinximus interpretatione nostra qualicunq; orationem Stephani, qua se coram concilio defendit, & demonstrauit, q̃ nec in legem nec in Mosen, nec in templum contumelioſus fuerit, sed prędicando Christum, ueram horum rationem indicarit, nimirum Mosen quidem eximium prophetam, & Israhelis liberatorem ex Aegypto fuisse, attamen auditores a se ad alium prophetam, uidelicet Iesum Christum amandasse, & præcepisse, ut is propheta audiretur. Legem quoq; a deo authore per angelos Mosi exhibitã & latam, ac suapte natura sanctam & iustam esse. Attamen quia homines undiq; peccatis scatent, legem eos magis sordidare quàm sanctificare. Postremo, templum etiam a Salomone quidem ædificatum esse, sed confessione Salomonis & testimonio Esaię non esse uerum templum in quo deus ita includatur, ut sacrificia eius pro iusticia reputet, sed tantum esse ueri templi umbram & figuram. Cæterum pro epilogo oratiõis, addidit Stephanus ad finem increpationem, qua grauissime in pontifices inuehitur, si forte scelera sua agnoscant & resipiscant. Et de his quidem antea. Nunc audiamus quomodo pontifices & alij qui in concilio præsto aderant, orationem eis exceperint. Audientes (inquit Lucas) hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum. Natura impiorum perspicue in his pontificibus & assecłis eorum expressa est. Sicut enim illi audita ueritate magis cæci, & proposita increpatione magis furioſi redduntur, ita fere fieri solet, ut omnes impij, ex auditu ueritatis obstinatiores, & ex increpatione peiores efficiantur. Etenim quemadmodum canes uel in flumen proiecti, uel uinculis irretiti, uertunt se in illos qui extensa manu cupiunt eos liberare, & lacerant illos, existimant enim liberatorem suum, manum extendere, ut

Natura impiorum.

maiorem

maiorem perniciem eis inferat. Ita qui sunt uinculis impietatis irretiti, non possunt liberatoris sui increpationē boni consulere, sed interpretantur eam sibi contumeliam & exitium esse. Proinde more canum uertunt sese ad increpationes, & lacerant eos. Exemplum est Ieroboam primus rex Israelis, qui cum adoleret præter legis præscriptum thura in altare, & audiret prophetam exclamātem contra altare: Ecce filius nascetur domui Dauid, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, & cætera, extēdit manū suam de altari dicens: Apprehendite eum. Quid ergo aliud erat Ieroboam, q̄ canis uersus in liberatorem suum? Idem uides in rege Ahasia & Elia, qui nuncios Ahasiæ ad consulendum Beelzebub missos ex itinere retraxit, & dixit: Ite reuertimini ad regem, & dicetis ei: Hęc ait Dominus Nunquid quia non erat deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub? idcirco de lectulo super quem ascendisti non descēdes, sed morieris. Ac illud quærebat Elias, non ut rex periret, sed ut peccatum suum agnosceret, conuerteretur & uiueret. Rex autē in benefactorem uersus emittit nuncios, qui ipsum ad necem inquirerent. Idem testatur Vsias rex Iuda, qui sacerdotibus prohibentibus ipsum adolere incēsum, nescio quæ supplicia minabatur. Huc accedit & rex Ioas, qui iussit ut Zacharias filius Ioiadæ sacerdos lapidibus obrueretur. Sic principes in Hieremiam uersi sunt. Sic Amasias sacerdos Bethel in prophetā Amos. Sic & Herodes Iohannē benemonentem trucidauit. Sic Pharisæi Christū interfecerunt. Sic nunc pontifices de occidendo Stephano consultant. Breuiter, innumera exempla sunt, q̄bus impij palā declararunt se similes esse canibus, qui in liberatores suos uersi lacerant eos. Cæterum hæc impiorū natura non ideo nobis ob oculos ponitur, ut sciamus tantū, sed ut ab ea caueamus, & hanc naturā, si in nobis emicat, uerbo Domini expellamus atq̄ exuamus, id quod tunc fiet, si e uerbo Domini didicerimus, q̄ quemadmodū supplicia non inferuntur nobis a deo, ut pereamus, sed ut per supplicia ad peccatorū cognitionem ducamur & resipiscamus, ita minæ, increpationes, & inuectiones prophetarū, Apostolorū, Ecclesiastarum, & aliorum, quorum interest nos de salute nostra admonere, non sint cōtumeliæ & conuicia, quæ nobis internitionē inferant, sed quæ nos ad nostri cognitionē ducant, & ad resipiscentiā inuitent. Sic excepit Dauid increpationē Nathan ꝓphetæ de adulterio. Sic Ahaz minas Eliæ excepit, quēadmodū in priori Malachim lib. cap. 21. scriptū est. Sic Hiskia excepit durum illud nunciū Esaiæ de morte. Non em̄ prophetæ mortē denuncianti, supplicium minatus est, sed conuertit se ad parietē & fleuit, iam tum illud prophetæ meditans, Nolo mortē peccatoris, sed magis ut conuertat & uiuat. Sequamur & nos horū exēpla & increpationes prophetas aut apostolicas, nō ducamus pro cōtumelijs, sed pro admonitionibus, uidelicet, ut peccatum nostrum agnoscamus, & resipiscamus. Sed redeamus ad Stephanū. Cum. n. is non haberet nunc Dauides aut Hiskias, qui æquo aīo dicta eius increpatoria tolerare possent, sed Ieroboamos, Ahasias, Amasias & Herodes, qui dissecabantur cordibus suis, & stridebāt dentibus suis in eū, quo se, obsecro uertit? quos in auxiliū suū uocauit? sentiebat em̄ sibi mortē paratam, uidebat pontifices & asseclas eorū in necē eius cōspirasse, habebat mortē ob oculos suos positā, nusq̄ patebat euadēdi uia, inimici eius erāt potētissimi, e quorū manibus nō poterat elabi. Amici eius apli & reliqui Christiani, impotētiores brachio carnis erāt, q̄ ut ipm uiolētia poterāt e manib⁹ inimicorū eripere. Itaq̄ nihil certius erat grauissimo mortis supplicio. Cū aūt ab oībus esset derelictus, hoc solū reliquū habet, ut oculos suos dirigat ad Dm̄ Iesum Christū, cuius gra uinctus erat. Proinde oculos suos in cœlū leuat, ut omni humano auxilio destitutus, diuino auxilio adiuuet. Ac fit uoti sui egregie cōpos. Sic em̄ sequit: Cū esset plenus spū sancto, intentis in cœlum oculis, uidit gloriā dei, & Iesum stantem a dextris Dei,

99 & ait: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis ſtantem a dextris Dei. Quid hoc? num deus habet dextram manũ ſicut homo? num Ieſus filius Dei ita aſtat ad dextram dei, quemadmodum homo homini aſtat? & quando ſurrexit Ieſus, cum Dominus in pſalmo iuſſerit eum ſedere, dicens: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. At non eſt q̃ exiſtimes, tam craſſa & carnalia ſpectacula eſſe in cœlo. Nec enim habet Deus manum dextrã ſicut homo, nec Chriſtus more humano ad dextram dei ſtat uel ſedet. Qui enim aſcendit ſuper omnes cœlos ut omnia impleret, quomodo is in uno loco more humano ſederet uel ſtaret. Sed ita ſentiendum eſt, q̃ ſcriptura loquitur quidem more humano de rebus diuinis, ſed ea intelligenda ſunt iuxta diuinam rationẽ. Nam dextera dei dicitur, omnipotentia dei, ut eſt in pſalmo 43. Manus tua gentes diſperdidit, nec in gladio ſuo poſſiderunt terram, & brachium eorum nõ ſaluabit eos, ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio uultus tui. Ac rurſus in alio pſalmo: Dextera Domini fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me. Sedere igitur uel ſtare ad dextram Dei, eſt æqualem cum Deo habere maieſtatem, potentiam, honorem, & omnia bona. Vnde cum Stephanus dicit ſe uidere cœlos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris Dei, ſignificat ſe manifeſte ſentire cœleſtia gaudia, & cœleſtem cõſolationem ac maieſtatem Chriſti uiuẽtis & cum deo omnipotentis clariſſime intueri. Puto autem talem huius uiſionis ſenſum fuiſſe in Stephano, qualis fuit in tribus Apoſtolis, coram quibus Chriſtus ſeſe in monte transfiguraverat. Video, inquit, cœlos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris dei, hoc eſt, uos quidem exiſtimatis, q̃ Chriſtum ita occideritis, ut prorſus interierit, ſperatis uos perſecutione ueſtra nomen & potentiam eius deleturos, confiditis etiam q̃ me trucidando perpetuo exitio me tradatis. At ego, rumpantur ut ilia Codro, iam reipſa ſentio Dominum meum Ieſum Chriſtum regnare, & maieſtatem eius ſenſibiliter me conſolantem, clare intueor. Quare & ſi me occideritis, regnabo tamen cum Chriſto meo, & perpetua fœlicitate cum ipſo fruar, id quod nunc manifeſte percipio. Eſt autem hoc miraculum alta mente reponendum. Quia enim Stephanus primus fuit qui poſt miſſum ſpiritum ſanctũ propter Euangelion Chriſti mortem paſſus eſt, ideo Chriſtus reuelauit ei ante mortem cœleſte gaudium, cœleſte regnum & perpetuam fœlicitatem, ita ut reipſa hæc ſenſerit. Reuelauit autem ei, nõ propter ipſum tantum, ſed propter nos ut certi redderemur, q̃ Chriſtus regnet, q̃ poſt hanc uitam alia uita ea q̃ fœliciſſima credentibis in Chriſtum parata ſit, & q̃ per mortem non pereamus, ſed in perpetuam uitam intremus. Quomodo autem Iudæi audientes Stephanum, ingenti cordis lætitia, & maxima animi alacritate confiteri, ſe Chriſti regnum ſentire, & conſolationẽ maieſtatis eius percipere, affecti ſunt? Profecto ita affecti ſunt, ut diceres eos a multis Satanorum legionibus obſeſſos eſſe. Exclamantes enim

Sedere uel ſtare à dextris Dei.

99 uoce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum,
99 & eiectum eum e ciuitate, lapidabant. Hæc ſunt argumenta, hæ ſunt ſcripturę, hæ ſunt rationes probabiles, quibus pontifices illi Stephanum erroris ac hæreſeos conuincunt, nimirum clamor, impetus, & lapides. At ſi quas rebus aliquis hæreſeos conuinceretur, quis aptior diſputator eſſet carnifice aut latrone quodam? Vt autem illi uiderentur plane ſecundum leges agere, neceſſe habent teſtes
99 primi, lapides in Stephanum inijcere. Sequitur enim: Teſtes depoſuerunt ueſti-
99 menta (uidelicet, quo expeditiores eſſent ad inijciendum lapides in Stephanũ)
99 ad pedes adoleſcentis, qui uocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum. Nam in lege ita ſcriptum eſt Deut. 17. In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur, manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur. Hanc igitur legem illi nunc obſeruant, cum aliqui totius legis præ-

Lex lapidandi. Deut. 17.

uaricatores

uificatores sint. Quid ergo huius legis obseruatio aliud est, quam impietatis & sceleris in totam legem commissi prætextus? Sic enim externa & ciuilis legis obseruatio, si spiritum legis neglexeris, non est nisi iniquitatis operculum. Itaq; enitendum est, ut uere legem obserues, id quod fit per fidem in Christum, tunc enim ciuilis obseruatio legis proderit. Sed quomodo inter hæc sese gessit Stephanus? Lapidabant (inquit) Stepha- »
num inuocantem ac dicentem, DOMINE Iesu suscipe spiritum meum. Primum, quem »
admodum DOMINVS Iesus spiritum suum deo patri suo commendauerat dicens, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, ita nunc Stephanus commendat spiritum suum DOMINO Iesu Christo. Quid autem spiritus hominis, ut simpliciſſime dicam aliud est, quam uita hominis? Igitur Stephanus spiritum suum Domino Iesu commendans, uitam suam ipsi commendat, & significat se non moriturum, sed in Christo Iesu uicturum. Est aũt hæc maximæ fidei oratio. Videbat enim Stephanus saxa uolare, sentiebat sibi mortem ob oculos positam esse. Nihilominus tamen uitã suam Iesu commendans, confidit se minime moriturum. Vnde obsecro tantam fiduciam concepit? Profecto non aliunde, quàm ex ipso Iesu Christo, & Euangelio eius. Audierat enim Christum dicentem. Amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit inæternum. Ac rursus. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me non morietur inæternum. Et paulo ante senserat Christum stare a dextris Dei, hoc est, uiuere, regnare ubiq;, intercedere pro credentibus in ipsum, & paratum esse unumquenq; in ipsum fiduciam suam collocantem, etiam in media morte, ad uitæ perpetuæ felicitatem cõseruare. Proinde etiam si saxis uolantib. mors ei ob oculos ponatur, tamen confidit se in Christo Iesu semp uicturum. Ex hoc interim loco obseruandum est, quod spiritus mortui hominis in Christum credentis, non extinguatur, extinctusq; maneat, usq; ad diem uenturi iudicii, sicut quidam sentiunt, sed in sinum Abrahæ, ad quem & Lazari anima ab angelis perducta est, hoc est in manu Dei nostri, & DOMINI Iesu Christi, contineatur, & felicissimam uitam dueat, quod & Christus testatur ad latronem dicens. Hodie mecum eris in paradiso. Et Paulus optat dissolui & esse cum Christo. Quare omni studio nobis enitendum est, ut per fidem in Christo etiam adhuc in hoc seculo existentes, uiuamus, tunc enim & post mortem corporis uiuemus, & resurgentes a morte, perpetua felicitate una cum corpore fruemur. Est & illud obseruandum quod Stephanus in articulo mortis suæ non inuocat Abraamum, nec commendat animam suam beatæ Mariæ uirgini, quod quidam impie superstitiosi facere solent, dicentes, Mater gratiæ tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Sed inuocat Iesum Christum, & commendat spiritum suum Iesu Christo. Is enim est qui mortem uicit & in morte nos uiuificat, is est qui dixit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego refocillabo uos. Proinde is est inuocandus, ut nos in afflictione liberet, & spiritum nostrum in hora mortis suscipiat. Sed diceres, parabola de Lazaro testatur angelos suscipere beatorum animas. Cur igitur non idem beata Maria facere posset, multis angelis præstantior? Ad illud respondendum est: Angelos dici beatorum animas suscipere non ut uiuificatores, & conseruatores in morte, sed ut ministros uiuificatoris, & conseruatoris Domini nostri Iesu Christi. Sunt enim angeli administratorii non magistri spiritus, qui in ministerium non in magisterium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis. De Maria autem uirgine nusquam scriptum est, quod uel ut magistra, uel ut ministra animas mortuorum suscipiat. Proinde ut superstitiosum est angelis ministris, neglecto & prohibito Christo magistro, ad se & uiuentem & morientem uocante, animam suam commendare, ita impium est Mariam tanquam uiuificatricem ad suscipiendum animas nostras in hora mortis inuocare. Deinde orat Stephanus pro aduersariis suis. Sic autem sequitur: Positis autem genibus clamauit uoce magna: DO- »
MINE, non statuas illis hoc peccatum. Antea Stephanus testatus est fidem suam in Chri »
stum, dum orauit ut Christus spiritum suum susciperet. Nunc declarat charitatem & candidum suum animum erga aduersarios suos & precatur, ut DOMINVS aduersariis su-

Cui spiritum suum moriturí debeant committere.

is ignoſcat & peccatum quod neſcientes in ipſum deſignant, remittat. Sic enim Chriſtus docuit. Diligite, inquiens, inimicos ueſtros, orate pro iis qui lædũt & inſectantur uos ut ſitis filii patris ueſtri q eſt in cœlis, quia ſolem ſuum exoriri ſinit ſuper malos & bonos & pluuiam mittit ſuper iuſtos & iniuſtos. Ac mox iubet nos in oratione dicere. Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et addit: Si remiſeritis hominibus errata ſua, remittet & uobis pater cœleſtis. Quid, inquies? Num remittit nobis pater noſter errata, ſi nos hominibus errata ſua remittimus, ergo non Chriſtus, ſed nos ipſi remiſſionem peccatorum noſtrorum meremur. Abſit: Solus enim Chriſtus, meritum pro peccatis noſtris eſt. Cum igitur dicit: Pater ueſter remittit uobis errata, promiſſio eſt gratuita, & offert gratuitam remiſſionem peccatorum, qua gratis per fidem conſecuta, exigit poſtea, ut & hominibus ſua errata remittamus, non ut hoc opere pro peccatis ſatisfaciamus, ſed ut gratos nos erga clementem peccatorum remiſſorẽ declaremus, gratias agamus, & obſequium ei præſtemus, qui nobis peccata remiſit. Vnde & Stephanus, non ideo remittit ſuis inſectatoribus ſua errata, ut ex eo opere peccatorum ſuorum remiſſionem apud Deum conſequatur, hanc enim antea per fidem in Ieſum Chriſtum conſecutus eſt, & commendans ſpiritum ſuum Chriſto, certus eſt ſibi per ipſum peccata gratis eſſe remiſſa, ſed remittit eis errata, & orat pro ipſis ut gratum ſeſe exhibeat erga benefactorem, ut obediat præcepto eius a quo remiſſionem peccatorum gratis accepit. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit. Quid? an Stephanus tot lapidibus obrutus non obit mortem, ſed tantum obdormit? Profecto ita res ſeſe habet: Stephanus non obit mortem: Chriſtianorum enim mors non eſt mors, ſed ſomnus. De Lazaro mortuo Chriſtus ait. Lazarus amicus noſter dormit. Et Paulus: Nolo uos ignorare, inquit, de his, qui obdormierunt ne doleatis: Quis enim illos diceret mori, qui a peccatis liberantur? qui omnes afflictiones euadunt? qui mortem uincunt? qui per mortem in ueram uitam ingrediuntur? adeoq; ad regnandum una cum Ieſu Chriſto Domino noſtro proficiſcuntur. Reliquum igitur eſt amiciſſimi, ut Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum tota fide complectamur, quo non moriamur, ſed uitam æternam conſequamur, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula. Amen.

Quod non propter noſtram remiſſionem, ſed propter promiſſionem remittat nobis pater cœleſtis.

CAPVT OCTAVVM.

HOMILIA XXXIIII.



BSoluimus, dilectiſſimi, ſuperiori die hiſtoriam de Stephano, quẽ nobis ſcriptura propoſuit, principio fidediſſimum facultatis, quam Chriſtiani in commune contulerunt diſpenſatorem, deinde multis miraculis clarum, a Iudæis comprehenſum, & ad concilium ductum, in quo luculenta oratione, & argumentis firmiſſimis calumnias accuſatorum eius diluit. Poſtremo ſentientem maieſtatem Chriſti, iectum e ciuitate, & poſtquam ſpiritum ſuum commendauit Ieſu Chriſto, ac pro inſectatoribus ſuis orauit, lapidatum, atq; ita in Domino obdormiſcentem. Hæc autem ſcriptura de Stephano commemorat, non quia ipſe egeat humano rerũ a ſe geſtarũ præconio: ſed ut eccleſia Chriſti exemplum habeat quo diſcat non ſolum diuitias, non honorem huius ſeculi, non magiſtratum, non ſanitatem corporis, & uitam in hoc mundo tranquillam, dona Dei eſſe, uerum multo magis dona eius eſſe afflictiones, paſſiones, & mortes propter iuſticiam, quæ dona, qui fugit, & ne quid aduerſi patiatur, iniuſte agit, hic fugit beatitudinem, fugit hæreditatem cœleſtium bonorũ, fugit regnum

& felici-

& felicitatem perpetuam. Siquidem cui donat DOMINVS Deus noſter hoc munuſculũ & hanc corollam, ut propter iuſticiam ex fide aliquid aduerſi toleret, eidem etiam donat, ut ſpiritus eius a Ieſu Chriſto ſuſcipiatur, & ad perpetuam felicitatem conſeruetur, id quod in Stephano comprobatum eſt, de quibus rebus hactenus dictum eſt. Nunc uideamus quis Eccleſiæ ſtatus fuerit, poſtquam lapidatus eſt Stephanus. Et quia Lucas fuit ſectator Pauli, & deſcripturus eſt in hac apoſtolorum hiſtoria, præcipue Pauli acta, igitur meminit nunc Saulis, quo nomine Paulus uocatus eſt, & dicit: Saulus autem conſenſerat in necem eius. Quid? hæc ne commemorat Lucas de Saulo ſiue Paulo, ut excuſet eum ab homicidio, q̃ conſenſerit tantum in necem Stephani, non autem lapides in eum, ut cæteri, coniecerit? Profecto non ad excuſandum, ſed potius ad accuſandum Pauli crimen hæc ſcribit. Etſi enim non ſedit in concilio, & non pronunciauit aduerſus Stephanum ſententiam pro more iudicum, nec iniecit in eum lapides, ſicuti teſtes & alii fecerunt, tamen cuſtodiuit ueſtes teſtium, & maxima uoluptate affectus eſt, quod Stephanus lapidaretur. Conſentiens igitur in necem, idem crimen homicidii deſignauit, quod iniqui iudices, & teſtes, & alii qui Stephanum lapidauerant. Non enim (inquit Paulus) qui mala faciunt digni ſunt morte, uerumetiam qui aſſentiuntur his qui faciunt. Vnde in diluuio, & in Zodoma, non ſolum adulti uiri & mulieres perierunt, ſed etiam infantes, qui uidebantur inſontes. Etſi autem externa flagitia non deſignauerant manu, tamen cor eorum non erat purum, ac plane idem erat cum parentibus atrocia ſcelera deſignantibus. Sic præceptum erat Iſraëlitis, ut omnes tam maiores quàm minores, tam pueros & infantes quàm uiros & mulieres in terra Canaan trucidarent. Idem poſtea præceptum eſt Sauli de Amalecitis, nimirum quia infantes propter cordis impuritatem, & tacitum conſenſum eadem flagitia cum parentibus committere uere dicuntur. Eſt enim conſenſus tantæ energiæ, ut conſentientem ſceleri, non ſolum reum faciat culpæ flagitii præſentis, ſed etiam ante multa milia annorum ab aliis perpetrati. Chriſtus enim Phariſeos quærentes eum occidere homicidas uocat, & palam aſſeuerat eos ex patre diabolo eſſe, qui erat ab initio homicida. Poſtea pronunciat eos reos omnis ſanguinis qui ab Abel uſq; effuſus eſt, cum tamen Abel ante multa milia annorum a fratre ſuo trucidatus erat. Et qui hac tempeſtate uoluptatem capiunt, ex illis homicidiis, quæ paſſim in Euangelii profeſſores, aut confeſſores deſignantur, quia conſentiunt in homicidium, faciunt ſe reos omnis piorum ſanguinis qui ab initio mundi ab impiis effuſus eſt. Proinde non ſolum cauenda ſunt impia facta, ſed etiam cauendus eſt conſenſus in impia facta, qui efficit, ut conſentiens culpa totius facti ſordidetur. Vnde Saulus, licet manus habuerit puras ab homicidio Stephani, non enim iniecit in eum lapides, tamen quia conſenſit, & magna uoluptate in necem eius affectus eſt, plus fere peccauit quàm omnes hi, qui lapides in Stephanum coniecerunt. De remiſſione autem peccati Saulis, & conuerſione eius, quoniam poſtea plura ſequuntur, nunc ſuperſedebimus, ſed Eccleſiæ ſtatum poſt lapidationem Stephani perſequemur. Facta eſt autem in die illo perſecutio magna aduerſus Eccleſiam Hieroſolimis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter apoſtolos. Hactenus enim poſtquam Chriſtus occiſus eſt, non ſeuierant pontifices & principes in Eccleſiã, quia timebant plebem, & quia apoſtoli in uincula coniecti diuinitus liberati erant, formidabant, ne ſi uiolentas manus in eos iniicerent, mirabiliter e manibus ſuis elaberentur. Nunc autem quia occiſo Stephano adnimaduertebant plebem eſſe pacatam, & Deum nullo miraculo nouos illos Euangeliſtas e morte, ut uidebatur, liberare, concepta ingenti fiducia delendi uniuerſi Euangelii, magna crudelitate in totam congregationem piorum, quæ erat Hieroſolimis, graſſantur, ita ut omnes præter apoſtolos diſpergerentur in finitimas regiones. Primum igitur obſerua, quam peruerſa ſint iudicia impiorum, quod tunc ſeſe uincere putant, cum alios trucidant, aut in exilium eiecerint. Et exiſtimant Deum illos derelinquere, qui non uiſibili miraculo e morte & perſecutione liberantur. Sic enim ad Chriſtum in cruce pendentem clamant. Con-

Non ſolum impia facta ſed conſenſum quoq; in illa damnare

Impiorum iudicia peruerſa de perſecutione piorum.

fidit in Deum, liberet eum nunc si uult. Si es filius Dei descende nunc de cruce. Sic uerosimile est illos postea in persecutione ad discipulos Christi clamasse. Vbi nunc est ille Christus uester, quem saluatorem & liberatorem ex omnibus periculis profitemini? cur nunc uos non liberat? cur non efficit, ut non patiamini persecutionem, aut ut non trucidemini? At hæc nondum est uera à morte liberatio, si quis ita ab hostium suorum manibus liberetur, ut gladio non interficiatur, aut alio mortis genere non trucidetur, sicut Dauid liberatus est à Goliath & à Saule ne interficeretur. Quanquam enim beneficio Dei illud factum sit, & adhuc fiat, tamen non est uera liberatio de morte. Nam etiam si semel aut iterum mortem effugeris, tamen nondum effugisti peccatum, nondum effugisti infernum, & adhuc mortalis es, & necesse habes uel tandem mortem oppetere. Quemadmodum in Dauide uides. Hæc autem est uera e morte liberatio: si Deus remissis peccatis per Christum morientem ita conseruat, ut per mortem non ingrediatur in perpetuam damnationem, sed in uitam sempiternam. Sic enim Christus Iesus e morte liberatus est, sic omnes in Christum credentes, per Christum e morte liberantur. O mors, inquit, ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Proinde impiissime sentiunt pontifices & principes, quod Deus non liberet illos e morte, qui ab ipsis prævalentibus trucidant. An non Christus egregie liberatus est e morte, qui mortem euadens tertia die resurrexit? An non & Stephanus mirabiliter seruatus est, cuius uitam & spiritum Iesus Christus in sinum suum recepit? Sed quid illud est, quod reliquis dispersis, soli Apostoli Hierosolimis remanent? Nihil ne in illos potuit sæuitia & crudelitas pontificum? Mira profecto res, quod Pontifices in discipulos fidei Christi sæuiant, & non potius in præceptores & authores, hoc est Apostolos. Sic enim se habent huius seculi mores, ut multitudine peccante, autores solum sceleris plectantur, cæteris autem qui contagione insanierunt pœna remittatur. Hic uero in discipulos sæuitur, & præceptores seu authores liberi dimittuntur, diuina autem dispensatione ita contingit. Primum ob hanc causam, ut prudentia sapientum huius mundi, stulta fiat, erant enim Pontifices & Principes uiri prudentissimi. Sed nonne hæc extrema est stultitia, cum conantur extinguere negotium Euangelii, non in præceptores, sed tantum in discipulos seuiant? quod perinde est ac si quis uolens sedare seditionem, quosdam simpliciter in seditione errantes uinciat, authores autem seditionis liberos dimittat, aut si quis morbum corporis curare uelit, medeatur tantum externæ morbi speciei, non item morbi caussam & radicem curet. Deinde, ut palam fiat, quod persecutores nihil prorsus iuris in aliquem habeant, nisi uolente & concedente Deo, nec persecutores ultra progredi possunt, quam ipsis à DOMINO constitutum est. Quemadmodum enim mare alioqui impetuosum est, & nisi coerceretur, totum orbem aquarum inundatione perderet. At posuit ei DOMINVS fines ultra quos progredi non potest. Ita Satan & impii plane furiunt in pios, quos ad unum omnes una hora conculcarent, nisi frenis quibusdã retinerentur, coercet enim eos Dominus ut non queant ultra constitutum furere. Vnde in Iobe ad Satanam dicitur: Ecce uniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Et postea: Ecce in manu tua est, ueruntamen animam illius serua. Primum conceditur Satanæ potestas in facultates Iobis, & prohibetur ne quid detrimenti corpori eius inferat, deinde & corpus conceditur, sed non datur ei potestas in uitam. Vnde Satan nihil in ea potuit, quæ non erant potestati eius à Deo concessa. Sic & hoc loco, conceditur Pontificibus potestas sæuiendi in discipulos, non autem in Apostolos. Itaq; etiamsi rumpantur ut ilia Codro, Pontifices tamen nihil mali Apostolis inferre possunt, ut maxime uellent. Contra accidit ut alias, quemadmodũ postea sequetur, in Apostolos sæuiatur, in discipulos non item. Sic enim DOMINVS Deus noster persecutionem alternabat, ut manifeste cognosceretur, quod ne pilus quidẽ de capite alicuius moueri possit, nisi ipso uolente & annuente. Non aũt annuit Deus, nisi sciat ex persecutione aut aliis malis, quæ piis euenire solent, maximam utilitatem prouenturam, nam quæ ex hac persecutione bona prouenerint, post hac enumerabuntur. Nunc ostendit Lucas, quid de corpore Stephani lapidibus obruto

Vera liberatio e morte.

Cur in discipulos Apostolorum potius quam in ipsos Apostolos seuitum sit a iudeis.

à bonis

à bonis uiris factum sit, priusquam dispergerentur in alias regiones. Curauerunt autem (inquit) unà Stephanum uiri religiosi, feceruntq; planctum magnum super eum. Erat quidem Stephanus infami coram mundo mortis genere trucidatus, at mors ob pietatem occumbentis non ita infamis est apud pios, ut apud impios, sed æstimatur preciosissima, & omni laude dignissima. Itaq; pii duxerunt sibi laudi, ut Stephanum celebri quadam pompa sepelirent, quemadmodum etiam antea Christus, ob cuius nomen Stephanus obtruncatus est, à Ioseph & Nicodemo sepultus est, hi non significauerunt sepulturam aliquid commodi mortuo conferre, sed palam suam fidem in Christum, & charitatem in Stephanum testificati sunt. Quid autem hoc, q̃ fecerunt planctum magnum super Stephanum? Nonne Paulus dicit: Nolo uos ignorare de dormientibus, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem. At non est, q̃ existimes pios planxisse Stephanum ethnice, uidelicet, quasi omnino periisset, absit enim ut hoc suspicemur de illis, qui sciebant Stephanum spiritum suum Iesu Christo commendasse, qui credebant in Iesum Christum, q̃ ut is resurrexisset, ita Deus adducturus esset eos, qui obdormierunt per Iesum cum illo, sed planxerunt eum Christiane, hoc est, crediderunt quidem, q̃ ipse cum Christo felicissime uiueret, deplorabant autem suam uicem, q̃ tam fideli Ecclesiæ ministro destituti essent, & lachrimis suis testantur charitatem suam erga ipsum, ac planctu suo pietatem eius quodammodo prædicant. Hæc sunt Christianæ charitatis officia, quæ mortuis impendere pium est. Sic filii Israel planxerunt Iacob & Ioseph, sic planctus magnus factus est super Samuelem. Sed quid sit interea ab aduersariis Christi? Alii quidem tolerabiliter persequebantur eos qui credebant Euangelio. Saulus uero deuastabat Ecclesiam per singulas domos, intrans, trahensq; uiros ac mulieres, tradebat in custodiam. Vide obsecro hominis crudelitatem. Non est cõtentus, ut eos qui palam Christum profitentur affligat, sed tanto furore aduersus Ecclesiam Christi correptus est, ut etiam in domos uiolenter irrumpat, in quibus tamen leges ciuiles unumquenq; liberum esse uolũt, & inmodum sæuientis lupi in ouiculas Christi grassetur, nec mulieribus parcat, quibus etiam crudelissimi hostes parcere solent, adeoq; omni opera enititur, ne mendax sit hoc uaticinium Ben Iamin, Lupus rapax, quod multi de hoc Saulo dictum non male sentiunt. Sed & ipse ingenue hanc suam crudelitatem fatetur, ita ad Timotheum scribens. Eram prius blasphemus & persecutor & uiolentus. Et ad regem Agrippam loquens sic ait. Multos sanctorum ego carceribus inclusi, & cum occiderentur detuli sententiam, & per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare. Miserrimam diceres Ecclesiæ conditionem sub hoc persecutore fuisse, nisi Deus maxima beneficia Ecclesiæ per hanc persecutionem contulisset. Quæ aũt beneficia hanc persecutionem consecuta sint, sequitur. Illi dispersi peragrabant annunciantes sermonem Dei. Philippus autem peruenit in ciuitatem Samariæ, ac prædicauit illis Christum. Intendebant autem turbæ iis, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes & uidentes signa, quæ ædebat: spiritus enim immundi e multis, qui ab illis tenebantur, exibant, clamantes uoce magna, multi autem paralytici & claudi sanati sunt, & factum est gaudium in illa ciuitate. Quæso te, quis admirabilior & ingeniosior artifex inueniri potest DOMINO Deo nostro? Nam quid Ecclesiæ Christi magis aduersum uidetur, quàm persecutio? At DOMINVS Deus noster tam industrius artifex est, ut efficiat, quo Ecclesia persecutione crescat, & fines suos proferat, non quo exterminetur, & eradicetur. Etenim ex persecutione in Hierusalem orta, hæc utilitas prouenit, q̃ quo longius pii fugantur, eo latius spargitur Euangelion, & Ecclesia Christi non iam in Hierusalem tantum in paucis credentibus constat, sed incipit brachia sua porrigere ad exteras etiam nationes. Primum autem in Samariam penetrat, Philippo uno e septem Diaconis illic Christum prædicante. Nunc igitur uere impletur illud quod de Samaria seu Ephraim in prophetis prædictum est. Esaias ita ait. Leuabit signum in nationes & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ, & auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt. Ephraim non æmulabitur Iuda, & Iudas non pugnabit contra Ephraim. Et Hieremias. Rursum ædificaberis

Quod Christiane & non Ethnice plãxerint Stephanum.

Crudelitas Saulli in pios.

Ecclesiam persecutione augeri.

uirgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentiũ, adhuc plantabis uineas in montibus Samariæ, plantabunt plantantes, & donec tempus ueniat non uindemiabunt, quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Samariæ, & in monte Ephraim: Surgite & ascendamus in Zion, ad Dominum Deum nostrum. Ac mox: Conuerram luctum eorum in gaudium, & cõsolabor eos, & lætificabo à dolore suo. Hæ & aliæ prophetiæ de Samaria seu Ephraim, ob diuturnitatẽ iam pene in obliuionem hoim uenerãt. At Deus nõ obliuiscitur suæ ueritatis, nũc enim Philippo in Samaria Christũ prædicante, impletur uaticinium: Nunc congregantur profugi Israëlis, nunc aufertur zelus Ephraim, nunc ornatur uirgo Israel tympanis suis, nunc plantat uineas in monte Samariæ, nũc clamant custodes in monte Ephraim. Surgite ascendamus in Zion ad Dominũ Deum nostrum, dum Philippus in Samaria Iesum Christũ prædicat, qui est in Hierusalem reuelatus, dum multi ægroti illic mirabiliter sanitatem per nomen Iesu Christi consequuntur, dum magnum fit gaudium in Samaria. Ecce hoc est magisterium Domini Dei nostri, quo e pessima re, nimirum persecutione, optima efficere potest. Tantæ enim bonitatis Deus est, ut nihil mali permitteret credentibus in ipsum accidere, nisi posset & uellet, optima quæuis beneficia per illud malum ipsis conferre. Conniuebat quondam DOMINVS, ut Ioseph filius Patriarchæ Iacob, alienigenis uenderetur, id quod patri existimanti ipsum à feris dilaceratum, maximum dolorem intulit. Sed hac aduersitate maximum beneficium toti familiæ eius à Domino collatum est. Iacob enim unà cum familia sua, beneficio Ioseph, in Aegypto principis, ab iniuria famis seruatus est. Dissimulabat Dominus ut Pharao opprimeret Israëlitas in Aegypto, at non dissimulasset, nisi maius bonũ uoluisset Israëlitis per hanc oppressionem conferre. Efficiebat enim, ut quo magis opprimebantur, eo magis multiplicabant. Tolerabat ut Saul Dauidem in exilium ageret: non toleraset aũt, ut hoc quicquid est aduersi Dauidi accidisset, nisi per illud uoluisset Dauidem ad regnum erudire. Permittebat ut Christus occideretur: at non permisisset illud, nisi proposuisset, se Christum per mortem in perpetuam uitam ducturum, & mortem per Christum, in ianuam uitæ consecraturum. Proinde si quid nobis calamitatis contigerit, agnoscamus uoluntatem diuinam, & confidamus, eam calamitatem maioris felicitatis meditatorium esse. Sic enim & æquo animo calamitatem tolerabimus, & liberationem mirabiliter consequemur, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto, Deus laudandus in sæcula Amen.

Exempla quibus docemur afflictiones maioris felicitatis occasionem præbere.

HOMILIA. XXXV.



Ecte à Christo dicitur, amicissimi, regnum cœlorum, hoc est, prædicationem Euangelii, quo ad regnum cœlorum peruenitur, simile esse uerriculo iacto in mare, & ex omni genere piscium congrahenti. Etenim prædicatio Euangelii, non solum bonos seu uere credentes, sed etiam malos & fidem simulantes in unam externam Ecclesiam congregat, id quod & ipsa re quotidie comperimus, & ex prædicatione Philippi, qui Samaritanis Christum prædicauit, nobis pa lam testatum relinquitur. Nam cum Philippus in persecutione e Hierusalem eiectus esset in exilium & ueniisset ad ciuitatem Samariæ, quemadmodum Lucas supra cõmemorauit, ac ibidem Euangelion de Iesu Christo adnunciasset, multos quidem uere credentes, ad obedientiam Christi adduxit. Sed multi quoq; insynceri, & hypocritæ, uere credentibus sese admiscebant. Iam inter eos, qui minime syncera fide, fidem in Christum simulabant, primarius erat Magus quidam, nomine Simon, de quo Lucas sic
» scribit. Vir quidam nomine Simon qui ante in ea ciuitate artem exercuerat magicam ac
» gentem dementauerat Samariæ, dicens se esse quempiam magnum, cui auscultabant
» illi à minimo usq; ad maximum dicentes. Iste est uirtus Dei, quæ uocatur magna. Auscul
» tabant autem ei, propterea q; multo tempore magicis artibus dementasset eos. Cum ue-

ro credi

to credidissent Philippo Euangelizanti de regno Dei, deq; nomine Iesu Christi, baptizabantur uiri simul ac mulieres, tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo, uidensq; signa & uirtutes fieri, stupens ammirabatur. Principio obseruandum est, q; si Magia initio fuit scientia rerum naturalium, unde & professores huius artis alias magistri, alias Physici dicti sunt, e quorum numero fuerunt fortassis magi illi, qui ab oriente uenerunt ad adorandum Christũ, & ex Daniele apparet, etiã Danielem huic arti nimirum Philosophiæ naturali operam dedisse, qualem magum possumus & Salomonem appellare q; rerum naturalium peritissimus fuerit. Satanæ tamen astu factum est, ut hæc naturalis ars in impiis corrumperet, & in maleficia seu incantationes minime diuinas uerteretur. Artes igitur naturales, quibus rerum natura inuestigatur, diuina dona sunt. Artes autem magicæ, quibus homines dementantur, operationes Satanæ sunt. Proinde in lege dicitur. Maleficas non patiaris uiuere. Ac rursus: Ne sit maleficus nec incantator. Tametsi enim Satan suapte natura ne in muscas quidem minutissimas, quas scriptura cyniphes uocat, quemadmodum Exodus de magis Aegyptiacis testatur, nec in porcos, animal immundum, ut est in Euangelio, quicquam iuris aut potestatis habet, tamen sicut Deus Satanæ permisit ut affligeret Iobum, ad probandam & exercendam pietatem eius, ita interdum permittit Satanæ, ut per maleficos & incantatores, aut miracula ædat, aut præstigiis suis oculos spectatorum perstringat, & factis fantasmatibus illudat. Vnde sicut Mose in Aegypto uirgam suam uirtit in colubrum, ita & magi Aegyptiaci suas uirgas in serpentes mutauerunt. Et sicut Mose uertit aquam fluminis in sanguinem & eduxit e fluminibus ranas super terram Aegypti, ita similiter etiam magi fecerunt. Phytonissa quoq; illa, quam Saul consultabat, incantationibus suis efficit, ut imago Samuelis Sauli ostenderetur, tametsi non erat ipse Samuel, sed Satan ad imaginem Samuelis effictus. Iam & Christus dicit: Surgunt pseudochristi & pseudoprophetæ & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset etiam electi. Et Paulus ait: Aduentum Antichristi fore secundum operationem Satanæ cum omni potentia & signis, ac prodigiis mendacibus. Ad horum catalogum pertinet & hic Simon Magus, qui præstigiis suis per uirtutem Satanæ imponebat Samaritanis. Leguntur & apud Ethnicos miracula, uidelicet, simulacra locuta, statuas facticiorum deorum sua sponte alio translatas. Qui fit autem, quod Deus tantam potestatem Satanæ concedit, ut per magos & maleficos suos, miracula ædat, aut mendacia signa operetur? Haud quaquam fit fine iustissimis causis: Tam bonus enim est DOMIMVS DEVS noster, ut nullum malum fieri permitteret, si non posset aut uellet maius bonum per illud efficere. Itaq; si malum à Deo permittitur, certissimum est, maximum bonum secuturum. Conniuet igitur Deus Satanæ, ut per maleficos aut pseudoprophetas miracula ædat. Primum, ut impii propter impietatem suam puniantur, hoc est decipiantur & pereant, impietatem autem punire, profecto bonum opus est, & sicut magistratus ciuilis æque bene agit, puniens latronem, ac honore afficiens uirum probum, ita pars iustitiæ diuinæ est, ut plectat impios. Sic puniuit Deus Pharaonem & omnes Aegyptios per magos, eo q; tota Aegyptus idololatriæ dedita erat. Sic Deus puniuit Saulem per Phytonissam, eo q; nunq; ueram fidem uerbo Dei adhibuerat. Sic pseudochristi & antichristi seducunt eos, q; ueritati prædicationis Christi nolũt credere. Sic per Simonẽ Magũ punita hactenus fuit gens Samaritana, quia ab illo tẽpore quo in Samariã à Salman Assare, quemadmodum in posteriori Malachim libro, capite decimo septimo, scriptũ est, translata fuit, nunq; uerã legem Dei obseruauit, sed partim ceremonias legis obseruarũt, partim Deos alienos coluerunt. Deinde conceditur illa potestas Satanæ, ut per miracula pseudoprophetarum & præstigia magorum pii tententur, ac in fide sua probentur. Sunt enim duo genera doctrinæ de religione, quæ & recepta & ueris miraculis confirmata sunt. Prius illud genus est, doctrina Mosi de lege in qua docetur, quid faciendum, quid uitandum sit. Posterius genus est, doctrina Christi de Euangelio, in qua docetur, q; gratis habeamus remissionem peccatorum per Christum. Aduersus has doctrinas, nulla prodigia, nulla ostenta,

Magia quaenam initio fuerit.

Quomodo Deus permittat Satanam uarie operari per incantatores.

Causæ cur Deus sinat tanta mendacia signa fieri

Prior causa.

Posterior causa.

Duo genera doctrinæ de religione.

nulla miracula, nulla signa recipienda sunt, & ne angelus quidē de cœlo audiendus est. Proinde ut hi qui & legi & Euangelio credunt, in fide sua exerceantur & probentur, permittit interdum DOMINVS Satanæ, ut miracula operatione eius, per magos & incantatores, aut per pseudoprophetas ædantur. Probare autem & exercere fidem, nonne bonū opus est? Vnde in Deuteronomio capite decimo tertio ita scribitur: Si surrexerit in medio tui prophetes, & prædixerit signum atq; portentum & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur deos alienos, non audies uerba prophetæ illius, quia tentat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima uestra. Proinde, etiamsi p magos præstigia, & per pseudoprophetas miracula fiant, tamen credamus ea fieri operatione Satanæ, unde & fugienda & deuitanda sunt. Et quia Satan nihil possit sua ui efficere, sentiamus Deum illi potestatem concedere, simul ut impii puniantur, simul ut pii probentur & exerceantur. Iam cum generatim de magis & miraculis eorum dixerimus, nunc dicemus de Simone Mago, ex eo enim palam fit, quæ sint magorum & pseudoprophetarum conditiones: nam non ædunt prodigia aut miracula, ut cōmendent aut legis aut Euangelii doctrinam, & nomen ueri Dei glorificent, sed ut se ipsos populo commendent, & fictitia sua doctrina populum seducant, ac dementent. Vnde hic Simon, non prædicabat Samaritis legem Mosi, sed suas superstitiones, nec prædicabat eis Christum, hoc est, remissionem peccatorum per Christum, sed seipsum, dicens se esse magnum & præcipuum ueritatis doctorem. Itaq; præstigiis suis efficiebat, ut omnes Samaritani ei fidem adhiberent. Postquam autem Philippus ad Samariam peruenit, & principe loco illic non seipsum, sed Iesum Christum prædicaret, uidelicet q̄ per illum esset aditus in regnum cœlorum, & postea hanc prædicationem ueris & stupendis miraculis confirmaret, eiiciendo dæmones de obsessis, & sanando ægros, multos Samaritanos eo induxit, ut deficientes à Simone Mago, suæ doctrinæ fidem adhiberent, & baptizarentur tam mulieres quàm uiri. Quid adhæc Simon? Satan quidem cuius uirtute hactenus Simon multa prodigia ad decipiendos Samaritanos patrauerat, magna animi libentia palam Philippo resistere, & ab ipso gentem auertere cupiebat, sed erat ex persecutione Hierosolymitana paulo prudentior factus. Intelligebat enim q̄ ex uiolenta persecutione, quam Hierosolymis aduersus Ecclesiam Christi excitauerat, Euangelion magis promoueret, quàm impediretur. Proinde cum hac non successisset, alia uia aggreditur & enititur, ut Euangelio dolis incommodet: Nam tota pene multitudine Samaritanorū Philippi doctrinæ de Iesu Christo fidem adhibente, subornat & Simonem suum non ut uiolenter Euangelio resistat, sed ut simulet se Euangelio credere, & baptismū accipiat. Igitur Simon credidit, non quidem uere sed hypocritice, & baptizatus est, ac Philippo adhærebat. Quam ob causam? non ut ueram iustitiam consequeretur, sed primum, ut sequendo multitudinis fidem, fauorem eorum nō amitteret. Timebat enim ne si palàm Philippo, cui multitudo credebat, resisteret, auram popularem inter Samaritanos perderet. Deinde, ut Philippo familiarior factus, posset etiam ab eo discere artem ædendi talia miracula, quæ ipse magicis suis artibus nunq̄ efficere potuerat, atq; ita à Philippo edoctus maiorē gloriam inter Samaritanos cōsequeretur. Simoni huic Mago ualde similes hac nostra tempestate sunt hi, qui simulant se Euangelio fidē habere, non ob aliam causam, quàm quia uident Euangelion multitudini placere, & cupiunt suam famam & gloriā in populo retinere, quam putarent se amissuros, si palam Euangelio resisterent. At sicut Simon Magus, ita illi pernicioſiores sunt hostes Euangelii, q̄ qui palam, & aperta fronte resistunt. Hi.n. clam sua uenena effundunt, altera manu pané ostentantes, altera manu lapidem gestantes, & in tentatione, aut persecutione maiori offendiculo deficiunt. Quale aūt iudiciū illi sint habituri, posthac in Simone animaduertemus. Nunc ea q̄ de Samaritanis sequunt explicabimus. Sic.n. Lucas ait. Cū aūt audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, q̄ recipisset Samaria sermonē Dei, miserunt ad eos Petrū & Ioannē, qui cū descendissent, orauerunt p ipsis, ut acciperent spiritū sanctū, nondū enim in quenq̄ illoꝝ illapsus fuerat, baptizati tantum erant in nomine Iesu Christi. Tunc imponebant manus super illos, ac-

Magorum & pseudoprophetarū conditiones.

cipiebant

cipiebantq; spiritum sanctum. Quid hoc nouæ rei est, q̃ Philippus prædicauerat Samaritanis eundem Christum, idem Euangelion, quod Apostoli, & baptizauerat Samaritanos eodem Christi baptismo quo Apostoli, attamen non dicitur eis spiritum sanctum ministrasse? Num crediderunt illi absq; spiritu sancto? nonne prædicatio Euangelii ministerium spiritus est? nonne baptismus est lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti? quomodo ergo intelligitur, q̃ Samaritani crediderint & baptizati fuerint, non tamen acceperint spiritum sanctum? Vt respondeam, obseruandum est, scripturam hic non loqui de spiritus sancti uiuificantis substantia, sed de manifesto spiritus sancti dono, quod & Apostolis in die Pentecostes collatum est. Porro, spiritus sanctus necessarius est ad iustificationem & salutem, & confertur ministerio Euangelii. At mirabile illud donũ spiritus sancti, quod est donum linguarum aliarumq; insignium uirtutum, maxime quidem utile est ad confirmationem ministerii Euangelii, ad salutem aũt non est necessarium. Cum igitur ministerium Euangelii recens esset institutum, contulit Deus hoc donum & ministris & auditoribus, ut nouum Euangelii ministerium inauguraretur & consecraretur, uidelicet, q̃ tale sit ministerium per quod confertur spiritus sanctus, uiuificans & renouans corda credentium in Iesum Christum. Nunc uero instituto & confirmato ministerio miraculum uisibile desiit fieri, manet aute illud quod miraculo confirmabatur, nimirum, q̃ prædicatio Euangelii sit ministeriũ spiritus, & q̃ baptismus sit lauacrum regenerationis, ac renouationis spiritus sancti. Sunt qui ex hoc loco probant sacramentum confirmationis, quod uocant, & docent, Presbyteris & Diaconis licere prædicare Euangelion & baptizare. Solis autem Episcopis, qui dicuntur esse Apostolorum successores, licere sacramentum confirmationis conferre. At primum res ipsa indicat, q̃ Episcopi pueros confirmantes (sic enim uocant) non conferunt eis manifestum donum spiritus sancti, quale Apostolis in die Pentecostes, & per Apostolos Samaritanis collatum est, deinde quod ad rationem ministerii Euangelici attinet, omnes qui post mortem Apostolorum, prædicant uerbum Apostolicum, hi sunt Apostolorum successores, siue Episcopi, siue Presbyteri, siue alio quodam nomine dicantur. Postremo non ut ministerium, ita donum miraculorum ædendorum accipiunt successores à maioribus suis, alioqui necesse etiam haberent Episcopi ut leprosos mundarent, infirmos sanarent, & mortuos suscitarent, nec licet, ut e miraculis per Apostolos æditis, talia sacramenta instituantur, qualia Sophistæ finxerunt. Itaq; uanum commentum est, q̃ hinc sacramentum confirmationis probetur, nam q̃ non Philippus, sed Apostoli, Ioannes & Petrus Samaritanis contulerunt donum spiritus sancti, non factum est ad confirmandam, partim superstitionem, partim tyrannicam authoritatem Episcoporum huius seculi, sed ad corroborandam authoritatem ministerii Euangelici, quod tunc primũ ab Apostolis inchoabatur. Cum igitur tantis miraculis Euangelion de remissione peccatorum per Iesum Christum confirmatum sit, agite amicissimi, firmam fidem ei adhibeamus, ut sit nobis credentib. potentia ad perpetuam salutem in Christo Iesu Domino nostro, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Quomodo intelligendũ quod Philippus non dicitur Samaritanis spiritum sanctum ministrasse.

Quod ex hoc loco non recte probetur sacramentũ confirmationis.

HOMILIA XXXVI.



Vperioribus diebus baptizauimus Simonem Magum, una cum Samaritanis, & adiunximus eũ Philippo tanq̃ uerum & germanũ Christi discipulum, adhæc donũ spiritus sancti Samaritanis impositione manuũ Apostolorum cõmunicauimus. Nunc prodemus & palã ostentabimus insynceritatẽ & impuritatem Simonis Magi, qui nomine quidem Christianus factus est, re aũt ipsa impius magus permansit. Sic enim scribit Lucas: Cum uidisset autem Simon, q̃ per impositionem manuũ Apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit ei pecunias dicens: Date & mihi potestatem istam, ut cuicunq; imposuero manus accipiat spiritum sanctum. Primũ enim obseruandum est, q̃ quemadmodũ Apostolis in die Pentecostes collatũ est admirabile, & inauditũ illud donũ spũs sancti,

quod est donũ uariarum linguarum, ita non Apostolis solum, sed etiam aliis qbusdam, ut postea Ananiæ exemplum cõprobabit, concessum erat à Domino, ut hi aliis etiã hoc linguarum donum communicarent, non quidem uirtute & efficatia impositionis manuum, (nam Cornelius & alii ex gentibus, qui cum ipso erant, acceperunt per Petrum hoc spiritus sancti donum sine manuum impositione) sed uirtute Domini nostri Iesu Christi. Etenim Christus initio prædicationis Euangelicæ, hoc donum spiritus sancti, hoc est linguarum cognitionem, in eos qui Euangelion adnunciabant, & in eos qui Euangelio credebant opulente effudit, non ut illos celebriores coram mundo redderet, aut hocmiraculo sanctitatem eorum comprobaret: sed ut ministerium Euangelii cõmendaret, sanctificaret, & confirmaret, adeoq; miraculo declararet, qp ministerium Euangelii tale sit ministerium, per quod Dominus scribat, iuxta prophetam, legem suam in uiscerib. nostris, & in corde nostro, adeoq; sit nobis in Deum, & nos in populum eius. Et iuxta alium prophetam tale est ministerium, per quod Dominus aufert à nobis cor lapideum, & dat nobis cor nouum & carneum, spiritum quoq; ponit in medio nostri, & facit ut in præceptis eius ambulemus. Vnde Christus per Euangelistam dixit. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, hoc est, cum effusum fuerit donum linguarum, quod est donum spiritus sancti, tunc manifesto miraculo cõprobabitur, qp meum Euangelion, nimirum, me esse satisfactorem & expiatorem pro peccatis, me esse uiam, uitam & resurrectionem, sit potentia ad salutem omni credenti. Atq; hæc est uera ac germana ratio, cur Christus in ecclesia recens condita, hoc spiritus sancti donum opulente effuderit. Videamus autem nunc, quàm inique Simon de hoc dono & de toto Christianismo sentiat, & quàm male abuti cupiat. Nam uidens donum istud per Apostolos impositione manuum eorum aliis conferri, accepta pecunia, & Apostolis oblata, petiit, ut & eadem potestas sibi conferatur. Hac igitur petitione, principio prodit animum suum, qp Christianismo se tradiderit, non ex synceritate fidei, uidelicet, qp serio affectaret iusticiam, quæ est remissio peccatorum, & ueram salutem, sed ex cupiditate carnali, affectans per Christianismum maius lucrum famæ, gloriæ, honoris & diuitiarum. Simoni huic maxime similes sunt, qui nostra tempestate Euangelio subscribunt, non quia magno desyderio requirant uerâ iusticiam & beatitudinem, sed quia inhiant in opes ecclesiasticas, ambiunt principatum super sacerdotes, quærunt famam apud exteros, student delitiis, & amant licentiam audendi ac faciendi quiduis. Sic Euangelici sunt. At ne erres, Euangelion non docet ambitionem, auaritiam, rapinam, licentiam, & alia id genus scelera, sed docet ueram iusticiam, docet contemptum & neglectum famæ, opum, & honoris propter Christum, docet obedientiam & obseruantiam mandatorum Dei. Proinde, qui hoc in Euangelio quaerunt, quod Simon Magus, hi eodẽ iudicio, quo Simon percellentur. Deinde significat Simon, sua prædicatione & oblatione pecuniæ, qp Christianismum non aliter reputet, quàm mercaturam institoriam, in qua merces precio emuntur ut plutis emptoribus obtrudantur & reuendantur. Sic enim in animum suum induxit Simon: Quid cessas? quid torpes? en oblata est tibi maxima conquirendi lucri occasio. Apostoli hoc habent donũ, ut cuicunq; uelint, communicent donũ spiritus sancti. Vides autem ipsos esse imperitos homines, qui sua cõmoda negligunt, proinde enitere tu, ut ab ipsis hanc facultatẽ coemas, sic. n. paruũ quidem sumptum facies, sed ingens lucrum parabis, paucos nummos expendes, sed hinc multos thesauros nõ diuitiarum solum, sed & honoris & gloriæ acquires. Quisqs enim uoluerit à te hoc dono particeps fieri, non paruo precio id impetrabit. Et curiosi sunt homines, omnes suas diuitias magna animi libentia ꝓfundent, modo his admirandis donis potiantur. Sed heus tu Simon Mage, Christianismus non est mercatura institoria, ut precio emas spiritum sanctum, & postea pluris reuendas, sed est gratuita gratia, qua omnia gratis à Deo absq; ullo uel precio uel merito exhibentur & accipiuntur. Omnes, inquit Esaias, sitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, emite absq; argento, & absque ulla commutatione lac & uinum.

Quare hoc mirabile donum linguarum Ecclesiæ recens natæ collatum sit.

Simoni Mago qui sint persimiles.

Et Pau-

Et Paulus: Iustificantur gratis per gratiam illius per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit DEVS reconciliatorem. Ac rursus. Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Sed de hac re audiamus Petrum, Mago pecuniam pro dono spiritus sancti offerenti respondentem: Pecunia tua (inquit Petrus) tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniis parari. Non est tibi pars neq; sors in hac re, cor enim tuum non est rectum coram Deo, Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & colligatione iniquitatis uideo te esse. Audis sermonem plane apostolicum: Primum enim Petrus ostendit Mago peccatum suum, & dicit, Tu existimas donum Dei pecuniis parari. Hinc igitur intelligo, te specie quidem Christianismum profiteri, sed cor non est rectum & syncerum coram Deo, adeoque radicem in te esse germinantem amarum fel & absinthium, hoc est, te iniquitate plane obrutum et impletum esse. Quæ est autem illa radix fellis? Hæc est, q; putas Christianismum esse mercaturam institoriam, q; Christianismum acceperis non ad parandam ueram iustitiam coram Deo, sed ad comparandam gloriam & diuitias coram hominibus. Vnde quia is est animus tuus, non uere credis in Christum Iesum. Cum autem non habeas ueram fidem in Christum, nondum tibi pristina peccata tua, & imposturæ, quibus multo tempore Samaritanos dementasti, remissæ sunt, adhuc in peccatis tuis es, & insuper grauiori iniquitatis uinculo constrictus teneris, dum & nomine Christi & sacramento baptismi pessime abuteris: atq; hæc est peccati ostensio. Deinde audiamus iudicium, & condemnationem, quæ peccato debetur. Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditionem, hoc est, pereas una cum pecunia tua. Quid hoc? Hoc cine est apostolicum, homines tam crudeliter maledicere & condemnare? At tu scias Petrum nunc non ex priuata temeritate, sed ex publico officio loqui. Officium autem apostolicum est, non solum remittere peccata, sed etiam retinere. Ad Ezechielem dicitur. Si dicente me ad impium morte morieris, non adnunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertatur a uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Ad apostolos dicitur: Ite in orbem & prædicate Euangelion: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur. Iam Simon Magus, certum specimen dabat se non ingenue in Christum credere. Iure igitur a Petro una cum sua pecunia condemnatur. Hic autem mihi obserua quanta sit diuina indignatio super peccata. Iste enim Simon non designauerat latrocinium, non commiserat furtum, non perpetrarat adulterium. Hæc enim flagitia pene sola hic mundus pro peccatis computat. Sed tantum petierat, ut pro oblata pecunia sibi concederetur facultas communicandi aliis donum spiritus sancti, attamen seueriſſima sententia una cum pecunia sua condemnatur. Quid ergo putas futurum super eos, qui grauius aduersus Deum & proximum peccant, nunc blasphemiis, nunc latrociniis, nunc furtis, nunc adulteriis, nunc conuiciis, nunc execrationibus? Si hypocrita, qui tamen habet specimen boni tam grauiter condemnatur, quid fiet illi, qui ne specie quidem bonus est, sed palam & impudenter peccat? Cæterum Petrus hac sua sententia, non solum Simonem, sed primum quidem Simonem, deinde autem in Simone omnes eos condemnat, qui existimant dona Dei pecuniis parari. Et qui sunt illi? rogas? contemplare saltem superiorem Papisticæ religionis statum, & inuenies hac Petri sententia totum Papatum, una cum suis opibus condemnatum esse. Nonne remissio peccatorum donum Dei est? Et quis hoc Dei donum pecuniis uendidit? nonne Papa, Episcopi, & sacerdotes? qui indulgentiis suis hoc egerunt, ut quam plurimos nummos ex his qui peccata sua confitebantur emungerent? Nonne communio sanctorum donum Dei? & quis hoc donum uendidit? nonne monachi? & & hi qui proprias instituerunt fraternitates? Illi enim in suam communionem & fraternitates neminem ferme receperunt nisi numerata pecunia. Dies me deficeret, si pergerem enumerare omnia emptionum & uenditionum genera in ecclesia. Hæc

Ostensio peccatorum in Mago.

Condemnatio Magi Officium Apostolicum.

Qui dona Dei pecuniis uendant.

Igitur Petri sententia tota Papisticæ religionis mercatura condemnata est. Iam & hoc in Simone animaduertendum est, quid illis accidere soleat, qui paruo minime contenti, maiora in gloriam suam, & priuatam utilitatem ambiunt. Erat enim Simon unà cum aliis baptizatus, acceperat etiam, ut uerisimile est, unà cum aliis Samaritanis donum spiritus sancti, seu donũ linguarum. Hoc autem nõ contentus ambit & illud ut non solum ipse habeat donum linguarum, sed etiam facultatem aliis communicandi illud, non ad publicam sed ad priuatam sui utilitatem. Tantum igitur abest, ut ea facultate potiatur ut etiã aliis donis priuetur. Sic Pharao nõ contentus ditione Aegyptiaca, ambiebat etiam dominium super populum Dei. At non solum destituebatur dominio populi Dei, uerumetiam suo imperio. Saul non contentus, q̃ ipse in regem Israelis electus erat etiam hoc quærebat, ut regnum ad posteros suos, inuito etiam num deo, transferret. Sed & ipse occisus occubuit, & posteri eius regnum non sunt assecuti. Proinde admonea-mur his exemplis, & aliena fruamur insania, ut paruo contenti, & in paucis fideles sup multa constituamur. Postremo ostenso peccato, & pronunciata cõdemnationis sententia, ostendit Petrus uiam, qua Simon possit sibi parare peccati remissionem, & effugere condemnationẽ, dicens. Resipisce ab ista malitia tua, & roga Deum, ut remittatur tibi cogitatio cordis tui. Hic iam uides quorsum tendant apostolicæ increpationes & condemnationes, nimirum, non ut hi qui increpantur & condemnantur, perpetuo pereant, sed ut per ista ad ueram salutem perducantur. Tradatur, inquit Paulus, Satanæ ad interitũ carnis, Quare? ut a Satana diripiatur? minime, sed ut spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Et rursus: Redarguito illos seueriter. Quare? ut pereant? absit, sed ut sani sint in fide. Sic enim Petrus hactenus Simonem ob peccatum suũ increpauit & condemnauit. Quamobrem? ut maneat in condemnatione? minime omnium: Sed ut condemnationem effugiat. Vnde indicat ei uiam effugiendi. Resipisce dicens ab ista tua malitia. Resipiscere autem aliud non est, quàm agnoscere peccatum, & credere q̃ per Christum peccatum sit remissum, ac dignos pœnitentiæ fructus proferre. Inter fructus autem pœnitentiæ primarius est, inuocatio nominis diuini, seu oratio. Roga, inquit, Deum ut remittatur tibi ista cogitatio cordis. Vbi nunc sunt qui sentiunt cogitationes cordis esse a uectigali liberas? scilicet peccatum est, quod ore aut manu designas, & non erit peccatum quod cõmittis corde, membro hominis longe oim nobilissimo? Non cõcupisces, inquit lex. Et qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Nec Petrus admonuisset Simonem, ut pro remissione cogitationis cordis oraret, nisi malæ cordis cogitationes essent peccatum coram Deo grauissimum. Iam si rogandus est Deus pro remissione cogitationis cordis, quanto solicitius, quanto studiosius rogandus est pro peccatis aut ore, aut manu aut alioqui externo facto commissis. Sed quid ad hæc Simon? Respondens dixit. Precemini uos pro me apud DOMINVM, ne quid ueniat in me horũ, quæ dixistis. Siue Simon pia resipiscentia, siue impio metu apostolorum, interpellationem petiuerit, certum tamen est, alienam interpellationem nihil ualere, nisi is pro quo interpellatur resipiscat. Intercedit Mose pro Pharaone: sed is fit induratior. Intercedit Samuel pro Saule: sed audit. Vsq; quo luges Saul, cum ego proiecerim eum. Prohibetur & Ieremias ne oret pro populo: siquidem is nullo pacto potuit ad pœnitentiam perduci. Et per eundem prophetam dicit DOMINVS. Si steterint Mose & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Ad Ezechielem quoq; factus est sermo Domini dicens. Fili hominis terra cum peccauerit mihi, ut præuaricetur præuaricans, extendam manum meam super eam, & conteram uirgam panis eius, & immittam in eam famem & interficiam de ea hominem & iumentum. Et si fuerint tres uiri isti in medio eius Nohe, Daniel & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Hæc cũ ita se habeant, rogemus quidem dilectissimi, proximos nostros, ut pro nobis apud Deum intercedant. Nam & Paulus, tantus uidelicet apostolus, qui in tertium cœlum raptus fuerat, obsecrauit Romanos fideles quidem, attamen Paulo in pietate longe inferiores, ut ipsum laborantem precationibus ad Deum adiuuarent. Non est autem sentiendum, q̃ solæ

Simonis exemplo admonemur, ut paruo simus contenti.

Quorsum tendant Apostolicæ increpationes.

Resipiscere.

Cogitationes cordis non esse liberas.

Alienam orationem non ualere nisi ipsi resipiscamus.

solæ proximorum nostrorꝝ preces sufficiant. Sed resipiscendũ est nobis ipsis, & in fide uocationi nostræ seruiendum. Sic enim fiet, ut adiuti alienis precibus, perpetuam salutem consequamur in Christo Iesu Dño nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA XXXVII.

ERIT dies, inquit Ieremias, in qua clamabunt custodes in monte Samariæ, & in monte Ephraim: Surgite & ascendamus in Zion ad DOMINVM deum nostrum. Quod propheta futurum prædixit, hoc testatur nunc Lucas actorum Apostolorum scriptor impletum esse. Hi enim plantatores & custodes uinearum, quorum Propheta meminit sunt, Philippus, Petrus & Ioannes, qui primi plantarunt Ecclesiam Christi in Samaria, & excitarunt Samaritanos ut secum ascenderint in Zion ad DOMINVM deum nostrum. Quomodo hoc inquis, factum est, cum post historiam Simonis Magi Lucas ita subiungat? Et illi quidem testificati & locuti sermonem Dei, reuersi sunt Hierosolymam, & multis oppidulis Samaritanorum euangelizabant. Hic dicit quidem Lucas, Apostolos prædicasse Euangelion in Samaria, attamen non scribit Samaritanos unà cum Apostolis profectos esse ad Zion aut Hierusalem. Neqꝫ enim id licebat, partim ob multitudinem credentium Euangelio in Samaria, partim ob persecutionem quæ erat Hierosolymis aduersus credentes, partim etiam ob inueteratum odium, quo Iudæi Samaritanos persequebantur. Quomodo igitur illud impletum est quod Propheta prędicit Samaritanos ad Zion cum Apostolis ascensuros. Facile ad hoc responderi potest, si sciamus quid sit ascendere in Zion ad Dominum deum nostrum. Non enim est pedibus proficiscì in Hierusalem, sed est credere Euãgelio, quod in Zion seu Hierusalem manifestatum est. Qui enim credit Euangelio de Iesu Christo, is ascendit ad Zion. Proinde quotquot adhibuerunt fidem prædicationi Apostolorum, hi unà cum Apostolis ad Hierusalem profecti dicuntur ad Dominum Deum suum. Ex hoc autem loco nobis discere licet, quomodo non solum uere ad Hierusalem, quam nũc uocamus sanctum sepulchrum, sed etiam ad Dominum deum nostrum peregrinari debeamus. Sunt enim qui religionis ergo, & consequendę remissionis omniũ peccatorum gratia proficiscuntur ad Hierusalem, hoc est, terram sanctam, ad inuisendum sepulchrum Christi, & illic ob egregium illud peregrinationis facinus equites aurati creantur. Iam licebit quidem sepulchrum Christi inuisere, licebit & coram mundo eques auratus uocari. Hoc autem prorsum contra Christianismi rationem agitur, qꝫ remissio peccatorum ex opere peregrinationis sperat, nec est qꝫ eques auratus coram Deo reputetur, qui hunc honorem in hoc sæculo consecutus est. Proinde qui ita peregrinati sunt ad Hierusalem, hi sæpenumero ad Satanam potius qꝫ ad Dominum deum nostrum profecti sunt. Sed hoc demũ uere est ascendere ad Zion & peregrinari ad Hierusalem, uidelicet, credere in Euangelion de Iesu Christo, qꝫ per ipsum habeamus remissionem peccatorum, & placatum patrem in cœlis. Hac enim peregrinatione ascenditur ad Dominum deum nostrum, & impetratur, ut uere equites aurati coram Deo efficiamur. Etenim qui Euangelio credit, necesse habet primum omnibus renunciare quæ possidet, ita ut porro nihil earum rerum nisi pro uoluntate & mandato Dei uti uelit. Deinde pugnare aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum sæculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Qui autem hæc forti animo ausus fuerit & fecerit, nonne multo meliori iure eques auratus dici meruit, qꝫ qui uel sexcẽties Turcarum impetus sustinuit.

Ascendere in Zion quid sit & quæ uera peregrinatio ad terrã sanctã ut uocãt.

Veri equites aurati.

Talis eques fuit Paulus, dicens: Bonũ certamen decertaui, cursum consumaui, fidem seruaui, quod supereſt, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi DOMINVS in die illo iustus iudex. Tales fuerunt Hebræi ad quos Apostolus ita scribit: Ingens certamen sustinuistis afflictionum, partim quidem dum & probris & pressuris affecti, spectaculo fuistis omnibus, partim dum consortes ita conuersantium facti estis. Itaq; enitamur etiam nos, ut fide in Euangelion, ad Zion, ad Dominum deum nostrum peregrinemur, immo ad patriam proficiscamur, & decertantes bonum certamen contra aduersarium nostrum Satanam, militiæ coronam assequamur. Sed expugnata per Philippum Samaria, & in obedientiam Christi per Apostolos Petrum & Ioannem recepta & confirmata, tempus est ut aliæ quoq; regiones debellentur & sub iugum Christi mittantur. De Messia enim prædictum est, q; dominaturus sit a mari usq; ad mare, & a flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Postquam igitur resurrexit a mortuis, & in cœlum ascendit, misit Apostolos, alioscq; discipulos in totum orbem terrarum ut omnes populos in fidem reciperent, & Messiæ obedientes redderent. Fit autem hæc regionum expugnatio ualde admirabiliter, non armis carnalibus, non gladijs ferreis, non exercitu cataphracto, non hastis acutis, sed sola prædicatione Euangelij, solisq; imbecillibus Christi discipulis, nullo huius sæculi præsidio munitis. Accedit & hoc mirum, q; regionum populi ita in fidem & obedientiam Messiæ recipiuntur, ut nihilominus tamen maneant subditi suorum magistratuũ ciuilium, immo his multo obedientiores in rebus ciuilibus per fidem in Iesum Christum fiant. Non enim Samaritani ideo a suo magistratu defecerunt, quia per prædicationem Philippi nouo regi Iesu Christo sese tradiderunt, sed potius obsequentiores magistratui ciuili in rebus ciuilibus facti sunt, q; ex fide in Christum didicerint, magistratum esse ordinationem Dei. Recepta ergo Samaria in fidem Iesu Christi, quam deinde regionem inuasit Philippus occupandam, & ad fidem Christi ducendam? profecto, quantum e sequenti historia de Eunucho præfecto reginæ Candaces in Aethiopia animaduerti potest, per unum hominem eumq; principem ad fidem Christi tractum, inuasit totam Aethiopiam occupandam. Etenim hoc quoq; antea per prophetas prædictum est, q; Aethiopia sese traditura sit in obedientiam Christi. Venient, inquit psalmus, legati ex Aegypto, Aethiopia leuabit manus suas ad deum. Et rursus: Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopum nascuntur illic, uidelicet in Zion. Ac iterum: Coram illo procident Aethiopes. Et alius propheta: Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes in Nabaioth ministrabunt tibi. Videamus igitur nunc quomodo id quod prophetæ prædixerunt, compleri per Philippum cœptum sit. Angelus DOMINI locutus est ad Philippum dicens: Surge & uade meridiem uersus, ad uiam quæ descendit ab urbe Hierosolymorum, ad ciuitatem Gazam, hæc est deserta. Et surgens abijt. Vide obsecro promptissimam Philippi obedientiam. Mandatur ei ab angelo, ut ad eam uiam uadat quæ ducit ad Gazam urbem Philistinorum, quondam quidem florentem, nunc autem desertam, aut in deserto sitam. Ille autem confestim mandato angeli obsequitur, nihil responsat, nihil requirit, nihil interrogat quid illic facturus aut passurus sit, num prædicaturus Euãgelion auibus in deserto? num seipsum obiecturus latronibus? nihil harum rerum requirit, sed statim angelo uocanti obsecundat. Exemplum obseruandum, ut præcepta Dei quæ nobis diuinitus proponũtur non curiose scrutemur, sed pia simplicitate eis obediamus. Etenim Dominus Deus noster hanc fere consuetudinem habet, ut in mandatis suis quæ in præsentiarum quidem facienda sunt palam præcipiat, quæ uero in futurum facienda sunt, ea usq; ad suum tempus reuelanda cælet. Sic præcipit Abrahamo, ut exiret de terra, de

Arma Apostolica.

Vocatio Aethiopum.

,,
,,
,,

Mandata dei non esse scrutanda, sed exequenda.

ra, de cognatione & de domo patris sui, & ueni (inquit) in terram quam monstra uero tibi. Exire iubet, terram autem ad quam exire debet usq; ad suum tempus reuelandam cælat. Sic Samueli præcipit, ut impleat cornu suum oleo, & uadat ad Isai Bethleemitam, ut unum ex filijs eius regem ungat. Mandat Dominus Samueli, ut ad filios Isai proficiscatur, quem autem ex filijs ungere debeat, nondum reuelat, donec ungendus coram sistatur. Sic & angelus Philippo præcipit ut abeat ad uiam quæ ducit ad Gazam, non autem ostendit ei quid illic agere debeat, donec ad eum locum perueniat. Iam cum illi sine omni tergiuersatione nudis Dei præceptis obedierint, quanto magis æquum est ut nos mandatis diuinis obediamus, nihil responsantes, nihil tergiuersantes, nihil requirentes quare Deus hoc præceperit, & non diuersum, cur hoc faciendum sit & non contrarium, & quid in futuro sæculo agendum sit si nunc præceptis dei obsequamur. Hanc inquam curiositatem quoquo modo possumus effugiamus, tunc enim quod in futurum scitu & factu necessarium est, suo tempore & commoditate nobis reuelabitur. Sed redeamus ad Philippum. Hic enim surgens abijt, & ecce uir
" Aethiops eunuchus, præfectus Candaces reginæ Aethiopum, quem præfecerat
" uniuersæ gazæ suæ, uenerat adoraturus Hierusalem, & reuertebatur sedens su
" per currum suum, legebatq; Esaiam propheram. Multis nominibus hic Aethi-
" ops commendatur, primum a muneris sui dignitate & potentia, erat enim dy- I. Aethiopis
nastes seu præfectus reginæ Aethiopum, quæ uocabatur Candace, siue illud ge commẽdatio.
nerale nomen fuerit reginarum Aethiopiæ, quemadmodum regum Aegyptiorum Pharao, siue illa fuerit quam sæculares literæ scribunt Aethiopibus imperasse, mulierem uirilem sane, sed altero oculo captam. Hic cum fideliter præfecturam suam administrasset, quæsturam adeptus, & uniuersæ regiæ gazæ præfectus est. Sic enim ordinatione diuina fieri solet, ut qui iuxta Euangelicam sententiam in minimo fidelis est, super multa constituatur. Nam quod regina crediderit ei omnes suos thesauros, argumentum est, ipsum fidelitatis uirtute alios longe superasse. Deinde commendatur quoq; a pietate animi. Tametsi enim II. commen
longe ab urbe Hierusalem habitabat, tamẽ illuc orandi causa profectus est. Sed datio.
inquis, an non potuit domi suæ Deum adorare, quid opus erat ad Hierusalem proficisci? Potuit quidem, & ea fuit pietas eius, ut proculdubio etiam sine intermissione domi suæ deum adorauerit, sed quia templum Hierosolymitanum promissionem Dei habebat, ut quisquis siue Iudæus siue alienigena in eo loco oraret, uoti sui compos redderetur, ut testatur dedicatio Salomonis, unde & domus orationis uocabatur. Ideo multi ad hoc templum etiam e longinquis regionibus orandi causa proficiscebantur. Hoc autem nihil aliud erat cẽ publica disciplina & legis rudimentum. Christus enim qui est uerum templum, dicit: Veniet hora & nunc est, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem, sed ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Commendatur igitur Aethiops, q; legis rudimentum obseruarit donec per Christum in ueritate eruditus est. Accedit & hoc ad pietatem eius, q; in itinere in curru sedens, non uacabat ocio, aut legendis fabulis, sed legebat, inquit Lucas, Esaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo, accede & adiunge te ad currum istum.
" Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem prophetam Esaiam, & tum
" primum intelligens quare iussus fuisset in eam uiam abire, & sese ad currum iun
gere. Et dixit ad Aethiopem, intelligis ne quæ legis? At ille ait: Qui nam enim
" possum, nisi aliquis dux uiæ mihi fuerit? Rogauitq; Philippum ut ascenderet,
" sederetq; secum. Alia Aethiopis uirtus commemoratur, quod tam potens uir
" multa humanitate ad se in currum suum inuitauit hominem forte obuium, & ut III. Com-
apparebat abiectum ac sordidum, & quod non erubuerit suam ignorantiam fa- mendatio.

teri,& ab illo quantumuis abiecto homine discere sensum prophetæ. Profecto multi nostrum longissime ab his uirtutibus absumus,si enim uel paucissimo honore in hoc sæculo prædíti sumus,quasi nos soli uiueremus,ita alios præ nobis fastidimus ac præsumimus nos omnia,non solum quæ ad ciuilem rerum administrationem,sed etiam quæ ad religionem pertinent,scire,nec cuiusquam indigere,qui nos in rebus sacris erudiat. Quid autem ista arrogantia aliud secum attulerit quàm extremam perniciem? Quid ista scientiæ præsumptio aliud significauerit quàm summam ignorantiam? Vsias rex Iudæ reiiciens sacerdotes,docentes eum,ne contra legem DOMINI incensum adoleret, & existimans se legem Domini melius omnibus sacrificulis nosse,quid aliud arrogantia & præsumptione sua egit,quam q̃ seipsum publicæ infamiæ obiecit,& lepra contaminauit? Pharisæi arrogantia & præsumptione ad cæcum dicentes. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? atq̃ illum eiicientes seipsos excæcarunt. Ecquid aliud accidisset huic Aethiopi,si Philippum ut hominem contemptum fastidisset? Non enim consecutus esset cognitionem Christi, qua priuatus, nunquam ueram salutem adeptus esset. Nunc autem amplectitur Philippum humaniter, fatetur suam ignorantiam ingenue,& doceri cupit etiam ab homine omnium abiectissimo, unde uere illuminatur cognitione Christi quæ est uita æterna. Proinde omni studio enitendum nobis est, ut excluſa omni arrogantia & superbia, dociles nos præbeamus ad perdiscenda sensa sacræ scripturæ, qua eruditi non tam ad omne opus bonum præparemur, quàm perpetuam fœlicitatem consequamur per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula Amen.

Præsumptio & arrogantia quantum malum.

HOMILIA XXXVIII.

QVæ adhuc reliqua sunt de eunucho Aethiope, hodierno die,amicissimi, uestris precibus adiuti persequemur. Eunuchus enim reuertens a Hierusalem, non ociabatur in curru quo uehebatur, nec nugacibus fabulis tempus terebat, sed animum suum diuina lectiõe pascebat. Tunc autem, quando Philippus accesserat,in eum locum Esaiæ inciderat, qui scriptus est capite quinquagesimo tertio. Sic enim Lucas ait: Argumentum scripturæ quam legebat erat hoc: Tanquam ouis ad occisionem ductus est,& sicut agnus coram tondente se mutus,sic nõ aperuit os suum, in humilitate ipsius iudicium eius sublatum est, generationem autem eius quis enarrabit? quoniam tollitur de terra uita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo dixit: Obsecro te de quo propheta dicit hoc? de se an de alio quopiam? Aperiens autem Philippus os suum,& incipiens a scriptura ista prædicauit illi Iesum. Non est alius propheta qui clarius & dilucidius de Iesu Christo scripserit quàm Esaias. Vnde haud immerito aplæriscq; Euangelista uocatur. Et Euangelistæ testimonijs huius prophetæ ad illustrandam rationem Christi frequentissime utuntur. Est & huius prophetæ liber oblatus Christo, surgenti ad legendum in Synagoga Nazarethana, & statim ut Christus librum explicauit, inuenit locum ubi scriptum erat: Spiritus domini super me, propterea quod unxerit me. Quare optime conueniebat, ut cum eunuchus iam cognitione Christi illuminandus esset, diuina dispensatione eius prophetæ lectionem arriperet, qui maxime omnium de Christo & regno eius prophetauit. Videamus ergo & nos, quomodo id quod in curru Eunuchus legit, tanquam ouis ductus est ad occisionem, & reliqua, non de ipso Esaia, sed de Iesu Christo intelligendum sit. Esaias quidẽ hęc scribit,& passus est dura sub rege Manasse, a quo dicitur esse in

Commendatio Esaiæ prophetæ.

duas

duas partes sectus. Sed neq; præcedentia neq; sequentia in alium quàm in Iesum Christum conueniunt. Præcedit enim: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ac mox: Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Qui possunt hæc uel in Esaiam uel in quemuis alium aut patriarcham aut prophetam, aut martyrem competere? Tametsi enim Esaias & multi alij iniuriam a persecutoribus, qui ipsos absq; ulla iusta & legitima causa trucidarint, passi sint, nullus tamen eorum languores nostros & dolores portauit, nullus propter nostra scelera occisus est. Et nullius passione pacem habemus. Nullius liuor, nostra sanitas est, nec Dominus in ullo eorum iniquitates nostras posuit. Quin & ipsi quotquot sunt patriarchæ, prophetæ & martyres, ad eum quoq; catalogum pertinent, de quo Esaias dicit: Omnes nos quasi oues errauimus. Vnde & si iniusta ab hominibus & coram hominibus passi sunt, tamen coram Deo peccatores existentes, iustissima supplicia pertulerunt. Dicit enim Dauid: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Audiamus & ea quæ sequuntur: Sepultus est ut impius, & mortuus ut diues, cum tamen peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius. Ac mox: In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, quia ipse portat iniquitates eorum, & reliqua quæ sequuntur. Putas ne hæc posse uel de Esaia, uel de alio quopiam præterquam de Christo intelligi? Vt concedam Esaiam & alios quosdam sepultos esse tanquam impios & mortuos, tanquam diuites (hoc est, iniquos, dicuntur enim diuitiæ Mammona iniquitatis) quis de ullo alio homine quàm de Christo intelliget, quod additur, peccatum non fecit, & dolus non est inuentus in ore eius? Tametsi enim Esaias aut alij fortassis minime externa flagicia & publica scelera designarint, tamen quid est homo, ut immaculatus sit, & ut iustus appareat, natus de muliere? Ecce cœli nõ sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem. Sed multo minus illud in Esaiam aut alios huius farinæ homines competit, quod dicitur in scientia sua iustificabit ipse iustus multos. Nullus enim ex cognitione uel Esaiæ uel aliorum patriarcharum & prophetarum redditur uere iustus, nisi cognouerit & crediderit in eum quem prophetæ prædicauerunt. Proinde, si neq; præcedentia neq; sequentia in Esaiam aut alios sui similes conueniunt, quomodo possunt hæc uerba, Sicut ouis ad occisionem ductus est, & cætera, in eos conuenire? Conueniunt autem in solum Iesum Christum Dominum nostrum, is enim est qui uere languores nostros tulit, & dolores portauit, quemadmodum & Matthæus capite octauo interpretatur. Is est super quem Deus posuit omnes nostras iniquitates, e cuius supplicio pacem habemus, e cuius liuore sanitatem consecuti sumus. Is est qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Is est, qui cognitione sui, hoc est, fide in ipsum, iustificat multos. Vnde & illud quod de taciturnitate & patientia in supplicio scribitur, de ipso intelligendum est. Ductus enim est Christus ad occisionem sicut ouis, quæ non aperit os suum, & sicut agnus obmutescit coram tonsore, ita Christus obmutuit coram omnibus suis persecutoribus. Non detrectauit supplicium, sed sua sponte obuiam processit hostibus suis. Cum maledictis incessaretur, non regessit maledicta, cum malis afficeretur, non minabatur, sed tradidit uindictam ei qui iuste iudicat, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iustitiæ uiueremus, quemadmodum Petrus hunc Esaiæ locum interpretatur. Cæterum, ubi noster textus habet, in humilitate ipsius, iudicium eius sublatum est, uerius ita le-

Quod locus Esaiæ ex 53. ca. nõ de propheta, sed de Christo intelligendus sit.

1. Pet. cap. 2.

gitur. De clausura (seu tribulatione) & iudicio sublatus est. Christus enim de carcere mortis & de condemnatione liberatus est, ac de morte surrexit, quis igitur nunc generationem eius enarrabit: quis satis explicabit, quandiu post resurrectionē uicturus & duraturus sit? Etsi enim de terra uiuentium uita eius sublata sit, tamen ita a mortuis resurrexit ut perpetuo non solum sit uicturus, sed etiam regnaturus. Regni enim eius non est finis, super solium Dauid sedebit, & regnabit a modo usque in sempiternum. Quia igitur totus hic Esaiæ locus de Christo intelligendus est, commode ab hoc loco incœpit Philippus, & prædicauit Eunucho Iesum. Quid de ipso prædicauit: nimirum Iesum esse filium dei, Iesum esse uerum illum Messiam seu Christum a prophetis prædictum. Et quia Messias est, adeo Messiæ etiam officium habet, uidelicet, quòd per ipsum benedicantur omnes gentes qui in eum credant & baptizentur, quod per ipsum remittantur peccata, quod per ipsum uera iusticia, sanctificatio, salus, uita, & redemptio contingat, hoc enim est Messiæ officium. Quid ergo ad hæc Eunuchus? Sequitur: Dum irent per uiam, uenerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer: Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit sisti currum, ac descenderunt ambo in aquam Philippus simul & Eunuchus, & baptizauit eum. Primum obserua ardentissimum fidei desyderium in Eunucho, quo is suapte sponte baptismum ambit. Et unde hæc fides? unde hoc desyderium? certe non aliunde quàm e prædicatione de Iesu Christo.

Locus in humilitate ipsius quomodo legendus.

Commendatio uerbi dei.

Igitur prædicatio de Iesu Christo ea est, per quam Deus spiritum fidei & obedientiæ largitur. Potuisset enim Deus Eunucho spiritum sanctum communicare citra lectionem Esaiæ & interpretationem Philippi de Iesu Christo, at noluit ei hunc absq; his organis communicare, ut ostenderet Euangelion esse ministerium spiritus & reconciliationis, adeoq; potentiam ad salutem omni credenti. Cur autem baptismum ambit? an non sufficiebat ei fides sua? Vult etiam obsignari & confirmari externo signo. Dixit enim Christus: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Baptismus igitur signum illud est quo fides nostra obsignatur, ut certi simus ea beneficia quæ de Christo credimus, nostra esse & ad nos ipsos pertinere. Vnde & baptismus dicitur lauacrum mundationis, regenerationis & renouationis spiritus sancti, eo quod mundationem, regenerationem & renouationem uerbo fidei acceptam obsignat atq; confirmat.

Baptismus.

Deinde & illud obseruandum est, quod Philippus non baptizet Eunuchum nisi prius explorata fide eius. Nemo enim baptizandus est nisi credat, propterea quod baptismus obsignatio sit eorum bonorum quæ fide accipimus & possidemus. Ergo ubi fides abest frustraneus est baptismus. Ex hoc loco Anabaptistæ suum errorem probare conantur, & sentiunt pueros non esse baptizandos, sed expectandum esse donec adolescant, ut sciant rationem fidei suæ reddere. Dicunt enim pueros non posse habere fidem, & eunuchum adultum baptizatum esse, cuius exemplo non nisi adultos esse baptizandos. Primum autem uanissimum est quod dicunt pueros non posse habere fidem. Nam Christus ideo etiam puer factus est, ut significet pueros esse filios Dei, at nemo est filius Dei nisi fide. Sunt & pueri capaces spiritus sancti, ut ostendit exemplum Iohannis Baptistæ, qui igitur non possent esse capaces fidei? Ad hæc placent pueri Deo, unde Christus eis benedicit. Nec placent ei tantum ut reliquæ creaturæ, sed ut salutem & uitam æternam eis impertiat. Talium enim inquit est regnum cœlorum. Atqui sine fide impossibile est Deo placere. At non omnes habent fidem? Sint sane ista, num ergo propterea nulli erunt baptizandi? eadem profecto ratione

Error Anabaptistarum, q; pueri non sint baptisandi, cōfutatur.

nulli

nulli etiam adulti essent baptizandi, eo quod non omnes habeant fidem. Sufficit igitur quod sciamus pueros posse habere fidem, & quod eam fidem suo ore, hoc est, patrini seu tutoris (huius enim os, pueri os est) confiteantur. Iam finge infantes nec posse habere fidem, num & sic non essent baptizandi? Absit. Nam & circuncisio in lege requirebat fidem propter promissionem. Attamen necesse habebant infantes circuncidi. Et baptismus est signaculum quo Deus percutit fœdus cum homine, quod uelit ei esse propitius pater propter Christum & perpetuam salutem dare. Vult autem Deus non solum adultis, uerum etiam infantibus esse propitius pater propter Christum. Quare signaculum huius fœderis & promissionis, non est infantibus denegandum. Porro autem exemplum Eunuchi non est tanti, ut absque præcepto Dei regulam facere queat, neminem nisi adultum baptizandum esse, alioqui enim nemo esset baptizandus nisi Aethiops, nisi Eunuchus, nisi in ea regione, nisi in ea aqua in qua præfectus ille Candaces baptizatus est. Quare ridiculum est quod Anabaptistæ ab exemplo huius præfecti statuere conantur, exempla enim non sunt canones rerum agendarum, sed Verbum DOMINI omnium rerum canon est. Dicit autem CHRISTVS: Ite, baptizate omnes gentes. An non & pueri inter gentes comprehenduntur? profecto comprehenduntur. Itaq; iubet Christus, ut & pueri si offerantur, & fidem suam quo licet ore confiteantur, baptismo inicientur, & in catalogum sanctorum recipiantur. Sed quid illud est quod Philippus baptizat Eunuchum in fluuio, ad quem fortuna quadam illi accesserant? licet ne baptizare homines aqua prophana papisticis execrationibus non sanctificata? at tu obseruabis aquam, nulla humana benedictione posse ad baptismum consecrari, sed Verbo Christi, quo is baptismum instituit, quæuis obuia aqua ad baptizandum usurpata sanctificatur. Quemadmodum enim Verbo creatoris, herbæ, fructus arborum, & carnes animalium quorundam brutorum in cibum sanctificantur, & ut uerbo Christi Cœna Dominica in corpus & sanguinem suum consecratur, ita & uerbo Christi quo baptismus instituitur aqua ad baptizandum dedicatur. Proinde & si fluuius quo Philippus Eunuchum baptizauit non fuit oleo consecrationis inunctus, tamen quia baptismus exhibitus est iuxta uerbum DOMINI aqua ad baptismum usurpata, uero oleo, hoc est, potentia spiritus sancti consecrata est. Quid ergo post baptismum fit? Cum ergo ascendissent ex aqua, spiritus DOMINI rapuit Philippum, nec amplius uidit eum Eunuchus, ibat enim per uiam suam gaudens. O stupendum miraculum, non tam hoc nomine, quod spiritus Philippum subito ex oculis Eunuchi eripuerit, quàm quod Eunuchus ablato præceptore & baptizatore suo, nihilominus in itinere perrexerit gaudens. Vnde obsecro tanta mentis lætitia in Eunucho orta est? Iustificati, inquit Paulus, ex fide, pacem habemus erga Deum, per DOMINVM nostrum Iesum Christum. Etenim priusquam Eunuchus in Christum crederet, habebat conscientiam propter peccata tristem, timidam & prorsus turbatam & contritam. Quærebat autem ei remedium nunc peregrinationibus ad Hierusalem, nunc lectionibus Prophetarum, nunc alijs operibus, sed hæc absque cognitione seu fide in CHRISTVM, non sunt tanti, ut possint conscientiam pacificare, & quo magis quærebat iustitiam legis seu operum, eo turbatiorem reddebat conscientiam. LEX ENIM AVGET NON AVFERT PECCATA, & turbat, nõ pacificat conscientiam. Postquam uero Christum fide cognouit, & in ipsum credidit, statim ex fide ita tranquillam conscientiam adeptus est, ut nec præsentanea mors ipsam turbare potuisset. Porro autem hic Eunuchus Aethiops surget in iudicio nobiscum, &

Exempla nõ esse canones rerum agendarum.

An liceat quauis aqua baptizare.

Vnde conscientia reddatur pacata.

condemnabit nos propter nostræ fidei imbecillitatem, aut potius propter nostram incredulitatem. Hic enim nullis uisis miraculis, nulla ante prædicatione de Iesu Christo audita ad unam prædicationem Philippi hominis obscuri, aduenticij, & nulla authoritate præditi in Iesum Christum tanto feruore credidit, ut sortem suam cum nullo Crœso aut Crasso cõmutasset. Nos autem quotidie audimus miracula, partim a Christo, partim ab Apostolis & alijs ædita. Quotidianas audimus de Iesu Christo conciones, attamen ne sic quidem credimus: & si etiam fidem nos habere existimemus, ea tamen glacie frigidior est. Profecto tantam ignauiam & torporem impune non feremus. Proinde amicissimi excitemus exemplo Eunuchi, ut abiecta mentis frigiditate, calore fidei, flammis spi
» ritus sancti accendamur. Sequitur: Philippus autem repertus est Azoti, &
» pertransiens Euangelizabat ciuitatibus cunctis donec ueniret Cæsaream. Eunuchus quidem perrexit in itinere suo gaudens, & quantum ex feruore fidei eius conijci potest, non obticuit miracula Christi in Aethiopia sua. Qui enim non prædicasset illum per cuius fidem tanta beneficia consecutus est? Qui non confessus fuisset illum, per quem ex inferni ignibus, quas in conscientia sua iamdudum senserat, liberatus est? Philippus autem a spiritu translatus est in Azotum, urbem Palestinæ, quæ Hebræis Asdod uocatur. Et ut fideliter suo ministerio defungatur, ibidem ac in finitimis ciuitatibus Euangelion de Iesu Christo prædicauit. Vides nunc quantus fuerit fructus persecutionis in Hierusalem aduersus Euangelion ortæ. Primum Samaria ab exule Philippo Euangelion discit. Deinde Euangelion totam Aethiopiam per Eunuchum inuadit. Postremo etiam in urbibus Palestinæ Christus adnunciatur. I nunc & dic aduersas afflictiones esse damna, detrimenta, & dispendia nostra. Quis enim sic insaniat, uidens persecutiones maximas ferre utilitates? Nam ut dicam quod res est, non potest nobis in Christum credentibus uel tantillum aduersi accidere, per quod Deus non meditetur se nobis ingentia beneficia collocaturum. Proinde forti animo aduersa toleremus, ut & beneficiorum participes reddamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula, Amen.

CAPVT NONVM.

HOMILIA XXXIX.

Scopus euangelicæ doctrinæ.

EVANGELICAE DOCTRINAE, AMIcissimi, scopus hic est, ꝙ nemo propter suam ipsius iusticiam possit beneficia perpetuæ salutis assequi, sed quod DOMINVS deus noster gratis sine ullis meritis aut operibus nostris placatus nobis factus sit per Iesum Christum filium, & per eundem remittat peccata, iustos nos per fidem reputet, ac sempiternam salutem conferat. Atq; adeo hæc omnia faciat absque ullis operum nostrorum meritis, sed mera gratia, clementia & misericordia, qua nos non propter nos, sed propter Iesum Christum filium suum complectitur, sicut Iohannes testatur: Accepimus gratiã pro gratia. Sed id quicquid est, humano captui minime omnium uerisimile uidetur. Is enim sentit ꝙ Deus non gratis sua beneficia conferat, sed ꝙ nos ea mereamur nostra iusticia, & præparemus nos nostris meritis ad recipiendam gratiam Dei. Vnde si iudicio carnali propo-

Ratio quid sentiat de negocijs fidei.

nantur

nantur Esau & Iacob, Petrus & Iudas, & inquiratur, cur Esau & Iudas reprobati, Iacob autem & Petrus approbati & in gratiam Dei recepti sint, confestim pronunciat caro, Iacob & Petrum aliquid dignitatis aut uirtutis in se habuisse, quod Esau & Iudas non habuerint. Et illos quidem sese præparasse sua iusticia uel præcedenti uel sequenti ad suscipiendam gratiam diuinam, hos uero non se præparasse. Hoc autem est totum Euangelion, non solum obscurare, sed etiam abnegare. Proinde ut huius carnalis iudicij iniquitas declaretur & aperte cognoscatur, ꝙ nulla humana iusticia sit parasceue seu præparatio ad suscipiendam fidem in Christum, hoc est, ad suscipienda perpetuæ salutis beneficia, illustrem fecit Deus Paulum, primum optima iusticia legis, deinde uiolenta conuersione ad fidem in Christum. Erat enim Paulus longe omnium iustissimus in lege, attamen tantum abest ut ea iusticia præparauerit se ad suscipiendum Christum, ut quo iustior erat, eo plus restiterit & necesse habuerit uiolenta Christi potentia ad Christum adduci. Videamus igitur Pauli iusticiam, sic enim ait Lucas: Saulus adhuc spirans minas ac cædem aduersus discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum & petijt ab eo epistolas quas perferret Damascum ad synagogas, ut si quos inuenisset eius uiæ, seu uiros seu mulieres, uinctos duceret in Hierosolymam. Quid hoc, inquis? probaturus nobis Paulum omnium iustissimū fuisse in lege, indicas Paulum ecclesiam Christi persecutum esse. Hæcine est iusticia Pauli ꝙ persecutus sit Ecclesiam Christi? Profecto, si rem recte perpendamus, inueniemus hoc opus summę in speciem iusticiæ in Paulo fuisse. Sic enim aliàs de seipso testatur, ad regem Agrippam dicēs: Vitam meam quam egi ab adolescentia, quæ ab initio fuit Hierosolymis in gente mea, nouerunt omnes Iudæi, qui prius nouerunt me ab initio si uelint testimonium ferre, ꝙ secundum exquisitissimam sectam nostræ religiōis uixerim pharisæus. Ac rursus ad Philippenses: Si quisquam alius uidetur fiduciam habere in carne, ego magis habeo, circuncisus octauo die, Israël ex genere tribus BenIamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Pharisæus, iuxta iusticiam quæ est in lege factus irreprehensibilis. Porro inter Hebræos sanctior & religiosior secta fuit Pharisæorum. In qua cum Paulus irreprehensibiliter uixerit, facile animaduerti potest, ipsum iusticia & sanctitate omnes alios superasse. Alij enim Iudæi aut nullam religionem requisierunt, sed curarunt uentrem, parum soliciti de religione, aut defecerūt ad gentium idololatriam, aut persecuti sunt Christianam fidē, non zelo suæ religionis, sed zelo ambitionis & auariciæ suæ, uerentes ne si Christiana fides promoueret, necesse haberent inglorij & inopes uiuere. At Paulus, de sua religione in tantum sollicitus erat, ut non cupiditate gloriæ, nō auaricia, sed tantum zelo religionis suæ, Ecclesiam Christi tam crudeliter persequeretur. Vnde computat etiam sibi hanc persecutionem in iusticiam legis & dicit: Institutus sum in patria lege accurate, sectator Dei, sicut & uos omnes estis, qui hanc uiam persecutus sum usq; ad mortem. Et iterum: Iuxta studium persequēs Ecclesiam. Apparet igitur Paulum, quod ad obseruantiam legis attinet, iustissimum omnium Iudæorum fuisse, ac uiuum ut uocant sanctum, quando nullus alius tanta honestate in Pharisaismo uixerit, & contrariam sectæ suæ religionem tanto zelo persecutus sit. Non enim contentus est ꝙ in Hierusalem sanctos carceribus includeret, & sententiam ad occidendum eos deferret, sed etiam persequitur eos usq; in exteras nationes. Ob quam causam acceptis literis a principibus sacerdotum ad Damascum proficiscebatur, ut & illic Ecclesiam Christi uastaret, & sanctos ad Hierusalē uinctos perduceret. Pessime enim habebat uirum, ꝙ ex pſecutiōe Hiſmitana Euāgelion latius sparsum esset. Proinde ad delendū Euangelion & trucidandos sanctos Christi, tanq; ad extinguendū publicū incendiū,

Iusticia Pauli coram mūdo sanctissima.

maximo animi æstu, etiam externas regiones peragrabat, existimans se hoc opere gratissimum Deo obsequium præstare, ac manus suas non minus sanctificare in sanguine Christianorum q̃ Leuitæ manus suas sanctificauerunt in trucidandis adoratoribus uituli aurei, aut non minus se placare iram Dei in occidendis sanctis Christi, q̃ Phineas placauit, in confodiendo Israelita & scorto Midianitico. Atq; hæc fuit iusticia Pauli coram mundo sanctissima. Videamus ergo q̃ idoneum sese præparauerit hac sua iusticia, ad accipiendam ueram iusticiam. Primum enim quemadmodum nũc dictum est persecutus est Euangelion Christi, quod est potentia ad consequendam ueram iusticiam. Quis autem diceret persequi Christum esse sese præparare & idoneum reddere ad accipiendum Christum? Deinde DOMINVS uolens ex ipso uere iustum, hoc est, Christianum reddere, necesse habuit de cœlo descendere, uiolentam manum ei inijcere atq; in terram prosternere, donec eum ad obedientiam reformaret. Sic em̃ sequitur: Cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco, & subito circumfulgurauit eum lux de cœlo, collapsusq; in terram, audiuit uocem dicentem sibi: Saul Saul quid me persequeris? Dixit autem, quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulos calcitrare. Is tremens ac stupens dixit: Domine, quid me uis facere? Et Dominus ad eum: Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Audis, quanta uiolentia Christus Paulum petat, multo enim atrocius inuadit eum in itinere, q̃ crudelissimi latrones solent, qui inopinate districtis gladijs uiatorem adoriuntur & grauissima quæq; ei minantur. Et inuadit eum ob hanc causam, ut ipsum ad fidem suam adducat. Iam circũspice mihi alios quantumcunq; sceleratissimos peccatores, & inuenies Christum ad nullius conuersionem tanta uiolentia extrinsecus usum, quanta usus est ad conuersionem Pauli uiri illius sanctissimi. Zachæus maximus erat peccator & hominum defraudator, at ad conuersionem illius benuolam tantum uocem usurpabat dicẽs: Zachæe festinans descende, oportet enim me hodie in domo tua manere. Maria Magdalena præcipua erat peccatrix in sua ciuitate, sed qua uiolentia conuersa est ad Christum? Certe nullam uides externam uiolentiam, sed Maria sua sponte ad Christum festinat, & audit, remissa sunt tibi peccata, fides tua te saluam fecit. Quid dicam de Petro? qui post abnegationem solo aspectu Christi conuersus est. Quid de latrone in cruce pendente? ad huius enim conuersionem Christus non tonitru aliquod e cœlo deuocauit, sed sua sponte petenti, ut meminerit eius in regno suo, respondit, hodie mecum eris in paradiso. Et ut e ueteri quoq; testamento exemplum petam, Dauid post horribile illud adulterium & homicidium ad pœnitentiam adductus est, nulla externa uiolentia, sed tantum prædicatione & increpatione prophetæ Nathan. Quid igitur causæ est q̃ Christus ad conuertendos sceleratissimos peccatores nulla uiolentia externa utitur, ad conuertendum autem Paulum, uirum longe omnium sanctissimum, tanta uiolentia in eum grassatur, ut ueluti semimortuum in itinere eum relinquat? Quid puras aliud causæ fuisse, q̃ q̃ peccatores magis idonei sunt ad suscipiendum Christũ, q̃ sancti legis aut iusticiarij, qui sanctitate operum suorum bonorum inflati sunt. Ergo, inquis, peccabimus & flagitia turpia designabim⁹, ut eo magis idonei reddamur ad suscipiendum Christum. Audimus enim iusticiam Pauli magis ipsi obstaculum fuisse ad fidem in Christum q̃ adiumẽto. Absit ut peccemus, & turpem uitam ducamus, hæc enim de Pauli iusticia & sanctitate non dicuntur, quia iusticia legis in suo gradu condemnetur. Est enim iusticia legis bona in suo genere, quia Deus illam præcepit, & nisi obseruetur, grauia supplicia infert. Atque utinam omnes homines essent Paulo similes in iusticia legis, præsertim aduersarij

Quare tanta uiolentia deus sit usus in sanctissimo Paulo conuertendo, & non in alijs maximis peccatoribus.

Iusticiam legis esse bonã in suo gñe.

aduersarij Euangelij. Nunc autem o tempora, o mores, & a iusticia legis longissime absumus, & hostes Euangelij non solum Christum persequuntur, sed etiam flagitiosissimam uitam ducunt. Quid igitur nobis aliud immineret quàm extrema calamitas? Sed aliàs dabitur iustior conquerendi occasio, nunc de Pauli iustitia pergemus, quam non ideo reiecimus, quod iusticia legis non sit bona in suo genere, sed ut ostendamus nullam humanam iusticiam esse præparationem & idoneitatem ad accipiendum Christum, sed omnia Christi beneficia contingere nobis mere gratis absq; ullis operum meritis, sola, nuda, & gratuita Dei liberalitate, gratia, clementia, misericordia & bonitate. Nam si Pauli iusticia potius fuit ipsi impedimentum quam adiumentum ad suscipiendum Christum, adeo ut Dominus necesse habuerit ipsum uiolenta manu ad fidem in Christum adducere, cuius obsecro humana iusticia, meritum, præparamentum & idoneitas esset ad consequenda beneficia Christi? Vides igitur nunc cui acceptum ferendum sit quod fidem in Christum habeamus, quod per Christum iusti reputemur, quod in hæreditatem cœlestium bonorum collocati sumus, nimirum, non nostræ industriæ, aut uirtuti, nec etiam uiriculis arbitrij nostri, sed meræ diuinæ gratiæ & misericordię per Iesum Christum. Iam & illud obseruandum est quod ereſipiscentia Pauli maxime omnium clementia Dei eluceſcit erga peccatores. Tametsi enim Paulus iuxta legem sanctissimus uir fuerit, tamen coram Deo maximus omnium peccator fuit. Sic enim in priori ad Timotheum epistola, capite primo confitetur. Prius eram blasphemus & persecutor & uiolentus. Et ad quid utilis sit reſipiſcẽtia sua paulo post explicat dicens: Certus sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, q̃ Christus Iesus uenit in hunc mundum ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam ad exprimendum exemplar his qui crediturí essent in ipso in uitam æternam. Igitur Paulus est speculum diuinæ clementiæ, in quo relucet misericordia Dei qua Deus omnes peccatores in Iesum Christum credentes complectitur. Porro autem q̃ Dominus noster Iesus Christus Paulum principio horribiliter concutit, terribiliter deijcit, & grauissima uoce increpat, adeo, ut omnibus uiribus destituatur, haud obscure declarat quanta humiliatio, quanta deiectio, quanta conculcatio maneat omnes persecutores Euangelij. Vnde dicit, primum, quid me persequeris? nimirum significans se unum corpus esse cum sua Ecclesia, & qui aliquid incommodi intulerit minimo suorum membrorum, sibi ipsi intulisse. Quis autem impune feret, qui Christo Iesu rerum omnium Domino aliquam iniuriam infert? Deinde addit: durum est tibi contra stimulos calcitrare. Quo dicto indicat Christus, q̃ qui persequitur Euangelion & huic credentes, potius seipsum persequatur, & sibimetipsi nocumentum inferat. Qui enim contra stimulum calcitrat, is non lædit stimulum, sed seipsum. Ita qui pios iniuria afficit, se potius q̃ pios lædit. Sic Pharao persequens Israëlitas, seipsum non Israelitas perdidit. Sic Saneherib Hierosolymitanos oppugnãs, seipsum oppugnauit, & in exicium coniecit. Sic Pharisæi Christum trucidantes, suo se gladio trucidarunt. Vnde Dauid de impio persecutore suo dicit: Ecce parturit iniusticiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit, Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Et in Zacharia scribitur: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi sui. Cæterum longe aliter reprobi quàm electi deijciuntur, & humiliantur. DOMINVS enim reprobos ita deijcit, ut eos prorsus ad interitionem usque perpetuam conculcet. Sic deiecit Pharaonem & equites eius in mare ut illic perirent. Electos autem ita deijcit ut ipsos exaltet, ita perdit,

Quod nulla sua propria iusticia conuersus sit.

Cõtra stimulũ calcitrare.

ut saluet eos, ita mortificat ut uiuificet eos. Sic deiecit Ionam in mare nõ ut illic periret, sicut Pharao, sed ut mirabilius seruaretur. Sic deiecit Paulum ut non penitus interiret, sed ut maiori miraculo exaltaretur. Sic exoculauit eũ, non ut maneret cæcus, sed ut clarius illuminaretur. Quia igitur & nos inter electos per lauacrum regenerationis relati, & ad concionem, quemadmodum Apostolus ait, primogenitorum conscripti sumus, agite amicissimi, non despondeamus animũ si deijciamur, si conculcemur & perire uideamur. Hæc enim omnia aduersa bona dei uoluntate nobis contingunt, ut per ea altius eleuemur, & maiorem gloriã ac salutem consequamur, per Christum Iesum Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA XL.

QVæ de Pauli conuersione sequuntur, agite amicissimi, hodie uestris precibus adiuti, explicabimus. Audiuimus eñ Paulum adhuc spirantẽ minas & cędes in discipulos Christi, ad Damascum profectionem instituisse, & in itinere cũ non longe a Damasco abesset, horribiliter in terram prostratum, atq; grauiter a Christo increpatum fuisse. Nunc audiamus fortunam comitum suorum, qui ipsum ad comprehendendos discipulos Christi sequebantur. Viri autem illi (ait Lucas) qui erãt
» ei comites itineris, stabant attoniti, audientes quidem uocem, neminem tamen
» uidentes. Nihil præterea, inquis, comitibus accidit? profecto ipsos quoq; ad terram prostratos fuisse, testatur idem Paulus, dum coram rege Agrippa historiam suæ conuersionis commemorat, & ait: Cum omnes nos decidissemus in terram, audiui uocem loquentem ad me. Quid ergo ad comites & seruos q; Paulus Ecclesiam Christi persequeretur? nonne illi serui erant, & necesse habebant mandatis dominorum suorum obedire? cur igitur unà prosternuntur? cur sic quasi ipsi essent persecutionis authores deijciuntur? Fateor, seruorum officium est, ut mandatis dominorum suorum iuxta carnem obsequantur, non ad oculum, ut Paulus ait, seruientes, uelut hominibus placere studentes, sed tanquã serui Christi, facientes quæ uult deus ex animo cum beneuolentia seruientes DOMINO, & non hominibus. Attamen, si domini iuxta carnẽ peccare iubeant, magis Deo q; hominibus obsequendum est. Nulla enim est eorum excusatio qui dicunt, seruus sum, necesse habeo exequi quod præcipit mihi Dominus meus iuxta carnẽ. Et ut uulgare dictum est, Cuius edo panem, eius etiam mihi decantandum est carmen. Hæc, inquam, nulla est excusatio, nulla apologia. Etenim, non solum seruus es domini carnalis, sed etiam DOMINI spiritualis, & eius Domini qui dicitur rex regum, & Dominus dominantium. Iam, quocunq; pacto, quacũq; conuentione, quocunq; iuramento deuinctus fueris domino carnali, semper tamen superioris ius exceptum est, & nullum pactum, nullum iuramentum inferiori alicui magistratui præstitum tam efficax est, ut queat te eximere ex ea obedientia quam superiori magistratui debes. Nam si seruus minori suo dño aduersus maiorem obsequatur, non est legitima obedientia, sed illegitima seditio. Proinde si ita obedias domino carnali, ut aduersus Dominum spiritualem pecces, nullum prorsus habebis peccati patrocinium. Sed timeo, inquis, ne a ministerio excludar, si non obsequar, timeo ne etiam uitam meam amittam. Audio timorem tuũ, sed interim hoc mihi consydera, q; si omnino timidus es, cur nõ potius eum Dominum times qui tibi grauiora supplicia inferre potest? Si necessitas periculorum te urget ad impium obsequium, cur nõ urget te necessitas multo maiorum periculorum ad obsequium pium? Dicit enim Christus, Ne metuatis uobis ab his qui

Quatenus sit obediendum carnali dño.

his qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed metuite magis illum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Iam, quod ais, tene cesse habere eius carmen decantare cuius panem edis, recte loqueris, modo recte etiam sentias. Nosti, ut opinor, orationem Dominicam. Et quid obsecro illic precaris? Panem, inquis, nostrum quotidianum da nobis hodie. Ad quem hæc uerba dicis? num ad dominum tuum carnalem? nullo pacto, sed ad patrem cœlestem. Ergo uescēris pane patris cœlestis, quem tibi siue per hunc siue per alium hominem exhibet. Tuo igitur te nunc dicto conuictum teneo. Necesse habes, ut dicis, eius carmen canere cuius panem edis, edis autem panem patris cœlestis. Itaq; necesse habes ut patri cœlesti obsequiū præstes. Quod si omnino plus apud te ualet authoritas domini carnalis q̄ Domini spiritualis, qui est pater noster cœlestis, plus etiam apud te ualebit tua impietas q̄ tibi prodesse queat domini tui carnalis, cui impie obsequeris, gratia. Serui regis Pharaonis obediebāt ipsi in omnibus mandatis ad opprimendum Israelem. Sed cuius adiutores erant in peccando, eius comites etiam fuerunt in suffocando, & in aquis marinis pereundo. Et Micheas ait: Princeps postulat, & iudex in reddendo est. Sed additur: Nunc erit uastitas eorum. Iustum enim est, ut qui unà peccauerunt, unà etiam propter peccatum puniantur. Itaq; recto Dei iudicio fit, q̄ non solum Paulus persecutionis author, sed etiam serui comites & adiutores eius in terram prosternantur, ut hoc exemplo declaretur, seruos unà cum domino carnali puniri, si dominum carnalem in peccatis perpetrandis adiuuent. Quid enim nunc habetis (uos enim seruos & comites Pauli in terram prostratos alloquor) quod possit uobis aduersus iram Dei auxilium conferre? Obediuistis domino uestro Saulo aduersus dominum in cœlis, adiuuet ergo uos Saulus, seruet uos ne deijciamini. Sed quem ille seruaret, qui adeo prostratus hic iacet, ut omnibus pene uiribus sit destitutus? quem ille adiuuaret, qui ne seipsum quidem adiuuare potest, sed eget seruorum suorum auxilio. Sic enim sequitur: Surrexit autem Saulus e terra, apertisq; oculis neminem uidebat, sed manu ducentes illum introduxerunt in Damascum. Quomodo inquis surrexit qui uiribus suis destitutus erat? Qui prius dixerat ad eum, surge & ingredere ciuitatem, is etiam rursus restituit ei uires resurgendi. Resurgit autem apertis oculis cæcus, ita ut necesse habuerit manu duci usq; ad Damascum. Hic mihi contemplare quæso spectaculum admirandum. Paulus spirans minas & cædes, egressus erat e Hierusalem uersus Damascum, & assumpsit secum comites qui discipulos Christi comprehenderent, & uinctos ad Hierusalem ducerent. Sed ecce rei inuersionem, Comites ad comprehendendos discipulos Christi assumpti, ducunt nunc Paulum cæcitate comprehensum. Sic enim fieri solet, ut qui faciat foueam incidat in eam, & qui laqueum abscondat capiatur ab eo. An nescis Aman parasse Mardocheo crucem? sed in ea cruce Aman non Mardocheus suspensus est. Quare cauendum est ne quid iniuriæ aduersus proximū tuum moliaris. Quam enim putas iniuriam te proximo illaturum, eam tibi ipsi infers, tuoq; te gladio iugulas. Saul persequebatur Dauidem, sed ea persecutione seipsum persequebatur, & regnum unà cum posteritate sua amittebat. Principes Iudæ captiuum detinebant Hieremiam in carcere, sed ea captiuitate seipsos captiuitati obijciebant. Principes Persarum adigebant ex inuidia Danielem in lacum leonis, sed eo facto seipsos leonibus obijciebant. Ita Paulus assumpsit secum comites, ut horum auxilio alios captiuos in Hierusalem duceret, sed illorum manibus ipse cæcitate captiuus ad Damascum ducitur. Porro autem ad Damascum ductus erat tribus diebus non uidens, ac non comedit neque bibit. Quid ergo interim egit, aut quid ei accidit, q̄ nullum cibum admiserit? De hac re audiamus ipsum met ita ad Corinthios scribētem: Noui hominem in

Malum consilium consultori pessimū

Christo ante annos quatuordecim, an in corpore, nescio, an extra corpus, nescio, Deus nouit, raptum huiusmodi in tertium usq; cœlum. Et scio huiusmodi hominem, an in corpore an extra corpus nescio, deus nouit, raptum fuisse in paradisum, & audisse arcana uerba, quæ fas non sit homini loqui. Nam quo magis ueritas & authoritas Euangelij de Iesu Christo confirmaretur, elegit Christus Paulum, quem non uoluit ut ab hominibus erudiretur in Euangelio, & ab hominibus principio disceret, sed primum permisit ut atrocissime Euangelion persequeretur, deinde rapuit eum in tertium cœlum seu in paradisum, & illic docuit eum, non arcana solum uerba illa quæ non sit fas homini loqui, sed etiam Euangelion de Iesu Christo, quod postea palam prædicauit. Vnde Paulus ad Galatas scribēs ita dicit: Paulus Apostolus nō ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum & deum patrem. Ac mox: Notum uobis facio fratres, Euangelion q̄d prædicatum est a me, non esse secundum hominem, neq; enim ego ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Obserua igitur miraculum stupendum, Paulus e media persecutione raptus est in paradisum, & didicit illic Euangelion, quod statim post acceptum baptismum, nullo homine doctore prædicauit. Et cum post quatuordecim annos, quemadmodum ad Galatas scribit, in Hierusalem cum Apostolis Euangelion suum conferret, quibuscum antea prorsus nihil in Euangelij doctrina contulisset, deprehensa est summa concordia & æqualitas Euangelij Apostolorum & Pauli. Itaq; Euāgelij authoritas de Iesu Christo nobis q̄p maxime commendata esse debet. Non enim solum his miraculis confirmata est, q̄p per Apostolos claudi sanati, leprosi mundati, dæmoniaci curati, & mortui suscitati sunt, sed etiam illo longe admirabiliori, q̄p Christus post resurrectionem & ascēsionem suam rapuit hominem in paradisum seu tertium cœlum, & docuit eum illic Euangelion suum, qui & statim post rediuum suum e paradiso (siue illud in corpore, siue extra corpus factum sit, deus nouit) prædicauit Euangelion illud, quod nullo hominum doctore in paradiso didicerat. Vnde & Paulus magna fiducia exclamat: Etiam si nos aut angelus e cœlo prædicauerit uobis aliud Euangelium præter id quod prędicauimus uobis, anathema sit. Et ne quis existimaret hanc uocem ipsi in oræ natam esse, addit: Quemadmodum ante diximus, & nunc iterum dico, Si quis uobis prædicauerit Euangelium præter id quod accepistis, anathema sit. Ecce autem & Satanæ tyrannidem, & peruersitatem hominum. Tametsi enim Euangelion de Iesu Christo, uidelicet, q̄p per ipsum solum habeamus remissionē peccatorum, & placatū patrem in cœlis, tantis miraculis & obtestationibus obsignatum sit, aliud tamen euangelion astutia Satanę in Ecclesiam introductū fuit. Quod sit illud roges? nimirum Satanæ euāgelion est, q̄p, ppter opera nostra operata, ppter certa ieiunia, certas peregrinatiōes, & propter Missam habeamus remissionē peccatorum, & placatum patrem in cœlis. Nam si hæc opera merētur remissionē peccatorum, frustraneus est Christus, & uanus est descēsus Christi ad terrā, & rursum ascensus eius in cœlum. Quis aūt Christū Iesum filiū Dei unigenitū saluatorē mundi sic prophanaret, & ludibrio exponeret? Proinde abiecto Satanæ euangelio, cōplectamur Euangelion illud, quod Iesus Christus Paulo in paradiso seu tertio cœlo reuelauit, hoc em̄ est potētia Dei ad salutē omni credenti. Sed quid? nihil ne prorsus contulit Paulo externū Euangelij ministeriū? Nihil prorsus, q̄d ad cognitionē & doctrinā Euangelij pertinet. Attamen, ut & ministerio externo sua maneret authoritas, nihilominus necesse habuit Paulus post acceptā cognitionē Euāgelij in paradiso, se ministerio externo subijcere, non quidē ut aliquid a ministro hoīe disceret, cū in paradiso totam rationē Euāgelij didicerat, sed ut ministerium illud externū sua obedientia confirmaret & declararet, q̄p uerū esset ministerium per quod

stupēda Pauli conuersio quod Euangelium in paradiso didicerit

Euangelion Satanæ.

Vsus externi ministerij in Ecclesia.

quod credentes salutem consequerentur. Potuisset enim Christus omnia in Paulo absoluere, uidelicet, in paradiso eum baptizare, & uisum ei reddere, sed maluit illa reiscere in ministerium externum Ecclesiæ, ut authoritatem illius ministerij confirmaret, nec quisquam expectaret raptum in paradisum, sed prædicationem huius ministerij sectaretur. Vnde prius dixit Christus ad Paulum: Ingredere in ciuitatem, dicetur tibi quid te oporteat facere. Nunc autem mittit ad Paulum Ananiam quendam, sic enim sequitur: Erat autem quidam discipulus Da »
masci nomine Ananias, & dixit ad illum per uisum Dñs, Anania? Et ille ait, ecce »
ego Dñe. Et Dominus ad eum: Surge & uade in uicū qui dicitur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem, ecce em̄ orat. Et uidit per uisum »
uirum Ananiam nomine introeuntē & imponentem sibi manum ut uisum reci- »
peret. Quis fuerit Ananias ille qui missus est ad Paulū, dilucidius Paulus ipse »
post exponit dicens: Ananias quidam uir pius secundum legē, testimonio probatus omnium illic habitantium Iudæorꝝ. Hunc ergo Ananiam mittit Christus ad Paulum, ut & uisum ipsi restituat, & baptismo peccata eius abluat. Et mittit eum ad Paulum orantē, ecce enim inquit orat. Itaq; oremus & nos, amicissimi, & continuis precibus Dñm deum nostrum per Iesum Christum interpellemus, sic enim fiet, ut etiam nobis per Ananiam, hoc est, per ministerium Euangelij, cuius annunciatorem Ananias egit, oculi illi restituantur, quibus Deum contemplari possumus. Oculi autem isti non alij sunt q̄ mundum cor, dicente Christo: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Porro non aliunde cor mundum redditur q̄ fide, nimirum, si credamus q̄ naturalis immundicies cordis nostri, sit per Iesum Christum nobis remissa, & q̄ omnis nostra mundicies sit non operum nostrorū iusticia, sed Iesus Christus, qui solus est iusticia, sanctificatio & redemptio nostra, qua ut fruamur, concedat nobis clementia Dñi nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

HOMILIA XLI.

Demonstrauimus in præcedenti Homilia Paulum raptum quidem fuisse in cœlum seu paradisum, atq; illic mysteria Euangelij de Iesu Christo didicisse, remissum autem in terram, & subiectum externo Euangelij ministerio, ut huius ministerij authoritas etiam Pauli obedientia, qui Euangelium non ab homine in terris, sed ab ipsomet Christo in cœlis didicerat, comprobaretur. Etenim postquā Paulus tribus diebus fuerat neq; uidens neq; comedens neq; bibēs, uocauit Dñs per uisum Ananiam quendam, & præcepit ei, ut quærat in domo Iudæ nomine Saulum, patria Tarsensem, ac imposita manu uisum ei restituat. Audiamus igitur quid ad hanc uocationem Ananias responderit. Dñe, inquit, audiui ex multis de uiro »
hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymis, & hoc loco habet potestatem »
a principibus sacerdotum uincendi omnes qui inuocant nomen tuum. Quod »
Ananias Dño respondet, hāc habet sententiam. Quid mihi mandas Dñe? obijcis ne me lupo diripiendum? tradis ne me carnifici mactandum? Hic enim Saulus ad quem me mittis, nō aliter in sanctos tuos seuijt Hierosolymis, q̄ lupus in gregem ouium. Et huc quoq; ad Damascum cum pontificum diplomatis uenit, ut oues tuas ad macellum in Hierusalem uinctas ducat. Itaq; si ipsum accessero, & de nomine tuo uel mutiero, confestim me uinculis constringet, & ad Hierusalem sanctorum tuorum carnificinā uinctum trahet. Cur igitur tu ipse me illi prodis? Porro autem in Anania perspicue admodum exprimitur metus humanæ naturæ in obsequio diuinæ uocationi præstando. Hoc enim est ingenium ho-

Metus humanæ naturæ in uocatione diuina obeūdæ.

minum, ut uocatia Deo & iussi opus aliquod peragere, uehementi formidine corripiantur, ne obedientes diuinę uocationi, aduersis quibusdam periculis obijciantur, neue Deo obsequium prestantes, a Satana opprimantur. Vnde & Mose iussus proficisci in Aegyptum & liberare populum Israel, præ timore periculorum diu, quicquid id erat officij, detrectauit, & nunc causabatur suam impotentiam, nunc suam ruditatem & ineloquentiam, nunc populi incredulitatem, nunc aliorum industriam, qui magis & ipse idonei essent ad peragendum istud ministerium. Et hæ excusationes maxime e timore obeundæ diuinæ uocationis oriebantur. Sic & Hieremias uocatus ad functionem propheticam ut prædicaret deuastationem Iudæorum & Gentium, uehementer exhorruit dicens: Ah Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum. Sic Apostoli destinati ad prædicandum Euangelion cum animaduerterent, se nudos emitti ueluti oues in medio luporum, et omnibus aduersis obijci, haud mediocri terrore affecti sunt. Sic qui iubentur, non furari, neminem decipere, neminem defraudare, nemini imponere, sed fideliter laborare & iuste negociari, semper formidare solent, ne si diuinæ uocationi obsequantur, paupertate pereant. Breuiter morbus hic uulgaris est in hominibus, non in impijs solum, uerumetiam in sanctis, quod timeant si Deo obedianta Satana opprimantur, hoc est, aduersis periculis pereant. Sed quo uulgarior est hic morbus, eo fœdior & turpior est. Vide enim rem abominandam. Timere solemus in obsequio Dei ne multitudine aduersitatum obruti pereamus, & interim in obsequio Satanæ omnia nobis tranquilla & pacificata somniamus, cum tamen perspicue cognoscamus DOMINVM Deum nostrum obsequentibus sibi omnem benedictionem, Satanam autem obsequentibus sibi omnem maledictionem parare. Mose somniabat sibi maxima, nescio quæ pericula, si obiret munus liberationis Aegyptiacæ, ad quod a Deo uocabatur, & non somniabat sibi ulla pericula, quando apud aquas contentionis Verbo Dei non credendo, nomen DOMINI in populo Israel prophanauit. Ionas propheta ad Niniuen a Deo missus formidat uarias calamitates, quas sibi inter illos fingebat, & uocationi Dei non obediens, nullas formidat. Petrus timet, ne si in atrio pontificis confiteatur Iesum, in extremam perniciem conijciatur, & non timet idem periculum, Iesum abnegans. Quid hoc præpostero timore fœdius, quid eo abominabilius? Idem uides in Anania, qui metuit ne si ad uocationem Dei ad Saulum eat uinculis constringatur, & non metuit uincula, si diuinæ uocationi non obediat. Vides igitur non solum impios, sed & sanctos hoc morbo longe omnium turpissimo laborare. Dominus autem Deus noster tantæ clementiæ est, ut non sinat suos hoc morbo perire, sed pharmacum admouet quo morbum curat. Pharmacum autem huic morbo conueniens, non aliud est quam promissio diuini auxilij & pollicitatio liberationis e periculis. Vnde cum Ananias tantopere colloquium Pauli formidaret, consolatus est ipsum Dominus & promisit ei securitatem dicens: Vade, quoniam organum electum est mihi iste, ut portet nomẽ meum coram gentibus & regibus ac filijs Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quid times Anania? censes ne & mittam te ad lupum, ad carnificem, et ad crudelem quendam latronem? Desydero candorem tuum, multę sunt horæ diei, nescis quid serus uesper uehat. Audisti hominis huius tyrannidem & sæuiciam in sanctos, at nondum audisti mutationem eius repentinam, & raptum eius in paradisum, uade ergo ad ipsum, non enim amplius lupus est, sed agnus, non est nunc carnifex, sed salutis per ministerium Euangelicum quo functurus est, artifex. Est enim mihi organum electum, nunc primum quidem reuelatum, sed antea ab utero matris segregatum. Ad quid utile erit hoc organon seu instrumentum? Vt portet (inquit) nomen meum

Quod nec sancti metu careant in diuina functione præstãda.

meum coram gentibus & regibus & filijs Israel. Quod est nomen DOMINI? Vocatur quidem Iesus, uocatur & Christus, uocatur & filius Dei. At non intelligas tantum, literas illas nomen DOMINI dici. Sed quicquid his uocabulis comprehenditur & significatur, hoc uere nomen Domini dicitur. Ergo quod Iesus sit sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, salus, uita, adeoq; omne bonum, nomen eius uocatur. Itaq; cum Christus dicit Paulum portaturum nomen suum coram gentibus, regibus, & filijs Israël, significat ipsum ministrum Euangelij fore, tam apud Iudæos quam apud Gentes, tam coram priuatis hominibus quàm etiam regibus. Sic enim infra coram Agrippa exponitur, ubi Paulus ita ait Christum dixisse: Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem eorum quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te a populo & gentibus in quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur a tenebris ad lucem, & a potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem quæ est erga me. Et hoc est Pauli ministerium. Sed quia in institutione huius ministerij dictum est: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum, ideo addit Dominus de afflictionibus Pauli & dicit. Ego ostendam illi quanta oporteat eum pati pro nomine meo. Prius multa mala intulit inuocantibus nomẽ meũ, nunc aũt multo maiora mala propter nomen meum patietur. Prius Ecclesiam Christi persecutus est zelo suæ legis, nunc autem zelo ueræ fidei tanta uehementia Ecclesiam Christi propugnabit, ut uerbo prædicationis suæ omnes aduersarias religiones persecuturus sit, idq; maximis uitæ suæ periculis. Cæterum quæ in hoc ministerio Paulus discrimina passus sit, ea si libet e posteriori Epistola ad Corinthios capite undecimo & duodecimo petere potes. Nunc enim quod ad argumentum nostrum pertinet, satis est cognoscere, quod DOMINVS Ananiæ timori medeatur, duabus potissimum rationibus, priori, quod Paulus nunc non sit persecutor, sed electum organum ad prædicandum Euangelion Christi, posteriori, quod tantum absit, ut porro sanctis nomen Christi inuocantibus mala inferat, ut potius propter sanctos & electos ac propter nomen Christi innumerabilia mala passurus sit. Non solum autem DOMINVS Ananiæ formidini promissionibus medetur, sed quoscunq; ad aliquam functionem uocat, & timidos inuenit, eos pollicitis munit, ut ad perferenda futura pericula fide indurentur. Sic timidum Mosen a metu reuocat dicens: Ego ero tecum, & ero in ore tuo, doceboq; te quid loquaris. Sic meticuloso Hieremiæ suam præsentiam pollicetur & ait: Ne timeas, quia tecum ego sum ut eruam te. Sic formidolosos Apostolos consolatur inquiens: Ne metuatis uobis ab his qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed metuite magis illum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Et reliqua quæ sequuntur. Sic metuentem ne si imposturas suas abijciat, paupertate pereat, alloquitur dicens: Ne solliciti sitis uitæ uestræ, qd esuri sitis aut bibituri, neq; corpori uestro quibus indumentis usuri, & cætera. Atq; adeo nulla est uocatio Dei, nullum est mandatum Dei, quod non habeat promissionem ac præsentiam diuinæ clementiæ. Quare enitamur, ut excluso omni periculorum timore, uocationi diuinæ ex fide seruiamus. Nam & Ananias accepto diuino responso de conuersione Pauli, mox intrepide deo obsecutus est. Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saul frater, DOMINVS misit me, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uisum recipias, & implearis spiritu sancto. Et confestim deciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & uisum recepit, & surgens baptizatus est. Cunque cepisset cibum corroboratus est. Quid istuc rei est, inquis? an

Nomẽ Domini quod sit.

Ministerium Pauli

Quõ medeatur deus timoribus piorum.

non potuit Christus Paulo uisum restituere in paradiso, illicq; ipsum implere donis spiritus sancti ac baptizare? Potuit quidem istuc DOMINVS, sed maluit per Ananiam hæc perficere, ut quemadmodum antea indicatum est, autho-
Commendatio externi uerbi. ritas sacramenti, Baptismi, & externi ministerij, quo Euangelion de Iesu Christo prædicatur, conseruaretur. Nam si Paulus modo a paradiso seu tertio cœlo rediens, necesse habuit & baptismo abluere peccata sua, & ministerio Ananiæ dona spiritus sancti, hoc est, dona linguarum & ædendorum miraculorum accipere, quis est qui audeat externum ministerium prædicationis Euangelicæ, tanquam ociosum, superuacaneum, & inutile fastidire? quis sine illo organo salutem sibi polliceatur? Dicis autem, facile fuit Paulo ut a Iudaismo ad Christianismum conuerteretur ac resipisceret, quando raptus fuit in tertium cœlum, & uidit illic & audiuit omnem rei ueritatem. Quod si & mecum ita ageretur, ut raperer in paradisum, & audirem Euangelion ex ore Christi, tunc nullo prorsus impedimento uellem me accingere ad sectandam pietatem, & mea
Quod Christiani quotidie in cœlum rapiantur. opinione sanctitatem Pauli etiam superare? At tu desine ita nugari, ac tuæ iniquitati patrocinari, quod non instar Pauli ad paradisum rapiaris. Etenim si rem probe perpendas, non semel, sed quotidie ita tecum agitur, ut ad paradisum seu tertium cœlum ducaris, & uerba cœlestia audias. Nonne semper tibi prædicatur illud Euangelion de Iesu Christo quod Paulus prædicauit? quod & testatum scriptis suis post se reliquit, nimirum, quod Iesus sit uerus Messias, filius Dei, quod pro peccatis nostris passus sit, quod resurrexerit a mortuis, quod sit sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio nostra, quod per ipsum gratis absq; ullis meritis operum habeamus remissionem peccatorum? At illud ipsum Euangelion est quod Christus Paulũ docuit in paradiso, quod Paulus ab ore Christi in tertio cœlo excepit. Et ideo excepit ut te doceret, ut palam adnunciaret. Sic enim ait Paulus: Notum uobis facio fratres Euangelion quod prædicatum est a me non esse secundum hominem, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Itaq; si huic Euangelio non adhibueris fidem, neq; ex fide illius resipiscas, oleum & opera in te perderentur, etiamsi non semel sed sexcenties, non in tertium solum, sed etiam ut ita dicam in sextum aut octauũ cœlum rapereris. Tua igitur culpa, tua ignauia, tua incredulitas est, quod cœlestia uerba quotidie audiens non resipiscas, sed instar Pharaonis subinde magis ac magis indureris. Quod si uero abiecta illa incredulitate, Euangelion Iesu Christi quod externo ministerio tibi prędicatur fide complectaris, profecto uere illud erit quod Paulus dicit, potentia ad salutem per Christum Iesum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA XLII.

AVdiuimus amicissimi, admirandam in Paulo metamorphosim, quod ex lupo rapacissimo factus sit ouis mansuetissima, ex immundo uase organon electissimum, & qui profi-
ciscebatur ad Damascum, ad rapiendos inuocantes nomen Christi, raptus ipse sit ad tertium usq; cœlum seu paradisum, ubi Euangelion de Iesu Christo quod in omnem terrarum orbem uulgaret, didicit. Audiamus nunc Paulum ministerium suum, ad quod diuinitus uocatus est fœliciter inchoantem, & eam doctrinam quam in paradiso, doctore Domino nostro Iesu Christo, non tam didicerat, quam reipsa compererat, palam prædicantem. Arrigamus igitur aures, & siquidem

siquidem nouarum rerum cupidi sumus attentis animis Pauli prædicationem excipiamus. Nunc enim primo rediit e paradiso seu tertio cœlo, & affert nobis non terrena, nõ humana, sed plane cœlestia, angelica, paradisiaca & diuina. Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot, & continuo prædicabat in Synagogis. Quid, inquis, prædicabat? mirum immodũ enim gestio illud audire, quippe quod ex officina paradisi iam primum, nouum & antea inauditum afferatur. Prædicabat (ait Lucas) Christum, quod is esset filius Dei. Et sequitur postea: Saulus multo magis conualescebat & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans quod is esset Christus. Hui, quid hoc noui est? Hæccine est doctrina illa cœlestis quam Paulus in tertio cœlo didicit? At nos longe maiora & magis stupenda expectabamus, uidelicet, quid rerum ageretur in trinitate, quæ esset disciplina aulæ cœlestis, qui ordines & quæ ministeria angelorum, quomodo se haberent sancti patriarchæ & prophetæ. Hæc in quam & alia id genus admiranda expectabamus, ecce autem non audimus nisi uulgare illud, quod iam antea, & a Christo adhuc in terris agente, & ab Apostolis alijsq; discipulis in Iudæa atq; finitimis regionibus ita uulgatum decantatumq; erat, ut & publicæ persecutioni obnoxium esset. Nonne consultius fuisset, si ea Paulus e paradiso attulisset, quæ persecutionem sedassent, & aduersarios statim ad fidem coëgissent? Sed omittamus uanam illam curiositatem, & sentiamus id quod Paulus modo e paradiso rediens, prædicabat, quantumuis protritum uideatur, maxime tamen ad consequendam ueram salutem, paradisum & cœlum necessarium esse. Etenim quemadmodum Christus de semetipso dicit: Qui me misit uerax est, & ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo. Et iterum: Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt, quod si secus esset, dixissem uobis. At mox: Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui a patre meo nota feci uobis. Ita & de Paulo sentiendum est, quod si alia quædam ad salutem nobis necessaria in paradiso didicisset, quam ea quæ de Iesu Christo nos docuit, profecto non inuidisset ea nobis. Quomodo enim ea celasset nos qui optat anathema esse a Christo pro fratribus suis cognatis secundum carnem, ut ipsi salutem consequerentur: qui omnia aduersa patiebatur propter electos? qui adhuc aliquandiu a Christo abesse, quamuis in maximis afflictionibus cupiebat, tantum ut plures Christo per ministerium suum lucrifaceret? Proinde doctrinam eius non aliter audiamus, quam si tota angelorum concio coram astaret, & nobis ea quæ ad salutem nostram necessario pertinent adnunciaret. Initio igitur ministerij sui Paulus duo præcipue docuit, alterum quod Iesus Nazarenus sit uerus ille Messias seu Christus, patriarchis promissus, & a prophetis prædicatus. Alterum quod Messias ille sit uerus Dei filius. Etenim Iudæi duplici nomine impie sentiunt de Messia, priori quod negent Iesum Nazarenum esse Messiam, posteriori quod negent Messiam Patriarchis uenturum promissum, esse filium Dei, sed sentiunt eum tantum fore filium Dauidis, & regnaturum super solium Dauid pro more terrestrium regum. Sic enim apud Matthæum Christo interroganti, quid ipsis uideretur de Christo, cuius filius sit. Respondent, Dauidis. Et cum huius sint opinionis, sentiunt etiam Messiam non ob aliam causam in hoc mundo regnaturum, quam ut ipsi liberentur ab externis suis hostibus & secure, sine inimicorum timore bonis suis in hac terra dum uiuunt fruantur. Cæterum, quam conscientiam coram Deo, quis habeat, & quam salutem quis apud DOMINVM post hanc uitam consequatur, nihil ad Messiam pertinere, sed illa unumquenque suo studio, sua industria & iusticia, per opera legis consequi debere.

Curiositas humana q̃ uana sit.

Duo potissimũ docuisse Paulũ etq; duplici nomine impie senserint iudæi de Messia.

Porro, non Iudæi solum his impijssimis erroribus tenentur, sed etiam hi qui sibi maxime Christiani uidentur. Tametsi enim omnes uideri uolunt se credere q̃ Iesus Nazarenus uerus sit Messias, maior tamen pars de Messia ita sentit, q̃ nobis tantum sit propositus ut exemplum, & ut spectator nostræ uitæ, uidelicet, ut satisfacienti pro peccatis suis per bona opera suopte marte designata, largiatur uitam æternam, non satisfacientem autem, nec per bona opera expiantem peccata sua, deijciat ad infernum, aut ad minus ad ignem purgatorium, ut qui pro peccatis suis in hac uita non satisfecerit, factis in altero sæculo pro ipsis satis patiatur passionibus. At hoc ipsum est negare Messiam esse filium Dei, adeo q̃ plane est de Messia iudaizare. Contra hos igitur impijssimos errores, Paulus iam primum e paradiso rediens, docet primum, quòd Iesus Nazarenus uerus ille Messias sit, patriarchis a Deo promissus & a prophetis prædicatus. Ducit enim progeniem suam a familia Dauid, cui promissus erat Messias, & eo tempore in mundo apparuit quo prophetia patriarchæ Iacob de aduentu Messiæ: non auferetur sceptrum, & reliqua, ac prophetæ Danielis capite nono, impleta est. Præterea, perfecit is quæ prophetæ de Messia prædixerant, cæcis enim uisum reddidit, claudos restituit sanitati, leprosos mundauit, surdos audire fecit, mortuos excitauit, & pauperibus lętum adnunciauit Euangelion. Postremo, cum peccatum non fecisset, nec inuentus esset dolus in ore eius, ductus est ad occisionem sicut ouis, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, ac percussus est propter scelus populi sui. Quæ tamen omnia in solum Iesum illum Nazarenum, nec in alium quenquam competant, solus igitur ille est uerus Messias. Deinde docet, quod is Messias non tantum sit Dauidis filius, sed etiam filius Dei, idq̃ ex eo, quemadmodum ad Romanos scribit, quod resurrexit e mortuis, cuius rei non tam Apostoli testes sunt, qui unà cum ipso post resurrectionem ederunt & biberunt, adeo q̃ ipsum manibus suis contrectarunt, & oculis ad cœlum ascendere uiderunt, sed etiam ipse Paulus testis est, qui paulo ante potentiam eius in itinere expertus fuerat, & secum colloquentem, non in itinere solum, sed etiam in paradiso audierat. Quia igitur per resurrectionem declaratus est filius Dei esse, consequitur ipsum non regnaturum in mundo pro more & pompa terrestrium regum, sed regnum cœleste, prout filio Dei competit, occupasse. Hoc autem est regnum illud cœleste, quod iuxta uaticinium Psalmi, sedeat ad dextram patris, eandem omnipotentiam cum patre possidens, & cum animam suam posuerit hostiam pro delictis, iniquitatesq̃ hominum tulerit, ita patrem pro nobis interpellet, ut omnibus in ipsum credentibus peccata gratis propter eum remittantur, & ipsi ex fide iusti reputentur, omniaq̃ aduersa in bonum eis adiumento sint, & salutem perpetuam per ipsum consequantur. Atq̃ hæc est doctrina de Christo, adeo necessaria, ut nisi quis eam sciat ac credat, nullam possit salutis partem habere. Neq̃ enim Christus talis est Christus ut regnum terrestre administraturus sit pro externa regum pompa, quemadmodum Iudæi falso imaginantur, neq̃ talis est Christus, ut in cœlo ociosus sedeat tanquam spectator & iudex nostri certaminis, quod in hac terra unusquisque pro sua uirili decertat, quemadmodum hypocritæ Christum fingunt, sed talis est, qui sentiens omnia nostra opera esse peccata, & conatus nostros ad parandam iusticiam ac salutem esse uanissimos, remittit nobis primum omnia peccata, & reputat nos iustos, si tantum in ipsum credamus, q̃ per eum habeamus remissionem peccatorum nostrorum. Deinde donat nobis spũm sanctum, cuius potentia possumus & ueterẽ Adam opprimere, & opa noui Adami perficere. Breuiter, talis est Christus, qui non solũ sit tantũ exemplũ, spectator & iudex uitæ nostræ extra nos, sed etiã ipsa potentia

Testimonia q̃ Iesus sit uerus Messias.

Quod Iesus sit filius Dei

Cuiusmodi cœleste regnũ Christus administret.

potentia credendi & operandi, sapientia, sanctificatio, iustitia & redemptio intra nos. Et hæc est illa doctrina quam Paulus ad nos de paradiso & de tertio cœlo attulit, extra quam non est alia, per quam ueram salutem adipisci queamus. Quomodo igitur afficiebantur Iudæi ad nouum illud spectaculum, quo uidebant crudelissimum persecutorem eam doctrinam palam & magna authoritate asserere, quam paulò ante ferro & igni oppugnauerat? Certe uarie afficiebantur, nam qui pij erant, uix audebant credere hæc narrantibus, & suspicabantur rem dolo agi. Vnde Hierosolymitani discipuli fugiũt ipsum, quemadmodum post ea sequitur, pars autem qui rei ueritatem agnoscebant, glorificabant in Paulo Deum, ut ad Galatas scribitur. Et hic obserua quomodo sancti uenerandi sint. Non enim ipsi propter suam iusticiam & merita sunt glorificandi, sed Deus in ipsis glorificandus est, q̃ & potens sit e persecutoribus Ecclesiæ propugnatores Ecclesiæ facere, & misericos qui tam immania flagicia aduersus Ecclesiam Dei sanctam perpetrata, tam clementi misericordia gratis absq̃ ullis operum meritis remittat. Pars autem qui magis nouas res curabant q̃ religionem uel Iudaicam uel Christianam, attoniti mirantur, quid sibi uelit hæc subita mutatio. Sic enim dicit Lucas: Stupebant autem omnes qui eum audiebant ac dicebant: Nonne hic est qui expugnabat Hierosolymis eos qui inuocabant nomen istud? & huc ad hoc uenit, ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Alij uero cædem in eum meditabantur, sequitur enim: Expletis diebus compluribus inierunt inter se consilium Iudæi ut illum occiderent. Sed intellectæ sunt Saulo insidiæ eorum. Asseruabant q̃ portas die ac nocte ut eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt submittentes in sporta. De his insidijs ita scribit Paulus in posteriori ad Corinthios epistola capite duodecimo. In Damasci ciuitate gentis præfectus nomine Arete regis excubias posuerat in Damascenorum urbe, cupiens me comprehẽdere, ac per fenestram in sporta dimissus fui per mœnia, effugi q̃ manus eius. Fortassis autem admiraberis, qui fiat, q̃ Paulus qui nuper adeo e paradiso redierat, mortem ob nomen Christi ei intentatam fugerit? Dicemus ne ipsum ex timore carnis mortem fugisse? Fatemur quidem carnis infirmitates etiam post magnitudinem reuelationum in Paulo remansisse. At uerisimile est hanc fugam non ex timore carnis, sed ex prudentia spiritus factam esse. Nam habebat Paulus Verbum Domini, q̃ nomen Christi portaturus esset, non tam coram filijs Israel, quàm coram gentibus & regibus. Ex fide igitur in hoc uerbum non pauit mortem sed cauit, nec pauidus sed cautus dicendus est. Nec infidelis timiditas, sed fidelis prudentia est, iustis conatibus te seruare ministerio ad quod a deo destinatus sis. Iustum ne uocas conatum q̃ discipuli dimittunt Paulum per murum in sporta? nonne muri iuxta leges ciuiles dicũtur sancti & inuiolati? & capitale est muros priuata temeritate ita uiolare? Haud negauerim ista, sed interim obseruandum est, minorem legem cedere maiori. Debent quidem, si salua pietate fieri potest, tam maior q̃ minor lex, simul seruari. At si res ita fert, ut simul seruari non possunt, sed altera uiolanda sit, tunc ciuilis quæ est minor, negligenda, diuina autem & maior obseruanda est. Ciuilis autẽ lex est: Muri sancti sunto. Diuina est. Innocẽtem iuxta uocationẽ tuam pro uirili adiuua, quæ ex illa originem ducit, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Itaq̃ ubi proximum innocentem iuuare non potueris, nisi frangas legem ciuilem, ibi potius respectus proximi a Deo nobis commendati, q̃ legis ciuilis ab hominibus ad coercendos nocentes, non ad affligendos innocentes institutæ, habendus est. Non hæc dico ut priuata temeritate accipias gladium ad defendendũ innocentẽ contra uiolentiã & crudelitatẽ legitimi magistratus: q. n. gladium citra diuinã uocationẽ aduersus magistratũ suũ accipit, gladio peribit,

Quomodo sancti uenerãdi sint.

Quãdo Christiano liceat mortẽ fugere.

Quõ minor lex cedat maiori.

Sed illud sentio, innocentem a quouis iuxta suam uocationem, pro uiríli defen
Vera Christianæ charitatis ratio. dendum & adiuuãdum esse, uidelicet, ut magistratus quidem subditum suũ in
nocentem gladio defendat, priuatus aũt proximum suum quoquo modo pie po
terit, citra gladium & uiolentiam. Iam q̃ discipuli exponant se periculo capitis
propter Paulum satis perspicue indicant, quæ sit uera Christianæ charitatis ra
tio. Nondum enim absoluisti numeros uerę charitatis, etiamsi paucis nũmulis
egenum adiuues, hoc enim Ethnicus quoq; facit, sed requiritur ut & animã tuã
pro fratre in discrimen, si res postulet, conjcias. Sic enim Christus docet: Hoc
est præceptum meum ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Et exponit quo
modo dilexerit eos: Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, ut quis animam suam
ponat pro amicis suis. Quãdo igitur hæc uirtus tam rara inter nos sit, ut inter uo
lucres citius album coruum, q̃ inter Christianos ueram charitatem reperias, ro
gemus fratres DOMINVM deum nostrum per Iesum Christum, ut corda no
stra ardore charitatis incendat & spiritu suo inflammet, quo tãdem ad sempiter
na gaudia perducamur per eundem Dñm nostrũ Iesum Christum, qui est unà cũ
patre & spiritu sancto deus benedictus in sæcula, Amen.

HOMILIA XLIII.

DE liberatione Pauli ex insidijs Damascenis hactenus. Nunc
profectionem eius in Hierusalem uestris precibus adiuti expli
" cabimus. Cum igitur Saulus uenisset Hierosolymam, (non
continuo, postquã ad Christum conuersus esset, sed postquam
" e Damasco ad Arabiam abijsset, & ex Arabia ad Damascum
" redijsset, quemadmodum in epistola ad Galatas cap. 1. scriptũ
est) tentabat se iungere Discipulis, & omnes timebant eum, nõ
credentes q̃ esset discipulus. Iudicabant enim pro uulgari hominum consuetu
dine, illum semper malum, quem semel & iterum malum experti erant. Opere
precium igitur censeo, ut inuestigemus, num hoc humanũ iudicium, quo semel
malus, semper præsumitur malus, cum charitate Christiana conueniat. Ac pri
mum quidem apparet huc alludere legem diuinam per Mosen datam. Sic enim
in Deuteronomio cap. 23. scribitur: Ammonites & Moabites etiam post deci
mam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, hoc est, non
fungantur aliquo publico officio in congregatione Israelis, quæ est Ecclesia Do
mini. Quamobrem: quia noluerunt uobis occurrere cum pane & aqua in uia
quando egressi estis de Aegypto. Et quia conduxerunt contra te Bileam ut male
diceret tibi. Vides, semel malos, semper iudicari malos, etiam in posteritate eo
rum. Huc accedit etiam exemplum Dauidis, qui cum semel & iterum lancea pe
titus esset a Saule, fugit Saulem, & profectus est in exilium, nequaquã sibi quic
quam clementiæ apud Saulem promittẽs, sed sentiens eum, qui semel & iterum
malus fuisset, haud facile bonum fore. Rursus charitas, quemadmodum Paulus
ait, non cogitat malum, omnia credit, omnia sperat. Quomodo igitur uulgare
iudicium cum charitate conciliabimus? Obseruandum est, primum Christiani
officium esse, in solum Deum per Iesum Christum confidere. Secundum est, di
ligere proximum suum sicut seipsum. Iam dilectio pximi non tam late se spar
git, ut requirat, q̃ necesse habeam in proximum confidere quem diligo. Nam in
solum Deum per Iesum CHRISTVM confidendum est. Maledictus autem
qui confidit in hominem, & ponit carnem brachium suum. Nec illud requi
rit dilectio ut proximo adscribam, a quo eum longe abesse scio, uidelicet, non
postulat charitas ut indoctum pro docto, insipientem pro sapiente, pauperem
pro diuite, pium pro impio habeam. Sed hoc requirit, ut quem noui malum,

Quo pacto uulgare dictũ, qui semel malus semp præsumitur malus, cum charitate Christiana conueniat.

aut

aut impium, de eo bene sperem, q̃ Dominus pro sua clementia ipsum facturus sit pium ac bonum. Et quem non certo noui impium, eum pro pio ac bono uiro habeã, adeo q̃ omnibus siue bonis siue malis charitatis opera impartiar, quemadmodum pater cœlestis sinit solem suum oriri super iustos & iniustos. Hinc est q̃ in lege Moabitæ & Ammonitæ non eligebãtur ad publica officia in Israël, quia manifestum erat odium gentilicium horum populorum erga Israelitas, priuatim tamen beneficijs afficiebantur, & ad catalogum Israelitarum admittebantur. Nam & Ruth auia DOMINI nostri Iesu Christi ex Moabitis fuit. Et Dauid consolatus est Anon regem Ammonitarum super morte patris sui. Ad eundem modum Dauid non potuit Saulem pro amico æstimare, quem rebus ipsis inimicum sentiebat, & imprudenter feciſſet si se Sauli tanquam amico iunxisset. Interim tamen in tantum diligebat Saulem, ut nihil non beneficiorum quæ potuit in ipsum contulerit, & mortuum carmine lugubri celebrarit. Sic & Paulus Iudæos habebat pro impijs Christi persecutoribus, bene tamen de ipsis sperat, adeo q̃ diligit, ut cupiat anathema esse quo ipsi salutem consequãtur. Sic & hoc loco discipuli non peccant in charitatem, q̃ Paulum antea publicum persecutorem experti, & resipiscentiam eius ignorantes, fugiant & habeant ipsum pro impio. Interim tamen orant pro ipso, bene precantur, et quia norũt DOMINVM posse ipsum conuertere ad fidem Christi, sperant etiam tandem ipsum pœnitentiam de sua impietate acturum. At q̃ ita fuga sua fidem suã testantur q̃ obsequantur Deo præcipienti, ne ipse temeritate nostra tentetur, oratione autem sua charitatem testantur. Fugiunt autem tantisper, non credentes q̃ esset uere Christianus factus, dum de conuersione eius certiores fiunt. Barnabas enim (de quo in quarto capite dictum est) apprehensum illum, duxit ad Apostolos, ac narrauit illis, quomodo in uia uidisset DOMINVM, & q̃ locutus esset ei, & quomodo in Damasco fortiter egisset in nomine Iesu. Dices autem, quomodo is fortiter egit, qui ne comprehenderetur per murum in sporta demissus est & fugit? Quis dicet militem fugientem fortiter agere, nisi fortassis sentias eum fortiter fugere? At de fortitudine Christiana longe aliter iudicandum est q̃ de fortitudnie Ethnica aut ciuili. Nam uulgo is fortis habetur qui iniuria affectus, iniuriam grauiter cõpensat, qui percussus strenue percutit, qui ita se periculo exponit, ut etiam alteri periculum inferat. Coram Deo autem is fortis habetur qui iniuria affectus, nõ iniuriam compensat, sed tolerat, qui percussus non repercutit, sed fert percussuram, & obuertit alteram maxillam, qui periculo quidem se propter nomen Domini exponit, sed ita, ut tamen alteri periculum non inferat, potius autem salutem aliorum operetur. Ad hanc fortitudinis descriptionem exige nunc Paulũ, & comperies ipsum uera fortitudine præditum fuisse. Afficiebatur enim iniuria a Iudæis suis qui quærebant ut interficerent eum. Tantum autem abest ut mala regesserit, ut optauerit anathema pro ipsis esse, modo salui fierent. Et exponebat quidem se discrimini uitæ suæ propter nomen Christi, sed ita, ut aduersarios non secum in periculum conijceret, & ipse periculum imminens prudenter caueret. Ita q̃ recte affirmat Barnabas q̃ Paulus fortiter egerit in nomine Domini in Damasco. Cæterum, qua fortitudine adnunciauerat Euangelium in Damasco, eadem etiam adnunciabat illud in Hierusalem. Sic enim sequitur: Et erat cum illis uersans Hierosolymis cum fiducia loquẽs in nomine DOMINI Iesu. Loquebatur q̃ & disputabat aduersus Græcos. Illi uero quærebãt occidere eũ. Quid est q̃ toties repetitur Paulum fortiter egisse in nomine Iesu, & locutũ esse in nomine Iesu? Quid est illud in nomine Iesu? Tametsi antea nomen Iesu explicuerimus, tamen quia toties nobis inculcatur, non pigebit pauca de illo repetere, quando etiam multi hoc tẽpore gloriantur de nomine Iesu, qui tamen & do

Fortitudo Christiana.

Loqui in nomine Iesu

ctrina & uita longissime ab eo absint. Loqui igitur in nomine Iesu nō est solum nomen hoc in ore circumferre, sed est prædicare quod propter Iesum Christum habeamus remissionem peccatorum, placatum patrē in cœlis, & uitam ęternam, idq; gratis absq; ullo nostro merito. Vnde qui prædicant aut credunt quod habeamus remissionem peccatorum propter Missam papisticam, q; habeamus placatum patrem in cœlis propter certa ieiunia, q; nostris meritis consequamur uitam æternam, hi nec prædicant nec credunt in nomine Iesu Christi, sed in nomine Missæ, ieiuniorum, & humanorum meritorum. Sic qui apostolorum tempore ita prædicabant Iesum, ut dicerent etiam circuncisionem necessariam esse ad remissionem peccatorum, hi non in nomine Iesu, sed in nomine circuncisionis loquebantur. Iam cum Paulus Hierosolymitanis cœlum, ut ita dicam, aperiret, & ut uitam æternam eis per prædicationem Euangelij porrigeret, quam obsecro mercedem illi retulerunt? Quærebant, inquit, eum occidere. Hæc est merces huius mundi quam homines benefactoribus suis referunt. Quomodo ergo punit Deus tantam ingratitudinem? De hac re audiamus quid ipse Paulus commoret postea capite uicesimo secundo. Factum est, inquit, cū essem reuersus Hierosolymam, & orarem in templo ut raperer extrame, & uiderem eum dicentem mihi, Festina & exi uelociter Hierosolymis, quoniam non recipient testimonium tuū de me. Hoc est supplicium quo Deus punit ingratitudinem Hierosolymitanorum: Abigit ab ipsis Paulum. Ne existimes autē leue hoc supplicium esse, nam abiens Paulus ab Hierosolymis, abduxit secum, ut breuiter dicam, cœlum & uitam æternam, reliquit autem illic infernum & sempiternam damnationem, ita ut Hierosolymitani & corpore & anima maledicerentur. Sed operepretium est cognoscere, cū q; ægre Paulus a Hierosolymis diuulsus sit. Etenim cum iussus esset a Hierusalem discedere, & intelligeret se secum omnem Hierosolymitanorum salutem abducturum, dixit: DOMINE, ipsi sciunt q; ego pertrahebam in carcerem, & cædebam in singulis synagogis eos qui credebant in te, & cū fundaretur sanguis Stephani testis tui, ego quoq; assistebam & assentiebar mortiillius, & custodiebam uestimenta interficientium illum. Quid sibi uult Paulus hac impietatis suæ confessione? Nimirum hoc agit ut deum persuadeat, quo ipsum non eiiciat e Hierusalem. Sperabat enim Euangelij sui multum profectū fore in Hierusalem, propterea q; ipse pauloante persecutus sit Euangelion, nūc autem subito mutatus palam illud adnunciet. Igitur qui hactenus non credidit propter Euangelij ueritatem, nunc fortassis crediturus est propter repentinam Pauli mutationem, quæ non nisi diuinitus & maximo miraculo fieri potuit. Ad hæc sentiebat Paulus salutem gentium, ad quas mittebatur, esse diminutionem salutis Iudęorum, & illarum electionem esse horum abiectionem. Maluit igitur esse anathema a Christo, cū q; ut fratres sui cognati iuxta carnem a cognitione ueræ salutis excluderentur. Quo affectu etiam Ionas propheta in mare fugit, uidelicet, timens ne si Niniuitis gentibus incircuncisis Verbum Domini prædicaret, misericordia ac clementia Domini auferatur a Iudæis, qui soli essent populus Dei, & conferatur gentibus. Sed ut Ionas etiam a uentre cœti extractus, necesse habuit ad Niniuitas pergere, & illic Verbum Domini adnunciare. Ita coactus fuit Paulus a Hierusalem discedere ad gentes. Ait em Dominus, uade, quoniam ego ad gentes procul mittam te. Obediēs igitur Paulus, discessit. Sic enim Lucas scribit: Quod cum cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsariam, & emiserunt Tarsum. Vides summam fuisse in Paulo charitatem in proximum, summam quoq; pietatem ac obedientiam erga Deum. Quæ enim maior potest esse charitas cū q; Paulus nō solum maximo uitæ suæ discrimine, petat ut in Hierusalem & Iudæa maneat, quo Iudæis salutem sua prædicatione impartiatur, uerumetiam

Supplicium quo Deus ingratos erga Euangeliū suum afficere solet.

Affectus Pauli erga Iudæos.

,,
,,

Summa charitas & obedientia in Paulo.

rum etiam cupiat esse anathema à Christo, tantum ut Iudæi à salute Christi nõ excludantur? Rursus summa est obedientia, cp quos & uita & salute sua chariores habeat, eos ad uocationem & mandatum Dei relinquit, & ad gentes, populum prorsus à Deo alienum proficiscitur. Iam nec illud ociosum est, cp deducunt eum fratres à Hierusalem ad alias ciuitates. Declarant enim, quanto studio, quanto amore complectantur Paulum, quem nõ aliter æstimant, non aliter seruant ac custodiunt, quàm gemmam longe omnium preciosissimam, & thesaurum locupletissimum. Sic enim diuina ordinatione fieri solet, ut si tu ardenter proximum in Christo Iesu amaueris, te contra multi summo amore in Christo prosequantur, ita ut ob salutem tuam nec uitæ suæ parcant. Quorsum autem hæc omnia pertinent, nisi ut horum exemplis, & obedientiam erga Deum, & charitatem erga proximum discamus, ut fide iustificati ad testandam fidem bonis operibus per exempla animemur. Habentes autem operum testimonia perpetuam salutem consequamur, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA XLIIII.

EXplicuimus, amicissimi, Pauli sæuitiam, persecutionem, conuersionem, reditum in Hierusalem, & fugam eius à Hierusalem ad exteras gentes, qui ob hanc causam misericordiam adeptus est, ut in ipso primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar his, qui crediturí essent in ipso in uitam æternam. Nunc regrediemur ad enarrandam fortunam Petri, qua in Euangelico suo ministerio usus est, & uidebimus quàm strenue, quàm industrie, quàm denique certo regnum cœlorum claue ipsi à Christo commissa auditoribus suis aperiat, & ad introitum hortetur. Dicit ergo Lucas. Ecclesiæ quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebant pacem, »
& ædificabantur, uersantes in timore DOMINI, & consolatione sancti spiritus multiplicabantur. »
Vnde, obsecro, subita illa pax Ecclesiæ orta est? Num cp Paulus primarius persecutor ad Christum conuersus fuerat? at pro uno Paulo uel sexcenti alii perse utores orti sunt, nam & in Damasco asseruabant Iudæi portas die ac nocte, ut Paulum interficerẽt, & in Hierusalem quærebant eum occidere, adeoq; illis e conuersione Pauli non mitiores, sed irritatiores & crudeliores efficiebantur. Num quia Principes & Pharisæi resipuerant, & Christum agnouerant? at nullum legimus Pontificem Iudæorum resipuisse, & post hanc pacem, maior prope redibit persecutio. Ex quo intelligere licet, Pontifices, Pharisæos & Iudæos semper eandem crudelitatem & uirulentiam aduersus Euangelion Christi spirasse. Vnde igitur post tam crudelem persecutionem tam læta pax Ecclesiæ contingit? Profecto non aliunde quàm ex beneficio Dei, qui hac repentina pace omnibus piis industriam magisterii sui, & clementiam misericordiæ suæ declarare uoluit. Primum, cp nolentibus uolentibus omnibus persecutoribus possit, quandocunq; sibi uisum est, Ecclesiæ suæ pacẽ ac tranquillitatem reddere. Deinde, cp hanc habeat consuetudinem, quia solitus sit post grauissimas afflictiones, gratissimas consolationes credentibus suis mittere, adeoq; quo maior est tribulatio, eo maior & certior est liberatio, cuius rei duo potissimum argumenta DOMINVS Deus noster in rebus naturalibus nobis proposuit. Alterum est partus mulierum, alterum uicissitudo hyemis & æstatis. De partu mulierum dicit Christus. Mulier dum parit dolorem habet, quia uenit hora eius. Sed quid? num dolor iste perpetuus est? Minime, sed quo maior est dolor, hoc maius gaudium sequitur. Cũ enim pepererit puerũ, iam non meminit anxietatis, propterea cp gaudeat hominem esse natum in mundo. Ne autem existimaremus hoc tantum mulieribus prægnantibus accidere, CHRISTVS cum omnibus piorum afflictionibus confert dicens: Vos nunc mœrorem habebitis, sed iterum uidebo uos & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Hyemis autem & æstatis ratio ita se habet, cp in hyeme quidem ob niues & frigora, omnia uidentur perdita, & si quis nunquam uidisset hyemem, de incolu-

Repentina pax quare recens natæ Ecclesiæ data sit.

Quod partus mulierum & uicißitudo hyemis & æstatis mire conueniant cum afflictione & liberatione Christianorum.

mitate ſtatus humani deſperaret, attamen etiam uulgo iactatur, q hyems bona, etiam bonam æſtatem pariat. Tunc autem dicitur hyems bona, non ſi contra naturam ſuam ca lida exiſtat, & germina protrudat, ſed ſi pro natura ſua, & niuibus & frigoribus infeſta ſit, ac omnia germina intra ſuam, ut ita dicam, pelliculam contineat. Quo igitur horridi or hyems eſt, eo fructuoſior æſtas ſperatur, id quod & nos his proximis annis reipſa exper ti ſumus. Hyemes aliquot habuimus non pro natura ſua niuibus ac frigoribus horridas, ſed partim humidas, partim frigore minime moleſtas. Tales aũt hyemes ualde infructuo ſæ ſecutæ ſunt æſtates. Eadem plane ratio eſt afflictionum & liberationum eorum qui in Chriſtum Ieſum credunt, hoꝛ enim hyems eſt afflictio ſeu tribulatio, in qua hyeme om nia uidentur perdita & conclamata, liberatio autem æſtas eſt. Proinde quanto grauior & infeſtior eſt hyems afflictionis, tanto gratior & iucundior ſperanda eſt æſtas liberationis & gaudii. Ac ut id quicquid eſt firmiter cõprobaret ob ſignaretuꝛq, dedit Dominus Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ recens natæ repentinam pacem & tranquillitatem iucundiſſimam poſt crudeliſſimam perſecutionem. Etenim poſt reuelatum ſpiritum ſanctum, Apoſtoli coniiciebantur in carceres, Stephanus lapidabatur, diſcipuli cogebant blaſphemare, aut fugabantur, aut ad mortem trahebantur, quid hac hyeme aſperius? quid hac niue horri diuſ? Ecce autem poſt tantam hyemis aſperitatem, iucundiſſima ſequitur æſtas, habent enim Eccleſiæ pacem per totam Iudæam, Galilæam & Samariã, & ædificantur uerſantes in timore DOMINI, & conſolatione ſpiritus ſancti multiplicabantur. Sic uiciſſim ſucce debant ſibi hyems & æſtas in Iſraëlitis in Aegypto adhuc captiuis, & poſtea potentiſſima DOMINI manu mirabiliter liberatis. Sic ſuccedebant ſibi in Dauide, nunc in exiliũ pul ſo, nunc in regnum uocato & reſtituto. Sic in Daniele, nunc leonibus obiecto, nunc ſuper omnes Perſarum principes exaltato. Breuiter, ſic in omnibus piis uicaria eſt ſucceſſio hye mis & æſtatis. Itaq; quo grauioribus premuntur afflictionib. eo gratiores conſolationes ſperare debent. Sed quõ dicitur, q eccleſiæ ædificabantur per totam Iudæam, Galilæam & Samariam? num ædificabantur lapidea illa templa quæ nunc eccleſias uocamus? at uix hoc ferebant Iudæi, ut diſcipuli in nomine Ieſu palam loquerentur, quomodo igitur illi tuliſſent, ut hi ædificarent templa, in quibus ad peragenda ſacra ſua conuenirent? Obſer uandum igitur eſt, q hoc non proprie ſignificat eccleſiam ædificare, ſi quis ſuo ſumptu la pideam domum extruat, ſed ſi per prædicationem Euangelii credentes in fide cõfirman tur, & cõſolationem in omnibus ſuis aduerſis accipiunt, ſi increduli per prædicationẽ ad fidem in Chriſtũ conuertuntur, ſi per prædicationem efficitur, ut diſcipuli in timore Do mini uerſentur. Aedificant etiam parentes eccleſiam, ſi liberos ſuos in diſciplina Domi ni erudiant, ſi pædagogi pueros ſuos pietatem doceant, ſi patresfamilias familiam ſuam & doctrina & exemplis in pietate inſtituant. Vnde Paulus dicit: Dei ſumus cooperarii, Dei agricolatio, Dei ædificatio eſtis, iuxta gratiã Dei, quæ data eſt mihi. Enitamur ergo, ut ad hunc modũ etiamnos eccleſiã ædificemus. Nã etiamſi quis pauperior Lazaro mendico fu erit, & nullas prorſum opes poſſideat, poteſt tñ eccleſiã ædificare, ſi uel ſaltem p proximo ſuo Dñm deprecetur. Sic Paulus ſcribit. Vnuſquiſq; noſtrum proximo ſuo placeat in bonũ ad ædificationẽ. Et iterũ: Omnia ad ædificationem fiant. Porro aũt, in timore Domini uerſa ri, non eſt hypocritice ſibi reuerentiam quandã erga Deũ inuiſibilem fingere, ſed eſt time re ne Deũ uiſibilem uiolemus. Quis eſt Deus inuiſibilis? quis uiſibilis? Verus Dominus Deus noſter, Deus inuiſibilis eſt. Sed quia manifeſtat ſe per uerbum ſuum, ideo uerbũ Dei dicitur à nobis Deus uiſibilis, ergo q ſollicite ambulat, & ſumma cura enititur, ne uiolet uerbum Domini, ne legem eius præuaricetur, ne mandata eius frangat, is uere Deum ti met. Iam & iſtud animaduertendum eſt, q cum dicitur, eccleſias mulciplicatas eſſe conſo latione ſpiritus ſancti, non ſentiendum eſt, ſpiritum ſanctum ſemper ex alto deſcendiſſe uiſibiliter, quemadmodũ in die Pentecoſtes factum eſt, ſed ea dicitur ſpiritus ſancti conſo latio cum prædicatur Euangelion, quod eſt uerbum ſpiritus ſancti, & afflictæ conſcientiæ concipiunt gaudium, ut credentes non ſolũ ſciant ſe gratos eſſe patri ſuo cœleſti, ſed eti am forti aĩo omnia aduerſa tolerẽt. Eſt & hæc ſpũs ſancti conſolatio, ſi multi p Euangelii prædica-

Eccleſiam ædificare quid ſit proprie.

In timore Domini uerſari.

Conſolatio ſpiritus ſancti cuiuſmodi ſit.

prædicationem, ad Christū conuertuntur. Sic, n. & nos in fide exemplo aliorū confirmamur, itaq; Euangelion diligenter capessamus, ut & hac consolatione fruamur. Sed tempus nunc est, ut ad explicandum Petri ministerium accedamus, tametsi. n. hactenus Ecclesia Christi grauiter à persecutoribus affligeretur, tñ ut bonus architectus, nullâ quieté ducit, quin ubicunq; occasio daf, Ecclesias ædificet, & antea ædificatas cõseruet. Peragrat igif per oñes Ecclesias, & in Iudæa & Galilæa & in Samaria, ut illas augustiores & cõfirmatiores reddat. Sunt enim diuersa munera Ecclesiastica, nam ut Paulus scribit: Alios qdem posuit Deus in Ecclesia, primũ Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores. Et Apostolorum erat, hinc inde regiones pagrare, doctores & episcopos instituere. Doctoꝝ aũt & Episcoporũ erat in sua ciuitate, in q̃ instituti erant manere, nec habebãt necesse, nisi certa uocatione ad hoc officiũ eligerent, alias urbes & regiones prædicandi Euangelii gratia circũcursitare. Petrus igif pro munere apostolatus sui, non in uno loco manet, sed per omnes Ecclesias pficiscitur, prædicans Euangelion Christi, & miraculis prædicationẽ confirmãs. *Diuersa munera in Ecclesia.*

Factum est aũt, ut dum peragraret per oẽs, deueniret etiam ad sanctos, q habitabant Lyddæ (ea est urbs in Palestina nõ procul ab Iobbe ciuitate littorali) Reperit aũt hominem quendam noie Aeneam, annis iam octo decumbentẽ in grabbato qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea sanet te Dominus Iesus Christus, surge & sterne tibi ipsi. Et cõtinuo surrexit & uiderunt eũ omnes qui habitabant Lyddæ & Assarone qui cõuersi sunt ad Dominũ. Vides ne nunc quõ Ecclesiæ per Apostolos ædificatæ sunt? nimirũ non lapidibus sed prædicatiõe Euangelii de Iesu Christo & ædendis miraculis in nomine eius, quibus rebus efficiebatur, ut multi in Iesum Christũ crederent, & hi uere dicuntur Ecclesia Christi. Principio aũt in enarratione profectionis Petri ad Lyddam, hoc adnotandum est, q̃ Lucas dicit, Petrum ueniſſe ad sanctos qui erãt Lyddæ. Num illuc peregrinatus est ad sanctos mortuos, puta, uel Patriarchas uel Prophetas, uel eos qui in persecutione Christi mortem passi sunt? At hic fit mentio de sanctis nõ mortuis sed uiuis. Qui habitabãt, inquit, Lyddæ non ait, qui sepulti erant Lyddæ. Quod si ad uiuos sanctos pfectus est, quõ illi sancti dicũtur cũ paulo ante ad Christũ conuersi fuerant, & nondum potuerant tantũ bonoꝝ operũ feciſſe, quibus sancti facti fuissent? Etsi aũt sæpe de hac re charitatem uestram admonuerim, tamẽ quia res scitu necessaria est nõ pigebit paucis repetere. Opera bona neminem reddunt sanctũ, quippe quæ in Iudicio Dei propter carnis fermentũ non iustificant, sed solus Christus sanctitas nostra est, nam qui credit in Iesum Christũ q̃ per ipsum remissa sint peccata, is per fidem corã Deo sanctus efficit. Sic ergo discipuli qui habitabãt Lyddæ sancti dicuntur, non q̃ pararint sibi sanctitatẽ suis operibus, sed q̃ credebant in Christum qui remittendo ipsis peccata, sanctos eos reputabat. Ad eundẽ modum nos etiam primum sanctos effici oportet, ut deinde sancta opera proferre queamus. Deinde q̃ scribif Petrum sanasse in nomine Christi paralyticũ, num sentiendum est, oñes paralyticos in nomine Christi corporaliter sanari, aut nõ esse pios, qui nõ in nomine Christi corporaliter sanentur? Nequaquã ita sentiendum est. Etenim in diebus Heliæ multæ fuerũt pauperes uiduæ, & inter illas proculdubio aliquot piæ, ad nullam tamẽ illarũ, quemadmodũ Christus ait, missus est Helias nisi ad mulierem uiduã in Sarepta Sidonis: & multi erant leprosi in Israel sub Eliza propheta, inter quos profecto aliquot pietati studuerunt, hi præsertim, qui nuncianerũt Syros aufugisse, & castra eorũ deserta esse, quemadmodũ scribitur in posteriori libro Regum capite septimo, nemo tamen eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et in diebus Christi multi pii mortẽ obierũt, ut Simeon senex Hierosolymitanus, Anna prophetissa, aliiq; multi, qui añ Christum, ætate tñ eius morte extincti sunt, pauci tamẽ à mortuis per Christum suscitati sunt, filius uidelicet uiduæ & Lazarus. Nõ sanantur ergo aliqui miraculis, ut omnes ita sanent, sed unus & alter infirmus miraculo per Apostolos sanatur in nomine Christi, primũ ut potentia Euangelii de Iesu Christo manifestetur, ac confirmaretur, deinde ut omnes ægroti, unius ac alterius exemplo admoniti, bonam spem concipiant, Deum nõ derelicturum ipsos, ut in infirmitate sua pereant, nõ q̃ simili modo postulent sanari, sed q̃ certo confidant, infirmitatem suam non cessuram ipsis ad

Christiani quare dicantur sancti.

Quare non omnes ægroti sanentur in nomine Christi.

cõdemnationem. Scimus enim, inquit Paulus, q̃ his qui diligunt Deum omnia simul adiumento sunt in bonum, nimirum his qui iuxta propositum uocati sunt. Nos igitur quos Deus per prædicationem Euangelii uocauit ut simus populus eius, optime in omnibus afflictionibus speremus, certa fiducia concepta, q̃ omnes afflictiones nos ad ueram salutem consequendam adiuuent, per Christum Iesum Dominũ nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen

HOMILIA XLV.

REstituit Petrus Lyddæ paralyticum quendã nomine Aeneam sanitati, ut nomen Iesu Christi, in cuius uirtute miraculũ ædebat patefaceret, & ut omnibus corpore infirmis ostenderetur, ægritudinem corporalem ipsis, si in Iesum Christum crediderint, adiumento ad bonum fore. Nunc mulierem mortuã uitæ restituit, in Ioppe ciuitate littorali & uicina Lyddæ. Quod miraculum non ædi-
,, tur à Petro, ut glori a nois ipsius nobilis reddat, sed ut nomen Do-
,, mini Iesu, de quo prædicabat, q̃ quisqs crediderit in ipsum, habeat
,, remissionem pectatorũ & uitam æternam, glorificetur. Sed ipsum gestæ rei ordinem audiamus. Ioppe (inquit) fuit quædam discipula nomine Tabitha (uel ut alii sentiunt Tabia) quæ interpretata dicitur Dorcas (id̃q Græce, latine autem caprea). Hæc erat plena
,, bonis operibus, & eleemosynis quas præstabat. Recto ordine commendatur Dorcas à Lu-
MODVS IVSTIFICANDI. ca, primum enim discipula uocatur, didicit ergo Euangelion de Iesu Christo, & credidit, q̃ nullis suis meritis coram Deo iustificetur. sed hanc esse suam iusticiam, q̃ per Christũ Iesum iniusticia sua gratis, & absq̃ ullo operum respectu, remissa sit. Deinde dicitur plena bonis operibus & eleemosynis quas præstabat, non q̃ his operibus meruerit remissionem peccatorum & iusticiam, sed q̃ per fidem iustificata, fidem his operibus testata sit, & bonis fructibus bonam arborem declararit. Etenim fides in Iesum Christum non est res ociosa, ut multi somniant, sed quod uere credit, idem etiam re ipsa & opere palam testatur Si uere credit peccata sibi esse remissa, uere etiam peccata peius angue & cane odit, fugit ac uitat: si uere credit omnia aduersa per Christum sibi ad bonũ adiumento esse, ueram quoq̃ patientiam in aduersis præstat. Si ex animi sententia credit uitam æternam sibi per Christum donatam, pro uirili quoq̃ enititur, ut uitam in hoc sæculo ducat non indignam uita æterna, adeoq̃ omnino quod corde credit opere declarat. Porro autem uera fides non declaratur operibus hypocriticis, sed iis operibus, quæ à DOMINO Deo nostro uerbo suo præcepta sunt, & quæ uniuscuiusq̃ uocatio legitima requirit. Quare Dorcas nõ commendatur, q̃ multa sacrificia in Hierosolymitano templo hypocritice fecerit q̃ priuata templa suo sumptu extruxerit, sed quia plena fuerit operibus bonis, bonis inq̃, nimirum, quæ uerbo DOMINI bona prædicantur, tum præcipue q̃ multas eleemosinas præstiterit, nam opera charitatis maxime in lege diuina exiguntur, & in iudicio diuino inquiruntur. Misericordiam, inquit DOMINVS, uolo & non sacrificium. Item a-
Opera charitatis quare exigantur. pud Esaiam dicitur: Frange esurienti panem tuum, & uagos induc in domũ tuam. In extremo quoq̃ iudicio inquiet iudex: Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere: ite igitur maledicti in ignẽ æternum. Non exiguntur autem illa opera ut meritoria remissionis peccatorũ, & uitæ æternæ, hæc enim per fidem in Christũ possidentur: sed ut fidei nostræ declaratoria, & nos ipsos de ueritate fidei nostræ certificantia, sed & ob hanc causam requiruntur, ne spiritum sanctum per Christum acceptum præuaricatione diuinorum præceptorum extinguamus, quo extincto & ablato, nihil boni aut felicitatis in homine remanere potest, idq̃ uel unius Adæ exemplo cõprobatur. Is enim nullo suo merito e gleba terræ in hominem creabatur ad imaginẽ & similitudinem Dei, plenus spiritu sancto, plenus omnibus diuinis uirtutibus, quatenus homini fas est illas habere. Deinde datum est ei præceptum, ne uescatur de ligno fructu scientiæ boni & mali. Quam igitur ob causam datum est ipsi hoc mandatum? num & huius legis obseruatione me-

one, mereretur ſpũm ſanctum & uitã paradiſiacam? ſed antea nullo ſuo merito ſpiritum ſanctũ acceperat & poſſidebat paradiſum. Datũ igitur eſt ei præceptum, ut in eo ſpiritum ſanctũ ſuum exerceret. Cum aũt præceptum uiolaret quid factũ eſt? profecto quicqd habuit de ſpiritu ſancto, hoc totũ amiſit, & coniectus eſt in poteſtatẽ ſpiritus ſatanæ. Ita nobis quoq; bona opa, poſtq̃ per fidem ota cœleſtia bona poſſidemus, mandanẽ, non ut per illa mereamur iuſticiam & ſalutẽ, ſed ne malis operibus accepta bona perdamus. Proinde amiciſſimi, quando per Chriſtum renati ſumus, ad hæreditatem omniũ cœleſtium bonorum, agite capeſſamus exemplo mulieris huius Dorcados, de qua nũc nobis eſt ſermo, bona opera à Deo nobis præcepta, ne uiolatione diuinæ legis à Deo patre noſtro exhæredemur, & in exteriores tenebras proiiciamur. Sed de Dorcade pergamus. Factũ eſt, inquit, in diebus illis, ut infirmata morereẽ. Quid ſi Dorcas tanta ſanctitate prædita fuit, quantã in ipſa Lucas commendat. cur non precibus à Domino impetrauit, ut aut infirmitate nõ cõprehenderetur, aut infirmata non morereẽ, ſed ſanitatẽ reciperet? Non dubiũ eſt quin DOMINVM Deũ per Ieſum Chriſtum in ægritudine ſua inuocauerit. Et quia ſancta fuit, nõ inuocauit eum pro carnali deſiderio ſed pro uoluntate diuina. Quid enim aliud dixiſſet q̃ illud, quod Chriſtus in quem credebat antea docuerat: Fiat uoluntas tua, & libera nos à malo? Exaudiuit igitẽ eam Dominus, non pro carnis expectatione, ſed pro ſpũs ſapientia: ac ideo non ſeruauit eã incolumem nec liberauit eam ab ægritudine, ſed morte eã affecit, ut exauditionẽ ſuam manifeſtius & clarius demonſtraret. Si enim ſeruaſſet eam ne in ægritudinem incidiſſet, beneficiũ diuinũ manſiſſet obſcurũ. Si ex ægritudine ipſam eripuiſſet priuſquam moriebatur, fortaſſis naturali cõſuetudini adſcriptũ fuiſſet, qua ſæpe etiam infirmi ex diutina ualetudine reconualeſcunt. Proinde conſultiſſimũ Deo uiſum eſt, ut & infirma redderet & infirmata morereẽ, quo poſſet in ipſa ſpecimen admirabilis ſui auxilii exhibere. Quid erga fit de mortua Dorcade? Sequitur. Quam cũ lauiſſent poſuerunt in cœnaculo. Cum aũt uicina eſſet Lydda Ioppæ, ac diſcipuli audiſſent, q̃ Petrus eſſet in ea miſerunt ad eum rogantes, ne grauareẽ uenire uſq; ad ſe. Exurgens aũt Petrus, uenit cũ illis, & cum adueniſſet, duxerunt illũ in cœnaculum, & circumſteterunt eũ omnes uiduæ, flentes & oñdentes tunicas ueſtesq; quas faciebat cum eſſet cũ ipſis Dorcas. Animaduerte obſecro, ſollicitudinem ſanctoꝝ, circa Dorcadem iam mortuam. Primum lauant eam, balſamo ungentes, pro more eius gentis, alibi enim mortui unguneẽ, alibi non unguntur, alibi terra obruunẽ, alibi cremantur, nec hi diuerſi mores quicq̃ mortuis conferunt uel auferunt, ſed tm̃ declarant ſtudia uiuentium & regionũ conſuetudines. Deinde reponunt eã in cœnaculum, fortaſſis, ut paulo poſt ad ſepulturã efferant. Ecce aũt peroportune nunciũm acceperũt, Petrum eſſe in Lydda, magna igitẽ ſpe concepta de reuiuiſcentia Dorcados, ſepulturã differunt, ac miſſis continuo nunciis ad Lyddam, Petrum multis precibus obteſtati ad ſe uocant. Poſtremo, cũ impigre Petrus (nunq̃ enim negligebat fidelis Apoſtolus occaſionem dilatandi Euangelii & benefaciendi omnibus ſua opera indigentibus) ad ueniſſet inducunt eũ in cœnaculum ad Dorcadem mortuam, cõmendant charitatem eius erga egentes, quam oñſis ueſtibus ac tunicis ad uſum pauperum ab ipſa paratas cõprobabant, adeoq; fletibus affectũ ſuum erga ipſam teſtanẽ & lachrymis Petrum rogant, ut in tam pia muliercula, declararet potentiã nois Ieſu Chriſti. Porro ſi mortuã tantis beneficiis proſecuti ſunt, quantis officiis coluerũt eam adhuc uiuentẽ? Eſt aũt diuina diſpenſatione ita cõprobatum, ut qui Deo obediat, & proximo iuxta mandatũ diuinum benefaciat, ubiq; & ſemper inueniat qui pro ipſo ſolliciti ſint, & omnia bona ei cupiant. Non igitur eſt q̃ cures ut poſt mortem anniuerſaria ad refrigerationẽ animæ tuæ inſtituanẽ. Sed hoc curandum eſt, ut adhuc uiuens Deũ fidei obſequio, & proximũ charitatis operibus amicum habeas. Sic enim fiet ut habeas, qui etiam in media morte pro te ſolliciti ſint, & tuam ſalutẽ quærant: nam obedientia fidei DOMINVM Deum noſtrũ propicium ac ſollicitũ pro nobis reddit. Deo aũt propicio, omnes creaturæ uelint nolint neceſſe habent ſententiæ diuinæ ſubſcribere. Deo fauente omnia nobis fauent, etiamſi maxime uideanẽ nos odiſſe. Deo ſollicito pro noſtra ſalute exiſtente, omnia ſollicitudinem pro nobis gerunt. Abel ex fide

Obedientia fidei & dilectio proximi quanta bona.

obediebat Deo adhuc uiuens, & ecce pro mortuo etiam sanguis eius sollicitus erat. Daniel adhuc liber Deo fide obsequebatur, & ecce pro captiuo, nõ Rex solum qui ipsum in carcere cõiecerat, sed etiã leones, in quorum lacu Daniel detinebatur solliciti pro salute eius erant, quemadmodum in Daniele capite sexto scribitur. Et Christus testatur angelos gaudere in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quomodo igitur nõ summa cura obedientem Deo per fidem cõplecterentur? Proinde hoc agamus, ut Deo ex fide obsequamur, & oẽs creaturæ nobis adiumento erũt ad bonũ. Cæteꝝ cum Petrus pietatem Dorcados percepisset, & mirã charitatem uiduaꝝ adhuc superstitũ in ipsam aduerteret, ejectis
» oibus foras, positis genibus orauit. Cur aũt obsecro nõ præsentib. illis orat? cur eiicit illos tanq̃ prophanos & indignos, qui orationi præsto adsint? Petrus hoc facit, neq; citra ratio nẽ neq; absq; exemplo. Oratio enim secretũ postulat & in turba ardere nequit, præsertim ubi sunt eiulatus, querelæ & lamentationes, quales solẽt esse in funeribus. Hinc Christus monet, ut oraturus introeat in conclaue suum, & occluso ostio, oret patrem qui est in occulto. Nam & ipse oraturus ad montes secedebat, & suscitaturus filiam primatis, tibicines & tumultuantem turbam eiiciebat. Et ante Christum propheta Eliza filium Sunamitides resuscitaturus, solus ingressus est cubiculum, in quo iacebat puer, & clauso ostio orauit DOMINVM. Sequamur & nos exemplum istud, non superstitiose quidem, sed reuerenter, & spiritu contribulati, & corde contriti secreta petamus, & DOMINO Deo nostro afflictionem nostrã conquerentes, ex fide pro auxilio supplicemus. Porro aũt ut historiam

Oraturi secretum quare petere debeant.

» persequamur, Petrus post orationem conuersus ad corpus dixit, Thabita surge. At illa a-
» peruit oculos suos, uisoq; Petro resedit. Data aũt illi manu erexit eã, & cũ uocasset sanctas
» ac uiduas, exhibuit eam uiuã. Quã magna est efficatia orationis ex fide ꝓficiscentis? Orat homo & Deus mortuum suscitat, hoc est, naturam rerum inuertit, quid admirabilius dici potest? Hoc aũt miraculum, eo nomine potissimum exhibitum est, ut potentia Euangelii declararetur, & multi ad credendum Euangelio de Iesu Christo allicerentur, id quod e
» tiam factũ est. Innotuit. n. illud per totam Ioppen & crediderunt multi in Dñm, factumq;
» est, ut Petrus dies multos maneret Ioppe apud Simonem quendã coriarium. Deinde etiã omnibus corpore infirmis, hoc miraculo solatiũ daf, ut quanquam cernant se mox morituros, tñ confidant se non in morte permansuros, sed gloriose in Christũ in quem credũt liberandos. Postremo omnes afflicti possunt e resuscitata illa Dorcade multã consolationem in sua tribulatione petere. Nam quemadmodñ Dorcadi non accidit mors, ut morte pereat, sed ut maiori gloria reuiuiscat: ita nihil cuiq; in Christũ credenti afflictionis accidit, per quod Deus non maius bonum illi collaturus est, cuius rei specimen exhibet, non solũ Dorcas, sed & Ioseph & Dauid & maxime Iesus Christus. Proinde patienter feramus manũ Dñi, ut per afflictiones ducamur ad perpetuam felicitatem, per Christũ Iesum Dominum nostrum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula Amen.

CAPVT DECIMVM.

HOMILIA. XLVI.



Actenus Apostoli & Doctores Euangelii de Iesu Christo nemini annunciauerunt Euangelion præterquam Iudæis aut proselytis, qui e gentibus Iudæi facti fuerunt. Sentierunt enim Iudæos solos esse populum Dei electum, & ad ipsos solos pertinere salutem per Euangelion reuelatam, eamq; gentibus non communicari, nisi fierent per circumcisionem Iudæi, qua carnali opinione imbuti fuerunt, non solum carnales Iudæi, uerumetiam hi qui alioqui erant spirituales prophetæ, apostoli, & qui ex circumcisione in Iesum Christum crediderant. Etenim cum ante aduentum Iesu Christi propheta Ionas ex uocatione DEI ad Niniuitas mitteretur, ut illic diuinum oraculum prædicaret, maluit uocatio-

ni Dei

ni Dei inobediens esse,& à facie Dei fugere,quam incircumcisis gentibus uerbum Dei ad nunciare.Et post aduentum Christi,qui dispersi fuerant ex afflictione,quæ orta fuerat ob Stephanũ,nemini loquebantur sermonem Euangelicum nisi solis Iudæis. Petrus quoq; apostolus usq; adeo horruit gentes, ut uisione cœlesti coactus fuerit ad gentes accedere. Vnde & postea reprehensus fuit ab aliis, q; introiisset ad uiros præputium habentes. Ac illi quidem non abominabantur gentes omnino,recipiebant enim illos ex gentibus qui se circumcisioni & legi subiiciebant,eos autem qui manebant in præputio,ab omni salute excluſos putabant. Proinde hactenus solis Iudæis, aut proselytis Euangelion de Iesu Christo ab Apostolis aliisq; doctoribus adnunciatũ est. Nunc uero inchoat DOMINVS Deus noster in Cornelio Centurione uocationem gentiũ,& uisionibus manifestisq; miraculis reuelat etiam gentes absq; circumcisione & lege Mosi,ad salutẽ pertinere,& Christum non solum esse Iesum (hoc est) saluatorem Iudæorum aut circumcisorum,sed etiam Gentiũ incircumcisoꝝ,id quod non admodũ miꝝ nobis apparet,qui longo usu & diutina cõsuetudine, qua icircũcisæ gentes, ex quibus & nos sumus,Christum,pfitentur, occallui mus. At si reputemus,quantũ discrimẽ inter Iudæos & gentes etiã authore scriptura fuerit,& conferamus ministeriũ Mosi ad ministeriũ Euangelii,tunc maximũ nobis uidebit miraculũ, q; Deus in populum suũ recepit gentes in præputio suo manentes,& legẽ Mosi non agnoscentes. Etenim de Iudæis dicit Mose: Te,inquiens, elegit Dñs Deus tuus ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terrã. Et Esaias de Hierusalem uaticinatur.Induere,inquit uestimentis gloriæ tuæ Hierusalẽ,ciuitas sancti,quia non adiecit ultra ut pertranseat per te incircumcisus & immundus. Et Hieremias: Ecce dies uenient dicit Dñs, & uisitabo sup omnem qui incircumcisum habent præputium. Similiter Ezechiel exprobrat Iudæis, q; contaminẽt templum suum gentiũ frequẽtia, quas inducũt in tẽplum. Hæc dicit Dominus Deus,sufficiant uobis omnia scelera uestra,domus Israel, eo q; inducitis filios alienos incircũcisos corde & incircũcisos carne, ut sint in sanctuario meo.Ex his manifestum est,tñ discrimen inter Iudæos & gentes habitũ esse,ut soli Iudæi pro populo Dei,gentes aũt incircumcisæ pro abominatione reputatæ fuerint,nec unq; receptæ sint in numeꝝ populi Dei, nisi circumcisionẽ acceperint,& legi Mosi se subiecerit. Nec aliter affecti fuerunt Iudæi erga gentes in præputio suo manentes, quàm Christiani nunc erga Iudæos & Turcas in Iudaismo & Turcismo suo manentes, nã recipitur quidem & agnoscit Iudæus uel Turca Deo acceptus & salutis ppetuæ particeps, si relicto Iudaismo aut Turcismo Iesum Christũ fide sua complectat & baptizetur. At si contempto Christo & baptismo maneat in sua religione, nulla prorsus salutis spes de ipso habet. Ita & si Iudæi agnoscebant gentes ,quæ abiecta gentilitate,hoc est,præputio,circũcidebantur,non tamen agnoscebant gentes quæ non recipiebant circumcisionẽ. Nunc igit incipit Dominus in Cornelio centurione & familia eius declarare, q; nõ solũ Iudæi,sed etiã gentes adhuc incircumcisæ ad Christum Iesum , & ad perpetuam salutem per ipsum consequendam pertineãt.Hic.n.quamuis adhuc incircumcisus Ethnicus fuerit, uisione tamen declarat esse coram Deo mundus,& spiritu sancto una cum aliis ex prædicatione Petri donatur. Audiamus igitur primum quis fuerit Cornelius,deinde quæ de ipso gesta sint.Sic autem scribit Lucas. Vir quidem erat Cæsariæ nomine Cornelius centurio ex cohorte quæ dicitur Italica,religiosus ac timens DEVM cum tota domo sua, præstans eleemosynas multas plebi, deprecansq; DEVM semper. Principio, quod ad carnem attinebat,Cornelius iste in circumcisus ethnicus fuit,ex ethnicis parentibus prognatus,sic enim & uisio Petro reuelata indicat,in qua Cornelius immundis bestiis assimilatur, & postea appellatur Cornelius à Petro alienigena. Reuersoq; Petro ad Hierusalem exprobratur, q; ad uiros præputium habentes introierit, & ederit cum illis. Quantum autem ad officium attinet, Centurio fuit cohortis Italicæ. Nam cum tota Syria in qua habitabant Iudæi in potestatem Romani Imperatoris bello redacta esset , disponebantur præsidia militum in uariis Iudææ locis, ut hominum obseruatione Iudæi in officio & obedientia continerentur & si quid seditionis oreretur, armis illorum opprimeretur. Varias autem ap

Quare Apòstoli in tantũ refugerint gentes.

Quantũ discrimen inter Iudæos & gentes.

Cornelius Italicæ cohortis centurio.

pellationes habebant cohortes, alia uocabatur Augusta, alia Italica, alia alio nomine. Italicæ igitur Cohortis centurio fuit Cornelius. Sed cum sit alioqui nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur, tamen hic centurio maximæ pietatis fuisse prædicatur. Primum enim quod ad se ipsum attinebat, erat, ut ait Lucas, religiosus ac timens Deum. Etsi enim Ethnicus erat carne, & officio centurio, timebat tamen uerum Deum, & pietatem sectabatur. Timere autem Deum est credere in Deum, & mandata eius summa reuerentia obseruare. Deinde non solũ ipse pietatẽ sectabat, sed & familiã habebat piã, nimirũ à patrefamilias sic institutam. Hoc enim est officiũ non patrisfamilias solũ, ut curet quo habeat familiam piam, sed etiã magistratus, ut diligenter enitat, quo habeat subditos honestos. Nec sufficit ut paterfamilias & magistratus priuatam tantũ pietatẽ præstent, nisi & publicã sectentur, & ea quæ sunt officii sui fideliter exequantur. Delicta enim familiæ & subditorum patribusfamilias & magistratibus imputantur, si horũ ignauia, torpore, aut malo exemplo peccetur. Nam si filius adhuc in potestate patris existens, conscio patre scortatur, aut nomine Dei execrationibus abutitur, certe pater ea peccata designat. Si subditi ebrietati studeant & blasphemiis, ac magistratus conniuet, profecto magistratus hæc scelera committit, etiamsi ipse sobriam & honestam uitam ducat. Dicit enim Paulus: Non solum qui faciunt talia, digni sunt morte, uerumetiam qui assentiuntur iis, qui faciũt. Assentitur autem qui cum ex officio peccatum corrigere debeat, non facit, sed ex ignauia negligit. Vnde scriptura imputat sacerdoti Eli impietates, quas filii eius ipso conscio designabant: & peccata Israelis, quæ committebantur in uitulis aureis, regibus, qui aut uitulos instituerunt, aut defenderunt, aut non abrogauerunt, imputantur. Contra uero Hiob pro filiis suis sollicitus est, & offert pro eis holocaustum, ne forte peccauerint aduersus DOMINVM, & ipsi peccatum imputetur. Eodem spiritu Cornelius ita pietati operam dat, ut non solum ipse nihil mali perpetret, sed etiam familiam suam à malo probibeat. Postremo, non solum fidei suæ fructus in domo & inter familiam suam faciebat, sed etiam alienis fidem suam declarabat: nam multas præstabat eleemosynas plebi, & publicis orationibus semper intererat. Quàm prorsus dissimilis fuit hic centurio, non dicam nostratibus militibus, sed etiam ciuibus. Ille enim de suis bonis multas eleemosynas largitus est, hi & alienas opes uiolentia rapiunt, & imposituris opes suas augent. Ille semper publicas orationes frequentabat, hi in anno uix semel in Ecclesiam DOMINI ad audiendum uerbum DOMINI, & orandum conueniunt, & si conuenerint, corporeadsunt animo absunt. Proinde non est mirum, cum diuersi sint mores, diuersos quoq; esse euentus. Talibus enim impiis militibus & ciuibus apparet Satan, & efficitur præceptor eorum. Cornelio autem apparet angelus erudiens eum quid facere debeat. Sic enim sequitur. Is uidit per uisum manifeste, ferme hora dici nona angelum Dei introeuntem ad se,
» dicentemq; sibi, Corneli. At ille intuens eum, ac timore correptus dixit: Quid est DOMI
» NE? Dixit autem illi. Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam co-
» ram DEO. Et nunc mitte uiros Ioppen & accerse Simonem qui cognominatur Petrus.
» Hic diuersatur apud Simonem quendam coriarium, cui est domus iuxta mare, hic dicet
» tibi quid te oporteat facere. Principio obseruandum est, hanc uisionem non esse noctu & in somno factam, sed interdiu Cornelio uigilante. Ait enim Lucas, uidit manifeste hora diei nona. Deinde q; angelus dicit. Orationes & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Deo, mirum uidetur quomodo opera ethnici sine fide in Iesum Christum Deo placuerint? Hactenus enim ex Apostolorum Euangelio prædicauimus, q; nemo possit esse coram Deo iustus absq; fide in Iesum Christum, & solũ Christum esse iustitiam nostrã. Docuimus quoq; nulla opera corã Deo absq; fide in Christũ ualere, nullã orationẽ absq; fide ad Deũ penetrare. At uero de Cornelio dicit, q; iustus ac pius fuerit, & q; opera eius Deo placuerint, priusquam Euangelion de Iesu Christo audiuisset, & in ipsum credidisset. Quomodo ergo uerba angeli intelligenda sunt? Referenda sunt ad ea quæ Lucas de Cornelio ab initio dixit. Erat religiosus ac timens Deum. Etenim fieri nequit ut uel oratio ascendat ad Deum, si non ex fide proficiscatur, uel eleemosynæ à Deo respiciantur, si ani-

Timere Deũ

Quomodo peccata subditorũ imputẽtur patribus familias & Magistratib.

Opera Ethnici quõ Deo placuerint sine fide in Christum.

si animus eleemosinarii impius fuerit. Clamabunt, inquit Micha, ad DOMINVM, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis, quare? quia nequiter egerunt in adinuentionibus suis. Et in psalmo: Clamauerunt nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos. De eleemosyna autem piorum dicit Christus: Hypocritæ præstant eleemosynam in conciliabulis & uicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, habent mercedem suam. Audis, nec orationem nec eleemosinam coram Deo ualere sine fide. Necesse igitur est, ꝙ Cornelius antea crediderit in Deum, quàm orationes & eleemosinæ eius in memoriam Dei uenerint, quod & Lucas testatur, cum uocat eum religiosum ac timentem Deum. Quomodo enim fuisset religiosus ac timens Deum absq; fide? Sed inquis: Cornelius non credidit in Iesum Christũ, quomodo igitur potuit credere in Deum? siquidem nemo uere in Deum credit, nisi per Iesum Christũ? Fateor Corneliũ nondũ audiuisse Euangelion de Iesu Christo à mortuis resuscitato, nec baptizatũ fuisse, attamen quia dicitur timens Deũ, & nemo uere timens Dei est, nisi credat se per semen Abrahæ benedictionẽ consecuturum, manifestũ est Cornelium, ꝙuis ethnicum, audiuisse tñ à Judæis promissionẽ ad Abraham & Dauid dictam, atq; ei fidem habuisse. Itaq; sic credidit in Christum, quemadmodũ patriarchæ, prophetæ & omnes pii ante aduentum Christi, aut ut similes cum similibus committam, quemadmodum Niniuitæ resipiscentes crediderunt. Quia.n. illi in semen Abrahæ promissum credebant, uere in Christum credebant, quanq̃ nulla tunc reuelata prædicatio de Christo erat, sicut post missionem spiritus sancti adnunciabatur. Nam ob eam causam angelus Cornelium monet, ut Petrum ad se uocet, uidelicet, ut ꝙ Cornelius antea nescienter credebat, hoc Petrus reuelate eũ doceret. Quid hoc, inquis? non poterat Angelus Cornelium docere Euangelion? num angelus ignorabat Christum? At Paulus scribit, Christũ etiam angelis uisum esse. Mittit aũt angelus Petrum ad Cornelium sicut Christus Ananiam ad Paulum misit, non quia ipse Euangelion nesciret, sed ut cœlestibus reuelationibus ministeriũ Apostolicum, & uocalis prædicatio Euangelii de Iesu Christo confirmaretur. Cum igiť hoc ministerium quod à Paulo, nunc potentia Dei ad salutẽ omni credenti, nunc ministeriũ reconciliationis dicitur, tanta autoritate de cœlo commendať, agite amicissimi, attentis animis obseruemus quæ nobis per illud traduntur, ut ea fide accipientes perpetuam felicitatem cõsequamur, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen,

Commendatio uerbi uocalis.

HOMILIA XLVII.

ANgeli colloquium cum Cornelio audiuimus, nunc paratam & ptomptam Cornelii obedientiã audiemus. Cum.n. discessisset angelus qui loquebatur illi, uocauit duos famulos suos & militem religiosum ex his qui sibi adhærebant quibus cũ narrasset oia misit illos Ioppen. Primũ oĩm uera fidei natura in Cornelio perspicue explicatur, is enim, postq̃ angeli uerbũ & Dei uerbũ accepisset, simpliciter ei fidem adhibet, nec curiose scrutatur, cur nõ angelus aut Deus per se doceat ipsum, quid sit agendum, aut cur non præciať ut qspiam, uel e sanctissima urbe Hierusalem, ubi erant pontifices, sacerdotes ac templũ Dñi, uel e clarissima urbe Roma, ex aula Cæsaris, uoceť, q rectam credendi & uiuendi rationẽ doceat. Quid.n. egregii apud coriariũ, ad quẽ angelus iusserat ut legati mitterentur, iueniri posset? Fortassis unusquispiam illoꝝ nebulonũ, qꝑpter nouam nescio quam hæresim ex urbe Hierusalẽ electi sunt illic delitescit. Sed qd aliud te ille si uocares eum, doceret, quàm nouos errores, nouas hæreses, propter quas, sicut ipse in exilium pulsus est, ita tu posses à Cæsare nõ solum oĩbus tuis priuilegiis, ac cingulo militari sed etiã uita priuari. Hæc, inquam, Cornelius minime curiose scrutatur, sed simpliciter obsequiť mandato diuino, & uocatis ad se duob. famulis, & uno milite pio e sua cohorte, exposita ipsis uisione, ablegat eos, ut uocẽt ad se Simonem Petrũ e domo coriarii. Etenim fides est simplicissima & minime curiosa. Habens .n. uerbũ Dei, nõ ambit cœlestes & admirabiles reuelationes,

Fidei natura.

ſed cõtenta eſt miniſterio & organo humano diuinitus oſtenſo, nec reſpicit perſonas, uel uerbũ Dei docentes, uel uerbũ Dei perſequentes: propter doctorum uilitatem nõ contemnit uerbũ Domini, propter perſecutorũ potentiam aut ſapientiam nõ abnegat uerbum Domini, ſed ſimpliciter fide ac opibus obſequium ei præſtat. Rurſus incredulitas res eſt ualde curioſa, & nunc quidem ſcrutatur, num uerbũ Dei ſit uerbum Dei, nũc de uera uerbi Dei ſcientia dubitat, nunc inqrit uilitatem perſonæ uerbum Dei docentium, nũc inueſtigat amplitudinẽ uerbum Dei perſequentiũ, adeoq; modo hanc modo illã cauſam indagat, qua honeſte facere uideatur q̃ non credat uerbo DOMINI. Sed quorſum tandem ducit hæc incredulitatis curioſitas? profecto nõ aliorſum, quàm in omnia genera peccatorum & calamitatũ, ac niſi reſipueris, in perpetuã damnationem. Quíd. n. Euam perdidit niſi incredula curioſitas? quid Phariſæis exitium intulit, niſi curioſa impietas? Quid nũc noſtra tempeſtate Sacramentarios negantes præſentiã corpis & ſanguinis Chriſti in Cœna Dominica deciplt, quàm curioſa incredulitas? nunc enim inueſtigant quõ tam magnum corpus poſſit eſſe in tam puſillo pane? quõ corpus ſimul poſſit eſſe in cœlo & in cœna? quaſi uero cœna Dominica res ſit terreſtris, & non potius cœleſtis. Hæc, inquã, incredula curioſitas, ducit eos in ſuam ipſoq; perniciem. Proinde habentes uerbũ Domini oñi curioſitate abiecta, ſimplici fide eĩ obſequàmur, ut qd Cornelius ſua ſimplicitate cõſecutus eſt, id & nos cõſequamur, mox. n. ut credidit, mundus & ſanctus coram Deo reputatus eſt

ut ſequens uiſio Petro reuelata teſtatur. Poſtridie enim legatis Cornelii iter facientibus & appropinquantibus ciuitati, aſcendit Petrus in ſuperiora domus ut oraret circa horam ſextam: Petrus oraturus iterũ turbam fugit, & ſecretũ petit nimirũ ſignificans fidem, oratis, non poſſe in turba ſeſe pro ſuo affectu ſatis cõmode explicare. Quid adhæc dicent hypocritæ, q palam fatentur ſe nõ poſſe orare, niſi p̃ oculis uideant miſſam Papiſticã? at hæc deuotio factitia eſt & ſuperſticioſa, nec unq̃ penetrat ad aures diuinæ maieſtatis. Quid ergo? non eſt in eccleſia orandum? abſit, ſemper orandũ eſt. In eccleſia aũt publicæ orationes fiunt, nõ quia his ſatisfacit officio orandi, ſed ut his doceamur publice, quõ priuatim abſq; arbitris orare debeamus. Non igitur exiſtimemus nos ſatis oraſſe, ſi publicæ orationi interſimus, ſed ſentiamus in Eccleſia orationem tm̃ doceri, ut poſtea eam exerceamus priuatim. Sed reuertemur ad Petrũ, qui cum eſuriret, uoluit guſtare cibũ. Parantibus aũt illis, irruit ſup eum mentis exceſſus, & uidet cœlũ apertum ac deſcendẽs ad ſe uas quoddã, uelut linteum magnũ, quatuor iniciis alligatũ, ſubmitti e cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ beſtiæq;, & reptilia & uolatilia cœli. Et facta eſt uox ad eũ. Surge Petre macta & ueſcere. Ait aũt Petrus: Nequaq̃ DOMNIE, quia nunquam edi quicq̃ commune & immundum. Et uox rurſus iterum ad eum: Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris. Hoc aũt factum eſt tertio. Et rurſum receptum eſt uas in cœlum. Hæc eſt altera uiſio, nõ Cornelio, ſicut prior, ſed Petro oſtenſa, qua indicatur gentes abſq; profeſſione Moſaicæ legis, hoc eſt; circumciſione admittendas eſſe ad communionẽ Euangelii, ſi in Ieſum Chriſtum credant. Nam ut alias dictũ eſt, ſentiebãt Apoſtoli, ab initio gentes quidem ad communionem Euangelii recipiendas eſſe, ſed prius profeſſas Moſen. Ac prorſus eiuſdem opinionis erant, cuius hac tempeſtate ſunt, qui operũ merita prædicant. Hi enm etſi Chriſtum prædicent, q̃ pro peccatis noſtris ſatisfecerit, & q̃ per ipſum ſolum remiſſio peccatorum habeatur, tamen ita demum peccatores ad CHRISTVM & ad remiſſionem peccatorum per Chriſtum admittunt, ſi prius peccata ſua meritis operum expiauerint. Verbi gratia. Si multis diebus ieiunauerint, ſi multa orauerint, ſi longis peregrinationibus fatigati fuerint, ſi multas eleemoſynas diſtribuerint, aliaq; opera, ſiue hypocritica, ſiue à Deo præcepta fecerint. Sic & Apoſtoli ab initio ſentiebant, quod gentes quidem impiæ & idololatræ ac prophanæ ad Chriſtum & remiſſionem peccatorum per Chriſtum, recipiendæ eſſent, ſed ſi prius circumciſione ſanctificarentur, & legis mundicia purificarentur. Tunc enim poſſe eas participes eſſe bonorum Chriſti, remiſſionis uidelicet peccatorum, ac uitæ æternæ. Sed qui ante Chriſtum iuſticiam & ſanctitatem per legem aut opera inuenire poteſt, quid opus habet Chriſto? quid neceſſe habet in Chriſtum cre

Increduli tatis natura.

Sacramentarios quid deci piat.

Apoſtoli quõ abinicio ſenſerint de gentibus.

ſtum credere? Proinde ut falſa Apoſtolorum opinio corrigeretur, ac demonſtraretur gentes abſq; profeſſione legis Moſaicæ ad cõmunionem Euangelii recipiendas eſſe, principio reuelat illud DOMINVS Deus noſter uiſionibus, deinde miraculis, poſtremo etiam ſcripturis. Prior uiſio oſtenſa eſt Cornelio, poſterior oſtenditur nunc Petro Apoſtolo, cuius ſententia eo diligentius nobis obſeruanda eſt, quo magis neceſſarium eſt, ut cognoſcamus immundũ & prophanũ peccatorem nihil differre ab imundo ethnico. Et ſicut ethnicus per ſolam fidem ꝓpter Ieſum Chriſtũ mundus ac ſanctus reddit̃ non propter ulla opera legis, ita peccator ſanctificatur tm̃ per fidem propter Chriſtũ & nõ propter merita operũ. Explicabimus igitur hanc uiſionẽ, ut quid ſibi uelit, manifeſte intelligam⁹. Primũ quia Petrus eſurit, oportune admodũ offertur illi cibus de cœlo & iubet̃ ueſci, non.n. eſuriebat ſolũ corpore ſed etiam aĩo ſuo. Deſiderabat cibũ corporalem, ſed & deſiderabat ſalutem nõ Iudæoꝝ ſolum, uerumetiã gentiũ, optabat oĩm felicitatem, id quod etiã quantum coniici poteſt, p̃cibus ante uiſionem effuſis ambierat. Sed qd ageret̃ Iudæi Chriſtũ perſequebant̃ & nolebant Euangelion recipere: Gentes aũt pro ſua opinione, non erant ad Chriſtũ admittendæ, niſi antea Moſen aut circumciſionẽ profiterent̃. Sed hæ uidebantur potius iugulũ ſuum gladio tradituræ, quàm circumciſionẽ accepturæ, tanto odio erat circumciſio. Quo ergo ſe uerteret Petrus? In hac igit̃ & corpis & animi eſurie, irruit ſup eum mentis exceſſus, in quo oñditur ei quid facere debeat. Eos.n. qui ex fide & corde tribulato Deũ inuocant nunq̃ deſtituit diuina gratia. Videt aũt Petrus cœlum apertũ, ac deſcendens ad ſe uas quoddã, in quo erant uaria aĩalia non ſolũ immunda, ſed etiã peſtifera & uenenata, ea pr̃ſertim, quæ in lege Domini ad ueſcendũ prohibita ſunt, inter quadrupedia, beſtias, reptilia & uolatilia cœli, de qbus in Leuitico capite undecimo, & in Deuteronomio capite decimo quarto ſcribit̃. Quid ergo hæc animalia Petro in uaſe oſtenſa deſignant? profecto nihil aliud quàm gentes idolnlatriæ deditas & impias, ímo oẽs pectatores legẽ diuinam præuaricantes, hi enim ſunt, leones, dracones, cameli, uultures, milui, ſerpentes, rubetæ, aſpides, excetræ, & ſi quid eſt immundoꝝ animaliũ, & uenenatarũ ſerpentũ. Et facta eſt uox ad eũ, ſurge Petre macta & ueſcere. Quod Chriſtus dicit, ſe non ueniſſe ad uocandũ iuſtos ſed peccatores ad reſipiſcentiã, idem nunc Petro præcipitur, ſub uerbo mactandi & ueſcendi. Nam quadrupedia, beſtias & reptilia mactare, eſt gentibus prædicare Euangelion Ieſu Chriſti de gratuita remiſſione peccatoꝝ. His aũt ueſci, eſt gentes ſi fidẽ Euangelio adhibeant in cõmunionem Euangelii recipere, abſq; ulla recipiendæ circumciſionis aut alioꝝ operum legis Moſaicæ obſeruandorũ profeſſione. Mandatur igitur Petro, ut non expectet donec gentes Moſen recipiãt, ſed ipſis adhuc gentibus exiſtentibus, Euangelion de Ieſu Chriſto prædicet, & ſiquidẽ crediderint, agnoſcat eas membra Chriſti, ac recipiat in Eccleſiã Domini, nec exigat ab eis obſeruantiam legis Moſaicæ, ſola enim fides in Chriſtũ purificat corda & ſanctificat credentes. Non igitur opus habent ſanctificatione legis. Qd̃ ad Petrũ de recipiendis gentibus dicit̃, hoc idem ſentiendũ eſt de recipiendis lapſis poſt baptiſmũ. Nam impii doctores, nõ recipiunt lapſum poſt baptiſma in Eccleſiæ cõmunionem, nec pollicent̃ illi remiſſionem peccatoꝝ niſi prius operibus cõfeſſionis, ieiunii, certorũ dierum, eleemoſinæ, peregrinationũ, miſſarũ, & id genus ſuperſtitionũ, peccata expiauerit ac ꝑ eis ſatisfecerit. Hoc aũt non eſt Euangelion de iuſticia humana prædicare, & nõ eſt docere remiſſionẽ peccatorũ per Chriſtum, ſed deſperationem. Proinde ſicut gentes abſq; ulla legis Moſaicæ exactiõe, per ſolam fidem in Ieſum Chriſtum receptæ ſunt in cõionem eccleſiæ, ita peccatores poſt baptiſmũ lapſi, non poſſunt ſuis ſatisfactionibus expiare peccata, & ꝑ opera ſua iuſticiam ac ſanctitatem ſibi parare. Sed ſi cupiũt reconciliari Chriſto, neceſſe habent credere, ꝙ per ſolum Chriſtũ peccata ipſis remittantur & ꝙ ſolus Chriſtus ipſorum ſit iuſticia, quia remittat ipſis iniuſticiam, hoc ſi crediderint reconcilianꝫ iterum per ſolã fidem Chriſto, & reſtituuntur Eccleſiæ, hoc eſt, cœleſtiũ ciuium cõgregationi, à qua per peccatũ exciderant. Reconciliati aũt Chriſto & reſtituti Eccleſiæ, neceſſe hũt dignos facere pœnitentiæ fructus, & in bonis operibus ambulare, non ut per illa mereantur remiſſionem peccatorũ, quam iã habent per fidem, ſed ut Deo ob-

Explicatio uiſionis.

Mactare beſtias &c. quid ſit.

De recipiendis lapſis poſt baptiſmum.

ſequium præſtent, & fidem ſuam operibus teſtentur. Sed quid Petrus adhoc, ꝙ mandatur ei ut mactet ac ueſcatur immundis? Nequaquam (inquit) DOMINE, quia nunq̃ edi quicq̃ commune & immundũ, Lex enim præcipit Iudæis ne imundis cibis ueſcant, & hanc legẽ affirmat Petrus ſe nunq̃ uiolaſſe. Quod aũt de ratione immundorum ciborum ſentiebat, hoc etiam ſentiebat derecipiendis gentibus in communionem Euangelii, ut enim æſtimabat non eſſe fas Iudæo, ueſci cibis in lege prohibitis, ita putabat gentes non eſſe in conſortium Euangelii admittendas, niſi prius abnegata gentilitate circumciderentur & Moſen profiterentur, ut iam non ſint gentes ſed Iudæi. Opinabatur enim ſolos Iudæos aut circumciſos eſſe populum Dei. At Petrus nondum intelligit, nec legem de cibis prohibitis, nec rationem circumciſionis ac legis Moſaicæ. Neſcit enim cibos prohibitos in lege, non eſſe natura ſua immundos, ſed tantum ad tempus immundos cenſeri, ob pædagogiam donec Chriſtus reuelaretur. Ignorat præterea circumciſionẽ ac reliquam Moſi legem, non eſſe neceſſariam niſi familiæ Abrahami, & his qui uolunt in republica Iſraëlitica uerſari. Cæterum poſſe & incircumciſas gentes eſſe populum Dei, ſi in Deum crediderint, cuius rei exemplum eſt, Naaman Syrus & Niniuitæ. Vnde uox iterum ad Petrum ait. Quæ Deus purificauit tu communia ne dixeris. Hoc de cibis immundis dictũ, de gentibus intelligendum eſt. Nam & de cibis Paulus ita ſcribit. Deus creauit cibos ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, ꝙ quicquid creauit Deus bonum ſit, & nihil reiiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per ſermonem Dei ac prædicationẽ. Quomodo autem de gentibus intelligendum eſt, & quomodo Deus pronunciat gentes eſſe mundas? num ſi maneant incredulæ & idololatræ? Nequaquã: incredulitas enim & idololatria ſumma eſt immundicia coram Deo, ſed ſi maneant in ſuo præputio, ac republica ciuili, & credant in Ieſum Chriſtum. Tunc enim reputantur coram Deo iuſtæ ac ſanctæ, per fidem, etiamſi non agnoſcant Moſen ac circumciſionem, ſed ſuis ciuilibus legibus, in præputio uiuere pergant Non enim dicuntur gentes, quia incredulæ ſunt & idololatræ, ſed quia adhuc ſunt in præputio, & non agnoſcunt legem Moſi, ſed proprias quaſdam ciuiles leges habẽt, quas ut nõ reiicit Chriſtianiſmus, modo ſint æquæ ac iuſtæ, ita fidem requirit, ex qua ſola iuſtificatur, quemadmodum Paulus ait, circumciſio, & per quam ſolum iuſtificatur præputium. Cæterum quo certior eſſet hæc uiſio non ſemel tantum uox ad Petrum peruenit, ſed factum eſt hoc tertio & rurſum receptum eſt uas in cœlum. Quidẽ recipiuntur ne in cœlum immunda animalia, ſues, ſerpentes, genimina uiperarum? Profecto, ſi rem probe perpendas, cœlum non niſi his beſtiis ſed prius purificatis impletũ eſt. Tametſi enim, non omnes homines fuerint gentes incircumciſæ, tamen omnes ſunt peccatores, & non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis uiuens, quemadmodum indicat Paulus in ſecundo capite ad Romanos: Peccatores autem quid aliud ſunt quàm ſues, & ſerpentes? purificantur uero ad cœleſte tabernaculum per fidem in Ieſum Chriſtum, ut fiant ſancta, munda & cœleſtia animalia. Proinde omnem adhibeamus operam, ut per fidem in Chriſtum ſanctificemur, quo & nos in cœlum recipiamur per eundem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Gentes quõ mundæ pronunciẽtur à Deo.

HOMILIA XLVIII.



Iſionem immundorum animalium Petro diuinitus reuelatam audiuimus, nunc auſpice Domino Deo noſtro per Ieſum Chriſtum, uideamus rem ipſam, qua uiſionis ſignificatio explicatur. Hoc enim ſibi uult uiſio, gentes coram Deo per fidem purificatas recipiendas eſſe in communionem Euangelii, nec ob hanc cauſam reiiciendas, ꝙ legem Moſi non agnoſcant. Quod autem uiſio exigit hoc nunc re ipſa completur, ſic enim ſequitur: Dum apud ſeſe hæſitaret Petrus, quæ nam eſſet uiſio quam uidiſſet, ecce uiri qui miſſi erant à Cornelio, percontati de domo Simonis, aſtiterunt ad ianuam, & euocato quopiam, interrogabant an Simon qui cognominaretur Petrus illic haberet hoſpitium? Principio ob-

cipio obseruãdum est q̃ prudenter Dñs deus noster simul oĩa administret, ut recte in psalmo cantemus: Quo ibo a spũ tuo, aut quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero ad infernum ades. Etenim Dñs deus noster finem uisionis Petri, & aduẽtum ac præsentiam legatorum Cornelij ita connectit, ut uideatur altera manu Petro uisionem ostendisse, altera legatos ad domum Simonis duxisse. Vt aũt miracula diuinitus ædita non in hoc scripta sunt, ut sciamus ea semel facta esse, sed ut discamus Deum semper mirabilia exercere, ita illud diuinæ rerum dispensationis exemplum non in hoc nobis proponitur, ut existimemus Deum semel tantum aut iterum res suas legitimo ordine administrare, sed ut cognoscamus in rebus humanis nihil tã confusanee ac prępostere geri, quod a Dño non recto ordine administretur. Si enim Deus capillos capitis, si stellas cœli, si arenam maris numerat, quid non ordine gereret? siquidem numerare est aliqua ex parte ordinare. Et si confusaneos passerum uolatus ita regit ut nullus eorum sine sua uoluntate in terram cadat, quomodo non uniuersa suo ordine disponeret? Quid autẽ magis præpostere geritur, q̃ quod bona accidant malis, & mala bonis? nihilominus tamen si intrauerimus sanctuarium Dei, sentiemus hæc iustissimo ordine in hoc sæculo coram diuino iudicio fieri. Nonne iustus rerum ordo est, ut pecus mactationi destinatum saginetur? nonne ordinata rerum administratio est, ut nemo duabus, quod dicit, uirgis plectatur? At hæc est ratio impiorum, q̃ carnali fœlicitate ad mactationem perpetuæ damnationis saginentur, & ne duabus uirgis plectantur, uel saltem in hoc sæculo bonis fruuntur, ut in futuro sempiternam castigationem perferant. Piorum autẽ ratio sic se habet, q̃ maneat eos in futuro sæculo rerum omniũ fœlicitas, proinde afflingũtur in hoc sæculo, ut eo acceptius sit bonum quo grauiori calamitate paratũ est. Quid igitur insanimus aduersus Deum si nos uariis afflictionibus afficit, perinde ac si nihil suo ordine administraret? Quid calumniamur deum imprudentiæ qui est rerum omnium prudentissimus dispensator? Tametsi enim nos abscondita eius iudicia non comprehendamus, non tamen ob eam causam iniusta sunt. Nonne multorum artificum opera facta uidemus, modum tamen aut ordinem operum ignoramus? num propterea dicemus opera eorum facta esse absq̃ ordine? Sæpe dux exercitus militem ignorantem ducit per compẽdium ad hostium urbem, ut eam ex improuiso adoriatur, num miles accusabit ducem q̃ ipsum uariis erroribus uagum circunducat? Multo absurdius est, si ignorãtes causas operum dei temere iudicemus, deum non omnia recto ordine administrare. Sed de his, quia præter nostrum institutum sunt, aliàs plura, nunc pergemus in explicandis rebus gestis post uisionem Petro reuelatam. Legati enim Cornelij diligẽter quod a Dño suo mandatum erat, exequũtur, & astantes ad ianuam Simonis coriarij euocatum quempiam interrogant, an Petrus illic habeat hospicium. Petro uero cogitante de uisione, dixit spũs ei, ecce uiri quærunt te, surge itaq̃ & descende & uade cum eis, nihil hæsitans, propterea q̃ ego misi illos. Vide admiranda, Petrus secum cogitat quid sibi uelit uisio & quid significet. Spiritus autem sanctus, a quo Petrus uisionis intelligentiam postulabat, non interpretatur ei uisionem, sed præcipit tantum illi, ut unà cum uiris illis Ethnicis qui ipsum euocabãt proficiscatur. Si igitur Petrus fuisset curiosa incredulitate præditus & Deo inobediens, quid non respondisset? profecto remurmurans dixisset, quid hoc rei est? ego interpretationem uisionis inquiro, tu mittis me ad Ethnicos, num illi mihi interpretabuntur uisionem? num Ethnici tibi acceptiores sunt q̃ uel Iudæi uel Apostoli tui, ut umbras tantum Apostolis ostendas, Ethnicis autem ueritatem? Et qui conuenit, ut cum nobis Apostolis in die pentecostes tanquam præceptor datus sis, nunc me ad præceptores Ethnicos mittas? Fortassis illi du-

Quod Deus omnia recto ordine administret.

»
»
»

cent me ad carnificem ut ab eo tortus Euangelion tuũ abnegare cogar. Petrus autem nihil huiuscemodi uerborum effutiẽs, sed descendẽs ad uiros qui missi erãt
» a Cornelio, ad ipsum dixit: Ecce ego sum ille quẽ quęritis, quæ est causa propter
» quam uenistis? Qua obedientia monet nos Petrus, ut abscondita Dei mysteria minime curiose perscrutãtes, manifestis & reuelatis dei mandatis obsequamur. Etenim, sicut Petrus de intelligentia uisionis sollicitus, priusquam illam assequeretur, iussus est a spũ ut ad Ethnicos accederet cũ illis profecturus, ac obediens reipsa intelligentiam uisionis consecutus est. Ita si nos obsequamur mantfestis dei præceptis, reipsa tandem omniũ diuinorum mysteriorum cognitionem adipiscemur. Mysteria autem nunc non ea tantum uoco quæ sunt de diuina prædestinatione, de diuinis sacramentis, & id genus alijs rebus, sed omnia dei consilia nobis occulta. Vt siquis paterfamilias habeat numerosam prolem, & fame acrum omnium egestate prematur, nouit quidem ex uerbo Domini deum promisisse populo suo uictum & amictum, sed nescit consilium Dei quo modo illeuelit familiæ ipsius consulere. Quid ergo faciendum est? num occultum illud Dei consilium curiose perscrutandum est? ne potest quidem: num desperandum? absit, sed credendum est promissioni diuinæ, & manifesta Dei præcepta facienda sunt. Quæ dicis? non furandum, neminem imposturis decipiendum, sed suæ uocationi diligenter seruiendum, hæc deus manifeste præcepit, quæ si fecerimus, omnia uitæ necessaria adijcientur nobis. Afficitur aliquis graui morbo, is nouit quidem deum omnibus afflictis & contritis corde liberationem promisisse, sed instante subinde magis ac magis dolore nescit consilium dei quo uelit ipsum a morbo liberare: Quid ergo agendum? licebit ne arcana dei cõsilia perscrutari? minime, nec enim humani ingenij est posse occulta Dei consilia inuestigare. Desperandum ne est de liberatione? multo minus id fieri debet, sed obediendum est manifestis dei præceptis. Iussit enim deus credere, orare, & permisit ordinarijs medicinis uti. Hæc si fiant Dominus deus noster oportuno tempore nobis etiã arcanum suum consilium de restituẽda sanitate reuelabit. Proinde abiecta omni curiositate hoc solum conemur per Christum Iesum, hoc solum agamus, ut reuelato Dei uerbo obediamus, sic enim fiet ut tandem deum cognoscamus, sicut ab ipso cogniti sumus. Sed qd inquies sibi uult hæc historici Lucæ loquacitas, aut morosa illa diligentia, qp in hac re etiam minutissima quæqꝫ adnotet ac perscribat. Et nunc quidem dicit legatos Cornelij de domo Simonis coriarij perconta-
tos esse, nunc astitisse ad ianuam, nunc euocasse quẽpiam, nunc interrogasse num Petrus illic habeat hospicium, nũc Petrum exijsse ad eos foras, nũc receptos esse hospicio, & multa alia quæ uidentur superuacanea, & paucissimis explicari potuissent. Sic enim sequitur:
» Descendens autem Petrus ad uiros qui missi erant
» a Cornelio ad ipsum, dixit, ecce ego sum ille quem quęritis, quæ causa est propter
» quam uenistis? Qui dixerunt, Cornelius Centurio uir iustus ac timens deum, &
» testimonium habens ab uniuersa gente Iudæorum, oraculo admonitus est ab an-
» gelo sancto, ut accerseret te in domum suam & audiret uerba abs te. Intro uocatos igitur eos recepit hospicio. Iterum audis multam uerborum copiam. Porro spiritus sanctus qui est author scripturæ, non delectatur multiloquio nõ necessario. Cum ergo in describenda hac historia de Cornelio loquax sit, apparet eam rem maxime seriam & necessariã tractare, quã operepreciũ est probe cognitã habere. Ea uero huiuscemodi est qꝫ gẽtes recipiendæ sint in cõmunionem Euangelij, nec exigatur ab eis ut circuncidãtur & legem Mosi profiteantur. Atqꝫ hoc maxime omnium ueram Christianismi rationem illustrat, nimirum, qꝫ ex illo manifeste intelligamus, solam fidem in Iesum Christum absqꝫ ullis operibus ac meritis iustificare & sanctificare credentes. Vnde quia gẽtium assumptio res est cognitu

Reuelato uerbo esse obediendum.

gnitu neceſſaria, Lucas diſerte omnia perſcribit, ac primum quidem dicit uiros miſſos a Cornelio ad ianuam Simonis coriarij aſtitiſſe, nec intraſſe, ſed quendam euocaſſe, erant enim hi Ethnici, Simon autem coriarius Iudæus. Non igitur intrant ædes eius, ne Iudæis illic habitantibus moleſti ſint, qui exiſtimabant ſe congreſſu ac familiaritate gentium contaminari. Ac ſiquidem Iudęi uitabant gentium conuictum, ne impios gentium mores ob familiaritatem addiſcerent, commendanda eſt diſciplina. Si uero ideo uitabant, quia ſe ſanctos, gentes autem prophanas iudicauerint, & ex congreſſu ſanctitatem eorum contaminari ſenſerint, ſuperſtitio, immo impietas eſt, reprehenſione digniſſima. Vtcunque autem Iudæi affecti fuerint, certe hi Ethnici a Cornelio miſſi exemplum modeſtiæ præbent, quod non temere introrumpant in Iudæi ædes, ne patrifamilias moleſti ſint. Deinde ſcribit Lucas Petrum ad illos exijſſe, ac aduentus cauſa explorata, hoſpicio eos recepiſſe. Ex hoc apparet Petrum iam primum uiſionem intellexiſſe, & nunc incipere gentium aſſumptionem, alioqui enim, ſicut antea Petrus abominatus fuerat cibos immundos, ita neq; gentes hoſpicio recepiſſet, nimirum ne illorum conuictu uiolaret ſeniorum traditionem & a gentibus contaminaretur. Et ſequitur: Sequenti uero die Petrus profectus eſt cum illis, & quidam ex fratribus ab Ioppenſibus comitati ſunt eum. Iterum ſignificatur gentium aſſumptio, quod Petrus cum legatis Cornelij, quamuis Ethnicis, uſq; ad Cæſariam proficiſcitur. Poſtridie uero introierunt Cæſariam. Porro Cornelius expectabat illos, conuocatis cognatis ſuis ac neceſſarijs amicis. Hæc eſt uera charitatis ratio, quæ non ſibi ſolum bona cupit, ſed etiam omnibus alijs nõ tam bene optat quam bene facit. Vt autem factum eſt ut introiret Petrus, obuiam progreſſus ei Cornelius, ac procidens ad pedes adorauit eum. Petrus uero erexit eum dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum. Quid primum admirabimur? reuerentem ne Cornelij uenerationem? an ſummam Petri modeſtiam? Vide enim obſecro ſtupenda. Cornelius enim primum Ethnicus, deinde potens princeps, poſtremo militiæ uacans, ſupplex ueneratur ac adorat Petrum, primum Iudæum, deinde piſcatorem, poſtremo, nuper a Iudæis proſcriptum. Qua igitur re Cornelius inuitatus eſt, ut tanta ueneratione Petrum excipiat? Profecto non alia re quam quod uerbis angeli fidem adhibuit. Quia enim angelus Domini mandabat Cornelio ut uocaret ad ſe Petrum, & audiret ab eo Verba uitæ, facile intellexit Cornelius Petrum miniſterio ſuo non ſolum principes huius ſæculi, ſed etiam angelos ſuperare, & uerba eius non eſſe uerba humana ſed diuina nec corporalia bona nunciare, ſed fœlicitatem nunquam interituram. Proinde reuerentius eum excepit quam antea angelum exceperat & adorat ipſum, non quidem ut Deum more Ethnicorum idola pro dijs adorantium, ſed ut dignioꝛem omnibus huius ſæculi principibus, qui iuxta conſuetudinem ciuilis honoris a ſubditis ſuis flexis genibus adorantur, quemadmodum Iacob fratrem ſuum Eſau, & Abigaïl Dauidem adorauit. Declarat autem Cornelius hac adoratione affectum eorum, qui Apoſtolum & Euangeliſtam in nomine Apoſtoli, & Euangeliſtæ excipiunt, adeoq; quid illud ſit quod Eſaias ſcribit: Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion regnat deus tuus. Sed quid? agnoſcit ne Petrus tantum honorem? minime omnium, confeſtim enim apprehenſa manu Cornelij, erexit eum & dixit: Surge, & ego homo ſum. Audis ſummam Petri modeſtiam. Vno enim hominis uerbo fatetur ſe nec hoc aëre dignum, nedum tanto honore. Quid enim eſt homo? quid niſi lerna malorum, in peccatis conceptus, in peccatis natus, ab adoleſcentia ad mala propenſus, natura filius iræ, filius perditiõis, putredo, uermis, lutum, indignus qui ſpiret, perpetuæ damnatioꝛ

,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Quomodo adorauerit Petrũ Cornelius.

Petri modeſtia.

ni natura sua obnoxius. Et hæc omnia ingenue Petrus uno hominis uocabulo comprehẽdit. In qua obsecro schola hanc modestię uirtutem didicit? Certe non dum nouerat se hominem quando dicebat ad Christum, etiamsi oportuerit me commori tibi non te abnegabo. At postquam uenit in atrium Caiaphæ ubi Christum cum execratiõe abnegauit, ibi tum primum didicit quid sit esse hominem. Discamus igitur & a Cornelio, & a Petro primum, ut quemadmodum Paulus docet, alius alium honore præueniat. Deinde ne quis arroganter de se sentiat, & honorem agnoscat, sed ita sentiat ut modestus sit ac sobrius. Sic enim fiet ut uerum honorem in cœlo adsequamur, per Dominum nostrum Iesum Christum qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA XLIX.

QVæ de assumptione Gentium in communionem Euangelij sequuntur, breuiter nunc perstringemus. Postquã enim Cornelius Petrum excepisset, colloquens cum illo Petrus intrauit & offendit multos, qui conuenerant, dixitq; ad illos: Vos scitis non esse fas uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus, ne quem communem aut immundum dicerem hominem, quapropter & incunctanter uen' accersitus, interrogo ergo quam ob causam accersistis me. Etenim Petrus existimabat fortassis se ad unum Ethnicum uocatum, & cum uno remotis arbitris negocium tractaturum. Cum ergo præter expectationem multos Ethnicos unà congregatos inueniret, obstupescit & primum omnium excusat imprudentiam suam, quod præter cõsuetudinem & traditionem Iudæorum coniungat se cum Ethnicis, idq; facit partim propter comites suos Iudæos, ne præbeat ipsis ansam male suspicandi, potuissent enim ex congressu & familiaritate Petri cum Ethnicis suspicari Petrum uelle a Iudaismo & Christianismo ad gentilitatem deficere, sicut antea defecerat in atrio Caiaphæ, partim etiam propter præsentes Ethnicos, ne illi uidentes Petrum, suæ ipsius gentis ac religionis consuetudinem uiolare, Euangelij doctrinam frigidius capessant. Parum enim fidei ijs habetur, qui ne suæ quidem religionis ac professionis mores & cõsuetudines obseruant. Excusat igitur Petrus factum suum, & ostendit se non temere ad alienigenas præter consuetudinem accessisse. Vos scitis, inquit, non esse fas uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. Vnde non est fas? num ex lege diuina? præceptum quidem erat in lege diuina ut Iudæi cum gentibus Cananæis non inirent fœdus, nec sociarent cum eis cõiugia, sed ad internitionem usq; delerent. Sed hæ gentes iamdudum deletę erant. Proinde hæc quoq; lex suo officio defuncta fuerat. Sed & illud in lege præceptum est, ut alienigena non uescatur agno paschali nec sanctificatis, nec misceat' inter Sacerdotes & Leuitas quando sua ministeria peragant. Nusquam autem scriptum est ne Iudęi ciuilem familiaritatem cum gentibus habeant. Vnde igitur non erat fas uiro Iudæo coniungi cum alienigena? profecto non aliunde quam ex traditione seniorum & consuetudine publica. Tametsi enim per se non erat malum, familiaritatem ciuilem habere cum Ethnicis, tamen quia conuictus Iudęorum cum Ethnicis multorum malorum occasio erat, statuerunt seniores ut Iudæi gentium familiaritatem fugerent, eratq; hoc statutum publica disciplina inter Iudæos, ne si familiarius cum gentibus conuersarentur, impietatem, idololatriam, & turpes gentium mores imitarentur. Atq; hactenus non erat consuetudo abijcienda aut contemnenda. Nam & nostra tempestate consultissimum est, præsertim in fide Euangelij adhuc imbecillibus, ut declinẽt nimiam familiaritatem Iudæorum, Turcarũ, Papistarum

Consuetudo Iudæorũ de uitãdis gentibus.

ſtarum,ſimiliter adulterorum,luſorum,ebrioſorum,blaſphemorum,& aliorum id genus ſceleratorum hominum,ne frequenti conuictu uicia & impietates eorum addiſcant. Cæterum hæc conſuetudo tum facta eſt inter Iudęos mala & contemnenda,cum ad ſuperſtitionem degenerabat. Iam enim Iudæi non uitabant gentes,ne impietatibus eorum aſſueſcerent, ſed quia exiſtimabant ſe populum ſanctum,gentes prorſus a deo abiectas, ac deum tantum eſſe Iudæorum deum, non item gentium, proinde metuebant ne ſimplici ac ciuili ſocietate a gentibus ſordidarentur. Qua etiam ſuperſtitione tenebatur adhuc Petrus, adeo ut ſentiret familiaritatem gentium ita fugiendam eſſe,ut nec Euangelion ipſis prędicandum ſit,niſi prius circunciſione purificentur. Sed quia hanc ſuperſtitionem correxit in eo oraculum diuinum,ideo Petrus factum ſuum excuſans,indicat ſe nõ temeritate quadam maiorum diſciplinam uiolare, ſed admonitiõe dei oſtendentis,nullum hominem communem aut immundum dicendum eſſe. Atq; hac excuſatione ſubindicat, conſuetudines quidem bonas (nam conſuetudines impias contra Verbum Domini quis ferret?) obſeruandas eſſe, quatenus ſunt diſciplina. Quod ſi uero ceſſauerint eſſe diſciplina & degenerẽt in ſuperſtitionem, tum uero citra peccatum uiolari poſſunt. Ex multis unam Chriſtianorum conſuetudinem referam, ex qua poſtea de alijs omnibus iudicare licet. Non fuit fas Chriſtianis certis diebus ante dies Dominicas & ante paſcha carnibus ueſci. Hæc autem conſuetudo initio tantum diſciplina fuit,uidelicet,ne oraturi aut cõmunicaturi in cœna Dominica nimio cibo uentrem ſuum diſtenderent, ac ſe ineptos ad orationem conferrent. Nihil enim ita uentrem diſtendit ut caro, & qui nõ ueſcitur carnibus,nihil ſe ueſci putat. Quatenus igitur diſciplina fuit,obſeruatu digna fuit. Nam ut plus addam,ſi quis ſentit ſe uel piſcibus uel uino ineptum ad orationem reddi,huic conſultum eſt,ut & a uino & piſcibus abſtineat. Omnino enim uitandum quicquid nos laſciuos reddit,& ab oratione impedit. Poſtquam hæc diſciplina de abſtinentia carnium in ſuperſtitionem mutata eſt,& ideo iubemur a carnibus abſtinere,q; eſus carnium ſit peccatum & coinquinet animam,& q; abſtinentia a carnibus ſit opus pro peccatis ſatisfactorium, tunc quod Petrus de hominibus audiuit,ut nullum hominem cõmunem aut immundum dicat, id ipſum nos etiam de cibis audimus,q; quicquid Deus creauit bonum ſit,& nihil reiiciendum ſi cum gratiarum actiõe ſumatur. Sed quid eſt quod Petrus ait, ſibi oſtenſum eſſe, ne quem hominem communem aut immundum dicat? Ergo nec Turcam,nec Iudęum,nec publicos ſceleratos immundos dicemus? Si autẽ non ſunt immundi,ſunt igitur ciues cœleſtis Hieruſalem? Abſit. Supra enim oraculum diuinum plenius ponitur,uidelicet,eum hominem non eſſe immundum dicendum quem deus purificauit,at Deus neminem purificat niſi per fidem. Proinde & Iudæi & Turcæ & ſcelerati homines tanti ſper immundi reputãtur, dum non credunt in Ieſum Chriſtum. Ad hæc malum quidem hominem ſic immundum æſtimemus,ut maliciam eius non imitemur, at nullus homo ita immundus cenſendus eſt ut nõ benefacias ei ſi tua opera egeat. Nam ad accipiẽda beneficia unuſquiſq; a deo ſanctificatus eſt, dum deus prędicit, ut tam bonis q; malis bene faciamus. Ita q; Petrus hoc etiam ſentit, nullum hominẽ ita ſordidum ac prophanum æſtimandum eſſe,ut ſi cupiat non ſit ei prædicandum Euangelion de Ieſu Chriſto. Omnes enim quãtumuis impij Ethnici & peccatores ſanctificati ſunt, ut audiant Euangelion & credẽtes reſipiſcant. Vnde addit Petrus: Quapropter incunctanter ueni accerſitus. Interrogo igitur quam ob cauſam accerſiſtis me, tametſi enim ſciam uos Ethnicos eſſe & incircũciſos, ac propterea prophanos a Iudæis reputari, tamẽ cognoui ex oraculo diuino uos ſatis ſanctificatos eſſe ad accipienda beneficia diuina. Veni igit̃ propere ut uobis miniſterio meo ſeruiã.

Conſuetudines quatenus ſint obſeruandæ.

Quatenus homo ſit immundus.

» Quare dicite mihi qua in re uobis inseruire debeam. Et Cornelius ait: Die ab
» hinc quarto usq; ad hanc horam sedebam ieiunus, & hora nona precabar in do-
» mo mea, & ecce uir stetit ante me in ueste splẽdida, & ait: Cornelí exaudita est de
» precatio tua & eleemosynæ tuæ in memoria habitæ sunt coram deo, Mitte ergo
» quí eant Ioppen & accerse Simonem qui cognominatur Petrus, hic diuersatur
» in ædibus coriarij iuxta mare, qui simul atq; uenerit loquetur tibi. Confestim er
» go misi ad te, & tu bene feciſti q; aduenerís. Nunc ergo omnes nos, teste Deo,
» adsumus, ut audiamus omnia quæcunq; tibi præcepta sunt a Deo. Non degene
rat Cornelius a pristinis suis moribus. Antea suppliciter admodũ exceperat Pe
trum, nunc simpliciter & modestissime narrat ei causam uocationis, & gratias
agit q; aduenerit, tacite interim excusans q; uocauerit eum, ac non potius ipse ac-
cesserit eum. Dicit enim se ab oraculo admonitum esse ut mittat legatos ad Iop-
pen & accersat ipsum, alioquí enim se non tam inciuilem, nec tam ignauũ fuisse
quin ad ipsum profectus esset. Quid ergo illud est q̃d in principio narrationis
ait, se ieiunum sedisse in domo sua die ab hinc quarto, & hora nona precatum
esse? Cur tam diu ieiunus fuit? & quid precatus est? Certe ieiunium tam diutur-
Ieiunij ratio. num indicat maximum quendam affectum in animo suo fuisse. Sic ieiunauerũt
filij Israel usq; ad uesperam, quando a ciuibus Gibea uicti erant. Maximo enim
animi dolore afficiebantur, & nesciebant quo se uerterent. In tantis autem dolo-
ribus nullus cibus sapidus est. Sic & Hanna Samuelis mater, quia animis afflicta
erat non capiebat cibum in Silo. Sic Dauid & uiri eius audientes Saulem mor-
tuum, & Philistinos uicisse, fleuerunt & ieiunauerũt præ mœrore usq; ad uespe
ram. Sic & postea Dauid ieiunauit, qñ filius eius ex Bersaba susceptus ægro-
tabat. Quo ieiunio declarauit ingentem animi sui dolorem. Vnde cum Corne-
lius tot diebus cibum abominatur satis manifeste animaduertitur, affectum ani
mi eius longe omnium maximum fuisse. Quis ergo is fuit affectus? aut quid pre
catus est? Tametsi Lucas hæc non exprimit uerbis, tamen ex re gesta licet perspi-
cue intelligere quis affectus animum Cornelij occupauerit, & quid deum ora-
uerit. Nam cum angelus apparet ei, & iubet ut ad se Petrum accersat, a quo audí-
re debeat uerba, satis manifeste ex eo intellígitur, quod Cornelium idem affe-
ctus occupauerit, qui solet etiam his temporibus multos bonos uiros sollicitos
reddere. Etenim ut hac tempestate diuersissimæ sunt religiones, & alia quidem
est Iudæorum, alia Turcarum, alia Papistarum, alia Euangelicorum quos uo
cant, alia Anabaptistarum, alia Sacramentariorum, ita Cornelij temporibus
alia erat religio gentium, alia Iudæorum, & inter religiones Iudæorum alia erat
Pharisæorum, alia Sadducæorum, alia Essæorum, alia etiam nuper adeo exor-
Piorum præ-cipuũ desyde-rium. ta discipulorum Christi. Et unaquæq; religio ueritatem ac fœlicitatem pollice-
batur. Cornelius igitur ueritatis sitientissimus, tanta animi sollicitudine preci-
bus apud deum, ueram ueræ religionis rationem inquirit, ut omnem interim
cibum abominetur. Immane, quantum nos a pio Cornelij desyderio absumus.
Nos enim in diem uiuimus, & sanctior inter nos est qui ditior est, ac deus noster
uenter est, nec unquam nos tangit cura religionis, nisi bene potos ac temulen-
tos, tum enim demum de religione disputare incipimus, & calore disputatio-
nis nonnunquam ita accendimur, ut non rationibus aut scripturis sanctis, sed
pugnis & gladijs argumentemur, sic Euangelici sumus. Itaq; cum aut frigidissi
me aut maxime temerarie causam religionis nostræ capessamus, iusto iudicio
fit, ut semper simus pueri & fluctuemus ac circumferamur quouis uento doctri
næ, semper discentes, nunquam autem ad cognitionem ueritatis peruenientes.
At quia Cornelius incredibili studio ueram ueræ religionis rationem, non quí-
dem humana prudentia, sed precibus spiritualibus ex fide profectis inquisiuit,

hoc

hoc etiam consecutus est,ut DOMINVS miserit ei angelum qui iussit Petrum uocari,ut ab eo ueram religionem discat. Ergo ne,inquis,hoc quoq; tempore angelos expectabimus,qui nos in tanta religionum discordia erudiat quam uiam sequi debeamus? Minime expectandus est angelus quispiam,sed is audiendus est quem angelus iussit uocari,iussit autem Petrum uocari & audire. Audiamus igitur & nos concionem Petri,ex qua discemus eam religionem ueram esse,quæ sentit Iesum esse Christum,& per illum solum remitti peccata credentibus. Sed ne sermonis prolixitate charitati uestræ molestus sim,explicationem concionis Petri quæ sequitur, ad crastinum diem reijciam, commendans interim charitatem uestram clementiæ ac misericordiæ Dei per Iesum Christum DOMINVM nostrum,qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.



HOMILIA L.

EXPLICATVRVS concionem Petri ad gentes, precor, ut omnes (quandoquidem hæc concio ad omnes pertinet) his auribus atque animis auscultetis, quas de rebus grauissimis maximisq; differenti præbere soletis. Quod enim Petrus concionatur,cœleste oraculum est,quod loquitur, uerbum Dei est,quod gentibus prædicat,potentia Dei est ad salutem omni credenti. Quisquis igitur desyderat rationem ueræ religionis nosse,quisquis perpetuæ salutis sitiens est,Petri uerba ita auribus hauriat,ut interim fide cordis ea excipiat. Qua re efficietur,ut is cognita uera religione,ueram etiam fœlicitatem consequatur. Nam cum Cornelius Petro narrasset apparitionem angeli & uerba eius,intelligit Petrus Cornelium,quamuis ethnicum,acceptum tamen esse Deo, ideo exclamando concionem suam exorditur,& aperiens os suum dixit:Reipsa comperio q̃ non sit personarum respectus apud deum,sed in quauis gente qui timet ipsum & operatur iusticiam,is acceptus est illi. Principio,quid obsecro illud est quod Lucas scribit Petrum nunc aperuisse os? nonne etiam antea os aperuerat cum ad Cornelium dixit: Surge & ego homo sum,& ad alios qui conuenerant, Vos scitis non esse fas uiro Iudæo coniungi. At os aperire in scriptura non est simpliciter aut uulgariter loqui, sed notanda,admiranda & obseruanda loqui,& aliquid authoritate quadam dicere. Sic Iob maledicturus diem suum,quia admiranda erat blasphemia & impatientia in tam sancto & malorum tolerãti uiro,dicitur os suum aperire. Sic psalmus stupenda dei miracula commemoraturus aperit in parabolis os suum,& loquitur propositiones ab initio. Sic & Christus docturus discipulos suos in monte ueram beatitudinem,aperit os suum,docebat enim eos uelut authoritatem habens,& non sicut Scribæ. Vnde & hoc loco Petrus aperit os suum,quia nunc primum incipit Gentibus incircuncisis ueram pietatis rationem tradere, & quod loquitur, Euangelion est, non humanum sed diuinum, non terrestre sed cœleste,non caducarum rerum sed perpetuæ salutis & fœlicitatis nuncium, non auribus solum hauriendum sed alta fide reponendum. Priusquam autem narrationem incipiat,captat in exordio suo beneuolentiam gentiũ, affirmans ipsas deo acceptas esse. Reipsa,inquit,comperio, q̃ non sit personarũ respectus apud deum,sed in quauis gente siue circũcisa siue incircuncisa,qui timet ipsum & operatur iusticiã acceptus est illi. Ac in hoc exordio cõtinuo ostẽdit Petrus primũ se nũc reipsa intelligere quid sibi uelit uisio immundor̃ animaliũ antea ipsi ostensa. Deinde uanissimam esse superstitionem Iudæor̃,qua illi existimant solos Iudæos seu circuncisos esse populum dei electũ ac sanctum,nec ullum posse ad ueram salutem peruenire,nisi iuxta legem Mosi circuncisum & Mosi traditiones

Os aperire.

agnoscentem. Hoc igitur exordio statim eruditur gentes, eam non esse ue-
Deum non esse personarum respectorem. ram religionem quæ sentiat Deum esse personarum respectorem, ut sentiunt Iu-
dæi, sed quæ credat Deo acceptum esse, quisquis ipsum timuerit & iusticiam
operatus sit. Sentire enim deum respicere personas, est sentire deum iudicare se
cundum speciem externam. At hoc est deo humanam formam affingere. Neq;
enim inquit DOMINVS ad Samuelem, iuxta intuitum hominis ego iudico.
Homo enim uidet ea quæ apparẽt, Deus autem intuetur cor. Porro externæ spe
cies sunt, circuncisio, præputium, mas, fœmina, cælebs, uirgo, Græcus, Scytha,
Germanus, Hispanus, seruus, dominus, magistratus, subditus, pauper, diues, in-
fans, uir, & alia id genus sexcenta. Itaq; si deus iuxta has species iudicaret, & dili
geret quidem Iudæum q circuncisus sit, abominaretur autem Ethnicum, q sit
incircuncisus, & hunc amplectaretur q sit dominus, illum autem reiiceret q sit
seruus, hoc nihil aliud esset q̃ personas respicere. Atqui alienissimum a deo est, ut
personas respiciat. Proinde nec Iudæum iudicat secundum circuncisionem, nec
Iuxta quid deus iudicet. Ethnicos secundum præputium. Iuxta quid ergo iudicat? Quod ad se quidem
pertinet iudicat iuxta misericordiam, Verbum & promissionem suam, quod au
tem ad homines pertinet, iudicat iuxta id q quis timet deum & operatur iusticiã.
Timere autem deum, est credere promissionibus & minis dei. Operari iusticiam
est ex fide præceptis dei obsequi. Igitur qui credit promissiõibus diuinis, & agit
ex fide honestam uitam, siue sit circuncisus siue incircuncisus, siue mas siue fœ
mina, siue seruus siue dominus acceptus est deo. Contra si non crediderit, nec ho
nestam ex fide uitã egerit, is deo maxime abominabilis est, etiamsi fuerit circun-
cisus, mas, princeps ac dominus potentissimus. Atq; ita his uerbis Petri eximi-
tur e gentibus scrupulus qui torquebat ipsas q non essent circuncisæ, nec agno-
scerent legem Mosi, adeoq; ab aliis Iudæis iudicarentur prorsus alieni ab hæredi
tate bonorum cœlestium. Iam & hęc uerba nos quoq; erudiunt quid sentiendum
Anabaptistarum uanitas, q opinantur deum infantibus fidem nõ dare. sit de uanitate Anabaptistarum. Hi enim opinantur deum non dare fidem infan
tibus, propterea q infantes sint & usu rationis careant. Si autem non habeant fi-
dem, non esse baptizandos. Neminem enim baptizandum nisi fidem habẽtem.
At quid hoc aliud est q̃ sentire apud Deum esse personarum respectum? Si eñ
infantibus fidem non daret q infantes sint, nonne personam infantium respice-
ret? Q2 autem non reiiciat & excludat infantes a suis donis quia infantes sunt,
abunde satis testatum reliquit in Ieremia, quem ab utero matris sanctificauit in
prophetam, in Iohanne Baptista, quem donauit spiritu sancto adhuc in utero
matris existentem, in Iesu Christo filio suo qui quamuis infans & puer, filius ta
men Dei fuit. Idem testatus est Christus uerbo suo cum dicit de infantibus: An-
geli eorum uidẽt faciem patris sui qui est in cœlis. Et ut dicam quod res est, quan
to magis infantes, infantes sunt, & usu rationis careant, tanto magis deo curæ
sunt, ut donis suis eos afficiat. De qua re aliàs multa diximus, nunc paucis id tan
tum ostendere uolui, hos hoc tempore in controuersia quæ est cum Anabapti-
stis de puerorum baptismo non necesse habere, angelum de cœlo expectare qui
nos erudiat, utra pars uera doceat, sed uerba Petri qui hortatu angeli ad Corne-
lium uocatus est, omnem controuersiam in hac dirimere & docere infantes pro
pter infantiam non esse excludendos a baptismo, sed recipiendos, quandoqui-
dem deus non sit respector personarum, qui cum gentibus incircuncisis propter
idololatriam magis a ratione alienis, q̃ infantes propter infantiam fidem dede-
rit, etiam priusquam illæ reuelate Christum agnoscerent, quanto magis dabit do
na sua infantibus Dño nro eo acceptioribus, quo auxilio eius indigẽtiores sunt.

Hactenus explicuimus exordiũ. Nunc narrationem Petri tractabimus, ac pri
usquam singulatim eam perstringamus, quia in præcedẽti Homilia diximus Pe

trum

trum a Cornelio uocatum, ut ſua ſententia indicet, quæ ſit uera ratio ueræ religionis, aut ut uocant fidei. Obſeruandum eſt omnes oĩum gentium religiones promittere ueram fœlicitatem. Deinde & in hoc omnes conſentiunt, neminí ueram fœlicitatem contingere, niſi honeſtis, probis & iuſtis. Non enim ſolum Iudæi Gehennam impijs adiudicãt, ſed etiam Ethnici decernũt malis Tartara, Cocytos, Phlegetontes, & id genus alia monſtra apud inferos. Atqui ſcimus nullum unquam tam honeſtum, tam iuſtum hominem reperiri, qui non multa inhoneſta & iniuſta egerit, tam apud Iudæos quam apud gentes. Proinde in diſputatione de religionibus hæc ſumma & principalis eſt quæſtio, quibus rebus, quibus operibus poſſimus iniuſta expiare, ut iuſti, honeſti, & Deo accepti efficiamur, ac alia quidem religio, aliud docet. Gentilium ſacerdotes docent deos iratos ſuper hominũ peccata, placandos eſſe hecatombis alijſq; ſuorum ſacrificiorum ritibus. Philoſophi docent deum demerendum eſſe honeſtate uitæ. Superſtitioſi Iudæi ac Phariſæi docent dei fauorem ambiendum holocauſtis, teletis, & alijs id genus ſacris. Petrus autem in hoc ab angelo oſtenſus Cornelio, ut ueram pietatis rationem traderet, poſthabitis omnibus illis doctrinis narrat gentibus hiſtoriam de Ieſu Chriſto, & docet quod hæc ſola ſit uera iuſticia, probitas & ſanctitas, Credere in Ieſum Chriſtum, quod per hunc Deus nobis factus ſit propitius & peccata remittat. Sic ergo ait: Sermonem, quem miſit Deus Iſraël, adnuncians pacem per Ieſum Chriſtum (hic eſt omnium DOMINVS) ipſi noſtis, de quo ſermone fama diuulgatum fuit in tota Iudæa, rumore primum orto a Galilæa poſt baptiſma quod prædicabat Iohannes, ut Ieſum Nazarenum unxerit deus ſpiritu ſancto & uirtute, qui obambulauit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Hieroſolymis, quem occiderunt ſuſpenſum in ligno, hunc Deus ſuſcitauit die tertio, & exhibuit eum ut manifeſtus fieret, non toti populo, ſed teſtibus prius ad hoc delectis a Deo, nimirum nobis qui comedimus & bibimus unà cum illo poſteaquam reſurrexit a mortuis, & præcepit nobis ut prædicaremus populo, ac teſtificaremur quod ipſe ſit ille qui conſtitutus erat a Deo iudex uiuorum & mortuorum. Huic oĩes prophetæ teſtimonium ferunt quod remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius quiſquis crediderit in eum. Hæc eſt omnium prima concio, quæ poſt reuelationem Chriſti ad gentes incircunciſas de fide in Ieſum Chriſtum habita eſt, in qua cum Petrus fidem in Chriſtum doceat, eo ipſo alias omnes omnium gentium religiones condemnat. Initio autem comprehendit Petrus pauciſſimis totius Chriſtianæ religionis ſummam cum ait: Sermonem quem miſit Deus filijs Iſraël, annuncians pacem per Ieſum Chriſtum (hic eſt enim Dominus) ipſi noſtis. Porro ſermonem hoc loco accipias, non tantum de uerbo quod prædicatum eſt a Chriſto, ſed de toto negocio rei Euangelicæ. Hebræi enim ſua phraſi ſermonem, negocium aut rem uocant. Hæc igitur totius Euãgelici negocij ſumma eſt, quod poſtquam aduenit plenitudo temporis, miſit deus filium ſuum unigenitum Ieſum Chriſtum, qui eſt omnium rerum Dominus, & annunciauit per eum pacem. Quam pacem? num ciuilem? Hæc quidem eximium Dei donum eſt, ſed Ieſus Chriſtus non propter illam potiſſimum ad Iſraelitas miſſus eſt. Eam autem pacem adnunciauit Deus per Chriſtum ſuum quæ per prophetas longe ante promiſſa eſt. Porro prophetæ duplicem, aut ſi mauis triplicem in regno Chriſti pacem deſcribunt. Primam quod gentes & Iudæi ante Chriſtum inter ſe inuicem infenſiſſimi, per Chriſtum amiciſſimi erunt, & ita pacificabuntur, ut unũ eundemq; Ieſum Chriſtum agnoſcant. De qua pace Eſaias prophetat dicẽs: In die illa erit uia de Aegypto in Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius in Aegyptum, & Aegyptius

In quo omnes religiones conſentiant.

Prima cõcio ad gentes habita, qua oẽs aliæ religiones condemnantur.

Sermo

Triplicem pacem à prophetis in regno Chriſti deſcribi.

& Aegyptus in Assyrios, & seruient Aegyptij Assur. In die illa erit Israhel tertius Aegyptio & Assyrio. Benedictio in medio terræ cui benedixit Dominus. Et rursus, surge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, filij tui de longe uenient, & filiæ tuæ de latere surgent, tũc uidebis & affluues, & mirabitur & delectabitur cor tuum quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium ueniet tibi, et reliqua, quæ non tam in hoc propheta sequuntur, quam in omnibus alijs prophetis sexcentis in locis de uocatione gẽtium scribuntur. Sed & Paulus de hac pace ad Ephesios scribens ait: Nunc per Christum Iesum, uos qui quondam longinqui eratis, facti estis propinqui per sanguinem Christi, ipse enim pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans ut duos conderet in semetipso in unum hominem faciens pacem. Alteram pacem describunt prophetæ, eam quæ est conscientiæ coram Deo per Iesum Christum. Quamdiu enim pro peccato non est satisfactum, nulla potest esse inter Deum ac hominem aut pax aut amicicia in conscientia peccatis obruta. Vbi autem nulla est Dei ad hominem amicicia, aut pax, ibi omnia in homine sunt turbata, damnata, & conclamata, ibi nullus est ordo, quemadmodum Iob ait, sed sempiternus horror. Postquam igitur Iesus Christus uenit ac pro peccatis satisfecit, hominem in ipsum credentem cum Deo ita pacificauit, ut ille hunc patrem suum, hic uero illum filium agnoscat. Vnde Esaias Christum uocat principem pacis, & de regno eius dicit, pacis non erit finis. Et iterum: Ecce ego creo Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium, & exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur ultra uox fletus, & uox clamoris. Similiter Hieremias: Ecce uenit dies, dicit DOMINVS, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit & faciet iudicium & iusticiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda & Israël habitabit confidenter. Quod Paulus quodammodo explicans dicit: Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per DOMINVM nostrum Iesum Christum, per quem & contigit nobis ut perduceremur in hanc gratiam, in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Atq; huius pacis incredibilis & inenarrabilis est commoditas, quam pro mea mediocritate magna animi libentia paulo latius explicarem, nisi concionem Petri enarrarem potius quam encomium pacis inter Deum & hominem per Christum partę declamarem. Postremo de pace ciuili eorum qui Christum agnoscunt, prophetæ uaticinantur. Esaias enim inquit: Conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Hæc autem non ita intelligenda sunt quasi inter Christianos nulla futura sint bella, sed quod Christiani quantum ad se attinet, cum omnibus hominibus pacem habeant, nec bella gerant nisi diuino mandato, adeo q; in medio bello animum pacatum, amicum & beneuolentem erga proximos suos gerant. Hi igitur sunt paces quas Deus ante quidem per prophetas promisit, nunc autem per Iesum Christum filium suum adnunciauit & præstitit, ut omnis qui credit in ipsum, siue sit circuncisus Iudæus, siue incircuncisus gentilis, habeat tranquillitatem conscientiæ coram Deo, amicicíam cum proximo, ac tandem omnibus cœlestibus bonis per Christum promissis perfruatur. Cæterum, cum Petrus summatim totum Euangelij negocium comprehenderit, explicat deinceps & diducit illud per partes, ac primum quidem narrat hoc negocium initium suum accepisse a baptismate Iohannis. Fuit enim Iohannes baptista primus Euangelij minister in Galilæa. Et cũ aliquãdiu hoc ministerio defunctus esset, uenit ad eũ Christus ad Iordanẽ ut baptizaret ab illo, non qa egeret Ioannis baptismate, sed potius

Altera pax

III. pax.

potius ut ministerium Ioannis confirmaret, ac (quod a Ioanne cœptum erat prosequeretur) Vnde ait ad Iohannem detrectantem ipsum baptizare: Omitte nūc, sic enim decet nos ut compleamus omnem iusticiam. Baptizatus igitur Iesus a Iohanne, ascendit protinus ab aqua, & ecce, quemadmodum Matthæus scribit, aperti sunt cœli, & uidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super ipsum, & ecce uox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum est. Atq; hoc illud est quod Petrus nūc dicit: Vnxit eum spiritu sancto & uirtute. Nō enim loquitur Petrus de eo, quod Christus ut Deus, ab æterno unus deus cum spiritu sancto fuerit, sed quod deus post baptisma ab Ioanne acceptū, manifesto spiritus sancti signo declarauerit, hunc Iesum esse uerum illum Messiam, de quo omnes prophetæ, præcipue autem Esaias uaticinatur, q̄ requiescat super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis. Ac iterum: Spiritus Domini super me, eo q̄ unxerit me, ad adnunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Sed quod Petrus addit: Vnxit eum uirtute, significat Christum non solum diuinitus constitutum ad Euangelizandum remissionem peccatorum, sed etiam ad ædenda magna uirtute miracula, ut per illa authoritatem Verbi sui confirmaret. Siquidem etiam hoc Esaias de Messia prophetat dicens: Deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Id quod Petrus impletum esse per Christum ostendit, inquiens: Qui obambulauit benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Qui em̄ potuisset alioqui Satanæ potentiam uincere, nisi diuina uirtute fuisset præditus? Diabolum autē uocat Petrus morbos, & ægritudines potentia diaboli hominibus immissos. Sed qui sunt huius rei testes? Nos, inquit, testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Hierosolymis. Confirmamus enim nostro testimonio q̄ Iesus non solum stupenda miracula ædiderit, sed etiam q̄ his miraculis comprobauerit se a deo missum ac deum sibi præsentem habuisse. Tertio narrat Petrus quomodo Iudæi Messiam miraculis uocationem & doctrinam suam comprobantem exceperint. Hunc, inquit, occiderunt suspēsum in ligno pro summis beneficijs summa malefícia rependentes. Hoc enim ingenium est huius sæculi, q̄ benefactorem persequatur, malefactori benefaciat, authorē uitæ occidat, authorem mortis ueneretur. At longe aliter tractauit Messiam Deus, qui unà erat cum illo: quem enim Iudæi crucifixum interfecerunt, hunc suscitauit deus tertio die, & exhibuit eum ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis a deo, nimirum nobis qui comedimus & bibimus unà cum illo posteaq̄ resurrexit a mortuis. Porro resurrectio Christi basis ac fundamentum est Christianæ religionis. Si enim Christus non resurrexisset, inanis esset, ut Paulus ait, prædicatio nostra, inanis esset fides nostra, adhuc essemus in peccatis nostris, nec esset mortuorum resurrectio. Q̄ si non esset resurrectio mortuorum, & in hac tantum uita spem in Christo fixam haberemus, maxime miserabiles omnium hominum essemus. Quia igitur tota nostra salus ex resurrectione Christi pendet, maxime omnium comprobata esse debet resurrectio eius. Ac alias quidem alia resurrectionis Christi argumenta in historijs Euangelistarum nobis proponuntur. Nunc autem Petrus hoc potissimum argumento comprobat Christum resurrexisse, q̄ Apostoli & alij multi discipuli unà cum Christo, posteaquam resurrexisset ederint & biberint. Duo enim discipuli in Emaus proficiscentes cognouerunt ipsum in fractione panis. Deinde Christus ostendens manus & pedes suos discipulis, iussit ut ipsum contrectarent, & accipiens partem piscis assi, &

Ioannes primus Euangelij minister

Resurrectionē Christi esse fundamentū Christianæ religiōis.

Argumenta resurrectionis Christi.

aliquid de fauo apiario edit in conspectu illorum, quemadmodum Lucas scribit. Testatur & Iohannes q̄ Iesus uenerit ad quosdam discipulos piscantes, & acceperit panem ac piscem & dederit eis, nimirum, ut unà cum ipso uescentes, certum testimonium dare possent q̄ uiuat. Esus enim cibi maximum uitæ argumentum est. Sed quæ est utilitas q̄ Iesus declaratus sit diuinitus, uerus Messias, q̄ obambulauerit benefaciendo, q̄ mortuus sit, & a mortuis resurrexerit? Quid hæc aliis prosunt? certe maximam afferunt utilitatem. Hoc enim Petrus demonstrat subiungens: Præcepit nobis ut prædicaremus populo, ac testificaremur q̄ ipse ille sit qui constitutus erat a Deo iudex uiuorum & mortuorum. Quisquis enim in hunc crediderit, accepturus est per nomen eius remissionem peccatorū. Ecce hæc est utilitas, hoc est commodum, hic est fructus historiæ de Iesu Christo, q̄ qui prædicationi Apostolicæ de Iesu Christo crediderit, habeat per Christum in quem credit remissionem peccatorum. Et hac breui cōclusione reiecit Petrus omnes alias religiones Iudæorum, Gentium, Turcarum, Papistarum, & si quæ sunt aliæ. Nam Iudæi sperant remissionem peccatorum propter suam circuncisionem & sacrificia. Gētes propter hecatombas, Turcæ propter sua sacra. Papistæ propter Missas & ieiunia sua. Remissio autem peccatorum contingit nō propter ulla opera humana, non propter ulla merita, nō propter ullam carnalem iusticiam, sed tantum propter nomen, hoc est, meritum, iusticiam, satisfactionem & sanctificationem Iesu Christi, & contingit non per ullam humanam iusticiā, sed tantum per fidem quæ in Christum habetur. Allegat autem Petrus testimonium prophetarum dicens: Huic omnes prophetę testimoniū ferunt, q̄ remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. At q̄ hoc uere est allegare testimonium uniuersalis Ecclesię. Sunt enim multi qui citaturi testimonium Ecclesiæ, nescio quos mores aut opiniones in Hispania, in Gallia, in Italia, in q̄ aliis locis sibi cōsentientes commemorant. At hoc nondum est consensus uniuersalis Ecclesiæ, quod Hispani, Galli & Itali uno ore compro bant, sed quod prophetæ & Apostoli sentiunt. Hi enim sentiunt & uno ore confitentur, non per opera, sed per fidem, non propter merita hominum, sed propter nomen Iesu Christi contingere remissionem peccatorū, quæ est iusticia nostra. Proinde amicissimi, audiamus & nos prædicationes prophetarum & Apostolorum (quæ enim nobis prædicant, diuino mandato prædicant) & credamus in Iesum Christum, ut propter hunc accepta per fidem remissionem peccatorum iusti coram Deo reputemur, & in præceptis Dei ex fide ambulantes, æternam salutem consequamur, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Consensus Ecclesiæ.

HOMILIA LI.

DEclaratum est antea uisione quadam Petro ostensa, gentes etiam nondum circuncisas, credentes tamē in Iesum Christum, recipiendas esse in catalogum populi Dei, & ad communionem cœlestium bonorum admittendas. Nunc idem declaratur miraculo spiritus sancti e cœlo delapsi. Sic enim scribit Lucas: Adhuc loquente Petro uerba hęc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Dicebat enim Petrus de Christo: Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, q̄ remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis credit in eū. Hæc est summa totius prædicationis Euangelicæ, hæc est basis Christianæ religionis, uidelicet, q̄ remissio peccatorū contingat credēti in Christum, non propter ulla opera humana, non propter ullam iusticiam carnalem, sed propter

pter Iesum Christum per fidem. Cum igitur gentes adhuc incircuncisæ hanc prædicationem de Christo audirent, & fide exciperent, ecce cecidit spiritus sanctus super omnes auditores. Quis est ille spiritus sanctus? non est intelligendum de substantia spiritus sancti, qua is nec sursum nec deorsum pro natura corporum uoluitur, sed omnia adimplet. Verum intelligendum est de dono spiritus sancti quale Apostolis in die pentecostes contigit, apparentibus dissectis linguis uelut igneis & sedentibus super singulos. Sic enim postea dicitur: Obstupuerunt q & in gẽtes donum spiritus sancti effusum esset. Audiebant enim illos loquentes linguis ac magnificantes Deum. Similiter & Petrus indicat dum dicit: Num qs prohibere potest quo minus aqua baptizentur hi qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Igitur quemadmodum miraculo doni linguarum, cœpta est noua prædicatio Euangelij inter Iudæos in die pentecostes, ita nunc eodem miraculo diuinitus declaratur, nõ hoc solum q Euangelion de Iesu Christo inter gentes prædicandum sit, sed etiam illud q quamuis gentes incircuncisæ, audientes tamen Euangelion & credentes in Christum Iesum per fidem in gratiam dei recipiantur, ad catalogum populi dei accensеantur, iustificentur ac sanctificentur, adeoq; proponitur nobis in his gentibus quis sit proprius & germanus modus, quo ex Ethnico Christianus, e peccatore iustus, e prophano sanctus fiat. Etẽ tametsi inter illas gentes unus erat Cornelius, qui antea priusquam Euangelion de Christo a Petro audierat, pietati operam dederat, tamen is quoq; iusticiam & sanctitatem suam nõ ex operibus, sed ex fide habebat, quemadmodum supra demonstratum est: & multi alij a Cornelio uocati præsto aderant, uidelicet cognati & necessarij amici eius, qui omnes erant incircũcisi, & inter quos alius quidem colebat Iouem, alius Mercurium, alius Martem, alius alium quendam e dijs Romanorum aut gentilium. Iam quia in hac congregatione milites quoq; aderant, quid aliud æstimandum est, cũ q hi uarijs flagitijs fuerint sordidati, & malis faci noribus nobiles? Breuiter, si nihil aliud, certe gentiles fuerunt, quo solo nomine indicatur eos populum fuisse impium & a Deo alienũ. Videamus igitur quo modo hi iustificentur ac sanctificentur? Audiunt concionem Petri de Iesu Christo, q per ipsum sit remissio peccatorum, & credunt ei. Proinde confestim ex fide ita iustificantur ac purificãtur, ut & admirabili dono linguarum celebres reddantur. Sed finge mihi Cornelium ac cognatos suos uocasse quempiam e Phari sæis, aut si nostra tempestate uixissent, aliquem e superstitiosis papistis aut hypocritis monachis, quam obsecro uiam iustificandi illi prescripsissent? profecto quantum licet conijcere ex ipsorum doctrina & libris, pharisæus inculcasset circuncisionem, oblationes, longas preculas, uestimentorum fimbrias, & id genus alias nugas. Sophista præscripsisset opera moraliter bona & præcepisset, ut facerent quantum in ipsis esset, sic enim fore, ut gratiam dei mererentur. Monachus autem inculcasset cucullam, Missas, peregrinationes, indusia ex crinibus facta, ieiunia panis & aquæ, & si quæ sunt talia huius generis. Num autem existimas Cornelium & amicos eius e talibus cõcionibus ad ueram pietatem capessendam inflammari potuisse? Certe qui talia & docent & agunt, ipsa glacie erga deum & proximũ frigidiores sunt. Sed si de Iesu Christo prædicetur, q per hunc solum contingat remissio peccatorum quæ est iustitia nostra, ea demum uera est concio qua datur spiritus sanctus, & qua corda ad amplectandam pietatem inflammantur. Vnde Paulus ad Galatas scribens dicit: Hoc solũ cupio a uobis discere, utrũ ex operibus legis spiritũ accepistis, an ex prędicatione fidei? Et qui subministrat uobis spiritum & operatur uirtutes in uobis, utrum ex operibus legis an ex prædicatione fidei id facit? Quo loco, & si Paulus de manifesto dono spiritus sancti, quod est donum linguarum loquatur, indicat tamen prædicationem Euan

Spiritus sanctus.

geliȝ,non prædicationẽ legis aut operum esse organon, quo nobis Deus dona spiritus sancti,quæ sunt fides,iusticia & sanctificatio cõfert. Quid igitur in causa est, ut cum nunc eædem conciones quas Petrus & Paulus habuit,nobis nullo etiam uerbo immutato proponantur,non easdẽ quoq; uirtutes habent? Nam & nos in proxima Homilia non solũ cõcionem Petri, sed & expositionem eius audiuimus,nulli tamen nostrum contigit quod auditoribus Petri, neq; enim delapsæ sunt ex alto linguæ igneæ,nec ita quisquam immutatus est,ut rudis antea, loqueretur post uariȝs linguis. Sed huius rei causam non est difficile pernoscere.

Miraculorum ratio.

Nam principio miracula non ideo diuinitus fiunt,ut semper eodem modo & eadem specie fiant,sed ut Verbo Dei nouiter reuelato authoritatem addant, & ueritatem eius confirment. Quod si factum fuerit,cessant miracula externa, & manet prædicatio Verbi perpetua. Diuersis autem linguis loqui miraculum est,qd Deus ab initio reuelati Euangeliȝ ideo ædidit, ut indicaret Euangelion esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Postquam igitur satis compertum fuit Euangelion salutis potentiam esse,desiȝt miraculum istud,& remãsit Euangeliȝ prædicatio. Deinde ubicunq; tam feruentes auditores Euangeliȝ sunt, qui tanta fide prædicationem Euangeliȝ excipiunt, quanta exceperunt concionem Petri gentiles isti,ibi plane eandem uirtutem in cordibus operatur Euangelion, quam & operatum est in his gentilibus, non quidem ut miraculum linguarum ædat, hoc enim,ut dictum est,iam antea desiȝt,sed quia corda credentium sanctificat,& reddit credentes coram Deo iustos,adeoq; efficit,ut iustificati per fidem,in præceptis Dei ambulent. Itaq; si ex auditu Euangeliȝ non iustificamur aut sanctificamur,culpa non Euangeliȝ,sed nostra est,qui non feruore fidei, sed ex more & consuetudine prędicationem Euangeliȝ audiamus. Atq; adeo prorsus nobis accidit,quod Sympatriotis Christi. Cum eñ ad hos Christus diuertisset,ut Euangelista dicit,non poterat ibi uirtutem ullam ædere,nisi q̃ paucos infirmos impositis manibus sanauit. Vnde id euenit? Certe nõ ex imbecillitate Christi, sed ex incredulitate auditorum Christi. Nam propter illorum incredulitatem non ædidit illic multas uirtutes. Quare enitamur amicissimi,ut magno fidei ardore concionem Euãgeliȝ audiamus, ne nostra culpa salutẽ nobis per Euangelion oblatam excludamus. Sed quid fit a Petro & comitibus eius postquam spiritus sanctus in gentes illapsus est? Sequitur:

» Obstupuerunt hi qui ex circuncisorum ge
» nere credebant,quotquot uenerant cum Petro, q̃ & in gẽtes donum spiritus san
» cti effusum esset,audiebant enim illos loquentes linguis,ac magnificãtes deum.

Quare autem talia audientes,obstupuerunt? quia existimant nulli posse Messię beneficia quæ sunt iusticia,sanctificatio & salus contingere,nisi antea circuncisione aliȝq; legalibus sacris purificato. Sed hoc quid aliud est q̃ hypocritice de deo & Christo eius sentire? Nam & hypocritæ sentiunt quidem per Christum contingere credenti remissionem peccatorum,sed ita, si prius suis bonis operibus pro peccatis satisfecerit. Vnde quod latro mox a cruce ad paradisum ducitur cum nondum quicquam boni feciȝet, & non propter iusticiam, sed propter iniusticiam suam pateretur,stupendum miraculum in oculis eorum est, ac putant alios homines longe alia ratione salutem cõsequi,uidelicet,sua ipsorum satisfactione pro peccatis, & meritis operum suorum. Ita hi qui credebant in Iesum Christum ex genere circuncisorum,sentiebant quidem per Christum dari spiritum sanctum,sed ita,si quis prius legalibus ritibus initiatus ac sanctificatus esset. Hæc autem sententia quid aliud est,si rem recte perpenderis q̃ ignorantia Christi. Nulla enim est præparatio ad percipiendam iusticiam & sanctificationem q̃ Christus, nulla est iusticia & sanctificatio q̃ Christus. Ac per solam fidem in Christum,& præparatur homo ad iusticiam seu sanctificationẽ, & adi-

Quod nulla sit præparatio ad iusticiã quàm Christus.

piscitur

piſcitur iuſticiam ſeu ſanctificationem, ita ut Chriſtus ſit & præparatio iuſticiæ & ipſa iuſticia. Ex hoc igitur Iudęorum qui in Chriſtū crediderant ſtupore, nos primū admonemur, ut diſcamus uerum modū iuſtificādi. Fit enim iuſtificatio nullo præuio bonorꝫ operū merito, nulla præcedenti legalis purificationis prærogatiua, ſed tm̄ per auditū Euangelij de Chriſto & fidē in Ieſum Chriſtū. Deinde inuitamur ad cōmendationem diuinæ clementiæ ac miſericordiæ, ꝙ quantūuis impios, credētes tm̄ in Ieſum Chriſtū ita fauore ſuo cōplectatur, ut reputet eos iuſtos, et ſanctificet eos donis ſpūs ſancti, perpetuamq; ſalutē ipſis cōferat. Cum igit̄ Iudæi hoc admirarent̄, ꝙ ut Apl̄is in die pentecoſtes, ita & incircunciſis gentibus datum eſſet donum ſpūs ſancti, quod eſt donū linguarꝫ. Reſpondit Petrus dicens: Num quis prohibere poteſt quo minus aqua baptizentur hi qui ſpūm ſanctum acceperunt ſicut & nos? Recte Petrus ſentit gentes baptiſmo recipiendas eſſe in cōmunionem Euāgelij ſeu Meſſiæ, etiāſi nondū fuerint circūciſæ. Etem̄ baptiſmus ex inſtitutione Chriſti, interprete Paulo, eſt lauacrum regenerationis ac renouationis ſpūs ſancti & emundationis a peccatis, per quod deus ſaluos facit credentes. Sic em̄ ait Chriſtus: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Gentes aūt iam ante baptiſmū per fidem regeneratas, & p. ſpūm ſanctū renouatas eſſe manifeſte comprobat donum ſpūs ſancti mirabiliter in ipſas illapſum. Proinde nullo iure poterant a baptiſmo excludi. Qui enim iam poſſidet potiorē & præſtantiorem partem ſacramenti, cur a participatione uilioris partis excluderetur? Habet enim ſacramentū duas partes, alteram uiſibilem creaturā, alteram inuiſibilem gratiam, ſeu ſpūale donum Verbo & inſtitutione diuinæ clemētiæ uiſibili parti adnexum. Sic & baptiſmus primū habet aquā uiſibilem, nō autē ſola aqua baptiſmus aut ſacramentū eſt, ſed eſt tantū altera pars baptiſmi aut ſacramenti. Deinde habet inuiſibile donū, hoc eſt, emundationem a peccatis, regenerationem & renouationem ſpūs ſancti. Et hæc pars eſt præcipua ac præſtantiſſima, propter quā & uiſibilis creatura diuinitus, uelut organū, ordinata eſt. Ergo qui diuina clementia ante acceptā aquam donat̄ regeneratione ac renouatione ſpūs ſancti, quēadmodum his gentibus incircūciſis cōtigit, quis prohiberet quo minus etiam aqua p. funderetur? Iuſſit igit̄ Petrus eos baptizari in nomine Dñi. Tametſi enim hæ gentes nunc nō neceſſe habeāt baptizari ut regenerarent̄ & renouarent̄ ſpū ſancto, neceſſarium tm̄ erat ordinationi dei parere qui præceperat Apl̄is ut baptizarēt oēs gentes, & oēs credētes baptiſmo ſubiecerat dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Huc accedit ꝙ baptiſmus nō ſolum ſit organon quo initio credentes regenerant̄ & renouant̄, ſed etiam ſymbolū quo credentes palam declarantur eſſe populus dei, & quo uarijs afflictionibus tentati, in fide regenerationis confirment̄. Non igitur ocioſum & ſuperuananeū eſt, ꝙ hæ gentes poſt regenerationē baptizent̄. Vide aūt mirum gentiū ardorē in Euangelion de Ieſu Chriſto. Sequit̄ enim: Rogauerunt Petrū ut remaneret aliquot dies. Propter quā cauſam? Nimirum nō propter aliā q̄ ut plura de Ieſu Chriſto a Petro audirent & in fide confirmarent̄. O ardentiſſimā ſimul & modeſtiſſimā pietatem. Iudæi eijciebant uiolentia Apl̄os e Synagogis ſuis, gentes etiā rogant Petrum ut cū ipſis maneat. Iudæi continuerunt aures ſuas ut nō audirent uel nomen Ieſu Chriſti, gentes hoc ſolum optant, hoc ſolū deſyderant, ut plura de Ieſu Chriſto audiant. Iudæi infœlices ſe putant propter Euangelion de Chriſto prædicatum, Gentes ſummā fœlicitatem ducunt Euangelion Chriſti. Interim hoc quoq; in gentibus illis obſeruandum eſt, ꝙ & ſi acceperant donum ſpūs ſancti ſicut Apoſtoli, nō tamen faſtidiunt poſtea Apl̄m, non abijciunt eum, ueluti nō ultra cōmodum aut neceſſariū, ſed rogant, ut ſaltē aliquot dies cū ipſis remaneat. Tametſi, n. magno fidei ſpū prædītus ſis, tm̄ propt̄ uarias tentatiōes quæ ſubin-

Baptiſmus

Sacramenti duas eſſe partes.

de oriuntur, necessariũ est externũ Euangelij ministeriũ, ut huius irrigatione fides conseruetur, & tentationes suffocentur. Proinde amicissimi, quia etiam nos baptismo sanctificati sumus, enitamur, ut frequenti prędicationis Euangelicæ irrigatione uirorem fidei retineamus, quo ambulantes in præceptis Dei, bona opa fructificemus, & quod reliquũ erit, in paradisum cœlestem transplantemur, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula, Amen.

CAPVT VNDECIMVM.

HOMILIA LII.



Cap. 4.

IN Euangelio quod secundum Lucam, qui & Actorum Apostolicorũ author est, inscribitur, adnotatũ inuenimus, Dñm nostrum Iesum Christũ adhuc in terris uisibiliter agentẽ, ingressum esse quondã in nauim Simonis Petri piscatoris, & dixisse ad eum ac socios eius: Duc in altũ & laxate retia uestra in capturã. Simonẽ aũt respondisse, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tñ tuo iussu laxabo rete. Et cum hoc fecisset, concluserũt piscium multitudinẽ copiosam, ita ut rumperet rete. Admirandum quidẽ hoc est q̃ Petrus suopte arbitrio piscans frustra p̃ totam noctẽ laborabat, iussu autẽ Christi retia in capturã piscium laxans, uno iactu copiosissimã piscium multitudinẽ concluſit. Sed illud multo admirabilius est, q̃ in p̃cedente capite de captura gentiũ in rete Euangelicũ cõmemoratum est. Hactenus. n. multi fuerunt piscatores qui uenati sunt gentes ut eas caperent, & ad cibũ mensæ cœlestis cõuiuij pararent. Nã Philosophi gentium docuerunt honestas quasdã uirtutes, qua doctrina enitebant auditores suos iustos ac sanctos reddere. Sacrifici inculcabant sacra Iouis aut Mercurij ac hecatombas, quibus factores iusticiã parare deberent. His accedebãt & Magi & Arioli, qui & ipsi, pmittebant suis epodis & incantamentis, nescio quas sanctitates. Sed hi oẽs frustra laborarunt inter gentes. Tametsi enĩ uidebant oẽs gentes in rete doctrinæ suæ cõcludere, tamen illæ rursus elabebant, nec poterant doctrina illorũ ad ueram iusticiã & sanctitatẽ parari, propterea q̃ piscatores illi nõ iussu dei, sed suo ipsorũ arbitrio retia laxauerant. At uero Petrus ad quẽ Christus dixerat, faciã te piscatorẽ hoĩm, cum antea iussu Christi laxauerat rete prædicationis suæ inter Iudæos, innumerabilẽ turbã cepit, nunc autẽ eiusdem Christi iussu laxauit rete inter gentes. Proinde tãta fœlicitate piscatus est, ut uno iactu, uix dũ immisso reti bene pingues gentiũ pisces attraxerit, & ad mensam cœlestis cõuiuij splendidissime parauerit. Adhuc enim eo loquente (ut Lucas inquit) cecidit spũs sanctus super oẽs qui audierunt sermonem. Quantum igitur existimas ex his factis Petrum in ea sententia confirmatum esse, ut certo sciat, oĩa quæ iussu diuino fiunt fœliciter promouere, quæ uero humano tm̃ arbitrio & industria præsumunt, nunq̃ prosperũ habere euentum? Discamus & nos adeo q̃ certo teneamus, maledicta esse quæcunq̃ conamur nostra ipsorũ opera, benedicta autẽ esse quæcunq̃ ex mandato dei fiunt. Sed de hac re nunc nõ est locus dicendi. Videamus igitur quod nunc sequitur, quic inter reliquos Apostolos ac Iudæos qui in Christum crediderant, actum sit, postẽ diuulgatum est Petrum ad gentes incircuncisas diuertisse, & recepisse eas absq̃ circuncisione in cõmunionem Euangelij. Quid autẽ putas aliud actum esse q̃ quod fere inter hoies fieri solet. Alij enim cõmendabant factum & glorificabant deum,

alij

alij autẽ uehementer reprehendebant, ac iniquissime factum iudicabant, ꝙ gẽtes nõdum circuncisæ baptismo ad Christi beneficia assumerentur. Etenim hæc uulgaris humanarũ rerũ sors est, ꝙ quæ optia sunt, paucissimis arrideãt, & semp maior turba sit eorũ qui bñ facta calumniantur, ꝙ qui probant aut imitantur. Vel saltẽ Chrm tibi ob oculos pone, qui cum optime Euangelicã functionem administraret, tñ plures inter auditores eius erant qui facta eius calumniabantur, ꝙ qui pietatẽ eius aut cõmendabant aut sectabantur, & huic quidẽ erat helluo, illi seductor, huic fabri filius, illi dæmonium habens. Vis exẽplum ciuilis administrationis, en accipe & Mosen & Dauidem, hi cum optime suo magistratu fungerentur, tamẽ in tantum multitudini displicebant, ut alterum quidẽ lapidibus peterent, alterũ e regno expellerent & uirum sanguinum uocarent. Cum igitur ita se habẽt mores huius sæculi, enitendum est unicuiꝙ, ut in functione sua siue publica siue priuata, non ut oĩbus hominibus, hoc enĩ est impossibile, sed primum deo, deinde optimis, hoc est, paucissimis, causam suã probet. Cuius rei exẽplum Petrus nobis in causa sua exhibebit. Audiuerunt enim (inquit Lucas) Apostoli & fratres qui erãt in Iudæa, ꝙ & gẽtes recepissent sermonẽ Dei. Sed quomodo illi factum Petri ꝙ gentes nõdum circuncisas in Euangelij consortium assumpserit, interpretati sunt? Quod ad Apostolos quidẽ attinet, quantum ex concilio, quod postea super hac quæstione Hierosolymis habitum est, quẽadmodum capite. 15. scribit, animaduerti põt, ingenti assensu factum Petri probarunt, & magna animi lẽticia famam hanc acceperunt, ꝙ gentes Euangelion de Iesu Christo agnoscant. Nam & antea per prophetas prædictum est, gentium uocationẽ magnã uoluptatem allaturam Ecclesiæ Christi, in qua Apostoli columnæ sunt. Leua, inquit Esaias, in circuitu oculos tuos & uide, oẽs isti cõgregati sunt, uenerunt tibi, filij tui de longe ueniẽt, & filiæ tuæ de latere surgent, tunc uidebis & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, qñ conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Et qui potuisset fieri, ꝙ Apostoli audita gentium uocatione, nõ fuissent maxima lætitia perfusi, cum satis manifeste ex hac fama intelligere potuerint tempus illud aduenisse, de quo Zacharias uaticinatus est dicẽs: In diebus illis apprehendent decẽ homines ex oĩbus linguis gentium, & apprehendent fimbriam uiri Iudæi dicentes, ibimus uobiscum, audiuimus enim quoniã deus uobiscum est. An non apprehẽderunt Cornelius & amici eius fimbriã Petri qui erat Iudæus, dum Cornelius primum uocauit Petrum ad se, deinde procidit corã eo adorabundus? Postremo cum oẽs rogauerunt eum ut remaneret aliquot dies Cæsareæ cũ ipsis & Christum clarius explicet? Profecto hoc uere est dicere, Ibimus uobiscum, audiuimus enim quoniã deus uobiscum est. De hac gentium profectione quæ non pedibus sed unitate fidei in Christum facta est, uaticinatur etiã Esaias inquiens: In nouissimis diebus erit mons domus Domini præparatus in uertice montiũ, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum oẽs gentes, & ibunt populi multi & dicent, uenite ascẽdamus ad montem Dñi & domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius. Apostoli igitur uidẽtes huius profectionis primitias in Cornelio & amicis eius, magis ad glorificandum Deum ꝙ ad calumniandum factum Petri cõcitati sunt. At nõ ut Apostoli, ita & reliqui fratres Petri factum probarunt. Nam cum ascendisset Petrus Hierosolymã, discepta-
bant aduersus illum qui erãt ex circunsione, dicẽtes, ad uiros prẽputium habentes introisti, & edisti cum illis. Obserua quẽso & hoc loco maxime oĩum uerum esse, quod sæpenumero diximus, uidelicet ecclesiã non fere aliud esse ꝙ nosocomion, aut ut uocant, hospitale. Quanꝙ enim in nosocomio ministri sunt ualidi & nonnunꝙ diuites, tñ maior pars eorũ qui in nosocomio uiuũt, pauperes sunt, & debiles, adeo, ut nisi alioꝝ auxilio foueantur, diutius uiuere nequeant. Quin

Mores huius sæculi.

Prophetiæ de gentium uocatione.

Ecclesiã esse nosocomion.

& insani in Nosocomio, qui sibi maxime oium ualere uidentur, hi maxīe oium ægrotāt. Cæterꝝ ad morbos corporis etiam hic animi morbus ad hos qui in nosocomio decumbunt, accedit ꝙ morosi sint, ut omnis dolor contumax est, & nihil uel ciborꝝ uel officiorꝝ grato animo ferunt, sed sicut Iudæis in deserto, ita ipsis nausea est omnis cibus etiā satis delicate paratus, & quęuis officia humanissime eis exhibita insufficientia & inhumana uidentur. Eosdem prorsus mores in Ecclesia, nō ea solum quæ nunc est, sed etiā quæ tēpore Apostolorꝝ fuit reperies. Etēm in Ecclesia quidē sunt aliqui fortes in fide, & magno spū intelligētię ac scientiæ prædĭti, maior tn̄ pars membrorꝝ Ecclesię maxima imbecillitate fidei ac indigentia reliquarꝝ uirtutum laborant, adeo ꝙ hi propemodum desperate ægrotāt, qui cum parum sapiāt, uidentur tn̄ sibi maxime oium in scientia ueritatis sapere, & quibus nihil placet q̄d alĭ aut docēt aut agunt, sed qui oia illa in peiorem partē interpretant̄ ac calumniant̄. Cuius rei manifestū exēplum exhibēt fratres illi qui minime fraterne cum Petro disceptāt ꝙ ad gentes introierit & cum ipsis ederit. Nā cum Petrus authore Christo ad Apostolatum uocatus esset, & donis spūs sancti multos alios præcelleret, atq; adeo prædicatione sua hos qui cum ipso contendebant ad Christum adduxisset, hi tamen tam iniquas gratias Petro referebant, & tanta morositate in eum grassant̄, ut primum disceptauerint aduersus eum, tanq̄ ipso multo in fide firmiores & eruditiores. Sic enim plerunq; fieri solet, ut discipuli Euangelĭ qui uix unam aut alterā concionem audierint, uideātur sibi plus sapere, scire & intelligere in Christianismo, q̄ omnes Euāgelĭ pręceptores ac doctores. Deinde factum Petri prorsus Satanice calumniantur, Satanę enim est in factis bona reticere, & quæ uidentur mala producere atq; exaggerare. Sic prodit sese in Simei, qui Dauidē calumniaturus, reticet quæ beneficia Sauli & familiæ eius Dauid contulerit, producit autē tantum illud ꝙ multum sanguinem effuderit, uocans eum uirum sanguinum. Sic emicat in Pharisæis, qui amplificant familiaritatem Christi cum peccatoribus, & ꝙ Sabbatum uiolet, interim autem negry quidem de benefactis eius, de mundatione leprosorum, de resuscitatiōe mortuorum, alĭ sq; id genus miraculis dicunt. Sic & in fratribus illis cum Petro contendentibus caput suum exerit, hi enim cauillātur tantum Petri congressum & contubernium cum gentibus. Sed quantus ex hoc congressu Euangelĭ fructus prouenerit inter gentes, hoc demum alto silentio premunt. Quid ergo? quia calumnia opus Satanæ est, omnino deuitāda erit. Quod enim est mortifera pestis corpori, hoc animæ est calumnia, etenim & animam occidit, & eā perpetuæ damnationi obĭcit. Et cum calumniator existimat se alteri malum inferre, sibĭ ipsi interitionem infert. Sed facessant calumniatores, & apologiam Petri audiamus. Etenim cū inclementer a morosis quibusdam fratribus tractatur, tam humaniter & mansuete uicissim factum suum defendit, non hoc solum ꝙ cum gētibus congressus sit familiariter, id quod illi reprehendebant, sed etiā illud, ꝙ Gentes absq; circuncisione & professione legis Mosaicæ in cōmunionem Euangelĭ per baptismum receperit. Ac primū quidē ex uisione cœlesti, deinde ex mandato spūs, tertio ex apparitione angeli, postremo ex miraculo probat se iuste fecisse ꝙ ad incircuncisas Gentes intrauerit, & eas baptismo in Christianismū receperit. Petrus (inquit Lucas) rem ab initio repetens, expositit illis ordine. Quid? Principio uisionē cœlestem, qua admonitus est ut nō abomineť gentes. Ego (inquiēs) eram in ciuitate Ioppe orās, & uidi raptus extra me uisionē descēdere, uas quoddam ceu linteum magnū, quatuor initĭs emissum e cœlo, & uenit usq; ad me, in quod cū intendissem oculos, aīaduerti & uidi quadrupedia terræ & bestias & reptilia & uolatilia cœli. Audiui autē & uocē dicentē mihi: Surge Petre, macta & uescere. Dicebam aūt nequaq̄ Dñe, quia nihil cōe aut immundum unq̄ introiuit in

Satanæ esse bona reticere, & in specie mala exaggerare.

uit in os meum. Respondit aũt mihi uox rursum e cœlo, quæ deus mundauit, tu ne communia dixeris, id q̃ accidit tertio, & rursum oĩa subducta sunt in cœlum. Hæc est uisio, quã quia antea explicuimus, nõ est nunc necesse uteã pluribus tractemus. Cõmemorat aũt eam Petrus corã fratribus, ut p̃bet diuinitus sibi ostensum esse, Gentes nõ esse reputandas immundas si in Christũ credant, etiãsi non circuncidant. Si aũt non sunt immundæ, quid uetat cũ illis cõgredi? quid prohibet quo minus pro filijs dei per Christũ agnoscant? Visioni subiungit mandatũ spũs & dicit: Ecce extemplo tres uiri præsto aderant in ædibus in quibus eram e Cęsarea missi ad me, dixerat autẽ mihi spiritus ut congrederer cũ illis nihil hæsitans. Quid ergo facerẽ? an non obedirem mandato spũs? potiorem ne iudicarẽ traditionẽ maiorum nostrorũ, quæ uetat congressum cum Ethnicis, q̃ præceptũ spiritus, qui mandabat ut cum gentibus congrederer? Certe Deo magis obediendum est q̃ hoibus? Post mandatum spũs recenset Petrus apparitionẽ angeli, qui apparuit Cornelio, & iussit ut ipsum ad se uocet. Porro (ait) comitati me sunt, & sex hi fratres. Hos enim secum duxerat Petrus, ut haberet testes & dictorum & factorum suorum. Et ingressi sumus in domum uiri, isq̃ retulit nobis ut uidisset angelum domi suæ, qui astitisset ac dixisset sibi: Emitte uiros Ioppen, & accerse Simonem cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus est, per quæ seruaris & tu & uniuersa domus tua. Audis apparitionem angeli, qua Petrus ostendit, quod ut antea ex uisione cœlesti & mandato spiritus motus fuerit ad congrediendum cum Ethnicis, ita ex apparitione angeli Cornelio facta, inuitatus fuerit ad prædicandum Gentibus Euangelion de Iesu Christo, siquidem angelus prædixerat Cornelium a Petro auditurum illud per quod seruetur & ipse & familia eius. Quid autem hoc aliud est quam Euangelion de Iesu Christo? Neq̃ enim Christus mandauerat Petro & alijs Apostolis ut Mosen prædicarent, sed ut Euangelion adnunciarent. Ite enim dixit in uniuersum mundum, & prædicate Euangelion omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Postremo recenset Petrus miraculum illud stupendum, quo gentibus absq̃ circuncisione datum est donum spiritus sancti, quemadmodum antea Apostolis & discipulis Christi. Sic autem ait: Cum exorsus essem sermonem, dilapsus ex spiritus sanctus in illos, quemadmodum & in nos fuerat illapsus initio. Veniebat autem in mentem, quod dixerat DOMINVS, Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterum uos baptizabimini spiritu sancto. Proinde si par donum dedit illis Deus, quemadmodum & nobis, cum credidissemus in DOMINVM Iesum Christum, ego porro quis erã qui possem obsistere Deo? Necessario prioribus uisionibus, mandatis spiritus, & apparitionibus additur manifestum miraculum. Potuissent enim homines morosi uisiones tanq̃ somnia & apparitiões tanq̃ nugas & uana spectra calumniari. At nũc obstruitur os oĩum iniqua loquẽtium, q̃ Dñs deus noster miraculo collati doni spũs sancti priores uisiones & apparitiões tanq̃ sigillo quodã certissimo cõfirmauit. Vnde Petrus amplificat illud cõparatione, Dilapsus est (inqt) spũs sanctus in illos quẽadmodum & in nos fuerat illapsus ab initio, uidelicet in die pentecostes, qñ factus est repente de cœlo sonitus, tanq̃ impetu ueniẽtis flatus uehementis, & repleuit totã domum ubi eramus sedentes, & cũ uidebantur nobis dissectæ linguæ uelut igneæ, seditq̃ sup singulos nostrum, ac repleti sumus oẽs spũ sancto, cepimusq̃ loqui alijs linguis, prout spũs ille dabat eloqui nobis. Idẽ repetit Petrus postea dicens: Par donũ dedit illis Deus, quẽadmodum & nobis, cum credidissemus in Dñm Iesum Christum. Quid igitur faceret Petrus, uidens idẽ donum spũs incircuncisis Gentibus collatũ, q̃d antea circuncisis Iudæis in Christum credẽtibus datũ erat? Veniebat inquit in mentẽ quod dixerat Dñs: Io

I. Ex uisione probat Petrus gentes esse recipiendas.

II. Ex mandato spiritus.

III. Ex apparitiõe angeli.

IIII. Ex miraculo.

annes quidem baptizauit aqua, cæterũ uos baptizabimini ſpũ ſancto poſt dies hoſce nõ multos. Quin & ipſe Ioannes Baptiſta idẽ ad ſuos diſcipulos dixerat, quẽadmodum Euangeliſtæ ſcribunt. Ego quidẽ (inquiens) baptizo uos aqua ad pœnitentiã, at ille qui poſt me uẽturus eſt, fortior me eſt, cuius nõ ſum idoneus ut calciamẽta portẽ, ipſe uos baptizabit ſpũ ſancto & igni, cuius uẽtilabrum in manu illius, & repurgabit areã ſuam, & cõgregabit triticum ſuum in horreum, paleã autẽ exuret igni inextinguibili. Quid ergo eſt aqua baptizari a Ioãne, & baptizari ſpũ ſancto a Chriſto? an qui baptizatus fuit aqua baptiſmi Ioannis nõ fuit particeps ſpũs ſancti? De hac re ſupius diſſeruimus, ſed & nunc pauca repetemus. Baptiſmus. n. Ioãnis uocat baptiſmus pœnitẽtiæ in remiſſionẽ peccatorũ. Non põt autẽ pœnitẽtia eſſe, nec põt remiſſio peccatorũ cõtingere abſq; ſpũ ſancto. Proinde qui credidit doctrinæ Ioannis de uẽturo Meſſia, & accepit ex hac fide baptiſmum eius, is procul dubio ſpũſſancti particeps fuit. Ergo cum dicit Ioannẽ aqua baptizaſſe, Chriſtũ autẽ ſpũ ſancto, nõ intelligit baptiſmũ Ioannis abſq; ſpũ ſancto fuiſſe, ſed q; externa & admiranda ſpũſſancti dona, ut linguarũ & aliarũ quarundã uirtutum, nõ ſint p̃ baptiſmum Ioannis credẽtibus collata. Nã horũ donorum effuſio & diſtributio reſeruata erat nomini Chriſti, ut ex hoc manifeſtaret & cõprobaretur ip̃m uerũ eſſe Meſſiã, per quẽ nõ ut ſeruum aut miniſtrum, ſed ut Dñm, authorẽ & magiſtrum cõtingat remiſſio peccatorũ ſeu iuſtificatio. De hoc. n. dono ait Chriſtus: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annuuncia bit uobis, ac paulo ante, ducet uos in oẽm ueritatẽ, docebit uos oĩa, & ſuggeret uobis oĩa quæcũq; dixi uobis. Accedit huc, q; Chriſtus ideo hoc donum ſpũſſancti ab initio effudit, ut teſtaret quis populus & quæ gens ad ip̃m p̃tineat, uidelicet ea gẽs q̃ credit in nomẽ eius. Vnde ait ad diſcipulos ſuos: Rogabo patrẽ, & aliũ conſolatorẽ dabit uobis ut maneat uobiſcũ in æternũ, ſpũm ✠ itatis, quẽ mundus non põt accipere qa nõ uidet eũ nec nouit eũ. Ex hoc igit Petrus apologiã ſuã concludit & ait: Si deus dedit par donũ gentibus quẽadmodum & nobis, cum credidiſſemus in Dñm nr̃m Ieſum Chriſtũ, ego porro qs erã q poſſem obſiſtere deo? Simiraculo huius doni deus teſtat ſe agnoſcere gentes tanq; populũ ad Chriſtũ ſuum pertinentẽ, & nõ exigere circunciſionẽ ad conſequẽda beneficia Chriſti, ego ne aduerſus teſtimonium dei publicũ, priuata temeritate pronunciarẽ, ipſas non p̃tinere ad Chr̃m niſi circunciderent? Si Chriſtus abſq; circunciſione, ſuo tantũ baptiſmo, hoc eſt, mirabili dono ſpũſſancti recepit gentes, ut eſſent participes beneficiorũ q̃ per ip̃m a deo impetrata ſunt, egone exigerẽ circunciſionẽ & non recipere eas baptiſmo aquæ niſi circunciderent? Atq; hæc eſt Petri apologia plena efficaciſſimis argumẽtis, quib⁹ probat iuſtum fuiſſe ut gentes etiã abſq; circunciſiõe reciperent in cõmunionem Euãgelij, plena itẽ manſuetudine ac modeſtia. Vnde moroſuli fratres his auditis obticuerunt & glorificauerunt deũ dicentes. Igit & gentibus deus pœnitentiã cõceſſit ad uitã. Recte dictum eſt p̃ Salomonẽ, Mollis reſponſio frãgit irã. Quia. n. Petrus factum ſuum ita argumentis defendit, ut interim nõ obliuiſcat comitatis & modeſtiæ, non ſolum frangit moroſitatem eorũ qui aduerſus ip̃m diſceptabant, ſed efficit etiam ut glorificent deum (quanq; nonnulli poſtea maiorem contentionẽ de eadem re excitant) & diuinam clementiã cõmendent, q; deus non ſolum Iudęos circunciſos, ſed etiam gentes incircunciſas in cõmunionem beneficiorũ Chriſti aſſumpſerit, ut & hæ per pœnitentiã, hoc eſt, agnitionẽ peccatorũ & fidẽ in Ieſum Chriſtum habeant remiſſionem peccatorũ & uitam ſempiternã. Iam ſi Iudæi glorificauerunt deum q; gentes aſſumpſerit, quanto magis nos qui incircunciſæ gentes ſumus, & q̃bus iſtud quicqd eſt bñficij Ieſu Chr̃i cõtigit, deũ glorificare debemus: Qua. n. ulla alia re potuiſſet Dñs deus noſter clementiã ſuam manifeſtius declarare, & quod

Baptiſmus Ioannis.

maius

maius beneficiũ nobis contigisset q̃ p̃ abs̃q; operibus aut meritis siue circuncisionis siue sacrificior̃ legaliũ, siue alterius cuiuscunq; iustitiæ humanæ recepti sumus prorsus gratis in gratiã Dñi dei nostri p̃ solã fidẽ in Iesum Christũ, propter quẽ reputamur in conspectu dei ita iusti ac sancti, ut p̃ ipsum deus nos p̃ filijs & hæredibus oĩum suor̃ bonor̃ agnoscat. Quid ergo retribuemus Dño p̃ oĩbus quæ retribuit nobis: Non requrit deus uel holocautomata, uel uitulos anniculos, sed requirit obedientiã Verbi sui. Quare omni studio enitamur, ut p̃ obedientiã nos gratos deo exhibeamus, quo optatis bonis potiamur p̃ Iesum Christũ Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spũ sancto deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA LIII.

AVdiuimus Apologiã Petri, in qua ostẽdit Petrus se nõ diuinis solum oraculis & mandatis, uerũ etiam miraculis admonitum ad recipiendas gentes in cõmunionem Euãgelij. Audiamus nũc quanto incremento in alijs locis Ecclesia Christi tam inter Iudeos q̃ inter gentes aucta sit. Et illi quidẽ (inquit Lucas) qui dispersi fuerant ex afflictione quæ orta fuerat ob Stephanũ, p̃ambulauerunt usq; ad Phœnicem & Cyprum & Antiochiã, nemini loquentes sermonẽ illum nisi solis Iudeis. Erãt aũt quidã ex eis uiri Cyprij & Cyrenenses, qui cũ introijssent Antiochiã, loquebant̃ ad Græcos prædicantes Dñm Iesum. Et erat manus Dñi cum eis, multusq; numerus credentiũ cõuersus est ad Dñm. Nec ociosum nec superuacaneũ est q̃ iterũ fit mentio p̃secutionis ob Stephanũ ortę. Etenim cũ huius afflictionis occasione ecclesia mir̃ in modũ in Phœnicia, Cypria & Antiochia aucta sit, nõ ex Iudæis tantũ, sed etiã ex gentibus, iter̃ nobis significat̃, nullã calamitatẽ tam magnam posse populo dei accidere, quæ nõ sit causa alicui⁹ maioris boni, quod Dñs p̃ calamitatem p̃ficit. Atq; adeo nõ est fere ulla res quæ nobis tũ sententijs, tum exẽplis in scriptura frequentius inculcat̃, q̃ q̃ oĩs afflictio populo dei adiumento sit, nõ in malũ sed in bonũ. Et oĩno necesse est ut hoc sine intermissiõe nobis inculcet̃. Nostra em̃ natura eiuscemodi ingenio prædita sumus, ut q̃ primum orit̃ afflictio, seu aduersitas, mox aĩum despondeamus, & siquidẽ spoliamur diuitijs, putamus cõtinuo nos ad saccũ mendicitatis adactos & fame perituros. Si aũt in exiliũ eijcimur, opinamur nullam aliã esse regionẽ quæ nos patria beneuolentia cõplectatur. Si mors imminet, existimamus mortẽ esse nostram extremam internitionẽ. Breuiter, nulla tam parua, nulla tã magna calamitas nobis accidit, quã non sinistro oculo aspiciamus, timentes ne nobis magnũ exitiũ afferat. Proinde ualde necessarium est, ut rõnem afflictionum probe cognitam habeamus. Docemur aũt exemplo p̃secutionis ob Stephanũ ortæ, q̃ quemadmodum Dñs deus noster eam persecutionẽ fieri p̃misit in Hierusalẽ, non ut uel credẽtes Euangelio perirẽt, uel ipsum Euangelion extingueret̃, sed qui e Hierusalẽ eijcerent̃, in alijs regionibus maiori ueneratione exciperent̃, & Euãgelion multo latius spargeretur. Primũ. n. Samariã inuasit Euangelion, deinde Palæstinã & Cæsaream. Nunc aũt dicit̃ peruenisse in Phœnicẽ, Cyprũ & Antiochiã. Quid admirabilius dici põt: Euangelion ex una ciuitate eijciebat̃, & pro una ciuitate a multis, nõ dico iam ciuitatibus tantũ, sed etiã maximis regionibus excipit̃, & q̃ dispersi a Hierusalẽ patria sua fuerant, tot patrias inueniunt quot regiones Christũ agnoscũt. Quemadmodũ igit̃ (inquam) hæc persecutio maior̃ bonor̃ quæ ex ipsa prouenerũt, autor fuit, ita quæuis afflictio maxima secũ cõmoda affert. Vnde ait Dñs in Esaia. Ad punctũ in modico dereliq̃ te, & in miserationibus magnis cõgregabo te, In momẽto indignationis abscondi faciẽ meã parump̃ a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Et mox: Mõtes cõmouebũtur & colles contremiscẽt, misericordia aũt mea nõ recedet a te, & fœdus pacis meæ nõ mouebit̃, di-

Afflictio quã-ti boni causa sit.

cit miſerator tuus Dominus. Huc accedit Abacuc. Cum iratus (inquiens) fueris, miſericordiæ recordaberis. Nec illud abhorret quod per Ieremiã dicit. Ego ſcio, inquit Dominus, cogitationes quas cogito ſuper uos, cogitationes pacis & non afflictionis, ut dem uobis finem & fiduciam & inuocabitis me & uiuetis. Sed cui populo hoc datur ut fœliciter ei ſuccedat afflictio? profecto non cuiuis, ſed populo Dei, ſeu Eccleſiæ Chriſti. Nam qui non ſunt ex populo dei, his afflictio huius ſæculi non eſt finis miſeriarum & initium ſalutis, ſed finis ſalutis & initium perpetuarum miſeriarum. Proinde omni ſtudio enitẽdum eſt, ut ſimus in catalogo populi Dei, quo afflictiones in nobis fiant miſeriarum fines & ſalutis initia. Tunc autem ſumus populus Dei, non quando extrinſecus tantũ in Eccleſia populi dei uerſamur, ſed quãdo credimus in Ieſum Chriſtum, ꝙ per ipſum habeamus remiſſionem peccatorum ſeu iuſticiam, & ſic fide iuſtificati in nouita te uitæ ambulemus. Sed ut redeamus ad hiſtoriam Eccleſiæ in Phœnicia, Cypria & Antiochia auctæ, obſerua tunc ab initio uarias fuiſſe opiniones inter eos qui Euangelion adnunciabant. Alij enim ſolis tantum Iudæis prædicabant Ieſum Chriſtum, ſentientes neminem ad communionem Euangelij recipiendum niſi circunciſum & legem Moſi agnoſcentem, ſiquidem Chriſtus Iudæis promiſſus erat, putabant igitur eum ad Iudæos tantum pertinere. Alij autem, ut Cyprij quidam & Cyrenenſes, non Iudæis tantum, ſed & Græcis, hoc eſt, gentibus in circunciſis (ſic enim Paulus gentes uocat) Chriſtum prædicabant. Porro hæc opinionum diſſenſio initio parui admodum momẽti fuit, & nihil periculi afferre uidebatur, utrinꝙ enim tam inter Iudæos ꝙ inter gentes magnus numerus diuina potentia ad Dominum conuertebatur, ſed poſtea exardeſcentibus ſtudijs, & quibuſdam præfracte docentibus: niſi circuncidamini ſecundũ morem Moſi, non poteſtis ſalui eſſe, in tantam ſeditionem erupit, ut Apoſtolis magnũ negocium exhibuerit, donec eã contentionẽ publico concilio ſopirent. Paulus quoꝙ hanc quæſtionem in omnibus fere ſuis epiſtolis tractat, ut intelligas hanc contentionem maximũ in Eccleſia motum excitaſſe. Proinde nõ in doctrina tm̃ Eccleſiaſtica, ſed in omnibus rebus ciuilibus principio cauẽdum eſt, ne uel leuiſſime uerbis contendamus, ueritas enim contendendo non inuenitur ſed amittitur, & contẽtio ſemper parit contentionẽ, ac pugna pugnam, ex quibus deinceps naſcitur (quẽadmodum Paulus ait) inuidia, maledicẽtia & ſuſpiciones malæ, interim & ſeditiones, cædes ac homicidia. Hęc aũt omnia priuſꝙ diſſenſio in contentionem erumpat, charitate operiuntur. Vnde poſtꝙ Apoſtoli Hieroſolymis audierunt incrementum Eccleſiarꝝ apud exteras nationes, non fouẽt diſſentiones, ſed quantum poſſunt diſſimulant & hoc ſolũ curant, ut qui crediderunt in Chriſtũ, perſeuerent in Chriſto. Sic eñ ſequitur: Peruenit autẽ rumor ad aures Eccl'iæ quæ erat Hieroſolymis ſup his, & miſerunt Barnabã ut iret Antiochiã. Propter quã cauſam? profecto non ut gliſcentẽ contentionẽ aleret, ſed diſſimulata diſſenſione ad perſeuerantiam eos qui crediderant adhortaretur. Qui cũ peruenĩſſet & uidiſſet gratiã dei, gauiſus eſt, & hortabaꝫ oẽs ut propoſito cordis pſeuerarẽt adhærere Dño. Nã erat uir bonus ac plenus ſpũ ſancto & fidei. Audis Barnabã credentes tam ex Iudæis ꝙ ex Græcis ad pſeuerãtiam nõ ad circunciſionẽ exhortatum eſſe. Non. n. ſufficit bene incipere, niſi etiã ad finem uſꝙ pſeueraueris. Iudas bene cœpit, ſed quia nõ pſeuerauit, bono initio nihil eſt adiutus. Perſeurandum autem eſt, non in errore, ſed in ueritate. Quæ autem alia eſt ueritas, ꝙ ꝙ non circunciſio, non ſacrificia legis, ſed ſolus Ieſus Chriſtus ſit ſatisfactio pro peccatis, & emundatio omnium ſordium conſcientiarꝝ. Itaꝙ qui uerę ſalutis cupidus eſt, neceſſe habet in hac ueritate pꝑ dñm conſtare. Sequit: Et addita eſt multa turba Dño. Profectus eſt aũt Barnabas Tarſum ut quęreret Saulũ, quem cum inueniſſet,

Variæ opiniones ab initio inter eos qui Euangelion docebãt.

Contentio in eccleſia quantum malum.

nisset, perduxit Antiochiam. Accidit autem ut annum totum consuetudinem
agerent cum ea congregatione, docerentq; turbam multam, & discipuli cogno-
minarentur primum Antiochiæ Christiani. Valde obseruãdum est cognomen
nostrum q uocamur Christiani. Etenim si nec capillus capitis nostri sine uolun
tate patris cadit, & nec Abrahamo nec Saræ nomina fortuito mutata sunt, nec
duodecim patriarchis nec Samueli, nec Iohanni Baptistæ nomina sua casu im-
posita sunt, quanto minus Ecclesia credentium in Christum, nomine Christiani
temere uocitata est. Nam cum illi antea cognominarẽtur ab aduersarijs quidem
noui sectarij, a suis autem partim Apostoli, Euãgelistæ & Diaconi, partim disci-
puli, nunc in Antiochia incipiunt diuina uoluntate uocari Christiani. Quod co-
gnomen ut est amplissimum & plenissimum consolatione in omnibus aduersis,
ita plurimum ualet in exhortando ad nouitatem uitæ. Nam quod Hebræis est
Messias, hoc Græcis est Christus, Latinis autem, si ad uerbum interpreteris, un-
ctus, si ad sensum, rex. Vnde quemadmodum a Messia dici posset Messiacus, ita
a Christo dicitur Christianus, quod est si sententiam spectes, regalis seu regius.
Cognominamur igitur regij a rege nostro Domino Iesu Christo, non sicut serui
aut mancipia regum huius sæculi esse solent, sed sicut amici ac fratres regum. In
ter regem enim & fratres ac amicos eius omnia sunt communia, multo autem
magis hoc inter Christum & Christianos uerum est, siquidem Christiani non so
lum sunt per fidem amici & fratres, uerumetiam membra regis sui Christi. Qua-
re sicut Christus est filius, Dominus cœli & terræ, iustus, bonus, fœlix, deniq; hæ
res & possessor omnium diuinorum bonorum, ita omnes uere Christiani sunt
per Christum filij Dei adoptatione, domini cœli & terræ, iusti, boni, fœlices, hæ
redes, ac possessores omnium bonorum Dei. Igitur si quis tractatur tanquam fi-
lius Satanæ, memor sit cognomenti sui, & certo sciat se filium Dei esse. Si quis
uideatur destitui omnibus rebus, tam cœlestibus q̃ terrestribus, ad cognomen su
um recurrat, & ex eo conscientiam aduersus omnes afflictiones confirmet. Po-
stremo, si cui peccata perpetuam damnationem & exhæredationem minantur,
recordetur cognominis sui, ut confirmata ex illo fide, iusticiam suam, quæ est re
missio peccatorum in Christo uideat. Deinde, si Christiani, hoc est, regij sumus,
maxime omnium decet, ut non seruiamus sordidam seruitutem, sed liberam ac
plane regiam uitam ducamus. Iam ut non est crudelior tyrannus q̃ Satan, ita nõ
est fœdior seruitus q̃ seruire Satanæ, seruit autem Satanæ quisquis peccato ser-
uit. Contra non est clementior rex q̃ Christus, unde qui Christo seruit, non ser-
uit, sed dominatur, sed regem agit. Proinde nihil magis conuenit Christiano no
mini q̃ ut fugiamus Satanæ seruitutem, & sectemur regiam Christi uitam, id q̃d
nõ aliud est q̃ libere in iusticia & pietate ambulare. Et hactenus quidem de eo, q
discipuli primum in Antiochia Christiani uocati sunt, quod cognomen usq; in
hodiernum diem durat. Nunc autem uideamus quæ de fame sequuntur. In his
autem diebus superuenerũt ab urbe Hierosolymorum prophetæ Antiochiam,
surgens q̃ unus ex eis Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futu-
ram in toto terrarum orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare. Primum obser-
uandum est, q̃ clarissimis donis Ecclesiam Christi Dominus Deus noster ab ini
tio exornauerit ac uenerabilem fecerit, non enim solum Apostolos dedit, sed &
prophetas, non quidem uulgares aut generales, quemadmodum omnes Christia
nos prophetas esse oportet, uidelicet, præscire impiorum supplicium, piorum ue
ro fœlicitatem, aliaq; id genus quæ ex promissionibus ac minis Dei generalibus
per fidem futura præsciuntur, sed speciales prophetas, qui ex priuatis reuelatio
nibus futura prædicebant, quemadmodum Esaias de conualescentia Hiskiæ,
Ieremias de deuastatione Hierusalem, & reditu post septuaginta annos, Daniel

Christianorũ nomẽ primũ in Antiochia cepisse.

Quantis donis Deus Ecclesiam suam exornarit.

de diuersis regnis in orbe terrarum futuris, & alij prophetæ uaticinati sunt. Atq; hoc illud est quod Paulus ad Corinthios scribens ait: Alios quidem posuit deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera liguarum. Hic est enim uestitus ille deauratus, de quo in psalmo canitur: Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato circundata uarietate. Cæterum inter prophetas Ecclesiæ quidam Agabus nomine, prædixit ex reuelatione spiritus sancti famem ingentem futuram, quæ & postea iuxta uaticinium eius sub Claudio Cæsare contigit, memorabilis prorsus fames non solum in sacris literis, sed etiam in prophanis scriptoribus. Iosephus scribit regnante Claudio apud Romanos, & Ismaële apud Iudæos pontificatum administrante, tantam famem ortam esse, ut quatuor drachmis uenderetur assarium. Fortassis hæc quoq; fames illa est cuius meminit Tranquillus Ethnicus scriptor: Arctiore, inquiens, annona ob assiduas sterilitates, Claudius detentus quondam medio foro a turba, conuicijsq; ac simul fragminibus panis ita instratus, ut ægre, nec nisi postico euadere in palatium ualuerit. Porro autem publicam famem esse uulgare impietatis supplicium, & cur etiam pij una cum impijs famis duricia affligantur, non est huius loci differere. Id modo obseruandum est, quid Discipuli, qui nunc Christiani uocabantur, audito futuræ famis uaticinio fecerint. Sequitur: Discipuli autem prout cui quisq; suppetebat, proposuerunt in subsidium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabæ ac Sauli. Audis longe alia consilia fuisse pijs, ad præparandum se in futuram famem, quæ auaris esse soleant. Etenim auari, si quando ex nugacibus illis astrologorum prognosticis futuram famem somniant, mirum, quanto æstu, quanto astu, quanta uehementia, quantis impostoris frumenta & uina in suas domos inferant, congregent & coaceruent, non ut ueniente fame paupes iuuent, sed ut merces suas carissime extrudant, ut ex alienis malis ditescant, ut alijs tantum non fame pereuntibus, ipsi in summo luxu uiuant. Breuiter, ut conterant pauperes, & faciant desicere egenos terræ, dicentes iuxta prophetam: Quando transibit Neomenia & uenundabimus merces & Sabbatum, & aperiemus frumẽtum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus argento egenos & pauperes pro calciamentis, & quisquilias pro frumento uendamus. Quid autem his auarorum consilijs magis impium dici potest: Frumenta igitur & uina illorum cum ipsis sint in perditionẽ, aut quod est ipsis multo conducibilius, resipiscant ab ista malicia & rogent Deum, si forte remittantur eis cogitationes cordium ipsorum. Sed quæ sunt Discipulorum consilia, postquam e propheta Agabo acceperunt ingentem famem futuram, non proponunt se multas diuitias congregaturos, sed in subsidium missuros, prout cuiq; suppetebat, fratribus habitantibus in Iudæa. Hoc demum pium & Christianum propositum est, non uelle in publica fame opibus congregandis studere, sed uelle pauperes pro uirili iuuare. Ac quod proponebãt discipuli in animo suo, id ipsum re præstabant, mittentes subsidium ad seniores qui in Iudæa in Christum crediderant, per manum Barnabæ & Sauli. Christiani enim qui in Iudæa uiuebant, non solum publica fame premebantur, sed etiam spoliati erant bonis suis in persecutionibus pontificum, duplici igitur nomine debebatur eis subsidium. Porro autem quam fideliter Saulus, qui & Paulus, hoc ministerio functus sit, uidelicet, ut subsidia ab externis exhiberentur Christianis in Iudæa habitantibus, satis dilucide testantur Epistolæ eius ad Romanos & ad Corinthios, nunc enim hortatur illos rationibus, nunc scripturis, nunc exemplis Macedonum & Achæorum, ut si Iudæi ipsis communicauerint spiritualia, non grauentur

Memorabilis fames sub Claudio Cæsare.

Piorum consilia tempore famis.

uentur uicissim illis ministrare carnalia. Sed hæc omnia in epistolis Pauli manifestius habentur, quàm ut hic recenseri debeant. Proinde finem dicendi nunc facientes admonemus uos dilectissimi, ut exemplum horum discipulorum ex fide imitemini, & uestra copia pauperum inopiæ succurrat, ut exuberetis in omne opus bonum, quemadmodum scriptum est. Dispersit dedit pauperibus iusticia eius manet in seculum seculi, per Iesum Christum Dominum nostrum qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

CAPVT DVODECIMVM.

HOMILIA LIIII.



Vi rationem rerum humanarum tempestati Aprilis aut Euripo comparauit, is mihi uarietatem earum probe perspexisse uidetur. Nam in mense Aprili nulla propemodum hora æquabili tempestate constat, nunc enim solis splendor emicat, nunc rursus nubibus obducitur, nunc pluit, mox ningit. Euripus mare subinde fluit ac refluit, ita humanæ res in uariis & alternis iactantur casibus, ut nihil durabile, nihil perpetuum in eis reperias. Quod cũ multa alia, tum potissimum status Ecclesiæ recens ortæ perspicue demonstrat. Christus enim ab initio suæ prædicationis satis feliciter usq; ad passionẽ suam uitam transigebat. Sed hæc serenitas statim mutatur in fulgura & tonitrua. Capitur enim Christus, crucifigitur & occiditur. Sed hæc tonitrua mox transeunt, & redit serenitas, resurgit enim Christus, ascendit in cœlos, & mittit discipulis spiritum sanctum, quo Iudæis ita formidabiles reddantur, ut nullam plane uim audeant Christum confitentibus inferre. Sed hanc serenitatem excipit confestim ingens grando. Stephanus enim comprehenditur & lapidatur, reliqui similiter partim trahebantur in custodiam, partim trucidabantur, partim in exilium eiiciebantur. Sed quo maior huius aduersæ tempestatis infelicitas erat, eo maior prosperioris fortunæ felicitas sequitur, nam & Samaria recipit Euangelion, & Saulus maximus Ecclesiæ persecutor agnoscit Christum, & Damascus, Lydda, Ioppe, aliæq; multæ urbes subscribunt uerbo Dñi. Postremo quod erat longe omniũ maximũ, gentes incircumcisæ tradunt se in obsequiũ Christi, atq; adeo tm promouet felicitas Ecclesiæ, ut credẽtes in Christũ, iam uelut publicus qdam populus aut natio propriũ nomen in Antiochia adipiscanẽ, & Christiani uocentur. At cũ in rebus humanis nihil sit durabile, hunc claræ solis splendorẽ excipit obscura admodũ nubecula, nõ quidem ut solis splendor extinguatur, sed ut multo clarius reuocet. De persecutione aũt loquor, quæ orta est post assumptionem gentiũ à rege Herode, de qua Lucas ita scribit. Eodem aũt tempore iniecit Herodes rex (cognomine Agrippa, filius Aristobuli, qui à Claudio impetrauit, ut esset rex Samariæ & Iudææ) manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit aũt Iacobũ fratrẽ Ioannis gladio. Vide post quantã serenitatẽ quanta tẽpestas. Christiana religio uidebaẽ post Stephani mortẽ, in uniuersum orbẽ, non Iudæorũ solum, sed etiam gentium peruentura, tm incrementum breuissimo tempore accepit. Sed ecce præter oẽm expectationem exoriẽ obstaculũ, quo cursus Euangelii prorsus impediri uidebaẽ. Non.n. iam pontifices & præsides non iã Pharisæi & sacrificuli inermes, sed potentissimus rex Ecclesiam persequiẽ. Nec Stephanos, hoc est, Diaconos ac priuatos homines cõprehendit & trucidat, sed iniicit manus in Apostolos, in eos qui erant Ecclesiæ fundamentũ & columnæ. Ac primũ quidem occidit gladio, Iacobum fratrẽ Ioannis, filium Zebedæi, à Christo filiũ tonitrui nominatum. Ex quo intelligitur hũc Apostolũ singulari præ aliis spiritu præditũ fuisse. Deinde, uidẽs Herodes, q̃ gratũ esset Iudæis, perrexit cõprehendere & Petrum. Erant aũt dies Azymorum, quem cũ etiam apprehendisset posuit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus

Ecclesia colata Euripo mari.

Iacobus filius tonitrui.

militum asseruandum, uolens post pascha producere eum populo. Quis nunc existimare posset Euangelion de Iesu CHRISTO longius duraturum, & Ecclesiam latius promoturam? Occiso enim Iacobo illo, cuius uerba non erant uerba sed tonitrua, omnibus aduersariis terrorem incutiente, & comprehenso Petro inter Apostolos primario, cui claues regni cœlorum, & oues Christi pascendæ commendatæ erant, quæ ulla erat spes incolumitatis Ecclesiæ? Neq; enim poterat humano ingenio liberatio Petri expectari, erat enim. captus à potentissimo Rege, & diligentissime custodiebatur in carcere, primũ duabus uinctus cathenis. Deinde duobus militibus prope accubantibus. Postremo quatuor militum quaternionibus, hoc est, sedecim militibus carcerem undiq; custodientibus & asseruantibus. Accedebat præterea, q; sententia mortis in eũ lata erat, nihilq; obstabat, quo minus perficeret quod decretũ fuit, præter dies Azymorum, in quib. nefas erat aliquẽ occidere. Scilicet impii Iudæi timebãt ne festos dies homicidio cõtamina rẽt, & non timebãt ne effundendo innoxiũ sanguinẽ seipsos ppetuæ damnationi obnoxios redderẽt. Atq; hoc uere illud est, qd Esaias dicit. Populus iste ore & labiis suis glorificat me, cor autẽ eius lõge est à me, & timuerũt me mandato hoim & doctrinis. Iã & illud oẽm spẽ liberatiois Petri discipulis adimebat, q; Christianoꝝ multitudo ibecillior erat, q̃ ut possit uiolentia Petrũ e carceribus eripere. Proinde quia Petro cõmissæ erant claues regni cœloꝝ, & oues Christi, uidebant claues unà cũ Petro amitti, & oues, Petro ablato, à lupis deuorari. Sed longe alius est respectus in oculis Dei q̃ in oculis hominũ. Videtur quidẽ hominibus Ecclesia & Euangelion peritura, Iacobo & Petro pereuntibus, at Dominus Deus noster in hac casus uarietate quiddam melius perspicit. Sanguis n. Iacobi gladio Herodis effusus irrigatio Ecclesiæ est, non exiccatio, propterea q; quemadmodũ Ecclesia plantata est sanguine Christi, ita irrigat sanguine martyꝝ, sic & captiuitas Petri, non est obscuratio nois Christi, sed magis illustratio, quo enim ille diligentius custodit, eo maiori miraculo liberatur, quo aũt mirabilior est liberatio eius, eo magis illustratur nomen liberatoris Dñi nostri Iesu Christi. Sed quid illud est q; Dominus conniuet ad mortẽ Iacobi, Petrũ uero miraculo quodam e carcere liberat? cur, n. non Iacobũ quoq; e manibus Herodis eripuit & incolumem seruauit? num quia non ita iustus ac probus fuit sicut Petrus? Nequaquam. Vt enim Deus in liberando nõ respexit Petri iustitiam, ita in cõniuendo non respexit Iacobi iniustitiã, nam si illos iuxta humanã naturam iudicaueris, ambo fuerunt peccatores maximi, alter peccauerat abnegatione, alter ambitione, dũ per matrem petiit à Christo ut in regno eius à dextris sedeat. Si aũt de ipsis iudices iuxta Christum in quẽ crediderunt, eadẽ fuit ipsorum iustitia, uidelicet remissio peccatoꝝ per Christũ. Quid ergo sibi uult Deus q; alteꝝ liberauit, alteri mortẽ inferri passus est? Principio nõ permisit Deus ut ambo Apostoli primarii unà occiderent ne Ecclesia supra quàm ferre posset tentaret, fidelis. n. est Deus, quemadmodũ Paulus ait, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus, sed facit unà cũ tentatione euentũ, quo possimus sufferre. Tentatio igit est q; Iacobus occidit, & Petrus capitur, sed euentus est, q; Petrus miro modo e uinculis liberat, & Ecclesiæ incolumis restituitur. Deinde q; alter occiditur alter liberatur, ubiuis declaratur maxima Dei potentia & clementia. Dominus enim non ideo dereliquit Iacobũ, quia cõniuit ad occisionẽ eius, sed quemadmodũ respexit Petrũ, & liberauit eum in carcere, ita respexit Iacobũ, & liberauit eum in media morte. Alioqui enim Dominus non respexisset Ioannem Baptistam, quando ab Herode trucidabat, nec respexisset Iesum Christum filium suum, quando crucifigebat, nec respexisset Stephanũ quando lapidabatur. Quia aũt respexit Iesum Christum filium suum in media morte, & eduxit eum per mortẽ ad uitam, respicit etiã omnes quotquot in Christo moriunt. Nam q; credentes in Christũ, nec in media morte derelinquat, sed uindicet eos (humanis oculis minime illud aspicientibus) in perpetuam ac beatã uitam, manifesto miraculo in Petro cõprobat. Sed priusquam modum liberationis eius tractemus, uideamus quid interim Christiani fecerint, Petro in carcere seruato. Quid enim putas eos fecisse? num parauerunt arma ad effringendos carceres? num acuerunt gladios ad inuadendum regem persecutorem? uum uirulenta conuitia in

Iacobus quare occisus & Petrus liberatus sit.

iecerunt

iecerunt in Herodem? num de incolumitate Ecclesiæ desperauerunt? Absit, nihil horum fecerũt, sed id quod sequitur. Petrus quidem seruabatur in carcere, cæterũ precatio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum p eo. Ecce hæc fuerunt arma, hi fuerunt gladii, quos Christiani pararunt ad liberandũ Apostolum suum Petrũ, uidelicet, oratio cõtinua ad Deum pro Petro. Est aũt orationis ex fide proficiscentis tanta energia, ut non solum nubes penetret, uerumetiam expugnat animum Dei. Decernebat quondam Deus se populũ Israel ob idololatriam deleturum, sed Mose Deum à decreto suo precibus reuocabat. Proponebat Deus se Israëlitas per Philistinos afflicturum sub Samuele, sed Samuel ariete orationis ad pectus diuinum admoto, ita animum Dei concutiebat, ut Deus mutata sententia Philistinos maximo tonitru disiiceret, & Israëlitas liberaret. Vnde præcipit DOMINVS, ut inuocetur, & promittit exauditionem. Inuoca me (inquit) in die tribulationis & eruam te & honorificabis me. Et alias similiter pollicetur repentinam exauditionem. Erit, inquiens, antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Porro expugnato Deo per orationem fidelem, deinceps facili labore expugnantur creaturæ, primũ Deo subditæ, deinde cõparantes se omnino ad habitũ Domini Dei sui. Quare haud magnopere admirandũ est, quod cũ preces discipulorũ cœlum recludere potuerint, etiam carcerem in quo Petrus captiuus detinebat recluserint, ac Petrũ libere eduxerint. Cum. n. productus ipsum esset Herodes, in ipsa nocte dormiebat Petrus inter duos milites, uinctus cathenis duabus, & custodes ante ostiũ custodiebant carcerẽ. Et ecce angelus Dñi astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoq; latere Petri, excitauit eum dicens. Surge uelociter. Et exciderunt cathenæ de manibus eius. Dixit aũt angelus ad eum. Præcingere & subliga soleas tuas, & fecit sic. Et dixit illi. Circumda tibi uestimentũ tuum & sequere me, & exiens sequebatur eum, & nesciebat q; uerum esset quod fiebat per angelũ sed putabat se uisum uidere. Cũ aũt præteriissent primã ac secundã custodiam, uenerũt ad portã ferreã, quæ ducit in ciuitatem, quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes p cesserũt uicũ unũ, & cõtinuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus dixit: Nunc scio uere, q; misit Dñs angelum suũ, & eripuerit me de manu Herodis, & ex oñi expectatione plebis Iudæorũ. Quamq; ut dixi, his qui nouerũt efficatiam fidelis orõnis, & potentiam Dñi Dei sui, nõ magnopere admirabile est, q; Petrus e carcerib. liberatus sit, t ñ rem ipsam extrinsecus cõsideranti multa simul eaq; maxia & stupenda miracula in hac liberatione occurrũt. Primũ. n. ingens miraculũ est, q; tot militib. carcerẽ custodientibus, & ianuis undiq; occlusis, angelus Domini, oĩbus insciis, aut potius pterrefactis astitit Petro in carcere, & splẽdore suo carcerem illuminauit. Atqui hoc ceu signaculo cõprobat & manifestat, tametsi carcer obscurate sua formidabilis sit, tñ credentibus in eũ p Iesum Christũ semper astant angeli Dei, & illuminant carcerem: si non externo splendore, certe tali splendore, quẽ oculi fidei uidere possunt. Cũ ipso sum, inquit Dñs, in tribulatiõe, eripiam eũ & glorificabo eũ. Et immittit Dominus angelũ in circuitu timentiũ eũ, & eripiet eos. Si quis igit captiuus in carcere oculis fidei has p missiones inspiciat, pfecto clarissimũ cœli lumen in obscurissimis carceris tenebris uidebit. Deinde nõ minus miraculũ est, q; ex una angeli percussiõe cathenæ de manibus Petri exciderũt. Quæ. n. ulla humana potentia tam efficax est, ut que at uno motu ferrea uincula disrumpere, & uinctũ libeq; redderet? At uoluit Deus hoc facto reuelare, quàm fragilia, quàm prorsus testacea & lutea sint oñia ferrea uincula corã ipso. Proinde semper cõfidendum est in Dominũ, etiam in mediis ferreis uinculis. Si enim Dominus uoluerit nos extrinsecus liberare, ferrea uincula lutea fiunt & diffiliunt, si aũt noluerit, certũ est ferrea illa uincula, si ea in fide tolerauerimus, fieri nobis organon ad ppetuam liberationem. Quid aũt dicam de iis miraculis, quæ mox sequunt, uidelicet, q; Petrus angelum comitans, carcerem firmissimis obicibus munitũ euadit? & q; cum præteriissent primam ac secundam custodiam, porta urbis ferrea, sua sponte patuerit, ac liberũ egressum angelo & Petro præbuerit? quid magis admirandum dici potest? Falluntur nõ solum custodes carceris, sed & uigiles urbis, & portæ sua sponte patent, ut Petrus libere exeat? Tam stupenda hæc sunt, ut nec Petro coram illa cernente, & per portas proficiscẽte, credibilia uidebantur. Nesciebat (inquit Lucas) uerum esse, quod fiebat per angelum, sed

Orationis energia.

putabat se uisum uidere. Quidé an nõ credebat Petrus Christũ tam potentem esse, ut quẽ ãt ipsum p angelũ mirabiliter liberare, quemadmodũ & antea e carceribus liberauerat? Certé credebat & maiora, nimiꝝ q Christus potens esset ipsum in media morte seruare, & per mortẽ in ppetuam uitã ducere, id quod multo maius ac potentius est, quàm clausas portas admirabiliter aperire, & per illas captiuum libeꝝ educere. At q Christus hoc tempore uellet ipsum tam stupendo coram oculis humanis modo e manibus inimicoꝝ suorum liberare, uix per somniũ ei in mentem ueniebat. Proinde cũ hæc corã sentiebat, mera somnia, & nugas existimabat. Declaraẽ aũt hoc facto, quàm ingens & inæstimabilis sit clementia diuina erga pios suos, tanta. n. beneficia ipsis confert, ut humano ingenio incredibilia uideaẽ. Vnde Paulus ait. Deus potest cumulate facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus. Et Esaias. A sæculo nõ audierũt, neq auribus perceperunt, oculus nõ uidit Deus, absq te, quæ præparasti expectantibus te. Postremo circũstantia illa liberatiois Petri potissimum obseruanda est, q ereptus sit e manibus Herodis, & ex omni expectatione plebis Iudaoꝝ, nõ statim cum carceri mancipatus esset, sed quum diu carceris squalores tulisset, q iam extrema nox esset, postq ad suppliciũ capitale, pducendus foret, adeoq liberatio eius præ foribus est, cũ altum somnium dormitaret, nihilq minus quàm liberationem cogitaret. Qua re declarauit Dñs, q tum maxime diuinum auxilium adsit, cum de omnibus humanis auxiliis desperatum est, & q tũ præcipue liberatio imminear, cũ maxime propinqua uideaẽ esse perditio. Confidamus igiẽ dilectissimi in Christo amici, in omnibus nostris periculis in clementiam Dei, & quo periculosius est discrimen, eo firmioré habeamus fidem, q Dominus clementia sua nos sit liberaturus. His. n. miraculis, qbus Petrum e carceribus liberauit, obstrinxit fidem suam, & ceu signaculo quodam cõfirmauit, q quo uicinior est interitus, eo propior sit salus eius, per DOMINVM nostrum Iesum Christum qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula Amen.

HOMILIA LV.



Quod Petro, amici in Christo dilectissimi, e carceribus admirabiliter egredienti accidit, hoc idẽ his discipulis accidit ad quos noctu post liberationem Petrus primũ diuertit. Audiuimus. n. egressum Petri e carcere tam inopinatum, tã admirabilem fuisse, ut nec Petro ueꝝ uideaẽ quod fiebat, sed putabat somniũ esse, aut se uisum uidere, ita cum Petrus pulsabat fores eius domus in qua multi discipuli ppter orationem cõgregati erant, tantus stupor omnes eos qui præsto adderant inuasit, ut pars ancillam Petri præsentiã nunciantem insanam uocarint, pars non Petrum, sed angelum eius uisibiliter apparentem existimaue rint, tñ abfuit ut Petrum tanta diligentia uinctum ac custoditum adesse crediderint. De qua re audiamus Lucam ita differentem. Re perpensa, uenit Petrus ad domum
» Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & oran
» tes. Præsentium. n. reꝝ calamitas cogebat pios, ut & noctu ad orationem in unam domũ conuenirent, nam eo tempe facies Ecclesiæ tam fœda erat, ut uidebatur prorsus peritura. Alter ex primariis Apostolis, nomine Iacobus, gladio ab Herode occisus erat. Alter, Petrus nomine, tam diligenter uinctus custodiebatur, ut nulla penitus spes liberationis emicaret. Proinde quod unum Christiani in tam afflictis rebus possunt, hoc agunt, ad orationem conueniunt, & precantur Dominum, ut si quidem ipse Ecclesiã suam supra firmam petram Iesum Christum filium suum fundauerit, nõ tantum licentiæ aduersariis permittat, ut ædificium Ecclesiæ excindant ac penitus deuastent. Immane quantum distent mores nostri à pietate illoꝝ, qui initio reuelati Christi Euangelio crediderunt. Hi. n. etiam nocturnos congressus habuerunt propter orationem, nos nec interdiu ad orandum, etiã si publicæ preces obseruentur, conuenimus, & noctu plerunq congregat nos non Christus, sed Bacchus. Hi in afflictionibus ad orationem uelut ad asylum festinauerunt, ex quo animaduertitur, quanta fidei constantia imminentem afflictionẽ exceperint, nos afflictionibus irruentibus festinamus ad execrationes & maledicta, quæ satis euidenti argumento indicant animum nostrum desperatione prorsus obrutum esse. Quid igitur fiet? cum illi ex

illi ex omnibus suis tribulationibus ita liberati sunt, ut per illas ad æternã salutem peruenerint, nos nõ solum in hoc sæculo affligemur, sed quæ nobis hic aduersa accidunt, ea tantum initia sunt doloꝝ, & parasceue ad sempiternam afflictionem. Iam si tibi displicet tam horribilis rerũ exitus, age resipisce, & postq̃ credideris peccata tua per Christũ tibi remissa esse, noli in afflictionibus ad execrationes & maledicta festinare, sed clama ad Dominũ, iacta cogitatũ tuũ in Dominum, & ipse te clementia sua liberabit, adeoq; tanta consolatione te uisitabit, ut præ rei nouitate obstupescas, id quod discipulis illis accidisse uidemus, qui Petro uincto, in oratione unà cõgregati erant. Sic enim sequitur. Cum pulsasset aũt Petrus ostiũ uestibuli, processit puella ut subauscultaret, nomine Rhode. Quid obsecro, hic Petri pulsus aliud discipulis congregatis ab initio erat, quàm afflictionis eoꝝ argumentũ? Nam cum primarii Apostoli partim occidebantur, partim captiui detinebantur, quid aliud discipulis quauis hora, quouis momento expectandum erat, quàm captiuitas, & capitale supplicium? Proinde uerisimile admodum est, q̃ ut Petrus fores pulsauit, ita multo uehementius corda eorum pulsauit, existimantium iam iam adesse carnificem cum lictoribus, ut ad unum omnes trucidentur. Reliquis igitur omnibus in summo timore & mortis expectatione tacite cõsidentibus, procedit puella exploratura, quis nam fores pulsauerit. Ecce aũt summus timor, in summum gaudium, extrema tristitia, in summã lætitiam repente mutatur. Petrus enim, Petrus ille inquàm, propter cuius captiuitatem potissimũ isti congregati erant, præter expectationem præsto adest. Vt ergo puella agnouit uocem Petri præ gaudio nõ aperuit uestibulum, sed introcurrens, renunciauit Petrum stare ante uestibulũ. Sed quõ illi hoc nuncium acceperunt? dixerunt ad eam. Insanis, illa aũt affirmabat sic se habere. At illi dicebant. Angelus eius est. Sciebant enim unicuiq; à Domino angelos in custodiam deputatos esse, iuxta illud: Angelis suis mandauit de te, ut custodiãt te in omnibus uiis suis. Vnde existimabant Angelum Petri uisibiliter apparere. Petrus aũtem perseuerabat pulsans. Cum aũt aperuissent, uiderunt eum & obstupuerunt. Iterum uides uerũ esse, quod Paulus scribit: Deus potest cumulate facere ultra omnia quæ petimus, aut cogitamus, iuxta uim agentẽ in nobis. Hi enim discipuli in domo Mariæ congregati, uix audebant in tantis afflictionibus petere, ut interfectis & captiuis Apostolis, Dominus ipsos à morte eriperet, & prædicationem nominis Iesu Christi interire non sineret. Vt aũtem Petrum liberaret e tam præsentanea morte, ne per somnium quidem cogitabant, & ut maxime illud optauerint, nulla tamen humana ratione sperare poterant. Sed tanta est clementia (de potentia enim nulla est controuersia) Domini Dei nostri, q̃ non solum ipsos à morte seruat, & Euangelion Iesu Christi defendit, sed restituit etiam ipsum Petrum incolumem & liberum. Quid potest hac clementia dici benignius? Hanc autem uirtutem Deo inesse, multa etiam alia exempla cõprobant. Abraham petebat tantum, ut Ismael uiueret coram Deo, nõ ausus sperare prolem e Sara nonagenaria. Sed ut Deus indicaret se piis præstare ultra omnia quæ cogitant, dat ei filium Isaac e Sara, cuius semen multiplicatum postea est sicut stellæ cœli & arena maris. Iacob hoc tantũ ambiebat, ut amissum olim filium suum Ioseph, adhuc superstitem uideret, at Deus illud etiam ei præstitit, ut non solum superstitem filium, sed & principem ipsum in Aegypto uiderit. Quin & Ioseph carceri traditus, uix audebat sperare liberationem e carcere, sed Dominus demonstraturus se præstare piis ultra omnia quæ cogitant, nõ solum liberauit eum e cãrceribus, sed etiam fecit eum principem in regno Aegypti. Quid dicam de Dauide, qui in exilium à Saule iectus, uix cogitare audebat, ut in patriam suam priuatus reuerteretur, Dominus autem effecit, ut non solum rediret ab exilio in patriam, sed etiam ut omnium Israelitarum rex fieret. Dies me deficeret, si pergerem omnia scripturæ exempla enumerare, quibus Deus cõprobauit, se hac uirtute præditum esse, q̃ præstet populo suo ultra omnia, quæ iuxta humanas suas rationes cogitent aut petant. Ex omnibus enim exemplis, hoc unum modo nobis sufficiat, quod Dominus exhibuit in Petro & discipulis pro Petro sollicitis. Vnde & Petrus, non solum commendat illud fratribus qui præsto aderant, sed etiam monet, ut nuncietur Iacobo, non illi filio Zebedæi fratre Iohannis, qui ab Herode occisus erat, sed

Omnia cumulatissime pijs à Deo præstari.

filio Alphæi, dicto fratre DOMINI, de quo & postea, & aliis fratribus. Sic enim sequitur:
5 Cum autem innuisset eis mota manu ut tacerent, narrauit illis quomodo DOMINVS
" eduxisset ipsum e carcere. Dixit autem: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Non enim hac
" de causa narrat Petrus miraculum & narrari petit, ut suum nomen celebre reddatur, quip
pe qui sciat liberationem illam, non obuenisse ipsi sua industria aut iusticia, sed ut
nomen diuinæ clementiæ & potentiæ omnibus commendetur, & ut omnes gentes
sciant, quàm prope sit DOMINVS omnibus extrema necessitate laborantibus, &
ipsum in ueritate inuocantib. per Iesum Christum. Huc adde, q & ob hanc causam pe
tit, ut miraculum istud fratribus adnuncietur, nimirum, ut illi ex ipsius liberatione conso
lationẽ accipiant in mœrore suo, quo propter mortẽ Iacobi filii Zebedæi, & ipsius capti
" uitatem affecti fuerunt. Sic enim decet, ut amici non solum aduersa, sed & prospera com
" munia habeant. Cæterum postquam Petrus liberationis suæ miraculum discipulis narra
uit, egressus abiit in alium locum. Quanquam enim hoc non iusserat angelus expressis
uerbis, tamen quia mox euanuit, postquam Petrum e carcere liberauit, & per portam fer
ream ciuitatis eduxit, manifeste significauit Petro, ut sese in alium locum proripiat, & o
peram det, ne illic manendo DEVM tentet. Et de liberatione quidem Petri hactenus,
5 nunc autem uideamus, quid de custodibus carcerem seruantibus acciderit. Porro ubi di
" luxit, erat turbatio non parua inter milites, quid nam accidisset Petro. Herodes autem
" cum requisisset eum, nec inuenisset, examinatis custodibus iussit eos adduci. Quæ est hæc
inquis, iusticia, q Deus sic liberat Petrum, ut interim obiiciat supplicio milites carceris
custodes, cum tamen nulla ipsorum culpa aut negligentia Petrus euaserat? Cur igitur
conniuet, ut quod ad hanc causam attinet, innocentes plectantur? Primum enim milites,
non inuento Petro, inter se inuicem turbantur, sibiipsis animo suo præsagientes, quæ sup
plicia ob euasionem Petri ipsos maneant. Deinde, examinantur & torquentur ab He
rode, ut dicant, num ipsi Petrum libere dimiserint. Postremo iubentur duci, uel ad car
ceres uel ad capitale supplicium, ut corpore suo luant quod in Petrum decretum erat.
Atqui haud quaquam sentiendum est, uel DEVM iniustum iudicem, uel hos milites
innocentes fuisse. Quanquam non erat militum culpa q Petrus euasisset, tamen hoc
ipsum maxima culpa erat q milites impium regem sua custodia adiuuabant, ut in
nocens Petrus interficeretur. Seruus quidem Domini iuxta carnem iniusta & iniqua
ab impio domino ferre debet, at nunquam committere debet ut ad uoluntatem domi
ni sui carnalis impia faciat, & impietatis eius adiutor aut executor sit. Iniusta, n. pati non
est malum, iniusta autem facere, hoc demum malum est. Proinde iusto DEI iudicio fit,
q hi custodes plectantur, ab Herode quidem iniuste, propterea quod nulla ipsorum cul
pa Petrus euaserat, sed in conspectu DEI iustissime. Dispensatione autem diuina sic
puniuntur. Primum ut DOMINVS DEVS noster hoc exemplo declaret, supplicium
quod meditantur impii in pios, in caput impiorum redundaturum & pios ex omnibus
afflictionibus liberandos. Sic quod machinatus est Saul in Dauidem, in suum ipsius ca
put incidit. Sic uiri Persæ Danielem leonibus obiicientes, à leonibus deuorati sunt.
Sic Aman in eo patibulo quod parauerat Mardochæo, pependit. Innumera sunt id ge
nus exempla, quibus DEVS manifestauit, q impii incidant in foueam quam faciunt
ad capiendos pios, & suo gladio, quo aliis mortem minantur, pereant. Deinde tor
quentur custodes, & ducuntur ad supplicia, opinione quidem regis, ueluti neglectores
aut potius authores, q Petrus elapsus esset e custodia, consilio autem DOMINI DEI no
stri, ut horum tortura & supplicio miraculum in Petro gestum magis illustretur,
& testimonio aduersariorum comprobetur. Examinati enim custodes, nihil aliud con
fitebantur, quàm id quod res erat, uidelicet, Petrum nec ignauia, nec auxilio ipsorum,
sed diuina potentia elapsum esse, quæ res efficit ut fama huius miraculi quàm latissime
spargeretur. Ad quem etiam modum custodes ad sepulchrum Iesu Christi à Phariseis
adhibiti, magis testes fuerunt resurrectionis, quàm quod resurrectionem impedire potu
erint. DOMINVS enim DEVS noster tam industrius, tam ingeniosus artifex est, ut
sciat impiorum ministerio, præter ipsorum uoluntatem, in nominis sui gloriam uti, &

Quod iuste puniantur custodes.

efficere

efficere, ut qui uideantur nomini ſuo maxime nocere, hi maieſtati nominis ſui maximam utilitatem afferant. Exempla ſunt, Pharao, gentes Cananeæ, Pontifices & Phariſæi, aliiq; multi, de quibus malo nunc tacere, quàm pauca dicere. Indicare autem illa breuibus uolui, ut eſſent nobis admonitio, ad ſufferenda patienter aduerſa. Quæ enim nobis aduerſa uidentur, ea diſpenſatione diuina fiunt nobis maxime proſpera & commoda, ſi modo in fide Ieſu Chriſti ea perferamus. Sed ſi cuſtodes non impune coram Deo tulerunt, q impium regem in trucidandis piis adiuuerint, quid ipſum regem, authorem & mandatorem crudelitatis pati æquum eſt? Quia igitur in liberatione Petri audiuimus exemplum egregiæ clementiæ Dei erga pios, audiamus nunc in ſupplicio Herodi illato, ſeueriſſimum iræ exemplum in impios uerbi Dei perſecutores. De Herode enim ita ſequitur: Deſcendens q à Iudæa Cæſaream, ibi commoratus eſt: Non ſtatim infertur impio ſupplicium, diuina.n. ira lento gradu procedit, ſed tarditatem grauitate compenſat. Erat autem Herodes infenſus Tyriis & Sidoniis. Quam ob cauſam? fortaſſis ob nullam aliam, niſi ob uicinitatem. Nunquam enim fere bene conuenire ſolet inter finitimos magiſtratus. Dum enim quis ſtudet fines imperii ſui proferre, mauult etiam quiſq; commodum uicinum quàm aliquam terræ aut iuriſdictionis portionem amittere. Cæterum hæ inimiciciæ nimis damnoſæ erant Tyriis & Sydoniis. Vno ergo animo uenerũt ad Herodẽ & perſuaſo Blaſto, q præerat cubiculo regis, petebãt pacẽ, eo q alerẽt regio ipſoq; ex regno Herodis. Audis quæ res cogat interdum uicinos, uelint nolint pacẽ habere? nimiq; uenter. Alia.n. regio alterius auxilio eget, & quod alteri in rebus neceſſariis deeſt, altera ſupplet, alioqui nunq; non bella eſſent inter finitimos magiſtratus. Noſtrum aũt erit, ut non ob uentrẽ, quemadmodũ Ethnici, pacem cum finitimis regionibus habeamus, ſed ꝓpter Ieſum Chriſtum Dñm noſtrũ. Is.n. prior nos ita dilexit, ut ſuã ipſius uitã pro nobis expoſuerit. Vt igit nos gratos Chriſto oſtendamus, proximus ſic diligendus eſt, quemadmodũ Chriſtus nos dilexit. Sed de Herode pgemus. Statuto.n. die (fortaſſis eo die quo pacificatio inter ipſum & Tyros ac Sidonios ſuſcepta erat) Herodes ueſtitus ueſte regia, ſedit ꝓ tribunali & concionabatur ad eos, populus aũt clamabat, uox Dei & nõ hominis. Confeſtim aũt percuſſit eum angelus Dñi, eo quod nõ dediſſet gloriam Deo, & eroſus à uermibus expirauit. Audis iram Dei ſeram qdem, ſed haud leuẽ eſſe. Priuſq; aũt explicemus genus ſuppliciĩ, quo Herodes diuinitus affectus eſt, cõgeramus in aceruũ impia Herodis ſcelera, quæ hoc capite cõmemorantur. Primum n. perſequit eccleſiã Chriſti, & occidit gladio Iacobũ Apoſtolum, quod qd aliud eſt, quàm ipſum Chriſtũ perſequi & bellũ aduerſus Deũ gerere? Quantum aũt hoc ſit crimen quis ſatis explicare poſſet? Deinde quo gratificẽt Iudæis etiã Petrũ cõprehendit, ut ipſum trucidet. Quàm ingẽs, obſecro, ſcelus eſt, ad captandũ impioꝝ fauorẽ, pium & innocentẽ uelle trucidare? Eſt & hæc crudelitatis ſpecies, q cuſtodes, ſine quoꝝ culpa Petrus e carcere euaſerat, torquet & ſupplicio afficit. Quanq; enim quemadmodũ ſupra diximus, illi iuſto ſupplicio coram Deo affligantur, tamen ab Herode magis crudeliter quàm legittime plectunt. Poſtremo, audiens ab adulatrice turba, uox Dei & nõ hominis, agnouit ſe dignũ hac exclamatione, & merito ipſi tribui honorẽ diuinitatis. Qua arrogantia quid poteſt excogitari magis impiũ ac Satanicũ? Hoc.n eſt, quantum in arrogante ſitũ eſt, Dominũ Deum noſtrũ e throno maieſtatis ſuæ proturbare, & ſe ipſum in ſoliũ diuinitatis collocare. Quemadmodum etiam quondam ſuperbus ac elatus Nebucad Nezar in corde ſuo dicebat: In cœlũ conſcendã, ſupra aſtra Dei exaltabo ſoliũ meum, aſcendam ſuper altitudinẽ nubiũ, ſimilis ero altiſſimo. Audiuimus ſcelera Herodis, audiamus nunc ſupplicium. Confeſtim, inquit Lucas, percuſſit eũ angelus Domini, eo q nõ dediſſet gloriã Deo, & eroſus à uermibus expirauit. Alii tyranni plærumq; à ſeditioſis & impiis ſeruis ſuis occiduntur, & quanquam id ſupplicii, crudelibus tyrannis iuſte accidat, tamen illegittime eis à ſuis ipſorum ſubditis infertur. Hic autem tyrannus, quo manifeſtius cognoſcatur, ſupplicium diuinitus ei contigiſſe, ab angelo Domini percutitur, quemadmodum etiam exercitus Saneherib regis Aſſyriorum, & blaſphematoris Dei Iſrael. Alii mortui à uermibus abſumuntur, hic autem adhuc uiuus à uermibus eroditur,

Impia Herodis ſcelera.

Supplicium Herodis.

quod quid aliud est, quàm tot carnifices, gladios in iugulum suum uibrantes ob oculos uidere, quot uermes sentiuntur? Atq; hoc non est semel mori, sed toties mori, quoties nouus uermis enascitur. Ecce autem miras ac stupendas rerum uicissitudines. Herodes enim qui paulo ante conabatur occisis Apostolis, totam Ecclesiam Chtisti conculcare & extirpare, nunc se ipsum ne à uermibus quidem defendere potest. Qui paulo ante grassabatur gladio suo in Apostolos, in eum nunc ita crudeliter grassantur uermes, ut animam suam turpissimo mortis genere efflet, adeoq; res in tam diuersum mutatur, ut Herodem quidem Ecclesiæ persecutorem, Satan in perpetuam damnationem abripiat, Ecclesia autem ac Euangelion subinde magis ac magis promoueat. Sic enim sequitur. Porro sermo DOMINI crescebat ac multiplicabatur, Barnabas autem & Paulus reuersi sunt Hierosolymã expleto ministerio (quod eis à discipulis demandatum erat, quemadmodum in fine prioris capitis scribitur) assumpto & Ioanne cui cognomen erat Marcus. Atq; id quidem uetus est iudicium Dei, q̃ rempublicam populi sui fortunet, tyrannos autem & persecutores populi sui internitione perdat, id quod uides in Pharaone & Israëlitis, in Babyloniis & Iudæis, in Pharisæis & Christo, in gentibus & Christianis. Quid ergo tyranni persequendo Ecclesiam aliud agant, quàm q̃ foueam fodeant, & incidant in eam, adeoq; suo se gladio iugulent? Qui tangit uos, ait Dominus, tangit pupillam oculi sui. Itaq; si tyranni omnino nolint ex pietate à persecutione desistere, desistant saltem timore sui supplicii, quod reuera oĩbus in Ecclesiam Christi grassantibus imminet. Sed & hoc summopere cauendũ est, ut adulatorum uoces nequaquam admittant, sed tanquam Satan, quemadmodum dicitur, crucem fugiant. Nulla enim est nocentior ac capitalior pestis, quàm adulator, nam eo ipso, quo laudes ingerit, præsentissimum uenenum animo auditoris instillat. Considera mihi saltem uoces adulatricis huius turbæ, quæ acclamauit Herodi, uox Dei & non hominis. Videbantur quidem esse regis commendationes & præconia, sed si rei exitum respicias, quid aliud fuerunt quàm letiferum uenenum? Atq; adeo uidebatur turba his uocibus laudem regis celebrare, sed reuera porrexit regi gladiũ, quo ille seipsum iugulauit. Nemo igitur, siue rex sit siue priuatus, adulatorum & laudatorum uoces admittat, sed semper in memoria habeat illud psalmi, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, aut illud Christi. Cum omnia feceritis quæ uobis præcepta sunt, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, aut illud Pauli. Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. Hæc enim quisquis ex fide cogitauerit, & agnoscat peccata sua, nunquàm cristas coram Deo eriget, aut arroganter de seipso sentiet, sed humiliatus ueniam peccatorum suorum ex fide precabitur, quam & consequetur, per Christum Iesum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula Amen.

Quantũ malum sit adulator.

CAPVT XIII.

HOMILIA LVI.



On sunt, inquit DOMINVS per Esaiam, cogitationes meæ cogitationes uestræ, neq; uiæ meæ, uiæ uestræ. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uiis uestris, & cogitationes meæ à cogitationibus uestris. Nam quemadmodum hactenus audiuimus, rex Herodes, principes, & turba Iudæorum in exitium Euangelii, & in perniciem Ecclesiæ ita conspirarunt, ut noctes atq; dies summam operam dederint, quo Euangelion & Ecclesiam internitione perderent, adeoq; radicitus extirparent. Hic animus, hæc mens, hoc consilium, hoc opus, hic labor eorũ fuit; at longe alia fuerunt cõsilia, cogitationes & opera Dei. Nam quo

Nam quo magis illi Iudaicam suam religionem tuebantur, & Christianam fidem persequebantur, eo magis Iudaica religio nuda cũ suis cultoribus deficiebat, & Christianismus promouebat, idq; non solum inter ipsos Iudæos, uerumetiam inter gentes. Etenim ut inundantium aquarum moles, quaqua patet, magno impetu progreditur, & si quid ei obstaculo obieceris, aut mox uiolenter rumpit, aut si paululum cohibeatur, maiori impetu postea erumpit. Ita cursus Euangelici fluuii, si diuina pluuia auctus fuerit, non potest se intra alueum suũ continere, sed spargit se late per omnes orbis terrarum campos, ualles & montes, & quo magis cursum eius impedire uolueris, hoc latius diffunditur. Ac supra quidem demonstratum est, Euangelion etiam ad gentes, authore Petro, dimanasse. Quoniam autem Petrus priuata uocatione gentibus Euangelion prædicauerat, ideo audiemus in hoc capite publica uocatione & authoritate Apostolos gentiũ institui, & ad prædicandum Euangelion inter gentes emitti, non ut factum Petri reiiciatur & condemnetur, sed ut publica spiritus sancti authoritate confirmetur, & perficiatur, quod Petrus priuata spiritus reuelatione inter gentes inceperat. De Apostolis igitur ad gẽtes emissis, ita scribit Lucas. Erãt quidam in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetę ac doctores, Barnabas q; & Simon, qui uocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Hæc enim sunt dona, quæ Paulus ad Ephesios scribens, docet e psalmo, Ecclesiæ à CHRISTO collata esse. Cum ascendisset, inquiens, in altum, captiuitatem duxit captiuam, & dedit dona hominibus. Quæ dona? Dedit (inquit) alios quidem Apostolos alios uero prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei. Iam cum Christus talia dona Ecclesiæ ad ædificationem eius, post ascensionem suam dederit, non autem principes potentes, non ordines monasticos, non collegia sacrificulorum, facile intelligi potest, non hæc ut superstitiosi existimant, sed illa, uidelicet, Apostolos, prophetas, Euangelistas, pastores, ac doctores, instaurationem esse sanctoꝝ, & ædificationem ac sustentaculum Ecclesiæ. Porro inter doctores Ecclesiæ Antiochiæ, erat quidam nomine Manahen, qui scribitur unà esse cum Herode tetrarcha ab incunabilis educatus. Commemoratur aũt tanquam miraculum quoddam, q̃ is qui fuerat à pueris delitiis aulicis assuetus & magno honore apud Herodem habitus, maluerit ad exemplũ Mosi, derelicta aula principis, simul malis affici cum populo Dei, quàm temporariis peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm omnium principum thesauros. Vnde obsecro hunc affectum adeptus est? ex quo fonte hanc opinionem imbibit? profecto non ex naturalibus suis uirtutibus. Hæ. n. potius diuitias quàm paupertatem, maiestatẽ quàm contemptum, gloriam quàm ignominiam ac probrum in hoc sæculo spirant, eaq; de causa inficiunt nos prauissimis ac maxime pestiferis opinionibus, nimirũ, ut existimemus, nihil esse honestius, nihil amplius, nihil utilius, ac magis homine necessariũ in hoc sæculo, quàm diuitias, maiestates, glorias & honores huius mũdi. Quibus opinionibus si animus imbutus fuerit, nihil pensi habet, quo adsequat̃ illa, nihil æquo aío fert, quo auferantur illa. Hinc scelerũ mare ambitio, auaricia, inuidia, impacientia, iracũdia, uirulẽtia, impostura, piuria, fœderũ uiolatio, iniuriæ, homicidia, cædes, & id genus innumera. Nõ igit̃ putandũ est, Manahen ex naturalibus suis uirtutib, aulã principis, & honorẽ aulicũ reliquisse ac se pbro ob cõfessionem nois Christiani obiecisse, sed potius ex uirtute cœlesti, quæ fides in Christũ Iesum uocat̃. Credidit. n. primũ q̃ Christus p̃ omnibus peccatis suis, quæ abinitio, in aula, & alias ppetrauerat, satisfecerit, & ipsum sanguine suo sanctificauerit. Deinde q̃ honores & uoluptates aulicæ cũ impietate & pessimis q̃busq; flagitiis cõiunctæ, quales erant in aula Herodis, nõ sunt ppetuo duraturæ, sed potius initiũ perpetuæ ignominiæ, doloris & dãnationis. Postremo q̃ affici in hoc mundo cõtumelia propter iusticiã aut Christũ, sit summus in cõspectu Dei honor, & pbro notari ob Christũ, sit cœlesti gloria insigni. Ex hac fide tam pium, & tam fortem affectum concepit Manahen, ut maluerit inter Christianos cũ summo nominis sui dedecore uiuere, quam in aula Herodis aut successoꝝ eius summa uoluptate frui. Discamus igit̃ & nos exemplo huius Manahen, prauas opini-

MANAHEN *rarũ exemplũ aulicæ pietatis.*

ones de diuitiis, honoribus & uoluptatibus huius ſæculi, per fidem ex animis noſtris eiice re, ut ſentiamus, nec paupertatem, nec probra, nec cõtemptum, Chriſtiano homini de decori eſſe, ſed potius cõmoda organa ad parandas ueras diuitias, honorem & gloriã perpetuo duraturam. Sed pergamus de publica Apoſtolorũ ad gentes miſſione. Cum aũt illi ſacrificarent Dño, ieiunarentq;. Dixit ſpũs ſanctus. Segregate mihi Barnabam & Saulũ, in opus ad qd̃ accerſiui eos. Quid hic noui audimus? cum illi ſacrificarent Dño? quid prophetæ & doctores Antiochiæ ſacrificauerũt? num uitulos & hædos pro more Iudæorũ? At non licebat ea ſacrificare niſi in loco quem Dñs elegerat, hoc eſt, in Hieruſalem, ac etſi licuiſſet ubiuis, tamen quia ueꝝ ſacrificiũ iam per Chriſtum in cruce peractũ fuerat, & illi in Chriſtum crediderant, non eſt nec ueriſimile, nec ꝓbabile, q̃ ſolis ſplendorem iam clariſſime lucentẽ, tenberis legaliũ ſacrificiorũ obduxerint, & in ſplendidiſſimã meridiẽ obſcuriſſimã noctẽ inuexerint, id qd̃ feciſſent, ſi poſt reuelatũ Euangelion de Ieſu Chño pro more Iudaico ſacrificaſſent. Nũ ſacrificauerũt aũt corpus & ſanguinẽ Chriſti, ꝓ more Papiſticorũ ſacrificuloꝝ? Sic. n. colligunt qdam ex hoc loco, miſſam eſſe ſacrificiũ, ſed ualeant illi inepti homines. Primũ. n. nulla fit hic apte mentio cœnæ Dominicæ, aut ſacraméti corporis & ſanguinis Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Deinde etiamſi certo cõſtaret, prophetas & doctores unà cũ Eccleſia hoc loco cœnam Dominicam habuiſſe, tñ quid ſit cœna Dominica potius ex iis locis in qbus cœna Dominica à Chriſto inſtituta ſcribitur, & de qua ex profeſſo pluribus tractat̃, quàm ex illis actorũ locis, in quibus cœnæ Dominicæ tñ per occaſionem paucis & uix uno uerbo mentio fit, requirendum eſt. Porro aũt, ubi cœna Dominica inſtituitur, ibi ne uno apice quidem aut iota agit̃, ut corpus & ſanguis Chriſti in ea ſacrificentur, & opus illud operatũ, quod uocant, peccata uiuorũ & mortuorũ expiet. Hoc. n. nihil aliud eſſet q̃ ſignificare, Chriſtum unica ſua oblatiõe non ſatiſfeciſſe, ſed neceſſe habere ſubinde iterũ atq; iterũ mori, id qd̃ impiiſſimum eſt ſentire. Iam ſi Apoſtoli nec more Iudaico, nec more Papiſtico ſacrificarunt, qd igit̃ ſibi uult Lucas, q̃ dicit. Cum ſacrificaſſent? pro uocabulo (ſacrificaſſent) ponit̃ apud Græcos liturgiæ uerbum, qd̃ non proprie ſignificat ſacrificiũ ſed publicum onus, aut miniſterium. Vnde Paulus uocat Epaphroditũ liturgon, hoc eſt, miniſtrum neceſſitatis ſuæ. Quæ aũt fuerunt miniſteria, quæ eo tempore in eccleſiæ congregatione fiebant? Primũ colligebant̃ ea, quæ pii in uſum paupẽrũ, ſicut inter ipſos prophetante Agabo de fame, cõuenerat, ꝓ ſua quiſq; facultate conferebant. Deinde interpretabantur publici miniſtri ſcripturas, & de Chriſto cõcionabant̃. Adhæc cœnam quoq; Dominicam adminiſtrabant, nõ papiſtico more ſacrificantes, ſed iuxta inſtitutionẽ Chriſti, ſumentib. diſtribuentes, quemadmodũ Paulus ad Corinthios ſcribens indicat. Poſtremo publicæ orõnes ad Deum effundebant̃, prout temporis ratio poſtulabat. Hæc erãt miniſteria aut ſacra eccleſiæ recens ortæ. Ergo cũ Lucas dicit, prophetas ac doctores Antiochiæ ſacrificaſſe, ſignificat eos collegiſſe eleemoſynam pioꝝ, ſcripturas interpretatos eſſe, cœnam Dñicam adminiſtraſſe & publice oraſſe, atq; hæc oĩa ieiuni peregerunt. Ieiunauerunt aũt, non ut ope ieiunii peccata ſua expiarent: hac. n. opinione impii hypocritæ ieiunant, ſed ut aptiores eſſent ad percipiendam ſacram doctrinam ac cœnam Dominicam, & ad fundendas preces magis idonei. Vetus dictum eſt: Plenus uenter nõ gignit ſenſum tenuem, & Chriſtus dicit, crapulam ac ebrietatem grauare corda. Quare cum ſemp tum maxime orõnis tempe ſobrie uiuendum eſt, ut apti ſimus ad percipiendos motus ſpiritus ſancti. Vnde & hoc loco ſcribit̃. Illis ieiunantibus ſpũm ſanctum eum ipſis collocurũ eſſe. Sed quõ id factum eſt? num ſpũs ſanctus apparuit in ſpecie columbæ, & dixit hoc quod ſequit̃? num uox quædam de cœlo facta eſt ad eos? Nihil iſtiuſmodi ſpectaculorũ illic contigit, ſed hoc ſpiritum ſanctũ dixiſſe ſentiendum eſt, qd̃ prophetæ ac doctores qui illic præſto aderant, partim e diuina ſcriptura, partim e priuatis reuelationibus dixerunt. Paſſim enim in ſcriptura habetur, q̃ Chriſtus etiam ad gentes pertineat, & q̃ Euangelion gentibus quoq;, non tantum Iudæis, prædicandum ſit. Ad Abrahamum dictum eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ad Iudam de filio ſuo dicitur. Ipſe erit expectatio gentium. In Pſalmo ſcribitur. Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Ac rurſus: Laudate DOMINVM omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quomodo Apoſtoli ſacrificauerint Domino.

Et iterum

Et iterum Esaias dicit. Erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt. Ex his aut similibus scripturæ sacræ locis docuerunt prophetæ Antiocheni Euangelion de Iesu Christo etiam inter gentes prædicandũ esse. Iam quia sciebãt de Paulo dictum esse à Christo: Organon electum est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus ac filiis Israel; adhæc Barnabam diuina quadam dispensatione Paulo familiariter admodum coniunctum esse, intelligunt diuino spiritus motu, hos duos, uidelicet Barnabã & Paulum, ad prædicandũ Euangelion inter gentes emittendos esse. Monẽt igtur Ecclesiã de hac re & dicunt. Segregate mihi Barnabam & Saulũ in opus, ad qd accersiui eos. Ad quod opus dicis? nimiꝝ ad prædicandum Euangelion inter gentes. Et quõ accersiuerat illos antea spiritus sanctus? Paulus de sua uocatione ad Galatas scribens, ita ait, Vbi Deo, qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam in hoc, ut reuelaret filiũ suum per me, uisum est ut prædicarem ipsum inter gentes, cõtinuo non contuli cum carne & sanguine. Ex quibus intelligimus Paulũ, principio quidem occulto Dei decreto, ad functionẽ Euangelicam inter gentes, ab utero matris destinatũ fuisse, quemadmodũ etiam de Ieremia dicitur. Antequam exires de uulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Deinde uero reuelate uocatum, quando dictum est: Organon electum est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus. De Barnabæ aũt priuata uocatione nihil scriptum est, præterq̃ in hoc loco, quo tñ satis comprobatur, ipsum quoq; antea priuata spũs reuelatione ad functionẽ Euangelicam, inter gentes destinatũ fuisse. Cũ igit ambo antea priuatis spiritus sancti reuelationib· ad hoc ministeriũ designati essent, nũc publice, uno ore ab ecclesia uocant, ut ad gentes profecti, Euangelion de Iesu Christi inter illas ptædicent. Nã quod dicũt prophetæ ac doctores Antiocheni per spiritũ sanctũ, Barnabã & Paulũ segregandos esse, nihil aliud sentiunt, quàm hoꝝ ministeriũ, ad quos ante priuatis spiritus sancti reuelationibus designati sunt, publico ecclesiæ consensu, & authoritate approbandũ esse, palamq; declarandũ, ut apostolatu inter gentes fungerentur. Vnde sequit: Cũ ieiunassent & orassent, imposuissentq; eis manus, dimiserunt. Imponere aũt manus hoc loco nõ est characterẽ indelibilem, quod finxerũt Papistæ, imprimere, sed est publico signo publicã functionẽ alicuius commendare, & publicam uocationẽ palam declarare, quemadmodũ & Apostoli septẽ Diaconis manus imposuerũt, hoc est, publico spectaculo cõmendauerunt eos uiros ecclesiæ, ut sciat & agnoscat Diaconos suos. Maiores nostri, præter impositionem manuũ, usurparũt etiã unctionẽ & rasurã, aliosq; ritus, qbus publica in ecclesia ministeria uocatis demandabant. Parũ aũt refert quibus ritibus publica ministerii functio alicui demandet, absit modo superstitio, absit impietas, hæc. n. non solũ ritus ἀδιαφόρους, sed etiam orationẽ, eleemosynã, ieiuniũ, aliaq; bona opera cõtaminat. Cæteꝝ memorabile & probe obseruandũ exemplũ est, q & si Barnabas & Paulus priuatis spũs reuelationnibus, imo etiã ab utero matris ad publicũ Euangelii ministeriũ inter gentes destinati fuerũt, non tñ usurparint publice, nisi prius publica authoritate cõprobarent, ac inter gẽtes emitterent. Sic & Saul alioq malus uir, sed quod ad hanc rẽ attinet, honestus, tãetsi à Samuele priuatim in Regẽ Israëlis inunctus esset, tñ non usurpauit sibi regnũ priusq̃ publica sorte eligeret, ac legitimo cõsensu cõprobaret. Sic Dauid priuatim à Samuele unctus est, Saule adhuc uiuente, nec eo tñ mortuo, temere regnum occupauit, sed tum demum regni administrationẽ inchoauit, cũ publice uocatus & unctus esset. Quæ igit multos dementia cœpit, ut nõ uocati, publica ministeria inuadant, aut si nõ opere tamẽ lingua inuadũt, uidelicet, ita reꝑhendentes ac uirulenter calũniantes eos q rite uocati sunt, ut manifeste uideri uelint, se multo his melius publica officia administraturos. Scilicet, nondũ tuam spartã, quam nactus es, ꝑbe administrasti, & cõfidis te multo excellentiora & ampliora officia gerere posse: uix feliciter administrat quod iusta uocatione administratur, & tu tantum de teipso præsumis, ut sentias te ad defungendum quouis munere, etiam non uocatum, satis industrium fore? An nescis quanto supplicio perierit Korah, q citra legitimã uocationem munus sacerdotale usurpauerit? quanta item fœditate sordidatus sit Rex Vsia, q priuata temeritate publicũ adolendi incensi ministeriũ inuaserit?

Ritus esse ἀδιαφόρους.

Certe hæc exempla omnes nos admonẽt, ut noſtra ſorte contenti, non aliena miniſteria affectemus, ſed noſtrum officiũ, pietate, diligentia, & fide ornemus, per Chriſtum Ieſum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

HOMILIA LVII.



IN conuerſione Pauli, diuino oraculo ad Ananiam de Paulo dictũ eſt. Organum electum eſt mihi iſte, ut portet nomen meũ coram gentibus & regibus ac filiis Iſrael. Et additur. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eũ pro nomine meo pati. Nunc igitur poſtq; Paulus unà cum Barnaba, publico ſpiritus ſancti ſuffragio ad miniſterium prædicandi Euangelii inter gentes ſegregatus eſt, explicabimus charitati ueſtræ, amici in Chriſto dilectiſſimi, iuxta ordinem eorum Actorum quæ nunc enarramus, quas Paulus regiones peragrarit, ut Chriſtũ adnunciaret, quæ miracula in Chriſti noie ad confirmationem miniſterii ſui ædiderit, quantasq; perſecutiones propter nomen Chriſti paſſus ſit, donec Romam captiuus ductus eſt. Sic autem Lucas ſcribit. Et ipſi quidem (uidelicet Barnabas & Paulus) emiſſi à ſpiritu ſancto abierunt Seleuciam (quæ eſt in promontorio Antiochiæ Syriæ, obuia uolenti ab Antiochiæ ciuitate proficiſci in Cyprum) & inde nauigauerunt in Cyprum (inſulam oppoſitam Ciliciæ, quæ eſt Aſiæ minoris) Et cum eſſent Salaminæ (quæ ciuitas Cypri prima occurrit ad orientem) annunciauerunt ſermonem Dei in Synagogis Iudęorum. Habebant autem & Ioannem miniſtrum (cui cognomen erat Marcus filius Mariæ illius, ad cuius domum Petrus, poſtquam e carcere per angelum liberatus eſt, primum peruenit, quemadmodum in priori capite ſcriptum eſt). Et peragrata inſula uſq; ad Paphum (quæ eſt in ea inſula extrema ad orientem, ubi quondam fuit celebre Veneris phanum) inuenerunt quendam magum pſeudoprophetam Iudæũ, cui nomen erat Bariehu, qui erat cũ Proconſule Sergio Paulo, uiro prudenti. Principio non eſt ocioſum nec ſuperuacaneum, q̃ Lucas tam diligenter recenſet regiones & urbes, quas Paulus unà cum comite ſuo Barnaba euangelizandi gratia peragrauit. Primum enim cõmendatur in eis diligens functio miniſterii illius, ad quod à ſpiritu ſancto emiſſi erant, ut & nos exemplo ipſorum admoneamur, quo ea quæ præſentis noſtræ uocationis ſunt, ſumma opera ſectemur. Duo enim præcipue uicia efficiunt nos in noſtris uocationibus torpidos, ceſſatores & neglectores. Alterũ eſt ignorãtia diuinæ uoluntatis, q̃ non agnoſcamus nos diuinitus ad id, quicquid eſt præſentis muneris uocatos. Deinde carnalis cupiditas, q̃ noſtra ſorte minime contenti maiora cupiamus. Ergo ut ignauiam excutiamus initio cognoſcenda eſt uocationis ratio, uidelicet, q̃ miniſteriũ noſtrũ qualecunq; id ſit ſiue humile, ſiue celebre, ſiue ſordidum, ſiue glorioſum nobis ex diuina diſpenſatione contigerit. Vnde quicquid laboris, moleſtiæ & diſcriminis in eo miniſterio nobis ob oculos ponitur, credendum eſt, Deum non ſolum id nobis, ut faciamus & feramus præcipere, ſed etiam auxilium ſuum polliceri, quo ea quæ præcipit, facere & ferre queamus. Mox aſſuefaciendus eſt animus noſter, ut ſorte ſua contentus ſit, id autem fiet ſi diſcamus Deum non eſſe perſonarum reſpectorem, ſed ab unoquoq; in ſuo munere fidelem diligentiam recipere, & unumquenq; quod fecerit boni, hoc à Deo reportare, ſiue ſeruus fuerit ſiue liber. Adhęc dictũ illud Chriſti, aſſiduo animo uolutandum eſt: Cuicunq; multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Maiora igitur munera cupere, quid aliud eſt quàm maiores labores, moleſtias & diſcrimina rationemq; difficilius corã Deo reddendam, in ſuũ caput ſponte adſciſcere? Quid aũt ſtultius, quàm ſeipſum tantis periculis, nulla nec utilitate nec neceſſitate obiicere? ſi quidem commodũ illud, quod in maiori munere ſpectas, æque ac multo amplius in minore contingere poteſt, ſi illud ex fide adminiſtraueris. Sed de hac re nunc non eſt differendi locus, hæc. n. ideo commemorare uolui ut oſtenderem, qua uia poſſimus in noſtris uocationibus imitatione exprimere Pauli & Barnabæ operam & diligentiam, quam illi in ſua uocatione

Duo eſſe quæ cuiuſq; uocationem impediant.

tione adhibuerunt. Hi enim primo agnouerunt se a spiritu sancto emissos, & uocationem suam diuinam esse. Posthæc & si ministerium Euangelicum eo tempore in mundo fuerit contẽptissimum, abiectissimũ et sordidissimũ, quippe q̃ ministri Euãgelij proscribebant̃, carceribus tradebant̃ & trucidabant̃, ut honorificentius in mundo fuerit ardelionem q̃ ministrum Euangelij agere, tñ quia diuina erat uocatio, sentiebant illi abiectum suum ministerium, nec maiestati regiæ, nedum humiliori officio cedere, immo etiam superare. Quid enim regium officiũ aliud q̃ corpora & opes terrenas administrat? Euangelion autem regit animas, & distribuit diuitias cœlestes ac æternas. Vnusquisq; igitur nostrum operam det, ut de sua uocatione certus sit, & demum deum in uocatione sua agnoscat. Sic enim fiet, ut excusso torpore ac ignauia, diligẽter quæ nostri sunt officij agamus, & nostra sorte contenti uiuamus. Iam & illud in descriptione peregrinationis Pauli & Barnabę obseruandum est, quomodo peregrinationes in alias regiones aut urbes suscipiendæ sunt. Nam peregrini & uiatores uarijs sese periculis exponũt. Nemo igitur peregrinationem suscipiat, nisi a spiritu sancto emissus, ut habeat comitem qui ipsum e periculis seruet. Sed multa sunt genera, inquies, peregrinationum, & quomodo omnia spiritu sancto emittente fieri possent? Alius enim aliam ob causam peregrinatur, hic ut extrudat merces suas in alieno foro, ille ut merces emat, hic ut artificium suum inter exteros discat, ille ut amicos inuisat, hic ut uarias regiones & regionum mores contempletur, ille ut sanctorum sepulchra inuisat, & omnino uariæ sunt peregrinationes. Quæ ergo fiunt spiritu sancto emittente? nimirum hæ quæ ex fide & charitate suscipiuntur, quæ uero suscipiuntur ex auaricia, superstitione, aliaue impietate aut scelere, spiritu Satanæ impulsore fiunt. Proinde qui ad mercaturam proficiscitur, nõ ut imponat emptoribus ac uenditoribus, sed ut officio suo defungatur, & pane suo in sudore uultus sui uescatur, in fide orationis suę, qua dicit, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, is spiritu sancto emittente, quem & comitem habet, peregrinatur. Qui uero ad aliena fora migrat ad decipiendum emptores & uenditores, is migrat comitante Satana, quo etiam efficitur, ut omnia opera eius maledicantur. Similiter qui ad sanctorum sepulchra peregrinatur, ut discat illic eorum pietatem & Christum in ipsis agnoscat, non improbanda est peregrinatio. Sed qui illuc proficiscitur, ut eo opere quod dicitur operato, sibi sanctum illum intercessorem mereatur & peccata sua expiet, is a spiritu Satanæ agitur. In hunc modum de omnibus peregrinationum generibus iudicandum est, ut sentiamus, eam authore spiritu sancto fieri, quæ ex fide fit, eam autem authore spiritu Satanę fieri, quæ ex impietate, superstitione, auaricia, aut alio scelere fieri solet. De peregrinationibus hactenus. Veniamus nunc ad Paphum, & explicemus quid illic a Paulo & Barnaba actum sit. Inuenerunt enim ibi quendam magum pseudoprophetam Iudæum, cui nomen erat Bariehu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo uiro prudenti. Hic accersitis Barnaba & Saulo, desyderabat audire sermonem dei. Resistebat autem illis Elymas magus, sic enim interpretatur nomen eius, quærens auertere proconsulem a fide. Antea descriptum est exemplum persecutionis regis Herodis qui persecutus est Ecclesiam Christi gladio & uiolentia, nunc describitur exemplum persecutoris pseudoprophetæ, qui Euangelion persecutus est dolis, mendacijs & imposturis. Vides igitur Ecclesiã Christi non fere aliud esse q̃ ouile crudelissimis lupis & astutissimis uulpibus undiq; circundatum. At quo magis lupi & uulpes in eam grassantur, eo plus fœlicitas eius promouet, de qua re sæpenumero antea diximus. Cæterum in hoc pseudopropheta Iudæo, uideamus primum pseudoprophetarum mores, deinde & supplicia. Primum enim hic pseudopropheta Iudæus, authoritatẽ suam diuino co-

Peregrinatio quatenus probanda.

» Act. 13.

u

Barlehu τετραγραμμάτου.

gnomine commendat. Vocat enim se Barlehu, hoc est, filium Dei illius τετραγραμμάτου. Fortassis enim in nomine Tetragrammati, quemadmodum nostrates magi crucibus, magicam artem exercuit. Vocatus est & Elimas, quod quãquam sint qui sentiant Syra lingua magum dici, attamen si iuxta sonum literarum ex Hebræo interpreteris, dicitur dei mei mensura. Quid si Elimas per apocopen dictum sit, quasi Eli Messia, hoc est, dei mei Messias, seu Christus, ut & hic pseudopropheta unus ex illis sit, de quibus Christus uaticinatus est dicens: Multi uenient in nomine meo dicentes, ego sum Christus. Et iterum: Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabũt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri possit, etiam electi. Ex hoc aũt perspicue colligimus ingenium pseudoprophetarum esse, ꝙ cum sint angeli Satanæ transfigurent se diuinis cognominibus in angelos lucis, & nugis suis ac impostoris, perinde ac ueri prophetæ & Apostoli, ueritati, nomen diuinum prætexant. Vnde sicut Hieremias uerus propheta præponebat suis oraculis: Hæc dicit Dominus Sebaoth, Deus Israel, Ita pseudopropheta Ananias Hieremiæ contradicens, eodem procœmio sua mendacia commendabat. Iam & hoc in Elima obseruandum est, ꝙ potissimũ adiunxerit sese proconsuli, hoc est, magistratui in Papho. Cum enim id genus pseudoprophetarum a principe huius mundi, qui est Satan mittatur, insinuat se præcipue in amicitiam principum (siquidem pares cum paribus facillime congregantur) ut principibus deceptis, potentia fulciatur, & faciliorem decipiendi aditum ad uulgum habeat. Ergone, inquies, ueri prophetæ aut Apostoli fugere debent amicicias principum ac magistratuum, & uulgum potius ac subditos, ꝙ magistratum & principes sanam doctrinam docere? Id uero nullus affirmauerit. Omnibus enim gentibus, inter quas præcipue principes huius mundi comprehenduntur, prædicandum est Euangelion de Iesu Christo. Sed ob hanc causam exprobratur mago Elimæ, ꝙ sese adiunxerit proconsuli, quia pseudoprophetæ aut pseudoapostoli magis innituntur brachio, ut uocant, sæculari, ꝙ diuinæ potentiæ, & quod nequeunt ueritate uerbi dei confirmare, hoc student magistratus gladio defendere. At uera uerbi Dei prædicatio, tametsi nõ tam subditis ꝙ principibus reueletur, non tamen adeo imbecillis est, ut ad sui defensionem gladiũ principum quærat, sed salutẽ potius principum quærit, ipsa per sese multis angelorum myriadibus adeoq; omni cœlesti milicia suffulta. Ac ut cognoscas ꝙ potenti præsidio prædicatio uerbi Dei innitatur, obsecro, diligenter animaduerte miraculum quod Paulus, ut sequitur, in hoc mago Elima

Pseudoprophetarum mores.

„ ædidit. Nam Saulus, qui idem & Paulus, repletus spiritu sancto, intentis in magum oculis, dixit: O plene omni dolo & omni uersutia, fili diaboli, inimice omnis iusticiæ, non desinis inuertere uias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non uidens solem usq; ad tempus. Quid post hæc uerba secutum est? Confestim cecidit in eum caligo ac tenebræ, & circumiens quærebat qui se manu ducerent. Quis nunc dicat ministerium Euangelicæ prædicationis carnali præsidio egere? quis adhuc sentiet gladium spiritualem esse obtusum? nonne audis hoc ministerium, primum suffultum esse potentia spiritus sancti. Dicit enim Paulus repletus spiritu sancto. Deinde tanta uirtute præditũ, ut possit uel solo uerbo hominem excæcare. Atq; hoc illud est quod aliàs Paulus ad Corinthios scribens ait: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia deo ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cognitionem ad obediendum Christo, & in promptu habemus uindictam aduersus omnem inobedientiam. Cuius rei antea quoq; exemplum prębuit Petrus in Anania & Sapphira, quos ille solo uerbo exanimauit. Et quod magis

magis ſtupendum eſt gladius ſpiritualis, qui eſt miniſterium Verbi Dei, poteſtatem habet graſſandi non in corpora ſolum, ſed etiam in animos. Quorum inquit peccata retinueritis in terris, retenta erunt & in cœlis. Quid autem retinere peccata aliud eſt, q̃ animam perpetuæ damnationi adiudicare? Sed ne quis putet huic gladio poteſtatem ad deſtructionem potius q̃ ad ędificationem datam eſſe obſeruandum eſt, q̃ miniſterio huius gladij ab initio inſtitutionis eius collata eſt ad tempus poteſtas non tantum ſæuiendi in corpora, ſed etiam ſanandi corpora ab omnibus infirmitatibus, non ut uſus huius poteſtatis perpetuus eſſet, ſed ut per hanc perpetua huius miniſterij poteſtas ſignificaretur & confirmaretur. Hæc autem eſt perpetua eius poteſtas, ut credentibus quidem in Chriſtum remittat peccata, cœlum aperiat, & in perpetuam fœlicitatem introducat, incredulis autem retineat peccata, inferni ianuas recludat, & ſempiternæ damnationi obijciat. Quid eſt hac poteſtate potentius? quid ex altera parte fauorabilibus? quid ex altera horribilius? Proinde ſumma opera danda eſt, ut Euangelion, quod hoc miniſterio nobis miniſtratur, obedienti fide complectamur, quo a peccatis purgati, cœleſtia bona conſequamur. Sed ut redeamus ad rem geſtam inter Paulum & Elimam magum, quantum ex præcedentibus uerbis intelligi poteſt. Paulus initio non tam Sergium proconſulem, q̃ Elimam magum placide ac manſuete in uia ueritatis erudijt. Sed uide diſſimiles plane auditores. Sergius enim quo plura audiebat, eo fidelior reddebatur. Magus autem, quo plura audiebat, eo obſtinatior fiebat, ut uere dictum ſit, Apoſtolos his quidem eſſe odorem uitæ ad uitam, illis autem odorem mortis ad mortem. Cum igitur Paulus in Elima nihil proficeret manſuetudine, exemit tandem ſeuerum ſpiritus ſancti gladium, ac primum quidem grauiſſime eum increpat: O plene, inquiens, omni dolo ac uerſutia, profiteris te impletum ſpiritu ueritatis, ſed quid aliud es niſi mendacij organon? Vocas te Barlehu, hoc eſt, filium Dei, qui potius uocandus es filius Diaboli. Dicis te Elimeſſiam, hoc eſt, dei mei Meſſiam eſſe, cum tamen inimicus ſis omnis iuſticiæ quã uerus Meſſias prædicauit. Quia igitur nullum ne q̃ finem nec q̃ modum facis, rectas uias Domini inuertendi, age, ita tibi os tuum obſtruam, ut deinceps contra ueritatem ne hiſcere quidem audeas. Ecce enim excæcaberis ad tempus, & ſolem non uidebis, quæ cæcitas efficiet, ut & os cohibeas ne amplius contra ueritatem loquatur. Admodum uero apte excæcatur pſeudopropheta. Hoc enim corporali ſupplicio oſtenditur, quales uere ſint pſeudoprophetæ & pſeudoapoſtoli, nimirum animo cæci, qui nequeant uerum ſolem, qui eſt Chriſtus Ieſus, intueri. Cæterum, q̃ magus non perpetua, ſed aliquod tantum tempus duratura cæcitate priuatur, declarat ſupplicia corporalia non eſſe perditiones, ſed admonitiones ad reſipiſcentiam. Nolo enim inquit DOMINVS mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat. Ecce autem rem magis mirandam, excæcatio enim Elimæ uerus uſus fit proconſulis. Cum enim proconſul uidiſſet quod acciderat, credidit, admirans ſuper doctrina DOMINI. Ad exemplum igitur huius proconſulis fruamur & nos aliena inſania, & ex ſupplicio Magi inuitemur ad capeſſendam ueritatem Euangelij, ut expulſa cæcitate per lumen fidei, in uia iuſticiæ ad cœleſtem patriam ambulemus per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſæcula. Amen.

Gladij ſpiritualis uis.

Supplicia Magi.

HOMILIA LVIII.



E dilatando in orbem terrarum regno Christi spiritus sanctus in psalmis prophetans ait: Dominabitur a mari usq; ad mare, & a flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Quod igitur ante uerbis prædictum est, hoc nunc per Paulum, Barnabam & comites eorum reipsa compleri incipit. Nam ut in externo bello proxima quæq; victoria instrumentum sequentis esse solet, & Imperatores ab una hostium urbe expugnata ad aliam expugnandam exercitum admouent. Ita quoq; Paulus & Barnabas, emissi a spiritu sancto ad traducendum orbem terrarum in imperium Christi, non sunt contenti unam tantum aut alteram insulam ac regionem debellasse, sed subinde alias atq; alias terras Euangelij sui machinis aggrediuntur. Quare expugnatis & Christo subiectis Seleucia ac Cypro, ad Pamphiliam expugnandam nauigant. Quanquam autem in ea regione multos uirtute gladij spiritus, qui est uerbum Dei, ita permouerint, ut nomina sua Christo darent, tamen ut uictoria raro solet esse incruenta, amittunt e suo exercitu, haud
» postremi nominis militem. Sic enim scribit Lucas: Et cum a Papho nauigas-
» set Paulus & qui cum eo erant, uenerunt Pergen Pamphiliæ, Ioannes autem
» discedens ab eis, reuersus est Hierosolymam. Hæc est iactura quam fecerunt Paulus & Barnabas in expugnatione Pamphiliæ, is enim Ioannes cognomento Marcus (cuius mater erat Maria, de qua in priori capite) profectus fuit a Hierosolymis unà cum Paulo & Barnaba in ministerium Euangelij. Nunc autem rursus discedit ab ipsis, & deserit eos a ministerio Euangelij turpiter deficiens. Sic enim postea ipse Lucas capite decimo quinto hanc Ioannis Marci discessionem explicat dicens: Paulus nolebat eũ adiungi quoniam in Pamphilia deseruerat eos, & non ierat cum eis in opus. Apparet autem eum a ministerio Euangelij quod initio alacri animo susceperat defecisse, & Paulum ac Barnabam deseruisse, quia uidebat hoc ministerium & hanc peregrinationem non tantum laboribus, uerumetiam maximis uitæ periculis obnoxiam esse. Quæ cum præcipua defectionis causa fuerit, noluit tamen uideri se timore sed potius pietate discedere, habebat enim matrem uiduam Hierosolymis, quam se, ut filium decet, inuisurum & consolaturum iactabat, id ipsum pene discessioni suæ prætexens, quod ille ad adnunciandum Euangelion, in Luca capite nono uocatus, Christo respondens dicit: DOMINE permitte mihi ut prius abeam & sepeliam patrem meum. Et alius: Sequar te DOMINE, sed permitte mihi prius ut dicam uale ijs qui sunt domi meæ. Quid ergo? num prætextus humanitatis & beneuolentię erga domesticos excusat inobedientiam erga uocationem Dei? minime omnium. Quanquam enim etiam ipsa erga domesticos beneuolentia sit uocatio dei, & pertineat ad dilectionem proximi, tamen si Deus legis suæ magister alio uocauerit & aliud præscripserit, Deo magis quàm domesticis seruiendum est. Dicit enim Christus, Qui amauerit patrem aut matrem, filium aut filiam super me, non est me dignus. Nam qui sic proximis seruiunt, ut interim a Verbo DOMINI deficiant, hi non dicuntur recta in uia DOMINI ambulare, sed a tergo respicere. Nemo, inquit Christus, qui manu sua admota aratro respexerit a tergo, aptus est regno Dei. Quod si uero beneuolentia erga proximum externe tantum prætexitur, timor autem periculorum ipsissima est causa defectionis a uocatione diuina, ibi tum relinquere uocationem Dei nihil aliud est q; promissionibus dei diffidere & deum mendacem reputare. Tametsi enim DOMINVS Deus noster seruos ad periculosa officia emittat, tamen

Timor periculorum defectiõis causa

men tantæ est clementiæ, ut quamuis indignis præsentaneum suum auxilium promittat, tantæ est potentiæ, ut quod promisit præstare possit, tantæ est ueritatis, ut quod recepit se præstiturum, proculdubio, ultra omnia quæ petimus aut cogitamus præstet: Montes inquit commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Proinde qui ex timore periculorum a uocatione dei deficiunt, hi ab ipsomet deo deficiunt & fidem abnegant: Accedit huc quod hi non solum sibijpsis, uerumetiam alijs defectione sua exitio sunt. Primum enim infirmos in fide ita offendunt, ut & ipsi ad defectionem spectent, deinde publicas in Ecclesia discordias, contentiones & motus excitant. Nobile est dissidium illud quod quondam in Ecclesia fuit inter orthodoxos & Nouatianos, hi enim negabant lapsos post baptismum in communionem Ecclesiæ recipiendos esse. Ad hoc certe dissidium occasionem præbuerunt lapsi. Non ignota quoq; est controuersia quorundam scriptorum Ecclesiasticorum, qui inter se contendunt, alij quidem eos Ecclesiæ ministros qui semel a ministerio defecerunt, aut alioqui crimen commiserunt, post pœnitentiam in ministerium recipiendos, alij autem non recipiendos esse. Sed quid de his loquor, quando ipsorum controuersia ex illo dissidio, quod Ioannes Marcus, de quo nunc nobis sermo est, inter Paulum & Barnabam sua defectione excitauit, nata esse uidetur. Cum enim pœnituisset Ioannem Marcum discessus, & redijsset ad Paulum & Barnabam, cupiens iterum in ministerium assumi, tantam discordiæ materiam ipsis subministrauit, ut alter alterum hostili animo dereliquerit, quemadmodum postea capite decimo quinto scriptum est. Demus igitur operam ut uocationem dei constanter sectemur, ne defectione nostra tam nobis ipsis, quam alijs exitium afferamus, sed ut boni duces non deserunt militiam, etiamsi aliquot milites deficiant, ita Paulus & Barnabas defectione Ioannis Marci nihil segniores aut timidiores facti in dilatando imperio Christi pergunt. Illi uero peragratis regionibus, uenerunt Antiochiam
" Pisidiæ. Est enim & Antiochia Syriæ quæ cognominata est Epidaphne, in qua
" nomen Christiani primum exortum est, & e qua Paulus & Barnabas ad Gentes missi sunt, quemadmodum supra scriptum est. Ad huius igitur Antiochiæ differentiam diserte additur hoc loco Pisidiæ, ut intelligas aliam Antiochiam quæ in Pisidia sita est, quæ & alio nomine dicta est Cæsarea. Et ingressi Synago-
" gam die Sabbathorum sederunt. Post lectionem autem Legis & Prophetarum
" miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est apud uos
" sermo exhortationis ad plebem, dicite. Hic mihi uide, honestos Iudæorum mo
" res in Synagogis suis. Primum enim nihil inconfuse agebatur, non hic cantabatur, illic legebatur, istic susurrabatur, sed alij quidem assidebant taciti, alij autem legebant, alij lectionem interpretabantur, & plebem e lectione exhortabantur, neq; quisquam non uocatus aut iniussus ad id muneris irrumpebat, sed qui aliquid dicturus erat, expectabat uocationem principum Synagogæ. Vnde cum Paulus de ordinationibus in Ecclesijs Christianorum ad Corinthios scribit & dicit: Si alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat, non docet confusionem, neque permittit ut quisquam docentis sermonem temere non uocatus, non iussus, interpellet. Addit enim, non est confusionis author Deus, sed pacis, ut in omnibus congregationibus sanctorum. Maxima autem esset confusio in Ecclesia, si cuiquam pro sua libidine liceret publici doctoris sermonem interrumpere, sed docet decentem & honestum ordinem inter doctores Ecclesiæ & interpretes. Cum enim meminit assidentium, non intelligit uulgum, sed interpretes in cathedris docendi sedentes. Vnde ait: Quod si non sit interpres, taceat in Ec-

Quod ordo honestus debeat esse in ecclesijs Christianorum.

cleſia, cæterum ſibijpſi loquatur & Deo. Sed neq; in ordine interpretum licet alteri alterius ſermonem ſine uocatione interrumpere. Dicit enim Paulus, omnia ad ædificationem fiant. Et mox, omnia decenter & ſecundum ordinem fiant. Quæ autem eſſet ædificatio, quis decor, ſi interpretes ſeipſos mutuo interpellarent, & de ſententijs ſuis publice contenderent? Aliud eſt publice cum altero diſputare, aliud ſententiam in ſenatu dicere, aliud in Eccleſia publice docere. In diſputationibus alter alterum pro iure pacti & pro more diſputandi uiciſſim audit, quærit & reſpondet. In ſenatu alter poſt alterum in ordine ſuo ſententiam dicit. Et in his ſiue diſputationibus ſiue ſenatibus inciuile admodum eſt dicentem temere interrumpere, quanto inciuilius eſt docentē in Eccleſia interpellare, ubi uni tantum, aut poſt eum paucis alijs demandatum eſt munus dicendi? Proinde cum Paulus iubet priorem tacere, ſi aſſidenti aliquid reuelatum fuerit non permittit ut alter alterum temere interrumpat, & tranquillitatem Eccleſiæ turbet, ſed potius uult ut nullus dicentem interrumpat. Quanquam enim quiſpiam prior dixerit, tamen ſi orationem ſuam finierit, & alius ad hoc munus uocatus dicere incœperit, nō licet priori ut poſteriorem interpellet. Si autem prior neceſſe habet tacere, poſteriori iuxta ſuam reuelationem, hoc eſt, ordinationem & uocationem loquente, quanto magis neceſſe habet poſterior tacere, priori adhuc ſecundum ſuum ordinem loquente. Deinde obſeruandum eſt ex hoc loco quid Iudæi in Synagogis ſuis publice legerint. Poſt lectionem inquit legis & prophetarum. Habes Iudæos legiſſe Moſen & Prophetas. Id quod & Paulus poſtea in concione ſua teſtatur dicens: Voces prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur. Et Iacobus idem indicat dum in concilio Hieroſolymitano dicit Moſes ab ætatibus antiquis in ſingulis ciuitatibus habet qui ipſum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Immane, quantum hæc Iudæorum conſuetudo, a moribus Papiſticæ Eccleſiæ differat. Quid enim in Eccleſia Papiſtica hactenus aliud lectum & prædicatum eſt, quam primum quidem aliquot uerbula e ſacra ſcriptura truncatim relata. Deinde uero partim Homiliæ a ſenſu ſpiritus ſancti, toto quod aiunt cœlo diſſidentes, partim nugaciſſimæ ſanctorum Legendæ, quæ & maiorem partem tam lectionum quam concionum occuparunt? Quis non potius impietatem quam pietatem e talibus lectionibus diſciſſet? Tametſi enim Iudæi Moſen & prophetas diligentiſſime legebant ac prædicabant, pauci tamen Chriſtum, hoc eſt, ueram pietatem ex illis diſcebant, quid igitur pietatis e mendaciſſimis impiarum quarundam legendarum, ut uocant, nugis haurire poſſes? Sed unde factum eſt, inquies, quod & ſi Iudæi Moſen & prophetas ſemper ſtudioſiſſime tractarint, pauciſſimi tamen Chriſtum in eis inuenerint? Cauſam huius rei tradit Paulus ad Romanos ſcribens: Iſrael, inquit, qui ſectabatur legem iuſticiæ, ad legem iuſticiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi. Et ad Corinthios: Excæcati, inquit, ſunt ſenſus illorum. Nam uſq; ad hodiernum diem idem uelamen in lectione ueteris teſtamenti manet, nec tollitur uelum, quod per Chriſtū aboletur, ſed ad hunc uſq; diem cum legitur Moſes, uelamen cordibus illorum impoſitum eſt. At ubi conuerſi fuerint ad DOMINVM tolletur uelamen. Quod ergo eſt uelamen illud, quo Iudæi excæcati, nec Moſen nec prophetas, & ſi ſemper legant, nunquam tamen uere intelligant? Hoc nimirum illud eſt quod Paulus ad Romanos dicit, Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Iudæi enim afferunt hanc opinionem ad lectionem Moſi & Prophetarum, quod externa bona hominum opera ſatisfaciant legi diuinæ, & iuſtificent coram Deo, ac mereantur uitam æternam.

Iudæi quid in Synagogis ſuis legerint.

Cauſa, quare Iudæi Chriſtum in Moſe nō inueniāt.

nam. Quãdiu autem quis hoc dogmate, & hac opinione infectus est, habet mentem excæcatam, nec potest in finem legis & prophetarum intendere. Lex enim & Prophetæ quantum quidem in ipsis est, requirunt opera iustitiæ & uitæ, sed quia homo imbecillior & sordidatior est, quàm ut possit ea exacte & perfecte præstare, ideo ostendunt homini suam immundiciem, & damnant eum, ac per hoc remittunt ipsum ad Christum, ut in eo per fidem iustificetur. Proinde qui putant se ex operibus iustificari, hi nec legem nec prophetas intelligere, hoc est, nec ueram iustitiam habere, nec uitam æternam consequi possunt. Sed quid de uelamine Iudæorum dicimus, cum idem quoq; uelamen in Christianismo cordibus hypocritarum impositum sit, ut hypocritæ multa de Christo & Euangelio eius audientes, ne tantillum quidem de his intelligant: sentiunt enim merita sua esse iustitiam coram Deo, & Christum esse iudicem meritorum humanorum. Cum igitur hac opinione audiunt Euangelion de Christo quod satisfecerit pro peccatis & remittat peccata, conferunt id ad suam opinionem, & sentiunt Christum pro peccatis illorum satisfeciſſe, qui meritis operum suorum satisfactionem Christi sibi aptant, & iustitia sua merentur ut Christus remittat ipsis peccata. Sed quid hoc aliud est, quam Christo honorem & maiestatem suam prorsus detrahere, & meritis operum adscribere? Christus enim non est a Deo patre suo missus in hunc mundum, nec ascendit in cœlum, ut iudex humanorum meritorum, sed ut reconciliator, qui peccatores gratis absq; ullo operum respectu deo patri suo reconciliet, & peccata eis remittat, non propter opera humana, sed propter ipsum per fidem. Non enim propter opera, sed per fidem communicatur & aptatur credentibus satisfactio Christi. Abijciamus igitur hanc impiam opinionem de meritis nostrorum operum, & sentiamus necesse quidem esse, ut benefactis deo obediamus, sed tamen eam obedientiam non esse satis dignum & perfectum meritum iustitiæ & uitæ æternæ, sic enim probe intelligemus solum Iesum Christum esse nostram iustitiam, satisfactionem, & redemptionem, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula.

Amen.

HOMILIA LIX.



Oncionem Pauli in Synagoga Antiochiæ Pisidiæ habitam, uestris precibus adiuti, dilectissimi, hodie explicabimus. Primum autem omnium moneo, ne quis in ea concione oratorios flosculos, & Rhetorum ornamen requirat, quorum & si Paulus non fuit ignarus, quemadmodum aliquot eius Epistolæ testantur, tamen in familiaribus concionibus maluit ut prædicatio sua non in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ esset, ut fides auditorum non sit in sapientia hominum, sed in sapientia dei. Deinde precor ut non aliter huic Pauli concioni aures adhibeatis, quam si quis ad mortem publica iudicum sententia condemnato, & iam ad carnificinam egredienti certum ac uerum liberationis nuncium afferret. Etenim nos omnes propter peccata nostra perpetuæ morti adiudicati sumus, & quo diutius uiuimus in hoc sæculo, hoc magis mortiappropinquamus. Ecce autem fit nobis obuius Paulus ille electum dei orga-

num, qui hoc sermone suo explicat nobis Iesum Christum, & cum docet remissionem peccatorum nobis per ipsum contingere, quæ tamen non potuit per legem Mosi parari, eo ipso docet nos per Christum ab æterna morte liberatos, & perpetua adeo & fœliciſſima uita donatos esse. Surgens ergo Paulus, & manu silentio indicto, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis deum, audite. Pauciſſimis absoluit orationis suæ exordium, quid enim opus erat multis uerbis eos attentos & beneuolos reddere, qui iam arrectis auribus adstabant, & magna obseruantia a peregrinis orationē expectabant? Viri, inquit, Israelitæ. Hoc ipsum epitheton erat beneuolentiæ captatio. Siquidem nomen Israelitæ Iudæis auditu gratiſſimum & iucundiſſimum est, quippe quod indicat eos non solum progeniem ducere a sanctiſſimo patriarcha Iacob, qui a Deo cognominatus est Israel, sed etiam participes esse earum promiſſionum quas deus ad patriarcham Iacob dixit, uidelicet, benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Et quod addit, qui timetis deum, etiamnum cogit alioqui detrectātes audire. Quis enim niſi effrontis impudentiæ non uult uideri timens Dei? Paulus igitur recipiens se timentes dei allocuturum, faciles sibi parauit auditores, quod nullus eorum uoluerit contemptor dei haberi. Appoſite autem utitur his epithetis. Doctus enim est illos quomodo reipsa efficiantur, quod nomine uocantur. Israëlitæ dicuntur, sed nemo uerus est Israëlita, niſi qui credit in Iesum Christum Israeli promiſſum. Non enim omnes, ait Paulus, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neq; quia sunt semen Abrahæ, statim omnes filij, sed per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis hi filij dei, sed qui sunt filij promiſſionis recensentur in semen. Dicuntur & timentes Dei, nemo autem uere timet Deum, niſi qui per Christum factus est filius Dei. Itaq; Paulus Iudæis Christum explicaturus, eo ipso docebit quomodo ueri Israelitæ & timentes dei efficiantur. Audite, inquit. Quid audiamus? Vocamini Israelitæ, audite igitur rationem qua uere possitis esse quod uocamini. Cognomen timentium Dei uobis tribuitur, audite ergo quō deus uere timeatur. Exordium sequitur narratio, quæ ut mos est gentis Hebrææ, paulo prolixior est, & pene ab ouo, quod dicitur, repetita, donec ad propoſitionem deueniatur. Deus, inquit, populi huius delegit patres nostros, & populum in altum extulit, cum essent incolę in terra Aegypti. Paulus in hac concione haud quaquam temere & absq; consilio hiſtoriam gentis Israeliticæ ab initio summatim perſtringit. Erat enim prædicaturus de Iesu Chriſto, quod per ipsum non per legem Mosi aut merita operum cōtingeret nobis remiſſio peccatorum. Ne igitur auditores Iudæi existimarēt Paulum nouam religionem, abrogata ueteri, inſtauraturum, commemorat gētis suæ exordium & progreſſum, ut significet, Deum iam inde a principio electionis gentis Israeliticæ id meditatum esse, quod nunc in Iesu Chriſto reuelatum est. Proinde se prædicando Chriſtum, non nouam religionem ſtatuere, sed ueterem & auitam hoc tempore per Christum reuelatam prædicare. Dicit autem, Deus populi huius delegit patres nostros. Quam ob rem, aut ob quod meritum? profecto ob nullum ipsorum meritum. Omnis enim homo mendax, & cuncta cordis cogitatio intenta est ad malum omni tempore. Et DOMINVS de cœlo proſpiciens super filios hominum, ut uideat si est intelligens aut requirens Deum, inuenit omnes declinare, simul inutiles esse, nec unum quidem esse qui faciat bonum. Ac ut de Abrahamo dicam, qui est gentis Iudaicæ Coryphæus, quid is ab initio aliud fuit quam idololatra? In Ioſua sic ait DOMINVS Deus Israel: Trans fluuium habitauerunt patres ueſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nahor, seruieruntque dijs alienis. Tuli ergo patrem ueſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, &

Israelitæ nomen quàm gratum.

Quod electio fiat propter nullum meritum.

& adduxi eum in terram Canaan. Quod si Abraham longe omnium sanctissimus non suo merito a Domino electus est, quid dicemus de alijs patriarchis? Tametsi enim non audias patriarchas quosdam, ut Isaacum & Iacobum, non designasse homicidia, non commisisse adulteria, aut alia id genus scelera, sed seruijsse Deo, tamen cum omnes in peccatis concipiamur, & filij iræ nascamur, nec hi quicquam merito suæ iusticiæ consecuti sunt. Nullum igitur humanum meritum in causa fuit quod Deus elegit patriarchas in populum suum, sed sola Dei clementia ac misericordia. Elegit autem patriarchas & semen eorum, & dedit eis circuncisionem ac legem, non ut ipsi celebrarentur, nec ut circuncisio & lex perpetua essent religio, sed ut Deus per hunc populum nomen ac potentiam suam toti orbi reuelaret, & ut ex hoc populo certa interim ceremoniarum religione circumscripto & obsignato, Iesum Christum suum uerum saluatorem daret, per quem solum contingeret remissio peccatorum, hoc est, iusticia & uita sempiterna, unde & patriarchis Christum promisit, dicens ad Abrahamum: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Si enim circuncisio ea esset religio, ut iustificaret & saluaret, quid erat opus promissione seminis benedicti & benedicentis? Elegit igitur Deus patriarchas ut ipsis Christum promitteret, ac significaret hunc solum esse omnis benedictionis authorem. Addit Paulus: Et populum in altum extulit cum essent in terra Aegypti, & brachio excelso eduxit eos ex ea, & circiter quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Iterum, non in merita aut sanctitatem populi, sed in diuinam clementiam respicias. Nam quod Deus auxit gentem Israeliticam in Aegypto sub grauissima tyrannide, quod liberauit eos ex Aegypto maximis mirabilibus, quod non funditus extirpauerit eos in deserto, quando aduersus ipsum impijssime murmurabant, soli clementissimæ promissioni eius acceptum ferendum est. Promiserat enim Deus Patriarchis multiplicationem seminis, promiserat liberationem ex Aegypto, promiserat se ex ea gente semen daturum in quo omnes gentes benedicerentur. Vt igitur uerax in sermonibus suis inueniretur, maluit immeritis benefacere & peccatoribus ignoscere, quàm pollicitis suis nec satisfacere, nec fidem seruare. Nondum tamen finis est beneficiorum quæ contulit Deus populo Israelitico. Sic enim sequitur: Ac deletis gentibus septem (hoc est, multis, de quibus capite decimoquinto Geneseos, & in libro Iosuæ scribitur) in terra Canaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc circiter annis quadringentis quinquaginta, dedit Iudices (uidelicet numerando a Mose primo populi duce) usq; ad Samuelem prophetam, & exinde postulauerunt regem, deditq; illis Deus Saul filium Kis, uirum de tribu Beniamin, annis quadraginta. Cuius ergo merito hæc beneficia populo Israelitico contigerunt quod Deus dedit ipsis propriam regionem, cum prius essent exules, propriam policiam, cum antea tyrannide Pharaonis in Aegypto premerentur, proprios iudices ac reges, ita ut efficerentur gens celeberrima, cum antea ipsis nihil erat obscurius aut contemptius? Profecto, quoniam Deus hisce beneficijs pædagogiam instituit usque ad Christum, quemadmodum aliàs Paulus scribit, manifestum est, Israeli propter Christum benefactum esse, ut ea gens incolumis ad generationem Messiæ, secundum carnem seruaretur. Postremo, quo Paulus commode a narratione ad propositionem descendat, addit de Dauide dicens: Et amoto illo suscitauit illis Dauid ut esset rex, cui testimonium reddens dixit: Inueni Dauid filium Iesse secundum cor meum, quia faciet omnes uoluntates meas. Est autem hoc testimonium ex uarijs scripturæ locis compositum. Cæterum, qua de causa Saul a regno amotus sit, quomodo Dauid a Samuele in regem unctus, quomodo regnum administrauerit, quomodo dicatur omnes uoluntates

Dei feciſſe, cum tamen adulterio & homicidio alijſq; magnis ſceleribus aduer ſus Deum peccauerit, non eſt huius loci diſſerere, quando Paulus huius teſti monij Dauidi a Deo exhibiti, nulla alia cauſa mentionem faciat, q̃ ut hac occa ſione ueniat ad ſtatum orationis ſuæ, & oſtendat Meſſiam iuxta promiſſionem
" Dauidi dictam, iam uenisſe. Sequitur ergo: Huius e ſemine Deus, ita ut promi
" ſerat, adduxit Iſraeli ſeruatorem Ieſum. Hic eſt orationis Paulinæ ſtatus, ui delicet, q̃ Ieſus ſit ille Chriſtus ſeu ſeruator, quem Deus longe ante promiſerat,
Summa fidei ſe e ſemine Dauidis daturum. Dicitur enim ad Dauidem: Suſcitabo ſemen tu um poſt te, quod erit de filijs tuis, & ſtabiliam regnum eius. Ego ero ei in patrem ipſe erit mihi in filium, & firmabo ſolium eius uſq; in æternum. Et rurſus: De fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam. Sed quid conor promiſſiones de Chriſto recenſere, quando poſt Dauidem in prophetis nuſquã non obuiæ ſunt? Audiamus autem nunc quomodo Paulus hunc orationis ſuæ ſtatum confir
" met, quod Ieſus ſit Chriſtus ille e Dauidis ſemine adductus. Cum ante, inquit,
" prædicaſſet Ioannes ante faciem intuitus eius baptiſmum pœnitentiæ Iſraeli.
" Cum autem impleret Ioannes curſum, dixit: Quem me arbitramini eſſe? non is
" ſum ego, ſed ecce uenit poſt me, cuius non ſum dignus ſoleam pedum ſoluere.
Hæc eſt propoſitionis Paulinæ confirmatio, ſumpta a teſtimonio Ioannis Ba ptiſtæ. Potuiſſet autem Paulus teſtimonia ducere a miraculis, quæ ædidit Chri ſtus, quæ & a Chriſto ædenda antea a prophetis prædicta ſunt, ſed maluit uti teſtimonio Ioannis Baptiſtæ. Vnde apparet Paulum orationem ſuam habuiſſe apud eos Iudæos qui Ioannem Baptiſtam ut prophetam ſuſpiciebant. Dicit er go, hunc Ieſum eſſe uerum Meſſiam ſeu Chriſtum, non ego ſomnio, ſed Ioan
Teſtimonia Ioannis de Chriſto. nes Baptiſta palam teſtificatus eſt. Poſtquam enim is ſuo miniſterio defunctus eſſet, & Ieſus prædicationis ſuæ miniſterium incœperit, ingenue & aperta fron te confeſſus eſt Ioannes coram legatis Hieroſolymitanis, ſe non eſſe Chriſtum, quem tamen omnes Chriſtum eſſe reputabant, ſed huic Ieſu teſtimonium præ buit, quod ipſe ſit uerus Chriſtus, dicens: Ego baptizo aqua, ſed in medio ue ſtrum ſtat, quem uos neſcitis, ipſe eſt, qui cum me ſequeretur, anteceſſit me, cuius ego non ſum dignus ut ſoluam corrigiam calciamenti. Et rurſus protenſa ma nu in Ieſum, ait: Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi. Ac iterum: Vidi ſpiritum deſcendentem ſpecie columbæ de cœlo, & manſit ſuper eum, & ego non noueram eum, ſed qui miſit me ut baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem uideris ſpiritum deſcendentem ac manentem ſuper eum, hic eſt qui ba ptizat ſpiritu ſancto. Et rurſus intuitus Ieſum ambulantem dixit: Ecce agnus ille Dei. Hæc ſunt fere Ioannis Baptiſtæ teſtimonia, quibus teſtificatus eſt hũc Ieſum eſſe uerum illum Meſſiam per prophetas de ſemine Dauid promiſſum. Quis autem hunc teſtem mendacij arguet? quis ei refragabitur? Tantæ enim fuit authoritatis Ioannes Baptiſta inter omnes Iudæos, ut non ſolum propheta ſed & ipſe Chriſtus (quãuis hoc noluerit agnoſcere) exiſtimatus ſit. Nec quiſ quam unquam inuentus eſt qui probabiliter potuiſſet uerbo Ioannis contradi cere, quanquam inuidi phariſæi id ſæpe tentauerint. Iam & Ieſus ipſe Ioannis teſtimonium producit, primum cum quæreret unde eſſet baptiſmus Ioannis, e cœlo an ex hominibus? Deinde cum Iudæis ad uiolationem Sabbathi reſpon deret, dicens: Si ego teſtimonium perhiberem de me ipſo, teſtimonium meum non eſſet uerum, alius eſt qui teſtimonium perhibet de me. Vos miſiſtis ad Io annem, & is teſtimonium reddidit ueritati. Itaque ſi is IESVS, de quo Io annes Baptiſta teſtificatus eſt, uerus eſt Meſſias ſeu CHRISTVS quomo do non omnia de Meſſia prophetata in ipſum competerent: Ipſe enim eſt, in quo benedicuntur omnes gentes, ſub quo habitabit Iuda confidenter, cuius regnum

perpetuum

perpetuum erit,nec pacis erit finis,ſuper quem requieſcit ſpiritus Domini,ſpiritus ſapientiæ & intellectus,ut medeatur contritis corde,prædicet captiuis indulgentiam,& clauſis apertionem,cuius ſerui non eſurient neq; ſitient, nec percutiet eos æſtus & ſol,quia miſerator eorum reget eos,& ad fontes aquarum potabit eos,quin potius fiet in eis fons aquæ uiuæ ſalientis in uitam æternam. Adhibeamus igitur & nos fidem teſtimonio Ioannis Baptiſtæ,& credamus uere in DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum,ut diuina æternaq; beneficia adſequamur per ipſum,qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto deus laudandus in ſæcula, Amen.

HOMILIA LX.

QVæ in oratione Pauli ad Iudæos Antiochenſes habita ſequuntur,hodie dilectiſſimi explicabimus. Poſtquam enim Paulus propoſuit orationis ſuæ ſtatum, uidelicet, q̃ deus ex ſemine Dauidis,ita ut promiſerat, adduxerit Iſraeli ſaluatorem Ieſum,& confirmauit hanc propoſitionem teſtimonio Ioannis Baptiſtæ, progreditur nunc ad aliam confirmationem, & probat ex reſurrectione Ieſu a mortuis, q̃ is ſit Meſſias,uerus Iſraelis ſaluator,Dauidi quondam promiſſus. Priuſquam autem ad commemorandam Chriſti reſurrectionem ueniat,narrat ſummatim paſſionis Chriſti hiſtoriam,demonſtrans ab initio ad quos pertineat hic ſaluator Ieſus ita dicens: Viri fratres filij generis Abrahæ, & qui inter uos timent Deum, uobis ſermo ſalutis huius miſſus eſt. Primum enim omnium obſeruandum eſt, Dominum deum noſtrum promiſiſſe daturum ſe ſaluatorem illum Meſſiam benedictum,non e progenie incircunciſarum gentium, ſed e genere Abrahæ. Ad uos igitur potiſſimum pertinet ſermo ſalutis huius, qui eſt Euangelion de Ieſu Chriſto. Atq; hoc illud eſt, q̃ dum Chriſtus adhuc in carne uiueret, noluit accipere panem filiorum & dare canibus,dicens ſe non eſſe miſſum niſi ad oues perditas Iſraelis, ac uetuit Apoſtolis ſuis ne in uias gentium irent, quod quidam poſt reuelationem ſpiritus ſancti præpoſtere imitantes,noluerunt cuiquã Euangelion de Ieſu Chriſto prædicare præterquam Iudęis,quemadmodum ſupra demonſtratum eſt. Alij autem incircunciſas gentes, quamuis credẽtes in Chriſtum Ieſum,recipere noluerunt in communionem Euangelij,niſi prius ſecundum legem Moſi circunciderentur. Sentiebãt enim quia promiſerat deus ſe Chriſtum e ſemine Abrahæ daturum,eum quoq; ad ſolum carnale ſemen Abrahæ, aut eos qui per circunciſionem huic ſemini adderentur pertinere. Sed hi partim non intelligebant conſilium Chriſti,quo is Apoſtolis uetuerat, ne ſe uiuo in carne ad gentes proficiſcerent̃,partim neſciebant qui eſſent uere ſemen Abrahę. Etenim noluit Chriſtus ut Euangelion ante aſcenſionem ſuam in cœlos,gentibus prædicaretur,ob hanc uidelicet cauſam,ut quia genus Abrahæ primum fuerat in accipienda promiſſione de Chriſto, primum quoq; eſſet in audiendo Euangelio de Chriſto iam præſente,nequaquam uero ob hanc cauſam q̃ gentes, niſi ſecũdum legem Moſi circunciderentur,non pertinerent ad Chriſtum. Huc accedit q̃ non oẽs qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael, neq; quia ſunt ſemẽ Abrahæ, ſtatim oẽs filij, ſed per Iſaac nominabitur tibi ſemen, hoc eſt, non qui filij carnis hi filij dei, ſed qui filij promiſſionis recẽſentur in ſemen. Proinde ſi gentes in promiſſionẽ de Chriſto Abrahæ factã crediderint, fiũt & ipſę ſemẽ Abrahæ, etiãſi non circuncidant̃. Si aũt fiũt ſemẽ Abrahæ, ptinebit etiã ad ipſas Chriſtus. Tametſi v̄o Chriſtus, gentiũ q̃q; Chriſtus ſit, ut ſupra oſtẽſum eſt, & poſtea manifeſtius ſequit̃, tñ oportebat p̃pter promiſſionẽ, primũ Iſraelitis Euãgelion de Ieſu Chriſto adnunciari.

Quod Chriſtus Iſraelitis peculiariter datus ſit.

Vnde Paulus in hac oratione ad Iudæos apostrophen facit dicens: Vobis qui estis filij generis Abrahæ & timetis Deum, sermo salutis huius missus est. Quis sermo? ꝙ deus adduxit Israëli saluatorem Iesum, uerum Messiam, olim promissum. Hic sermo potentia Dei est ad salutem omni credenti, & est administratio spiritus ac iusticiæ, sic enim Paulus uocat ministerium Euangelij. Vbi autem est spiritus & iusticia, ibi non est seruitus peccati, sed libertas, hoc est, priuilegium filiorum Dei. Qui autem habet priuilegia filiorum Dei, quid obiecro illo fœlicius, quid beatius? Quæcunq; enim Deus possidet, hæc & ille possidet per Christum Iesum, per quem filius Dei efficitur quisquis credit in eum. Sed ut pergamus in explicatione huius orationis Paulinæ, potuissent Iudæi Antiochenses ad hoc uerbum Pauli obstrepere & reclamare ac ita dicere: Qui possumus in animum nostrum inducere, ut credamus, ꝙ huius salutis sermo ad nos potissimum missus sit, quando nos inter Iudæos obscurissimi & miserrimi simus, quippe qui expulsi a sedibus nostris paternis, a regione Hierosolymitana, & exules uiuimus inter gentes. Quin si res ita se habet ut tu affirmas, & Messias ille generi Abrahæ promissus certo aduenit, cur non potius annunciatur hoc incolis Hierosolymitanis, ad quos, quoniam sunt populi, principes ac pontifices, potissimũ præ alijs utilitas Messiæ pertinere uidetur. Nam ꝙ Iudæi Antiochenses huiusmodi quæpiam secum in animo agitauerint, non tam e sequentibus uerbis Pauli, cꝫ ex ingenio hominum abiectorum & humilium notatur. Hi enim quia in mundo contempti sunt, putant se etiam coram Deo contemptos esse, & quicquid de clementia ac beneficijs Dei prædicatur, existimant minime ad se, maxime autem omnium ad claros & nobiles huius sæculi principes, & nescio quos religiosos sanctos pertinere. Sed Paulus respondet ad has abiectorum hominum cogitationes, & ostendit causam quare Hierosolymitani principes & pontifices nulla utilitate Messiæ fruantur, ita dicens: Qui enim habitabant Hierosolymis, & principes eorum cum ignorarent illum, & uoces prophetarum, quę per omne sabbathum leguntur, condemnato eo impleuerunt, nullaq; causa mortis inuenta petierunt a Pilato, ut interficeret illum. Cunq; consumassent omnia quę de eo scripta erant, depositum de ligno, posuerunt in monumento. Pertinebat quidem Messias potissimum ad incolas Hierosolymitanos & principes eorum, sed accidit eis iuxta ueterem consuetudinem, ꝙ quibus parantur beneficia, hi minime omnium ea consequuntur. Tametsi enim ex ueteri eoq; optimo instituto, oracula prophetarum per omne Sabbathum de Messia & regno eius leguntur, exponuntur, & fere ad nauseam usq; inculcantur, principes tamen & pontifices Hierosolymitani præ cæcitate mentis suæ, nihil eorum oraculorũ intellexerunt, sed excæcati impleuerunt in condemnando & abijciendo Messia, omnia quæ quotidie de ipso prophetata legebant. Quæ autem sunt ista? Primum de Messia in Psalmo dicitur: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Ac rursus: Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant uinum. Et iterum: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Ac in alio psalmo: Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem uti q, & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu uero homo unanimis dux meus & notus meus. Qui simul me dulces capiebas cibos in domo dei ambulauimus cũ consensu. Et in alio: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ac iterum in alio: Lapidem reprobauerunt ædificantes. Et rursus in Esaia: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Ac in Daniele: Post heptomadas septuagínta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et iterum in

Testimonia passionis Christi.

rum in Zacharia: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet. His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, framea suscitare super pastorem meum, & super uirum cohærentem mihi, dicit Dominus Sebaoth. Ac multa alia in psalmis & prophetis legũtur, quæ testificantur Christum passurum, idq; a suo ipsius populo. Dicit ergo Paulus, q; Hierosolymitani ideo nullam utilitatem e Christo accipiant, quia reiecerunt & occiderunt eum ac inscientes impleuerunt ea, quæ de ipso quotidie in templo & Synagogis legebant. Primum igitur obseruabis, necessarium quidem esse ut sacra scriptura, uel legatur uel audiatur, non autẽ sufficit legere uel audire, sed requiritur, ut quæ mandata q̃dem sunt obseruentur, quæ aũt promissa, credantur. Sic enim fit, ut & quæ prophetata sunt intelligantur. Dicit enim propheta. Nisi crediderit is non intelligetis. Nonne etiam hactenus ab initio Ecclesiæ recens ortæ utrunq; testamentum, uetus & nouum legimus? & quid in his aliud prædicatur, quam ut amplectamur Christum, fugiamus aũt Antichristũ? Sed quia mandatis dei non obediuimus, ideo primũ ignorauimus Christũ, deinde inscientes secuti sumus Antichristũ, cum tñ quotidie admonuerint nos Apostolicę literę, ut ab Antichristo caueamus. Deinde qa Hierosolymitanis potissimũ Christus deputatus est, hi tñ reiecto eo, minimã ex eo utilitatem perceperunt. Adnotandum est ex illo, quod fere ita accidere solet, ut hi minime ea bona consequantur, quibus maxime deputantur. Nonne Abraham deputabat omnem benedictionem Ismaeli, sed illo ex ædibus eiecto, Isaaco benedictio contingit. Nonne Isaac iam senex, eam benedictionem Iacobo exhibebat, quam existimabat se habere Esau? Ad Iudæos missi erant prophetæ, Elias & Eliſa, sed illius quidem fructum percepit uidua Sareptana, huius autem Naaman Syrus, egentibus interim uiduis, & in lepra manentibus leprosis Iudæis. In parabola quoq; Euangelij, nouissimi fiunt primi & primi nouissimi. Et pharisæus iustus, ut sibi uidebatur, in templũ ascendebat, publicanus autem iniustus, sed præripuit publicanus pharisæo iusticiam, & descendit de templo iustificatus, pharisæo iniustissimo omnium descendẽte. Hæc nobis amicissimi ob hanc causam ob oculos ponuntur, ut aliena insania fruamur, & præsentia Dei beneficia non fastidiamus, sed grato animo suscipiamus, ne ob ingratitudinem a nobis ablata ad alienos transferantur. Quid autem de Iesu Christo factum est postquã Iudæi eum reprobauerunt & crucifixerunt? Num sicut reprobatus est ab hominibus ita & a Deo reprobatus est? minime gentium, sic enim sequitur: Deus autem suscitauit eum a mortuis. Quæ res etiam nobis per Christum magnam affert consolationem, q; sicut ille a Deo assumptus est postquã reprobauerunt eum Iudæi, ita si nos in Christo per fidem perduremus, tunc potissimum a Deo assumemur, cum maxime ab omnibus hominibus abijcimur & derelinquimur. Sed quo testimonio comprobatur hunc Iesum a mortuis esse resuscitatum? Visus est, inquit, per dies multos his qui simul ascenderant cum eo a Galilæa Hierosolymam, qui sunt testes eius apud plebem. Hæc probatio conuenit cum ea qua aliãs Petrus utit. Hunc, inquit Petrus, Iesum suscitauit Deus, cuius omnes nos sumus testes. Et iterum: Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus ad hoc prius delectis a Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo postquam resurrexit a mortuis. Addit huic Paulus suum ac Barnabæ testimonium dicens: Et nos uobis annunciamus, quod eam remissionem quæ ad patres facta est, Deus adimpleuerit filijs illorum, nimirum nobis, resuscitato Iesu. Quæ ergo est illa promissio ad patres facta? certe ea est quæ scribitur in psalmo primo (qui enim a nobis primus habetur, is prologi uice psalmis præpositus esse uidetur) filius meus es tu, ego hodie genui te. Qua uoce quid aliud nobis Deus promisit, q̃ q; uelit mittere filium suũ

in carnem,in quo patri ita complacitum est ut per ipsum habeamus iusticiam,sanctificationem & redemptionem: Et quid ea uox aliud est quam quod baptisato Iesu de cœlo auditum est a patre: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est, hunc audite. Quod igitur Patribus quondam promissum est, hoc
„ adnunciamus nunc in Iesu Christo resuscitato impletum esse. Quod autem su-
„ scitauit eum a mortuis,iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit:
„ Dabo uobis sancta Dauid fidelia,Ideo & aliàs dicit: Non permittes ut sanctus
„ tuus uideat corruptionem. Prius illud testimonium sumptum est ex Esaia capite quinquagesimo quinto. Et quia Lucas hanc historiam græce scripsit, citauit etiam testimonia scripturæ iuxta græcorum, quam septuaginta uocant,tralationem,hi enim sic legunt:Dabo uobis pactum sempiternum,sancta Dauid fidelia. Iuxta Hebræam autem ueritatem sic legitur:Feriam uobis pactum sempiternū, misericordias Dauid fideles. Idem autem sensus est utrobiq;, promittit enim deus se sancte,fideliter ac firmiter seruaturum pactum cum Dauide percussum, & promissionem Dauidi dictam. Hoc autem pactum & promissio scribitur in posteriori libro Samuelis capite septimo:Cum dormieris cum patribus tuis,suscitabo semen tuum post te,quod egreditur de utero tuo, & stabiliam thronum regni eius usq; in sempiternum. Et in psalmo octuagesimo nono: Semel iurauí in sancto meo, si Dauid mẽtiar,semen eius in æternum manebit,& thronus eius sicut sol in conspectu. Iam cum deus promisit se Christo filio Dauidis daturum perpetuum regnum,nonne eo ipso recepit se illum a mortuis resuscitaturum, ut nunquam amplius intereat,alioqui,quomodo aut mortuus aut mortalis resuscitatus perpetuo regnaret? Posterius testimonium sumptum est e psalmo decimo sexto, quo etiam Petrus in prima sua concione Hierosolymis ad comprobandam resurrectionẽ Christi usus est. Et sicut illic Petrus demõstrauit hũc psalmi locum,non posse intelligi de ipso Dauide, propterea quod ut ait, defunctus est & sepultus,& sepulchrum eius est apud nos usq; in hodiernum diem, ita & Paulus hoc loco docet, testimonium illud psalmi nequaquam posse de Dauide intelligi,dicens:Dauid quidem cum suæ ætati inseruisset,consilio Dei dormiuit,
„ & appositus est ad patres suos, uiditq; corruptionem. At is quem deus suscitauit non uidit corruptionem. Post testimonium igitur Ioannis Baptistæ, etiam illud probat euidentissime Iesum esse Christum seruatorẽ,quia resurrexit a mortuis,non amplius moriturus. Vnde & Paulus ad Romanos scribens ait: Declaratus fuit filius dei cum potentia,secũdum spiritum sanctificationis ex eo quod resurrexit a mortuis. Confirmato autem statu orationis, infert Paulus Epilogum dicens: Notum igitur sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio
„ peccatorum annunciatur,& ab omnibus a quibus non potuistis per legem Mosi
„ iustificari,per hunc omnis qui credit iustificatur. Hæc est prior pars peroratio-
„ nis,in qua postquam Paulus demonstrauit Iesum esse Christum uerum saluatorem,hortatur auditores suos ut credant in illum,explicans quæ beneficia credentibus per illum contingant. Per hunc, inquit, omnis qui credit iustificatur. Si enim is est Christus,sicut uere est, consequitur etiam per hunc contingere credentibus iusticiam. De illo enim scriptum est: In scientia seu cognitione sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Et paulo ante: Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,disciplina pacis nostrę super eum,& liuore eius sanati sumus. Hæc declarant quod Christus pro peccatis nostris sua passione satisfecerit, & peccata remiserit,remissio autem peccatorum est iusticia credentium, proinde credẽtes per Christum iustificantur. Cæterum in hac peroratione, accuratissimo studio obseruanda est ἀντίθεσις, quam ponit Paulus inter Christum & legem Mosi, sic

dicens:

dicens: Annunciatur uobis remissio ab omnibus, nimirũ peccatis, a quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc autem, uidelicet, Iesum Christum omnis qui credit iustificatur. Lex enim Mosi tribus potissimum partibus constat, altera præcipit cæremonias, ut circuncisionem, sacrificia, festa, & id genus cultus, altera præcipit politica seu ciuilia, ut quæ ad functionem magistratus ciuilis pertinent, altera præcipit ethica seu moralia, ut quæ ad unumquemuis priuatim pertinent. Itaq; si per legem Mosi nemo iustificatur, consentaneum est nec operibus cæremonialibus, nec operibus ciuilibus, nec operibus moralibus possunt peccata expiari ac purgari. Nullum autem est opus humanum, quod non in aliqua istarum partium continetur. Nullum igitur opus humanum tanti meriti est, ut propter ipsum peccata remittantur, hoc est, homines iustificẽtur. Per quid ergo adsequimur remissionem peccatorum & iusticiam? Profecto nihil aliud per quod iustificamur, quàm si credamus in Iesum Christum, hic enim est iustitia nostra, hic sanctificatio & redemptio nostra, propter solum hunc & huius solius meritum credentes iustificamur coram Deo. Atq; hoc Pauli dictum eo diligentius obseruandum est, quod sit basis, fundamentum & status Christianæ doctrinæ, quo uerus Christianismus ab omnibus alijs religionibus distinguitur. Omnes enim religiones in hoc conueniunt, quod polliceantur iusticiam & fœlicitatem. Sed in hoc differunt quod alię quidem pollicentur iusticiam & fœlicitatem propter merita operum, uidelicet, Ethnica, propter hecatombas & sacrificia Idolorum, Philosophica, propter uirtutes morales, Iudaica, propter circuncisionem & sacrificia ac opera legis, Turcica, propter cultus Mahometicos, Papistica, propter merita certorum ieiuniorum aliorumq; operum, Christiana autem religio propter Iesum Christum per fidem. Et quia huius religionis doctrina per scripturas tradita, per prophetas adnunciata, per Christum ipsum ac Apostolos eius prædicata, & per maxima clarissimaq; miracula confirmata est, abiectis omnibus alijs religionibus, hanc solam teneamus, quod per Iesum Christum contingat nobis remissio peccatorum, & quod per hunc solum omnis qui credat iustificetur. Posterior pars perorationis continet comminationem. Dicit enim Paulus: Videte ergo ne superueniat uobis quod dictum est in prophetis: Videte contemptores & admiramini & euanescite, quia opus operor ego in diebus uestris, quod non creditis si quis enarrauerit uobis. Hæc comminatio sumpta est ex propheta Abacuc capite primo, & usurpat eam Paulus ad suum propositum, sicut solent prophetarum dicta ad quosuis similes casus accommodari. Etenim Abacuc hortabatur ciues Hierosolymitanos ad resipiscentiam, ne & ipsi pereant, & regio eorum deuastetur. Cum autem illi exhortationem eius contemnerent, ac confiderent in templum Domini & in muros Hierusalem, minatur eis excidium per gentes dicens: Aspicite in gentes, & uidete & admiramini & obstupescite, quia opus faciam in diebus uestris, quod nemo credet cum narrabitur, hoc est, contemnitis meam admonitionem & existimatis, quia estis populus Dei, & templum dei apud uos est, ac habitatis urbem sanctam Hierusalem, gentes externas nequaquam posse uestram urbem expugnare ac deuastare. At ego minime uanus propheta uaticinor uobis, quod Dominus per gentes incircuncisas tam crudelia & horrenda facta erga uos exercebit, ut prorsus incredibilia uideantur. Adducet enim Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ uolantis cum impetu, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli & deuoret fructum iumentorum tuorum, quæ & destruet urbes ac muros tuos in quibus habebas fiduciam, præsertim autem urbem Hierusalem solo æquabit, templum Domini igni comburet, ac uos captiuos

Discrimen legis & Euangelij.

Cõminatio in cõtemptores Euangelij.

ducet usq; ad extremos terminos terræ. Hoc cum nunc uobis prædicitur, ualde ridiculum uobis uidetur, & iudicatis prophetas, qui hæc uaticinãtur, prorsus insanos, quippe q; existimetis nec templum nec urbem Hierusalem posse a gentibus uiolari, attamen quia non resipiscitis, hæc certissime uentura sunt. Proinde, si displicet uobis interitus, placeat resipiscentia, & effugietis interitum. Hæc est sententia Abacuc. Eodem plane sensu accommodat Paulus dictum illud prophetæ ad suum institutum, hortabatur enim Iudæos, ut Iesum Christum fide amplectantur, & nisi credant in Christum, minatur eis hoc dicto Abacuc grauissimum supplicium, Videte, inquit, si nolueritis in Christum credere, ne accidat uobis quod quondam ciuibus Hierosolymitanis accidit. Illorum enim diebus operatus est Dominus opus quod nemo credebat cum prædicebatur. Nam Hierusalem & templum quibus illi fidebant, deuastabantur, & ipsi in captiuitatem Babylonicam abducebantur. Sic etiam si nunc reieceritis Iesum Christum & non crediderítis in eum, sed confisi fueritis in hoc q; sitis semen Abrahæ, & hactenus habiti sitis pro populo Dei, sicut illi non credebant oraculis Prophetarum, qui de Christo uaticinabantur, sed confidebãt in Hierusalem & templum, tunc operabitur DOMINVS in diebus uestris opus quod nemo credat si quis nunc enarrauerit uobis. Quod est illud opus? Abijciet DOMINVS uos Iudæos in extremam cæcitatem, auferet a uobis omnem suam benedictionem, excludet uos ab omnibus uestris priuilegijs, ut non amplius sitis populus Dei, sed populus perpetuæ damnationi traditus, & assumet gentes incircuncisas in populum suum. Et erit iuxta prophetam in loco ubi dicetur eis, non populus meus uos, dicetur eis, filij Dei uiuentis. Admirabile quidem & incredibile est hoc opus in oculis uestris, at nisi crediderítis in Christum, omnino futurum est. Ac quod Paulus Iudæis comminando prædicit, hoc etiam accidit eis, nam Iudæi propter incredulitatem excæcati & abiecti sunt. Gentes autem in populum dei per Christum electæ sunt. At quia & nos e gentibus sumus, non est q; efferamur animo, sed timeamus, nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Proinde dilectissimi, non abijciamus a nobis Christum Dominum nostrum per incredulitatem, sed teneamus eum per fidem, ut remissionem peccatorum, iustitiam & redemptionem consequamur, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXI.



EXplicuimus, dilectissimi, pro mediocritate nostra concionem Pauli, quã is in Antiochia Pisidiæ habuit, audiamus nunc quẽ fructum ea concio auditoribus attulerit. Egressis, inquit Lucas, e cœtu Iudæis, rogabant Gentes, ut intra Sabbathum loquerentur sibi uerba. Soluto autem cœtu, secuti sunt multi Iudæi & religiosi proselyti Paulum & Barnabam, qui alloquẽtes suadebant eis ut perseuerarent in gratia Dei. Recte assimilatur a Christo regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere piscium contrahenti. Quid enim in hac comparatione regnum cœlorum aliud est q; prædicatio Euangelij? Paulus igitur misso prædicationis suæ uerriculo in mare Synagogæ Antiochenæ, ad quam aduentu Pauli & Barnabæ confluxerant, non Iudæi solum sed etiam Gentes, quibus alioqui cum Iudæorum Synagoga nihil erat commune, contrahit ad se primum Iudæos aliquot pios ac proselytos, hoc est, Iudæos non natos, sed e Gentibus factos, qui postquam solutus est cœtus, secuti sunt Paulum & Barnabam, Iesum Christum

ſtum agnoſcentes & confitentes. Res admiranda & ſtupenda. Hi Iudęi, una eaq; breuiſſima de Ieſu Chriſto concione, ad fidem in Chriſtū conuertuntur. Nos ne innumeris quidem concionibus inuitamur, ut Chriſtum uera fide complectamur. Hoc enim non eſt Chriſtum fide complecti, ore quidem nomen Chriſti extra periculum perſecutionis confiteri, & interim tota uita & corde ac opere a Chriſto diſſidere & cum Chriſto pugnare. Nam ubi cor plenum eſt incredulitate in afflictiõibus & aduerſitatibus, & ubi opera cum uerbo Chriſti pugnant, quomodo poteſt illic eſſe fides in Chriſtum? Vnde Iacobus in Epiſtola ſua dicit: Fides ſi facta non habuerit mortua eſt per ſe. Et Ioannes: Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſq; adhuc. Ac rurſus: Omnis qui non facit iuſticiam, non eſt ex Deo. Nulla igitur eſt fides ubi nulla ſunt fidei opera. Porro autem inter nos nulla aut pauciſſima uidentur fidei opera, ſed cumulamus potius peccata peccatis. Frequentiſſimæ tamen de Chriſto conciones habentur. Quod igitur ſupplicium nobis imminet, quia multi Iudæi Antiochenſes una concione ad Chriſtum conuerſi ſunt, noſtrum uel pauciſſimi multis concionibus non conuertimur? Profecto non ſolum Niniuitæ, non ſolum Tyrus & Sydon, ſed etiam hi Iudæi in iudicio ſurgent & condemnabunt nos. Sed obijcies, Iudæi iſti ante fuerunt uiri religioſi ac pij, quemadmodum Lucas inquit, non igitur nunc primum ad pietatem & religionem conuerſi ſunt? Fateor, uocantur a Luca religioſi, ſed quia Paulus, referente eodem Luca, in hac concione dixit, per Chriſtum adnunciatur uobis remiſſio peccatorum, & ab omnibus a quibus non potuiſtis per legem Moſi iuſtificari, per hunc omnis qui credit iuſtificatur, non eſt intelligendum quod hi Iudæi, priuſquam in Chriſtum crediderunt, ita religioſi fuerint, ut & coram Deo iuſti habiti ſint, ſed quod religionem legis Moſaicæ magno ſtudio ſectati ſunt. Per externa autem eius religionis opera nemo nec iuſtificatur nec ſaluatur. Proinde illi nunc primum ueram iuſticiam conſecuti ſunt, poſtquam uere in Chriſtum crediderunt. Deinde contrahit etiam Paulus ad ſe uerriculo prædicationis ſuæ Gentes, egreſſis enim e cœtu Iudæis, rogabant Gentes Paulum & Barnabam, ut interim dum ſequens Sabbathum aduenire, ſibi uerba loquerentur. Hæc autem gentium petitio quid aliud declarat, quam ingens audiendi Euangelij deſyderium? Ex quo deinceps apparet quæ ſit genuina Euangelij natura, nimirum tantæ dulcedinis, iucunditatis & uoluptatis, ut in auditore credulo ſemper poſt ſe ingens deſyderium ſui relinquat. Vnde alias ſub nomine ſapientiæ dicit: Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient. Quid ergo Chriſtus ait ad mulierem Samaritanam: Omnis qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum, quiſquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitierit in æternum, ſed aquam quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in uitam æternam? Nonne Chriſtus de Euangelio loquitur, per quod datur ſpiritus ſanctus? cur ergo Euangelio credentes alibi dicuntur amplius ſitire, alibi minime ſitire? Vtrunq; recte dicitur, ſi utrunq; recte intelligatur. Nam qui Euangelion ex fide audiunt, omnium diuinorum bonorum participes ac hæredes fiunt. Vnde fit ut nihil amplius deſyderent aut ambiant, poſſident enim in Chriſto omnia cœleſtia bona per fidem, ſed quia nondum reipſa ſentiunt hanc cœleſtium bonorum per fidem hæreditatem, ideo ſemper ſitiunt Euangelij Verbum, ut illud audiant per quod tanta bona eis promittuntur & donantur. Quemadmodum enim quiſpiam in hoc ſæculo habens ſecum ditiſſimi ciuis literas teſtamentarias, in quibus ipſe hæres ſcriptus eſt, non ſitit quidem maiorem hæreditatem, quippequod nondum meruerit promiſſam, ſed geſtit tamen frequenter legere uel audire literas, per quas de hæreditate certior redditur.

Nullam eſſe fidē ubi nulla ſint fidei opera.

Credentes quare alibi dicuntur ſitire alibi uero non.

Ita Euangelio credens satis bonorum per fidem possidet, nec maiora cupit, sed tamen semper desyderat audire literas testamenti (Euangelij autem uerbum literæ testamenti sunt) ut in fide sua qua tanta bona possidet confirmetur. Quare postquam gentes semel gustauerunt dulcedinem bonorum Christi e concione Pauli, implentur quidem per fidem bonis cœlestibus, sed quo maiora & gratiora sunt illa bona, eo ardentius petunt, ut audiant Verbum illud per quod tanta bona eis donantur. Immane, quantum nos a pijssimo illorum desyderio distemus, nam quo plura nos de Christo audimus, eo languidiores efficimur auditores, & idem accidit nobis in Euãgelij auditu, quod quondam Iudæis in esu mannæ, de quo cœlesti cibo dicebant, anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Quæ igitur causa est quod tanto fastidio uerbum Euãgelij abominemur? Num quia Euangelij adnunciatores non æquant Apostolos sanctitate? at Verbum Euangelij nõ habet suam energiam & spiritum e sanctitate Apostolorum, sed e ueritate Christi. Num quia Christus nunc non est tam efficax aut potens quàm olim erat? Absit. Iesus enim Christus heri & hodie idem est etiam in sæcula. Et data est Christo omnis potestas in cœlo & in terra. Num fortassis nõ idem Verbum nunc prædicatur quod quondam Apostoli prædicarunt? At hoc est summum piorum Ecclesiastarum studium, ut Ecclesiæ nihil aliud præter germanas Christi & Apostolorum conciones ac syncerum Euãgelion de Iesu Christo adnuncient. Nonne & nos superioribus diebus audiuimus concionem Pauli Antiochiæ habitam, qua multi Iudæi & Gentes ad fidem conuersi sunt, & audiuimus non tantum uerba eius concionis, sed etiam dilucidiorem interpretationem. Qui ergo fit, quod nec pauci auditores ex ea mouentur ut Christum uera fide agnoscant? Profecto nihil aliud dici potest, quàm quod de patria Christi scriptum est: Non poterat, inquit Euangelista, ullam ibi uirtutem ædere. Quare? propter incredulitatem eorum. Ad eundem modum nostra quoq; incredulitas in causa est, quare idem Verbum quod quondam Apostoli prædicarunt, nõ eundem fructum afferat quem quondam in auditoribus attulit. Abijciamus igitur fratres horribilem illam incredulitatem, & præbeamus nos Verbo Euangelij obsequentes, ut & Euangelicis fructibus ornemur. Porro autem non solum Iudæi illi & Gentes, de quibus ante mentio facta est, Euangelij uerbum sistierunt, sed postquam rumor huius sermonis in urbem Antiochiæ diuulgatus est, omnes fere ciues desyderio audiendi Euangelij affecti sunt. Sequenti enim Sabbatho pene uniuersa ciuitas conuenit ad audiendum sermonem dei. Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, contradicentes ac loquentes blasphemias. Obserua quàm minime possit Satan ferre successum Euangelij, & ut hoc loco remoram ei inijciat, Iudæos excitat, qui repleti zelo, ita aduersus Paulum debacchãtur, ut etiam ipsum Euangelij uerbum blasphemarẽt. Qualem igitur hunc dicemus zelum qui blasphemias contra Euangelion efflat? Profecto, haud quaquam talem, quali Pinehas quondam commotus, arrepto pugione confodit scortatorem Israelitam & scortum Midianiticũ, nec quali Elias occidit prophetas Baal, sed de quali Christus dicit: Veniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo, & quali nuper Paulus ipse multos sanctorum carceribus inclusit, per omnes Synagogas frequenter puniuit, blasphemare compulit, & usq; in exteras ciuitates persecutus est. Ac habebant quidem Iudæi honestum zeli sui prætextum, nimirum, quod sollíciti uidebantur, ne sacrosancta lex Mosi per prædicationem Pauli prophanaretur & abrogaretur, ac tota ciuitas a Paulo falsa doctrina seduceretur. Sed hic zelus reuera erat ipsissima inuidia. Videntes enim multas

Quare tam pauci credant Euangelio.

Zelus malus.

multas turbas ad concionem Pauli conuenire urebantur gliſcenti gloria Pauli & Barnabæ, & timebant, ne ſpreta doctrinæ eorum authoritate, uniuerſa ciuitas ſolam Pauli & Barnabæ doctrinam amplecteretur, exiſtimantes Apoſtolorum gloriam ſuam eſſe ignominiam & infamiam. Hoc igitur liuore commoti in Apoſtolos & doctrinam eorum horribiles blaſphemias expirant, putantes ſe ſucceſſum doctrinæ eorum impedituros, ſuæ autem authoritatis fœlicitatem adiuturos. At fallitur prorſus inuidia, quod exiſtimet alienam gloriam ſuam eſſe ignominiam, & ſe poſſe malis artibus alienam fœlicitatem impedire, ſuam autem adiuuare. Nonne quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, unum corpus ſumus? ſi autem unum corpus, quomodo unius membri proſperitas non etiam alterius proſperitas eſſet? Et ſi DOMINVS deus noſter decreuit ſeſe proximo tuo benefacere, quis es tu qui poſſis decretum Dei impedire? Malis artibus maledictio paratur, non benedictio, & tu ſperares tua iniquitate poſſe te proximi fœlicitatem remorari, tuam autem adiuuare. Sed fortaſſis importune in hunc inuidiæ locum delabor, at quia pio auditori nulla pietatis doctrina importuna eſt, pauciſſima illa de inuidia perſtringere uolui, ut oſtenderem inuidia nihil iniquius, nihilq; ſceleratius, adeoq; ſumma opera cauendum eſſe. Pergamus autem ad explicanda ea quæ ſequuntur. Tunc ſumpta fiducia Paulus ac Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui ſermonem Dei, ſed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad Gentes, ſic enim nobis præcepit DOMINVS. Poſui in te lucem Gentium, ut ſis ſalus uſque ad extremum terræ. Quod Lucas dicit Paulum & Barnabam fiduciam ſumpſiſſe, ſignificat ueram fidem, qua Paulus & Barnabas præditi fuerunt, ex contradictione & perſecutione aduerſariorum, ualidiorem potius ac potentiorem quàm imbecilliorem fieri. Nam qui ſunt infirmi in fide, hi quouis doctrinæ uento circumferuntur, & adquamuis cuiuſuis contradictionem dubitare incipiunt, ſed quorum corda opulentia certæ perſuaſionis intelligentiæ per ſpiritum CHRISTI confirmata ſunt, hi per aduerſarios magis magisque confirmantur. Aurum igne probatur, non corrumpitur, flores uento exagitati, flagrantiorem odorem ſpirant, tantum abeſt, ut odorem amittant, ita fides aduerſis exagitata, multo auctior redditur. Sed quid Apoſtoli ſumpta fiducia agunt? Derelinquunt Iudæos & conuertuntur ad Gentes. Vobis, inquiunt, primum debebatur hoc officij, ut Euangelion de IESV CHRISTO uobis prædicaretur. Principio ob eam cauſam, quia CHRISTVS genti ueſtræ promiſſus eſt per Prophetas. Deinde quia ex progenie ueſtra natus eſt. Poſtremo, quia & ipſe miniſtrum circunciſionis egit, & in gente ueſtra curſum miniſterij ſui compleuit. Nunc autem, quoniam non reijcitis ſolum doctrinam uitæ, ſed etiam blaſphemia eam afficitis, & mauultis perire quàm ſeruari, uos quidem ueſtrapte culpa peribitis, nos autem mundi a ſanguine ueſtro, deinceps incircunciſis Gentibus Euangelion prædicabimus. Ne autem temere uideantur, relictis Iudæis ad Gentes diuerti, addunt Paulus & Barnabas uaticinium Eſaiæ, quo Propheta ille prædixit CHRISTVM non ſolum prædicandum eſſe Iudæis, uerum etiam Gentibus. Sic enim apud Eſaiam capite quadrageſimo nono legitur. Et dixit DOMINVS: Parum eſt, ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iſrael & feces Iſrael conuertendas, Dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Hæc uerba de IESV CHRISTO dicta ſunt, nimirum, quod Chriſtus non ſolum aſſumpturus ſit Iudæos, ſed etiam illuminaturus & ſaluaturus Gentes. Nemo aũt illuminatur ac ſaluatur niſi per Euange-

Reiectio Iudæorum.

lion, siquidem est potentia Dei ad salutem omni credenti. Proinde significauit Esaias suo uaticinio Euangelion inter Iudæos & Gentes spargendum fore, & sonum Apostolorum in omnem terrarum orbem exiturum. Sed quoniam aliàs sæpenumero de uocatione Gentium diximus, & paulo post plura dicentur in capite decimo quinto, & Paulus hoc negocium ad Romanos pluribus tractat, intermissa nunc hac re, persequemur sequentia. Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant sermonem Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Ob quam causam, ais, Gentes gauisas esse? num quia Euangelion auferendum erat a Iudæis? at hoc est hominum inuidorum, qui solent gaudere ad ruinam eorum qui ipsos oderunt, & exultare, si inuenerit ipsos malum. Qui autem ita in ruina aliorum gaudent, haud quaquam, ut Salomon ait, impune ferunt. Et Paulus ad gentes de casu Iudæorum gloriantes ait: Bene dicis, per incredulitatem defracti sunt, tu uero fide constitisti, ne efferaris animo, sed timeas, nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat ut nec tibi parcat. Dicemus igitur Gentes hoc loco gauisas esse, non quia Iudæi abiiciantur, hoc enim magis deplorandum quàm gaudio prosequendum erat. Sed quia ad ipsas lux, salus & uita æterna peruentura essent. Hactenus enim Gentes erãt abalienatæ a Republica Israelis, extraneæ a testamentis promissionis, spem non habentes, deoq; carentes in mundo, nunc autem per Christum Iesum, qui quondam longinqui erant, fiunt propinqui & participes ut Christi, ita omnium beneficiorum, quæ Prophetæ Christum credentibus elargiturum prædixerunt. Quis igitur ad tanta beneficia accipienda uocatus, non summo gaudio afficeretur? Quis non ingenti lætitia tanta bona excíperet? quis non magna animi gratitudine tam salutifera dona dei amplecteretur? Vnde & Lucas Gentium gratitudinem ostendens, addit, glorificabant sermonem Dei & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Hæc enim est præcipua gratitudo quam Dominus a nobis propter beneficia sua oblata requirit, uidelicet, ut credamus Euangelio Iesu Christi, per quod nobis beneficia Dei offeruntur, & glorificemus ac celebremus Euangelij sermonem, ut bona fama de nomine Dei spargatur, ex qua etiam qui nondum credunt, ad fidem inuitentur. Sed quid illud est quod dicit, Crediderunt quotquot ordinati sunt ad uitam æternam? De prædestinatione nihil curiose disputabimus, sed de ordinatione Sanctorum ad uitam æternam ita sentiendum est, quod Dominus Deus noster ordinauit quidem & elegit sanctos ad uitam æternam antequam iacerentur fundamenta mundi. Elegit autem illos, non, ut ita loquar, in se, aut in ipsis sanctis, sed in Christo, & per Christum Iesum filium suum, is enim est liber uitæ ac rationarium, & ut uocant, regístrum Dei, in quo omnes ad perpetuam fœlicitatem ordinati, cõscripti sunt. Quod igitur Lucas dicit, Crediderunt quotquot erant ad uitam æternam ordinati, idem est quod Ioannes ait, Quotquot receperunt eum, dedit eis ut liceret filios dei fieri, uidelicet, his qui credidissent in nomine ipsius. Proinde ne in profunda prædestinationis abysso submergaris, noli prædestinationem tuam, neq; in abscondito dei consilio (hoc enim explorare non est humanæ mentis) neq; in teipso, in quo nihil aliud q; perpetuã damnationẽ reperies, sed in Christo Iesu quære: nã si te per fidẽ inuenis in Christo, prædestinatus es ad uitã æternã. Si autem te extra Christum reperias, da summã operam ut Christo inseraris. Quod si consecutus fueris, certum habebis sempiternæ salutis tuæ pignus. Porro autem sermo Domini non in Antiochia solum fructum suum ferebat, Sed etiam diuulgabatur per uniuersam regionem. Quo magis uero diuulgabatur, eo irritatiores reddúntur Iudæi. Extimulauerunt igitur mulieres religiosas & honestas, & primos

In quo quærenda prædestinatio.

mos ciuitatis,& excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiece» ,,
runt eos de finibus suis. Obserua quæso diligenter,quibus Satan se coniungat ,,
ut persequatur Christum. Principio coniungit sese Iudæis qui habebantur gens sancta & electa a Domino. Deinde mulieribus (ueteri suo instrumẽto,per quod Adamum decepit, Samsonem dementauit, Hiobem ad blasphemias sollicitauit,& Salomonem seduxit) religiosis & honestis. Postremo principibus & magistratui populi. Hæc sunt organa Satanæ quibus Christum conatur expugnare ac delere. Vbi igitur sunt qui ex consensu multorum sanctorum & religiosarum mulierum, & potentum principum, erroris sui patrocinium quærunt? & dicunt. Non peribit lex a sacerdote,neq; consilium a sapiente, nec sermo a prophe ta: Certe Satan ad seducendos homines his præsertim instrumentis utitur, alioqui nihil effecturus,si ad confirmationem errorum eligeret homines sceleratos, mulieres impudicas, & uiros humiles, abiectos, & nulla potẽtia præditos. Non hęc dicuntur quod sentiam omnia ea,quę affirmant uiri sancti,mulieres honestæ & homines potentes,mendacia ac errores, contra autem omnia quæ asseuerant scelerati, impudici & abiecti, ueritatem esse, sed ut indicem nec sanctitatem uirorum, nec honestatem mulierum, nec potentiam magistratuum, posse ex mendacio ueritatem, e uerbo Satanæ Verbum Christi facere. Proinde quod ad ueram religionem attinet, non in humanas laruas sed in diuinum uerbum respiciendum est. Hoc enim fide accipientes a recto ueritatis scopo haud quaquam aberrabimus. Eiecti autem Paulus & Barnabas,quo abierunt? Illi,inquit Lucas, ,,
excusso puluere pedum suorum in eos,uenerunt Iconium (quæ est ciuitas Ly» ,,
caoniæ) Porro discipuli replebantur gaudio & spiritu sancto. Quod Paulus ,,
& Barnabas excutiunt puluerem in Iudæos,id est quod Christus ad Apostolos dixit: Quicunq; non receperint uos,exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem e pedibus uestris excutite in testimonium aduersus illos. Et iterum: In quamcũq; ciuitatem intraueritis,& non susciperint uos,exeuntes in plateas eius,dicite: Etiã puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate uestra extergimus in uos. Existimo autem hoc spectaculo significatum esse,quod ubicunq; non recipitur Euangelion, ibi non solum quæ optima uidentur,sed etiam abiectissima quæq;, ut est puluis adhærens pedibus,maledictioni obnoxia sunt. Euangelion enim potentia Dei est ad benedictionem & salutem omni credenti. Vbi ergo repellitur, ibi etiam omnis benedictio & salus repellitur. Vbi autem recipitur, ibi omnis fœlicitas recipitur. Vnde discipuli obuijs, quod aiunt, ulnis in Iconio Paulum & Barnabam suscipientes,& Verbum Euangelij ab ipsis fide audientes,repleti sunt gaudio & spiritu sancto. Quod ut & nobis contingat, agite amicissimi, excipiamus reuerenter prędicationem Euangelij,& fide complectamur,sic enim perpetuam salutem excipiemus,per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

Quibus coniũgat se satan ut Christum persequatur.

Excutere puluerem.

CAPVT XIIII.



HOMILIA LXII.

IN FINE PRIORIS CAPITIS DESCRIpta est persecutio,quam Iudæi,inuidia repleti,aduersus Paulum & Barnabam,per mulieres religiosas, ac primores ciuitatis excitauerunt, quæ & in tantum exarsit,ut Paulus & Barnabas e finibus Antiochiæ eiecti sint. Audiamus nunc dilectissimi,quo successu Euangelion ac regnum Christi in

Iconio, ad quam urbem illi sese post fugam ex Antiochia receperunt promo uerit. Quid enim dicemus? num quia Antiocheni eiecerunt e finibus suis duos illos Apostolos, Euangelion Christi collapsum & conculcatum est? an Apostoli ex una regione expulsi, de profectu Euangelij desperarunt? profecto nihil minus factū est. Nam & Antiocheni adiuuerunt persecutione sua Euangelion, & Apostoli ex una regione proscripti, terminos regni Christi longius proferunt, tantum abest, ut desperati, uocationem suam derelinquant. Sic enim ait Lucas: „ Factum est autem Iconij, ut simul introirent Synagogam Iudæorum, & loque„ rentur sic, ut crederet Iudæorum simul & Græcorum copiosa multitudo. Vides ad quid utilis fuerit inuida Antiochenorum Iudæorum persecutio, nimirum, ad dilatanda pomeria regni Christi, etiam in Iconio ac tota Lycaonia. Prædicantibus enim Apostolis Christum in Iconio, crediderunt illic, teste Luca, Iudæorum simul & Græcorum copiosa multitudo. Libet igitur rursus, primum quidem imperscrutabiles diuinæ sapientiæ ac bonitatis diuitias admirari, quod Dominus Deus noster tam artificiosus rerum administrator sit, ut sciat per hominum maliciam ingentia bona efficere. Nonne pessima est malicia Euangelion Christi persequi? attamen hac occasione Deus Euangelion de Iesu Christo filio suo longe lateq; in omnem orbem terrarum spargit. Immane, quantum nos homines ab hoc artificio dei absimus. Etenim cum Dominus Deus noster tam bonus artifex sit, ut sciat e malis facere bona, nos tam mali artifices sumus, ut natura nihil aliud sciamus q; ex bonis facere mala. Quod artificium ab Adamo parente nostro incœptum in nos omnes propagatū est. Cum enim is a Deo optimo maximo in similitudinem & ad imaginem dei, hoc est, bonus, iustus, & fœlix creatus esset, transfigurauit sese suapte culpa ex imagine Dei in imaginem Satanæ, & factus est pessimus, iniustissimus, ac infœlicissimus. Cæterum, posteros eius non omnino in hoc artificio perdiscendo lusisse operam, testatur in primis Saul, cui præparauerat DOMINVS, quemadmodum Samuel ait, regnum super Israel in perpetuum. Sed ille impietate sua bonum in malum uertit, & effecit, ut & ipsi & posteri eius regno priuarentur. Idipsum testatur tota gens Israëlitica, ad quam cum beneficio Dei multi prophetæ mitterentur, ut eam ab exitio conseruarent, tantum abfuit ut beneficio dei bene usa sit, ut nunquam quicquam peius ei cesserit. Quid dicam de Iudæis, in aduentu Christi adhuc superstitibus? Ad hos enim uenit Christus ut eos liberaret, ac summam ipsis fœlicitatem donaret. Illi autem iuxta uetus suum artificium, bonum Dei in summū ipsorum malum uerterunt, & crucifixo Christo, seipsos perpetuæ maledictioni obnoxios reddiderunt. Sed quid longinqua sectamur? cum liceat e proximo exempla petere. Reuelauit nobis Dominus Euangelion de Christo suo, quod est eximium bonum, sed hoc bono tanta malicia abuti solet hominum multitudo, ut pars persequatur, pars execretur, pars fastidiat, pars ad licentiam pessimorum scelerum usurpet. Iam & istud experientia notum est, quod cum DOMINVS pro clementi sua liberalitate fructus terræ benedicat, & efficiat, ut omnia uili precio uenum exponantur, ibi tum nil nisi pessimum optimæ liberalitatis diuinæ abusum reperies. Intelligis ne nunc quantum nostro artificio a diuino distemus? At quid hoc artificij genus aliud est quàm Diabolicum & Satanitum? Satan enim eius naturæ est, ut omnia opera Dei inuertere cupiat. Proinde nisi uoluerimus una cum Satana & angelis eius in perpetuum ignem conijci, aliud artificium nobis discendum est, uidelicet, artificium Dei, ut non solum e bonis, uerumetiā e malis bona faciamus, ac tā bonis q; malis bene utamur. Vnde aūt hanc scientiā discemus? profecto a nullo alio q; a uero illo præceptore nostro Dño Iesu Christo, nā si in illū uere crediderimus q; per eū habeamus remissionē peccatorū, & placatum

Quod natura faciamus ex bonis mala.

Vnde sumendum ut tam bonis q; malis bene utamur.

& placatum patrem in cœlis, tunc donabimur spiritu sancto eius. Quo donati, prosperis quidem utemur ad commendandam clementiam dei, malis autem & aduersis ad excitandam fidei nostræ uehementiam, & ad cognoscendum ꝙ his qui diligunt deum, omnia simul adiumento sint in bonũ. Et de artificio quidem dei ac hominum hæc ita se habent. Deinde libet etiam hoc loco iterum inuidos hortari, ut execrabile inuidiæ suæ scelus abijciant. Quæ enim obsecro est inuidiæ utilitas? Nonne inuidus ob hanc potissimum causam pessima quæq; aduersa in eam rem cui inuidet machinatur, ut fœlicem eius successum impediat, & malis eam afficiat? Sed uide saltem in his Iudæis Antiochenis, quomodo uoto inuidiæ satisfiat. Persequuntur illi Euangelion in Antiochia, efficiunt ut Apostoli e finibus Antiochiæ eijciantur, nimirum hoc quærentes, ut Euangelion Christi extinguatur & pereat. Sed quanto longius illi Apostolos pellunt, tanto latius spargitur lux Euangelij. Idem habes in filijs Iacob erga fratrem suum Ioseph, quem cum ex inuidia primatu diuinitus ei in somnio ostenso priuare uellent, & pessima quæq; in ipsum machinarentur, ad primatum adiumento ei fuerunt. Idem habes in Saule erga Dauidem, in Principibus Persicis erga Danielem, in Pharisæis erga Christum. Si ergo inuidiæ uoto minime omnium satisfit, quæ rogo, insania est, seipsum inuidiæ tormento excruciare? & alteri quidem nihil incommodare, seipsum autem perdere? Proinde longe omnium consultissimum est, ut deposita inuidia, credamus Christum ita fauere, ut condonet nobis omnia peccata nostra, & perpetuam fœlicitatem largiturus sit, ac sinamus solem nostrum oriri super bonos ac malos, sic enim erimus filij patris cœlestis. *Inuidia quantum malum.*

Iam & hoc obseruandum uenit, ꝙ & si Paulus & Barnabas ipsa re compererint, non solum Iudæos Antiochenos, sed etiam Hierosolymitanos & Damascenos Euangelion condemnare, persequi, & abijcere, & uiderint gentes incircuncisas turmatim Euangelion de Iesu Christo capessere, non tamen desperant de omnibus Iudæis, nec omnes Iudęos propter malos admixtos odio prosequuntur, sed in Iconio ingrediuntur pro more suo in synagogam, & adnunciãt ibidem Christum. Vnde fit ut copiosa multitudo Iudæorum & Græcorum Christum fide amplecterentur. Longe aliter se habent mores huius sæculi, nam id est ingeniũ hominum, ut si semel ac iterum in legittima sua uocatione detrimentum accipiant, mox de successu uocationis suæ desperent, & illa relicta, aliam ambiunt. At ut id exemplis humilibus quidem, non tamen ut puto ineptis demonstrem, Agricola quidem, si grando tribus aut quatuor annis continuis fruges depopulata sit, cogitat de relinquenda agricultura. Artifex Mechanicus, si lucellum nõ semper pro suo desyderio labori respondeat, deliberat de arripiendo alio artificio. Et ut ad clariora assurgam, quia Israelitis ad desertum a deo uocatis, nõ mox succesit pro sua uoluntate, consultabant inter se de repetenda Aegypto. Nonne & ipse quoq; Mose magistratus populi Israëlitici, cogitat de abdicando se a magistratu, eo ꝙ ferme de profectu rei publicæ Israeliticæ ob populi impietatem desperauerat. At hi sæculi mores exuendi sunt, & sequẽdum est exemplum Pauli & Barnabę, qui & si uidebãt maiorem Iudęorum partem Euangelion reijcere, tamen quia uocati erant ad munus Apostolicum, uocationi quoq; suæ diligenter seruiunt. Ita quisquis legittimam habet uocationem, etiamsi non sentiat fœlicem successum, tamen non desperet de successu, sed quod sui est officij in uocatione sua fideliter pergat, hodie non successit, fortassis cras succedet, quod si & crastinus dies sine fructu abit, pergendum tamen est, nam & alij dies sequuntur, quos creat Deus, & in quibus benedictionem suam effundere nouit. Iam finge te plane nullo fructu in uocatione tua laborare, adhuc tamen uocationi seruiendum est. Si enim nihil aliud efficitur, tu tamẽ munere tuo defungeris. An putas *Neminẽ esse sua sorte cõtentum.*

nihil actum esse si tu tuo officio satisfeceris? certe magnus hic fructus est. De uocatione enim Apostolica dicit Christus: Cum intrabitis domum salutate illam, si non fuerit digna, pax uestra ad uos reuertetur. Et in Ezechiele: Si tu adnunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, impius in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. An nihil esse putas ꝙ pax ad te reuertatur, & anima tua liberetur? profecto fructus est nullo precio æstimādus. Q& de Apostolica uocatiõe dictum est, ad quascꝙ etiam ciuiles uocationes pertinet. Ita pergat quisꝙ in sua uocatione, ut & suum fructum, si non inter homines, certe coram deo habeat. Cæterum, nec illud negligenter animaduertendum est, ꝙ Paulus & Barnabas non odio persequuntur omnes Iudæos propter multos malos admixtos, sed potius propter quosdam bonæ spei, ingrediuntur Synagogas Iudæorum, & adiungunt sese familiariter omnibus. Nam hoc suo exemplo iterum uulgarem huius sæculi consuetudinem reprehensibilem ostendunt. Sic autem sese habet illa consuetudo, ꝙ homines soleant totum sodalicium propter aliquot malos admixtos odisse. Vt exempli gratia. Si sutor quispiam aut sarctor alicui imponat, repente clamant omnes sutores aut sarctores nugiuendos esse, aut si ecclesiastes quispiam paululum a rectitudine uitæ aberrauerit, mox palam uociferantur omnes ecclesiastes esse sceleratos. At quæ est illa iudicij æquitas, propter paucos malos sentire omnes eius ordinis aut sodalicij malos esse? Sic iudicabis omnes Apostolos esse Christi proditores, quia Iudas proditor fuit. Sic pronunciabis omnes Christianos sceleratos, quia multi Christi nomen confitentes sceleratam ducunt uitam. Quanto ciuilius & moderatius Dominus deus noster agit, qui propter unum aut alterum pium hominem multis malorum hominum milibus fauet. Propter decē pios homīes uolebat Zodomis & Gomorrhis parcere. Propter unum Lothum pepercit toti urbi Zoar. Propter unum Naaman Syrum dedit salutē toti Syriæ. Sed quid illos commemoro, propter unum Iesum Christum, quē solum uere iustum in conspectu suo agnoscit, reputat omnes in ipsum credentes iustos, & afficit eos, alioqui pessima quæcꝙ supplicia meritos, maximis beneficijs. Itacꝙ ut simus perfecti, quemadmodum pater noster cœlestis perfectus est, imitemur modestiam eius, & totam aliquam hominum congregationē fauore nostro prosequamur propter bonos in ea comprehensos, potius ꝙ odio eam habeamus propter aliquot malos. Sed quid ita sollicite singula scrutari conor, quæ hoc in loco dici possunt? Pergam igitur ad explicanda sequentia. Qui uero increduli erant Iudæi concitauerunt & corruperunt animos
» gentium aduersus fratres. Vides iterum persecutionē oriri. Hæc enim est Euan
» gelij sors, ꝙ nunquam sit sine persecutione. Ecce ego, inquit Christus, emitto uos uelut oues inter medios lupos. Et iterum: Si me persecuti sunt & uos persequentur. Si ipsum patremfamilias uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius? Nec hæc sors Euangelico tantum negocio contingit, uerumetiam omnibus bonis consilijs, conatibus & operibus. Semper enim circuit Satan, ut leo rugiens, & hoc solum conatur ut bona impediat, mala autem bene fortunet. Proinde quicquid bonite facturum decreueris, prius para te ad persecutionē, ne te illa intutum & neglectum adoriatur, & e bono mentis statu deturbet. Vnde & Paulus & Barnabas, quia non imparati ad perferendas persecutiones, Euangelico negocio se tradiderunt, non redduntur ex persecutione imbecilliores, sed multo
» confirmatiores & fortiores. Sic enim sequitur: Multo igitur tempore demora
» ti sunt, fortiter agentes præsidio Domini, qui testimonium perhibebat sermoni
» gratiæ suæ, dabatcꝙ, ut signa & prodigia fierēt per manus eorum. Audi admirada, quanto plus Iudæi persequuntur duos Apostolos, tanto maiori præsidio Domini defendūtur, & quo magis Iudæi sermonem gratiæ dei, qui est Euangelion

gratia

gratia diuina reuelatum, gratiamq; diuinam adnuncians, extinctum cupiunt, eo illustriorem reddit illum Christus per signa & miracula quę ministerio duorum Apostolorum ædebantur. Quid ergo, non dico in persecutione solum quæ propter Euãgelium oritur, uerumetiam in quauis alia afflictione animum tuum despondes? quando Dominus Deus noster toties miraculis etiamnum comprobat, & confirmat se eo præsentiorem auxiliatorem esse, quo maior & grauior est afflictio. Diuisa est autem multitudo ciuitatis, & quidam quidem stabant a Iudæis, quidam uero ab Apostolis. Quod hic dicitur, diuisos esse ciues Iconienses, ad prædicationem Apostolicam, & aliàs Euangelium dissidere faciat hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam, & domesticos reddat inimicos inter se, adeoq; maximas turbas in rebus humanis excitet, quemadmodum & nostra tempestate reipsa comperimus, imbecillibus in fide ingens est offendiculum, & aduersarijs ualde idonea causa calumniandi Euangelium. Nam Christus dicitur princeps pacis, & scribitur in regno eius pacem nunquam finem accipiendam. Conflabũt, inquit, Esaias, gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens cõtra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Et iterum: Omnis uiolenta prædatio cum tumultu, & uestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis. Cum his igitur & similibus locis conferunt impij & imbecilles, turbas, seditiones & dissidia quæ ex Euangelio oriuntur, & dicunt, Quis credat Euangelio? Euangelion sermo pacis est, uidemus autem nihil inde oriri nisi bella, contentiones & dissidia, etiam inter ciues antea amicissimos, inter cognatos & affines, si igitur esset uerum uerbum Dei, quemadmodum iactatur, potius conciliaret q̃ dissidere faciat homines? Hæc sunt quæ proijciunt impij in Euangelium, hæc, quæ offendunt imbecilles adhuc in fide. Sed quid dicemus? Christus ait: Ne arbitremini q̃ uenerim ad mittendum pacem in terram, non uenì ut mitterem pacem sed gladium. Et quomodo hoc conuenit cũ eo quod aliàs inquit: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis? Christus quidem, quod ad se attinet, omnis pacificationis & reconciliationis inter deum patrem & homines in ipsum credẽtes author est, ac pacem in cordibus suorum Christianorum per spiritum sanctum ita operatur, ut hi primum omnium cum Deo patre, deinde cum omnibus hominibus quantum in ipsis est pacem habeant. Satan autem non potest ferre ut Christus regnet, ut Christus pomeria regni sui dilatet, ut Christus prædicetur, & nomen eius illustretur, ac orbi per confessionem commendetur, sed omnem mouet lapidem ut Christus conculcetur & nomen eius extinguatur. Ac propter hanc causam prędicato Euangelio de Iesu Christo, excitat in orbe maxima dissidia & contentiones, ut uel uiolentia uel offendiculis Euangelij cursum & regni Christi successum impediat. Non igitur Christus seu Euangelion de Iesu Christo, sed Satan, occasione ab Euãgelio sumpta, author est omnium seditionum & dissidiorum, quæ adnunciato Christo in mundo exoriuntur. Proinde faceſſant impij qui culpam tot malorum in Euangelion reijciunt. Discant quoq; imbecilles in fide, tanta mala fieri non authore Euangelij, sed authore Satana, permissore autem Domino Deo nostro ut electi probentur. Sed hic obstrepet mihi fortassis aliquis, & si, inquiens, Euangelij prædicatio non sit author malorum quæ in orbe contingunt, tamen occasionem dat q̃ tanta mala fiant, haud qua q̃ futura, si Euangelion non prędicaretur. Præstaret igitur silerì q̃ tanto orbis malo prædicarì? Hoc autem quid aliud est q̃ si quis dicat, præstaret Christum non regnare ut Satan in pace regnaret, præstaret omnes homines perpetua damnatione perire, ut mundus aliquandiu tranquilla pace frueretur. Immo pereat mundus, & maneat Euãgelion Christi, turbetur pax ciuilis, & per-

Quomodo conueniant q̃ Christus alibi dicat se pacem mittere, alibi uero gladium.

Euangelij profectum non esse intermittendum propter ciuilem pacem.

duret pax Christiana,cœlum & terra transeat, Verbum autem Domini maneat. Necessitas enim urget, ut doctrina Christi de iustificatione fidei propter Christum (hoc enim est uerum Euangelion,potentia uidelicet ad salutem omni credenti) in orbe terrarum adnuncietur,nec ullum incommodum tam pernicio sum est,quod non a maximis Euangelij commodis superetur. Necessitas autem non urget, ut tranquilla pace & secura uita in hoc mundo fruamur, quæ tametsi ingens Dei beneficium est,& pijs precibus optari debet,tamen nō est tanti momenti,ut ad illam retinendam,prædicatio Euangelij de iustificatione fidei propter Iesum Christum,intermittenda sit. Proinde siue fractus illabatur orbis,siue supera atq; infera concutiantur,perseueremus in confessione nominis Christi, sic enim & ipse confitebitur nos coram patre cœlesti,ut salutem consequamur. Sed
» quid illud est quod sequitur? Cum autem factus esset impetus Gentium pari-
» ter ac Iudæorum una cum principibus suis,ut uim afferrent,ac lapidarent eos re
» intellecta confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ,Lystram & Derben,& finitimam
» undiq; regionem,& ibi prædicabant Euangelion. Quid est quòd Apostoli fugiunt,num detrectant etiam sanguine suo Euangelio Iesu Christi testimonium præbere? num qui prædicant mortem esse uitæ ianuam,tantopere horrent mortem ut præ timore eius fugiant? Absit. Hæc.n. Apostolorum fuga non est inobedientiæ,sed obedientiæ,quando Christus dixit:Si uos persecuti fuerint in ciuitate hac,fugite in aliam,& sic fugere non est pauere mortem, sed cauere, nec timidi uocandi sunt sed cauti. Etenim quemadmodum in bello, fugere, interim turpissimum est, si nondum debellatum est,& uictoria nondum a parte hostis stet, interim prudentissimum,si nulla commisso prælio spes uictoriæ a tua parte relucet,ita in certamine Euangelici negocij,impium est fugere,si comprehensus ueritatem Euangelij abnegaueris,ut liceat mortem effugere. Prudentissimum autem est fugere,si nondum comprehensus manifesto & certo discrimini te absq; impietate subtrahas,ne Deum tentes,& ut te ad peragendum ministerium a Deo commissum usq; ad suum tempus,quod Christus duodecimam horam uocat,reserues. Sed ne prolixitate sermonis charitati uestræ molestus sim, iam receptui canam,si prius unum illud uos admoneam,ut quam prudentiam in suscipiendis periculis propter Euangelion,& quam cōstantiam in susceptis hi Apostoli præstiterunt,easdem uirtutes etiam nos propter confessionem Euangelij præstemus, per Christum Iesum Dominum nostrum,qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Christiano quãdo liceat fugere.

HOMILIA LXIII.



Miraculum quod Paulus Lystris, quæ ciuitas est Lycaoniæ, in sanando claudo ædidit,hodie charitati uestræ amicissimi,explicabimus. Nihil dabitur curiositati, sed omnia ad
» instituendam pietatem simpliciter referentur. Sedebat,in
» quit Lucas,uir quidam Lystris debilis pedibus, claudus ab
» utero matris suæ, qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit
» Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & uidens q̄ fidem
» haberet,fore ut saluus fieret,dixit magna uoce:Surge in pedes tuos rectus. Et exi
» liit ambulabatq;. Admiraberis fortasse qui fiat,q̄ Lucas miraculum a Paulo æditum tam diligenter commemoret,& non prius concionem Pauli describat, propter quam miraculum factum est,& quæ miraculum tanto magis superat, quanto potior est salus animæ q̄ sanitas corpis. Sed si quæ præcesserūt animaduertisti,facili coniectura adsequeris de qua re fuerit Pauli concio apud Lystras. Dixit enim antea Lucas de Paulo & Barnaba: Confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ

niæ Lystram & Derben,& finitimam undiq; regionem,& ibi prædicabãt Euangelion. Audis duobus uerbis explicari quod fuerit argumẽtum concionis Paulinæ,prædicabant,inquit,Euangelion. Quod Euangelion? Secundum ne Matthæum,an Marcum,an Ioannem? at hi nondum historias Euangelicas conscripserant,& recensere historiam aliquam de rebus gestis Christi nondum est proprie Euangelion prædicare,sed prædicare q; Christus Iesus filius dei carnem induerit,& passus sit ac resurrexerit a mortuis ut esset satisfactio pro peccatis nostris,item iusticia,sapientia,sanctificatio & redemptio nostra,hoc demum est uere Euangelion adnunciare. Cum igitur Lucas ait Paulum prædicasse Lystris Euangelion, profecto significat eum adnunciasse q; Christus mortuus sit pro peccatis nostris,& resurrexerit propter iustificationem nostri, q; q; per hunc contingat remissio peccatorum & purificatio ab omnibus a quibus nemo potuit uel per legem Mosi uel per superstitiosa Gentium opera iustificari, per hunc autem omnis qui credit iustificatur. En hoc uere illud est quod dicitur Euangelion de Iesu Christo. Proinde quisquis prædicat remissionem peccatorum nobis cõtingere propter opera nostra iusta,is & si Christum ore suo plurimum iactet, & multas historias de rebus gestis Christi recitet,non tamen prædicat Euangelion,quia remissionem peccatorum quæ sub Christo debetur,operibus humanis adscribit, quod est ex operibus humanis Christum facere, nimirum e mendacio ueritatẽ, e summa iniquitate summam iusticiam. Porro autem Paulo uere adnuncianti apud Lystras Euangelion de Iesu Christo, commode offertur auditor quidam debilis pedibus, claudus ab utero matris, qui nunquam ambulauerat. Docebat enim Paulus Lycaones, q; nos natura debiliores essemus q; ut possemus ambulare in uera uia pietatis,expiare peccata nostra,& salutem perpetuam nostra iusticia consequi, a Deo autem nobis propositum esse Iesum Christum, per quem omnis qui credat uirtutem ad capessendam pietatem assequatur,peccatorum satisfactionẽ habeat,& perpetua salute donetur. Vt igitur ueritas huius sermonis apud auditores longe aliud audire assuetos q; hoc Euangelion, confirmetur,quidam ab utero matris claudus existens Paulo obuenit, ut donata illi sanitate per nomen Christi, efficatia & ueritas Enangelij palam declararet. Miracula enim per nomen Christi ædita,quemadmodũ sæpenumero demonstrauimus, sigilla sunt & confirmationes ueritatis Euangelij de remissione peccatorum, id quod Christus perspicue significat dum dicit ad Pharisæos: Vt sciatis q; potestatem habeat filius hominis in terra remittẽdi peccata,tibi dico paralytico, surge, tolle lectum tuum & abi in domũ tuam. Et surrexit ille abijtq; in domũ suam. Idipsum quoq; in emissione Apostolorum significat. Profecti, inquiens, prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Et ut pararent sermoni suo fidem addit,Infirmos sanate,leprosos mundate,mortuos suscitate,& dæmonia eijcite. Quid q; & apud Marcum scribitur: Postquam receptus est Christus in cœlum & cõsedit ad dextram Dei, Apostoli egressi prædicauerunt ubiq;, Domino cooperante & sermonem confirmante per signa sequentia. Miracula ergo cõfirmarunt Euangelion de remissione peccatorum per Christum,ut nos cõfirmatum crederemus, & salutem consequeremur. Nam & hic claudus uicio corporis sui indicat quales ab initio omnes Euangelij auditores sunt. Cum enim omnes in peccatis concipimur,& filij iræ nascimur, ab utero matris ita debiles ad ambulandum in uia ueritatis sumus,ut ne pedem quidem mouere queamus. Possumus quidem externam honestatem præstare,sed ad præstandam ueram pietatẽ, ex nobis ipsis prorsus impotẽtes sumus. Itaq; ut uires ambulandi recuperemus, audiendum est Euangelion Iesu Christi de remissione peccatorum,quod si crediderimus, eandem ualetudinem animo consequemur,quam hic claudus corpore consequitur. Iam

Euangelion prædicare.

Miracula confirmare Euangelion.

Quare uicia corporis hominibus quibusdam innascuntur.

& istud in hoc claudo obseruandum uenit, quam ob causam Dominus Deus noster multos ab utero matris externis naturæ uicijs deformatos reddat, nimirum, non quia hi aut parentes eorum peccauerũt, quemadmodum Christus de eo qui a natiuitate cæcus fuerat dixit, sed ut manifestentur opera Dei in ipsis. Primum q̃ Deus sit mirabilis omnium rerum creator, qui multa a communi natura degenerantia creat, ut ijs portentis pios ad credendum ea quę ipsis præter rerum naturam promissa sunt inuitet ac animet. Deinde q̃ Deus sit omnipotens, misericors & clemens uiciorum medicus, qui ex multis uiciatis aliquot corpore sanat, ut declaret se uere esse uiciorum animæ medicum. Esse autem organon misericordię quo gloriosum clementiæ & industriæ nomen Dei nobilius ac celebrius reddatur, non dedecus sed gloria, non contumelia sed laus, non probrũ sed honos est. Quæcunq; igitur externa uicia corpori nostro natura inhærent, non impatienter, sed gratissimo animo tanquam maxime a Deo honorati sufferamus, aut si his caremus, summa opera cauendum est ne alijs quod homines huius sæculi solent exprobremus. Nam quemadmodum qui ridet pauperem, ut Salomon dicit, conuicium facit factori eius, ita qui exprobrat alteri externũ naturæ uicium, in Dominum Deum nostrum contumelioſus est, & in opera eius blasphemus. Vnde in lege dicitur: Nõ ponas coram cæco offendiculum. Et rursus: Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. Ac maledicebantur pueri qui prophetæ Elizæ caluicium exprobrabant dicentes, ascende calue, ascende calue. Sed hæc de miraculo claudi sanati dicta sufficiant. Audiamus nunc quomodo ciues in Lystris hoc
» miraculum exceperint. Turbæ uero cum uidissent quod fecerat Paulus, sustu
» lerunt uocem suam Lycaonice dicentes, dij in speciem hominum descenderunt
» ad nos, & uocabant Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium, q̃ is esset dux
» sermonis. Sacerdos autem Iouis qui erat ante ciuitatem illorum, tauros & coro-
» nas ad uestibula afferens cum turbis uolebat sacrificare. In Apostolis prodita est per miraculum claudi sanati, potentia & clementia dei. In ciuibus autem Ly-

Cæcitas est q̃ per miracula ad cognitionem Dei non pueniamus.

strensibus obseruatur humani ingenij insscicia & cæcitas, q̃ cum per opera uisibilia intelligi ac perurideri debeat inuisibilis deus, humanum ingenium gloriam inuisibilis Dei, per imaginem ad uisibilis hominis similitudinem effictam mutet, nec ex mirabilibus dei ad cognitionẽ ipsius assurget, sed relicto mirabilium operum authore, in admirationem organorum, per quæ mirabilia æduntur decidit, adeoq̃ hæc organa pro dijs colit & ueneratur. Hinc nonnullæ gentes solem ac lunam, quia per hæc sentiebant humano generi multa beneficia præstari, tanquam deos adorarunt, & ex heroibus, q̃ alius alia re publicam utilitatem adiuuerit, aut alioqui ob singularem uirtutem admirationi fuerit, deos fecerunt. Vnde & Lycaones uidentes stupendum miraculum per Paulum & Barnabam æditũ, non assurgunt per uisibile illud miraculum ad cognitionem ueri & inuisibilis Dei, sed hærent in organis per quæ deus miraculum operatus est, & se Paulum ac Barnabam ut deos sacrificijs ueneraturos ac demerituros recipiũt. Inepte fortassis uidebuntur tibi impię gentes, q̃ in duobus illis uiris Paulo & Barnaba hæserint, nec per miraculum ab ipsis æditum ad cognitionẽ & cultum ueri dei contenderint, sed illis honorem diuinitatis adscripserint. Quid autem de nobis sentiendum est, qui hactenus maiori, dicam ne ineptitudine an impietate in sanctis fixi hæsimus, & honorem diuinitatis ipsis tribuimus? Nam propter miracula quæ quondam per sanctos adhuc in terra uiuentes æditа sunt, sanctos inuocare, sanctis sese deuouere, & in sanctos tanquam in liberatores ex aduersis confidere, hoc uere est diuinitatis honorẽ sanctis tribuere. At quid uulgo familiarius fuit q̃ ad hunc modum sanctos uenerari? Nonne quia Petrus mirabiliter e uinculis Herodianis liberatus est, multi non ex uulgo solum, uerumetiam illustribus, in

uinculis

uinculis suis, quibus forte detinebantur Petrum ut liberatorem inuocarunt, Petro se deuouerunt, & liberati, omnem suam salutem Petro adscripserunt? Nonne Paulum coluerunt nautæ ꝙ is ex naufragio incolumis euasit? Breuiter, ex qua quisꝙ sanctorum afflictione diuina clementia liberatus est, eius afflictionis curator & liberator sanctus ille quisquis fuerit uulgo creditus est. Nullum igitur discrimen superstitiosus ille sanctorum cultus a religione factitiorum deorum habet. Quæ ergo est uera sanctorum in DOMINO dormientium ratio? Sancti nobis propositi sunt, non ut ipsos tanquam liberatores ex afflictionibus inuocemus, sed ut exempla diuinorum operum, quibus & affectum Dei erga nos cognoscamus, & ad sequendum uocationem Dei inuitemur. Vnde Paulus ait: Ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam ad exprimendum exemplum his, qui crediturí essent in ipso in uitam æternã. Et alias: Estote imitatores meí sicut & ego Christí. Qui ergo ita sanctos suspiciunt & admirantur, ut in ipsis misericordiam & clemẽtiam Dei agnoscant, & ipsos in pietate imitentur, hi præstant cultum tam Deo ꝙ sanctis gratissimum. Cæterum ꝙ Lycaones Barnabæ pro Ioue & Paulo pro Mercurio existimato, sacrificare uoluerint, haud obscure significant se ex miraculo per Apostolos ædito, ingenti pauore corteptos esse, ne si contemnant Iouem, idem ipsis supplicij accidat, quod fabulæ prodant Lycaoní (unde huic regioní nomen) regi quondam Arcadiæ Iouis contemptori accidisse. Fortassis autem non ineptum fuerit eam fabulam hoc loco commemorare, tum ꝙ causam uideatur continere, propter quam Lycaones præsentaneo supplicio sese obnoxios fore crediderint, si quos putabant Iouem & Mercurium diuino honore nõ afficerent, tum ꝙ uanissimam nobis gentium religionem & idololatriam ob oculos ponat, unde cognoscere licet, nullum esse tam impudens mendacium, quod non habeat suos admiratores & cultores. Ea uero fabula huiusce modi est. Cum Iuppiter (is pro summo deo Gentibus habitus est) audierat homines magna scelera in terris designare, delapsus est e cœlo, & susceptа humana figura peragrat ubiꝙ terras, uisurus quid facinorum ab hominibus perpetraretur, ac tandem peruenit ad Lycaonem regem Arcadiæ. Is autem Lycaon tanta sæuicia in hospites suos, si qui ad ipsum forte diuertissent, grassabat, ut noctu eos trucidaret, ac semper priores posterioribus epulandos proponeret. Cum igitur & Iuppiter ad hunc diuertisset, signo quodam declarauit deum aduenisse. Ac uulgus quidem confestim cepit eum adorare & sacrificijs colere. Lycaon autem irridẽs cæcam uulgi superstitionem, statuit se periculum facturum, num hic hospes qui se pro deo uenditabat, uere immortalis deus esset. Et principio quidem proponit se noctu tentaturum num queat ipsum clam interficere. Deinde autem puerum quendam quẽ forte pro obside habebat, iugulabat, & carnes eius partim elixas partim assatas proponit Iouí comedẽdas. Sed mox ut hæ mensis impositæ sunt, Iuppiter misso fulmine domum eius incendio euertit, ipse autem territus in syluas effugit, & in lupum mutatus est. En, hæc erat fides Lycaonum, quid autem illa uanius? quid illa fabulosius? adeoꝙ ne refellere quidem libet, quippe ꝙ reipsa manifestum est, meras esse nugas. Fuerunt tamen qui has nugas ueritatem credebant. Vnde & Lycaones formidant, ne si Apostolos, qui se miraculis, pro ipsorum opinione, deos declarassent sacrificijs non demereantur, tecta ipsorum incendio pereant, & ipsi in lupos uertantur. Sed ualeant illæ fabulæ. Miracula enim sanctorum non declarant ipsos esse deos natura, sed quia per Apostolos in nomine Iesu Christi ædita sunt, declarant potius Iesum Christum, uerum esse Deum natura, ac uerum esse Euangelion, quod in nomine eius prædicabatur, uidelicet, quòd omnis qui credat in Iesum Christum, per ipsum iustificetur

Sancti quomodo sint colendi.

Lycaonia mendacia dicta.

ac salutem consequatur. Hanc igitur ueritatem teneamus, ut parta per fidem iusticia, cœlesti hæreditate perfruamur, per eundem Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXIIII.



Roposítum est nobis antea in Lycaonibus, dilectíssimi, ingenium humanum, quod inuisibília Dei uisibilibus adscribit, & a uero Deo creatore ad creaturas deficit, adeoq; ex creaturis deos facit. Nunc proponitur nobis in Paulo & Barnaba ingenium pium & Apostolicum, quod per uisibília cognoscit inuisibília Dei, & docet a creaturis ad cognitionem ueri Dei assurgendum esse, & nulli creaturæ honorem diuinitatis tribuere. Nam ubi Apostoli Barnabas & Paulus audierũt, sacerdotem Iouis & turbam uelle ipsis tanquam díjs sacrificare, conscissis uestibus suis insiliunt in turbam. Immane, quantum hi Apostoli ab reliquis hominibus distant, nam alíj quidem summa cupiditate honores ambiunt, & oblatos magna animi libentia excipiunt, conuicia autem & probra ipsis obiecta, ueluti Satanam auersantur, & aduersus illa tanquam furiosi insaniunt. Hi uero Apostoli ad probra, conuicia, immo & lapides iniectos plane muti sunt, & excipiunt ea patienti animo, quemadmodum ante sæpenumero ostensum est, & post clarius ostendetur. Honores autem tantum abominantur quantum alíj conuicia, quemadmodum uidemus eos hoc loco conscissis uestibus in turbam insilire, ut impediant quo minus ipsis diuinus honor impendatur. Dices autem, uestes disrumpere & in turbam insilire hominum insanorum est, & eorum qui mente capti sunt. At procul absit ut hoc de Apostolis suspiceris, non enim insaniunt, sed publicum gentis suæ morem imitantur. Consuetudo enim apud Iudæos erat, ut cum horrenda quædam præter expectationem accidebant, uestes disrumperentur. Sic Iosua, sic Dauid, sic Hiskia, sic Iosias, sic alíj multi qui in sacris literis commemorantur, uestimenta sua sciderunt. Quid autem Christiano homini horribilius, quàm si tribuatur ipsi honor, soli deo debitus, & sacrificetur ipsi tanquam deo? Impię quidem hominum mentes honorem diuinitatis sibi tribui, non solum patienter ferunt, sed etiam ardenter ambiunt, id quod indicant reges & imperatores Ethnici, quorum nonnulli publicis ædictis mandauerunt ut pro díjs colantur, certe multis adhuc uiuis tanquam díjs sacrificatum est, & omnes fere post mortem a superstitibus, ne dicam superstitiosis inter deos relati sunt. Nec hoc solum est diuinitatis honorem sibi usurpare, si quis tanquam deus publica sacrificia ambiat, & templa sibi constitui cupiat, uerũetiam, si quis beneficia dei, suo ipsius merito, iusticiæ, industriæ, sapientiæ & fortitudini adscribat. Sic Nebucadnezar e seipso Deum faciebat dicens: Nonne hæc est ciuitas Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Sic diuinitatem sibi usurpabat princeps Tyri dicens: In cathedra Dei sedi, in corde maris (hoc est) mea ipsius potentia undiq; munitus sum, ut nemo possit me expugnare. Sic Herodes diuinitatis gloriam sibi uindicabat, agnoscens acclamationem illam popularem, Vox dei & non hominis. Breuiter, quotquot donum aliquod dei suæ ipsius aut uirtuti aut merito tribuunt, hi collocant seipsos in cathedram dei & dicunt, non uerbis quidem, sed profunda cogitatione cordis, deus ego sum. Vides quanta idololatria plena sit uita mortalium, & horrendæ item blasphemiæ quouis momento aduersus DOMINVM deum nostrum efflentur. Nihil autem pium animum magis

Consuetudo Iudæorum in scindendis uestibus.

Diuinum honorem qui sint qui sibi adscribant.

magis terret & obstupefacit q̃ si sentiat honorem diuinitatis aut creatoris creaturæ tribui. Proinde cum Lycaones idipsum erga Paulum & Barnabam agerent, declarant illi horrorem animi sui scissione uestimentorum, & insilientes in turbam, clamant ac dicunt: Viri, cur ista facitis? Nos quoq; ijsdem quibus uos obnoxij malis sumus homines, adnunciantes, ut ab istis uanis conuertamini ad Deum uiuum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi uijs suis. Quanquam non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret, de cœlo nobis dans pluuias ac tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Animaduerte, obsecro, diligenter in Paulo & Barnaba sinceram ac uere Apostolicam pietatem. Primum enim auersantur & ingenti horrore abominantur honorem diuinitatis, ingenue confitentes id quod sunt, nimirum, non dij sed homines, eisdem malis, quibus ciues illi Lystrenses obnoxij. Quæ autem sunt illa mala? profecto non corporis solum, sed & animæ. Nam quemadmodum Lystrenses corpore obnoxij erant fame, siti, dolori, infirmitati & morti, animo autem, timori, tristitiæ alijsq; affectibus, adhęc erant natura filij iræ. Sic & Paulus ac Barnabas nihil ab his malis differebant, nisi q̃ Christum fide amplectebantur. At is non contigerat ipsis, aut ob naturalem eorum bonitatem, aut ob meritum suarum uirtutum, sed per gratiam dei. Quantum igitur ad naturam ipsorum attinebat, nullum erat discrimen inter hos duos Apostolos & ciues Lystrenses, utriq; erant in peccatis cõcepti & nati, utriq; affectibus tam corporis q̃ animi obnoxij. Cæterum quod hi Apostoli apud Lystrenses agunt, idem egit antea Ioannes Baptista apud Sacerdotes, Leuitas & discipulos, offerentes ipsi honorem Messiæ, Non sum, inquiẽs, ego Christus, sed ecce hic est agnus dei qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dicebam: Post me uenit uir qui me antecessit, quia prior me erat, & ego nesciebã eum, sed ut manifestus fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptizans. Audis etiam Ioannem ingenue suam ignorantiam fateri (dicit enim Et ego nesciebã eum) & seipsum cõmuni errori obnoxiũ esse adseuerare, ut a se Christi honorem in uerum Christum amoliatur. Quod autẽ tam Paulus & Barnabas q̃ Ioannes Baptista adhuc uiuentes in hac mortali uita fecerunt, existimasne eos nunc in Domino obdormientes, pro sua ratione non facere? Clamarunt illi adhuc superstites, uiri quid facitis, nobis honorem diuinitatis & Messiæ tribuentes? nos quoq; ijsdem malis quibus uos obnoxij sumus, nos quoq; quod ad naturam nostram attinet, ignorantiæ nebulis excæcati sumus. Proinde non nobis sed uero Deo honorem diuinitatis tribuite, & uerum Christum agnoscite, per quem & illuminati sumus. Hæc certe adhuc illi clamant quamuis mortui. Et quid opus est, inquis, hoc clamore, quando nemo nũc Paulum & Barnabam pro dijs colit, nec quisquam Ioannem Baptistam Christum esse credit? At si definias recte quid sit aliquem sanctum pro deo colere, & Christum credere, nimirum in ueniesque hunc Apostolorum clamorem nunc æque necessarium esse inter Christianos, ac olim inter gentes & Iudæos. Etenim inuocare aliquem in necessitate & confidere, q̃ inuocatus de periculis liberet, hoc est aliquem pro deo colere. Solus enim Deus inuocandus est, & solus ipse auxiliator est in necessitatibus. Ergo quicunq; hac persuasione inuocatur, quod possit de necessitatibus liberare, is tanquam deus colitur. Adhæc credere, q̃ alicuius meritis remittantur peccata nostra, & placetur ira dei, hoc est credere illum esse Christum. Nam id est ueri Christi officiũ, ut propter merita eius remittant̃ credentibus peccata, & reconcilieẽ deus. Quid ergo dicemus? nõne multi sancti hac psuasione inuocati sunt, qa sint auxiliatores in necessitate? nõne multis psuasum est, meritis sanctorũ cõtingere nobis remissionẽ peccatorũ & gratiã Dei? Nihil hic dico de oratione san-

Apostolos etiam malis natura fuisse obnoxios.

Inuocatio sanctorum.

ctorũ,nam ut angeli sic & sancti apud Deum sine intermissione pro nobis orãt, & bene nobis precantur. Sed de illa inuocatione dico quæ fit hac persuasione, q̃ sancti sint auxiliatores in necessitate: hanc inuocationem & persuasionem sentio ueræ pietati aduersam esse. Proinde omnes sancti qui ita inuocantur, & ut rectius dicam, adorantur, unà cum his Apostolis adhuc clamant: uiri quid facitis? nos in nostris malis quibus similiter uobis obnoxij eramus, non sanctos aliquos demortuos, sed solum uerum Deũ inuocabamus, hunc & uos inuocate, & adiuuabimus uos precibus nostris, præterea nullius sancti merito confidebamus nobis remitti peccata, sed solo merito Domini nostri Iesu Christi, & uoti nostri cõpotes per Christum facti sumus. In hunc igitur solum & uos credite, tunc remittentur uobis peccata, & placatum patrem in cœlis habebitis. Non solum autem hoc clamant Apostoli, uerum etiam docent nos his uerbis, quibus Lycaones a sacrificando compescunt, qua ratione debeamus arrogantiam cordis nostri, & superbiam animi qua interdum nos ipsos tãquam deos adoramus compescere & opprimere: dicunt enim, nos sumus eisdem malis quibus uos obnoxij. Hanc persuasionem de nostra infirmitate nos quoq; induamus, & blasphemis arrogãtiæ affectibus obijciamus. Etenim, id est humanũ ingenium, ea natura, ut si quis uirtute aliqua aut dono præ alijs præditus fuerit, immane, quantum intumescat ac superbiat: Primum quicquid id est uirtutis aut doni, suæ industriæ aut iustitiæ adscribens, deinde quo suis præ se contemnens ac despiciens. Suæ autem industriq; donum dei adscribere, est seipsum pro Christo filio dei, per cuius solius gratiam dona dei hominibus conferuntur, adorare. Hoc ergo blasphemiæ affectu in nobis surgente, quid faciendum? nimirum id quod hoc loco Apostoli faciunt. Conferamus nos cum aliorum conditione, & sentiamus nos ijsdem malis quibus alij obnoxios esse. Sicut enim alij in peccatis concepti, nati, & natura filij iræ sunt, ita & nos. Sicut alij uaria flagicia aduersus deum designauerunt, ita & nos. Sicut alij fragilitate carnis circũdati sunt, ita & nos. Breuiter, quod alij sunt impij, scelerati & corpore debiles, hoc nos aut sumus aut fuimus aut possumus esse. Sic Mose docet populum suum modestiam dicens: Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit Dominus deus tuus gentes in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem. Si autem hic affectus in corde ipsorum exurgat quid facere debent? Addit Mose: Memento quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum deũ tuum in solitudine, & ex eo die quo egressus es ex Aegypto usq; ad locum istũ semper aduersus Dominum contendisti, ita ut Dominus iratus delere te uoluerit. Quibus uerbis quid aliud iubet Mose q̃ ut Israelitæ conferant sese cum gentibus Cananæis, & inuenient se illis nec pilo iustiores, ac similiter internitionem propter impietatem suam meritos esse. Proinde non est q̃ possessionem terræ Canaan suæ iustitiæ adscribant. Sic & Paulus modestiam docet: Admoneo illos (inquit) ne de quoquam maledicant, ne sint pugnaces sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines. Nam eramus quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desyderijs ac uoluptatibus uarijs, in malicia & inuidia degentes, odiosi inuicem, odio persequentes. Et hæc quidem sic se habent. Cæterum docent Apostoli deinde, quod sit ipsorum (hoc est Apostolicum) officium: Annunciantes inquiunt, ut ab istis uanis conuertamini ad deum uiuum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt. Non uenimus ad uos, ut nos aut alias creaturas pro dijs colatis, sed ut uerum & uiuum Deum adoretis. Hoc nostrum est ministerium, hoc nostrum est officium. Ergo qui docent imagines aut idola colere, oratiunculas coram hac aut illa imagine effusas Deo gratiores & maioris indulgentiæ meritorias esse, quàm coram nulla commemoratas.

Arrogantia cordis quomodo compescenda.

Apostolicum munus.

Item

Item hominem meritis suorum operum gratiam Dei impetrare, qui, inquam, talia docent, non funguntur munere Apostolico, non enim adnunciant ut homines conuertantur a uanis cultibus ad Deum uerum, sed auertunt eos a Deo uiuo ad uanissimas quasdam uanitates, imagines uidelicet & merita humana, quibus nihil potest dici inanius. Postremo addunt Apostoli quomodo Deus sit per uisibilia cognoscendus. Qui, inquiunt, in præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi uijs suis, hactenus ignorantiam sui dissimulauit, nunc autem adnunciat per nos hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant. Tametsi nulla huius ignorantiæ culpa in Deo sit, sed tantum in cæcitate humana, Deus enim non expertem testimonij seipsum etiam in præteritis ætatibus sinebat dum beneficia conferret, de cœlo nobis dans pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Hoc est quod Paulus alias ad Romanos scribens ait: Palam fit ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniusticiam hominum qui ueritatem in iniusticia detinent, propterea q; id quod de Deo cognosci potest, manifestum est illis. Deus enim illis patefecit. Quomodo? Siquidem quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaq; æterna eius potentia ac diuinitas, in hoc ut sint inexcusabiles. Quod igitur sacra Biblia, hoc aliqua ex parte sunt creaturæ. Vt enim per Verbum Domini in sacris Biblijs adnunciatum cognoscitur Deus, ita & inuisibilia Dei cognoscũtur per uisibiles creaturas. Nam & ipsa sacra scriptura Deum ita cognoscendum proponit. In Iobe scribitur: Qui dat pluuiam super faciem terræ & rigat aquis uniuersa. Ac iterum: Quis est pluuiæ pater, uel quis genuit stillas roris? Et alias: Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluuiam, Qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. Ac rursus: Producens fœnum iumentis & herbam seruituti hominum, ut educas panem de terra, & uinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Hoc illud est quod Paulus & Barnabas hic dicunt, dans tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Ergo dum de cœlo cadit pluuia, qua terra nostra ad fructificandum irrigatur, & dum nos fructum terræ in pace & securitate percipimus, attollendus est animus, ad authorem huius beneficij, & cognoscendum q; unus solus uerus Deus hæc nobis largiatur. Deinde gratiæ tam benefico DEO agendæ sunt, & in ipsum solum credendum, q; ut corpus impleat cibo salutifero ita quoq; animam saluaturus sit. Cæterum Paulus & Barnabas non meminerũt in hac concione Iesu Christi, sed tantum Dei. Ineptum enim fuisset illis filium unius & uerí Dei inculcare, quibus nondum persuasum erat, unum solum uerum & uiuum deum esse. Prudenter igitur a principio ducunt illos in cognitionem unius dei, ut ita per gradus ad cognitionem unius Domini nostri Iesu Christi filij dei descendant. Ad ueram enim beatitudinem pertinet, ut non solũ deus pater, sed etiam filius eius Iesus Christus cognoscatur. Hæc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum & quem misisti Iesum Christum. Hactenus expositimus pro mediocritate nostra concionem duorum Apostolorum apud Lystrenses, quam (ut sequitur) dicentes tametsi difficulter admodum compescuerunt tamen turbas ne ipsis immolarent. Reliquum igitur est, ut cum & nos docemur, non esse inuocandos sanctos tanquam auxiliatores in necessitate, sed solum deum esse colendum & inuocandum, nec uisibiles creaturas aut uirtutes humanas tanquam deos adorandos, sed potius per creaturas & beneficia hominibus data, uerum deum cognoscendum. Hæc, inquam, cũ docemur e scripturis, sinamus obsecro, nos compesci, ut a uana superstitione ad uerum & uiuum deum cõuertamur per Iesum Christum Dominũ nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

I. Cap.

Quomodo deus cognoscatur per uisibilia.

HOMILIA LXV.

AVdiuimus, dilectissimi, Paulum & Barnabam turbas Lystrenses concione sua compescuisse, ne sibi tanquam dijs immolarent. At impietas bellua est multorum capitum, quorum uno amputato, aliud succrescit. Nam sedata quidem erat ad hoc tempus in ciuibus Lystrensibus impia erga Paulum & Barnabã idololatria. Sed ecce pro illa erumpit nunc impia erga eosdem Apostolos crudelitas. Superuenerunt enim quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum e ciuitate, existimãtes illum mortuum esse. Quid primum obsecro dicemus? num continentem, irrequietum & in defessum Satanæ conatum, quo nunquam non Euangelio Christi insidiatur? an inconstantissimam uulgi mobilitatem, qua ille quouis doctrinæ uento circumfertur? an uariam humanæ gloriæ fortunam, qua fit, ut qui paulo ante tanquam deus a turba adorabatur, nunc ab eadem turba tanquam omnium bipedum nequissimus lapidetur. Ac si de Satanæ conatu aliquid dicendum est, & ante sæpe numero ostendimus, & nunc reipsa iterum comprobatur, q̃ circumeat tanquam leo rugiens, & ubi uis quærat quem deuoret, quem uel a fide uera, uel a bonis operibus a Deo præceptis impediat aut auertat, & quocunq̃ diuerteris inuenies Satanam aut iam præsentem, aut mox occurrentem. Nam quia incolæ in Lystris tanta ueneratione excipiebant Paulum & Barnabam, ut & ipsis tanquam dijs immolare uoluerint, uidebatur Euangelion illic ualde promoturum, & spes erat totam urbem breui fidei Euangelij subscripturam. Sed ecce, cum nullus ciuis in ea urbe Euangelio aduersaretur, & summus quoq̃ sacrificulus seu pontifex urbis (quod genus alioqui Euangelio maxime inimicum est) Apostolos magno fauore prosequeretur, uocat tamen Satan in eam urbem organa sua aduenticios Iudæos ex Antiochia & Iconio, unde paulo ante Apostoli eiecti erãt, qui sicut in Antiochia & Iconio, ita & in Lystra extimulant turbam, & excitant tantam persecutionem in Apostolos, ut Paulus (q̃ huic ob eloquentiam suam magis offensi erant) lapidaretur, & uelut mortuus e ciuitate extraheretur. Non est autem Satan in publico tantum Euangelij negocio aduersarius noster, sed in omnibus etiam rebus priuatis. Tametsi enim non semper propter Euangelion publicam excitet persecutionem, tamen quid aliud in mundo q̃ pugna aduersus Diabolum quotidie gerenda est, & aduersus iacula eius & tela conflictationibus assiduis dimicandum est? Cum auaricia nobis, cum impudicicia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus uicijs, cum illecebris sæcularibus assidua & iugis & molesta luctatio est. Si auaricia prostrata est, exurgit libido, si libido compressa est, succedit ambicio, si ambicio cõtempta est, ira exasperat, inflat superbia, uinolentia inuitat, inuidia cõcordiam rumpit, adeoq̃ nunquam datur nobis per Satanam uel paululum temporis a pugna respirandi. Proinde nunquam securam uitam agamus, sed sobrij simus & uigilemus, ut solidi fide Satanæ semper resistere queamus. Deinde consydera mihi inconstantiam uulgi Lystrensis maxime mobilem, primum enim audientes Paulum eloquenter de Deo differentem, & uidentes eum miracula ædentem, amplectuntur eum tanquam Deum, postea autem audientes aduenticios Iudæos etiam ipsos non infantiliter de rebus diuinis differentes, & Apostolis mirum immodum cõuiciantes, confestim mutant sententiã suam, & quanto maiori fauore antea doctrinã Pauli amplexi fuerant, tanto maiori odio eam nunc abominãtur. Hoc est ingenium uulgi, quod circumferatur quouis uento doctrinæ, & quo quis est eloquentior aut potius loquatior, hoc maioris est fidei apud uulgum. Sed quid hac inconstantia

Satanæ conatus quales sint.

Vulgi inconstantia.

tia turpius? quid hac mobilitate fœdius? quam usq; adeo etiam Ethnici quidam impie pij detestati sunt, ut maluerint factícios deos semel receptos colere, q̃ sub inde deos suos mutare. Transite, ait Dominus per Hieremiam, ad insulas Cithim, & uidete, & in Kedar mittite, & consyderate uehementer, & uidete, si factũ est huiusmodi, si mutauit gens deos suos, & certe ipsi non sunt dij, populus uero meus mutauit gloriam suam in idolum. Fugiamus igitur amicíssimi hãc inconstantiam, & siquidem factícios deos adorauerimus, relinquentes eos (hoc enim non est inconstantia, sed resipiscentia) uerum deum complectemur, ac in uera eius doctrina constãter perseueremus, id quod fiet, si audientes Euangelíon de Iesu Christo firmam ei fidem adhibeamus, nec ab ea unquam uel latum unguem nos diuelli patiamur. Postremo animaduertendum est, q̃ uaria sit fortuna fauoris popularis. Vulgus principio adorat Paulum tanquam deum, nunc uero lapidat eum tanquam Satanam & hæreticum. Sic Mose a senioribus Israelitis in Aegypto tanquam numen e cœlo demissum excipitur, post ab ijsdem in deserto ad cædem quæritur. Sic Dauid ab initio publico omnium tribuum Israel consensu in regem assumitur, dicẽtium: Nos os tuum & caro tua sumus, post omnium fere conspiratione e regno tanquam uir sanguinis expellitur, & mortuus etiam contemnitur, dícunt enim: Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Isai? Sic Christus Iesus DOMINVS noster, dum multa milia in deserto paucis panibus & piscibus pauit, quæritur a turba ut in regem eligatur, & equitans super asínum in Hierusalem, excipitur a turba tanquam Messias, acclamatur ei, benedictus qui uenit in nomine Domini, paulo post ab eadem turba clamatur, tolle tolle crucifige eum. Ecce hæc est fauoris popularis sors, quem modo uulgus ardentissime amauit, mox uirulentíssimo odio prosequitur. Maxime autem oĩum prodest hanc auræ uulgaris inconstantiam nosse, primũ, ut si quis ob egregiam aliquam uirtutem uno omnium ore celebretur, ne arrogantia inflatus, fiduciam suam in auram popularem collocet, ac quosuis alios præ se contemnat: hic meminisse debet, non semper lília florere, & serum uesperum longe aliud sæpe aduehere q̃ clarꝫ mane promiserat. Deinde ut unusquisq; sciat nõ esse bene operandum, aut uocationi suæ fideliter seruiendum propter fauorẽ uulgi, aut mercedem a populo accipiendam, quid enim fauore populi inconstantius? aut quid mercede a populo expectata malignius? sed propter mandatum Dei & mercedem, non quidem ob merita nostra, sed ob diuinas promissiones a Deo accipiendam. Obserua enim qua tandem mercede Paulus a ciuibus Lystrensibus honoretur. Venit ad eos Paulus per uaria rerum discrimina, & attulit ad eos prædicatione Euangelij, iusticiam, salutem, cœlum & uitam æternam, hoc est, talia bona, quæ superant omne argentum, aurum, margaritas, diuitias, regna & imperia huius sæculi. Quid mercedis illi pro tanto beneficio in Paulum conferunt? Respondeo, lapides & saxa, & extractionem corporis eius e ciuitate sua, perinde ac si esset cadauer pecoris alicuius immundíssimi. Hæc est merces, hæc est gratiarum actio, & talem rependere solet suis benefactoribus mundus. Ergo ne non est benefaciendum mundo? Absit, Benefaciendum quidem est omnibus huius sæculi hominibus, non tamen propter fauorem aut mercedem quam mũdus reddit, quemadmodum paulo ante diximus, sed propter mandatum Dei, qui quantumuis maligne mundus nostris beneficijs respondeat, liberalíssime tamen unicuiq; suo tempore iuxta promissiones ipsius reddere solet quod quisq; bonum fecit. Vnde quanto crudelius Lystrenses Paulum tractant, tanto clemẽtius eum Dominus Deus noster respicit. Nam cum extractus esset Paulus e ciuitate uelut mortuus, circundantibus eum discipulis (fortasse funus curaturis) surrexit & intrauit ciuitatem. Quomodo, obsecro, clementia Dei erga sperãtes in ipsum in

Fortunæ uarietas.

An relinquendus sit mundus propter ingratitudinem.

media morte, magis perspicue, & in seruando Paulo, cognosci posset? Lapidibus obruitur Paulus, & tot mortiferos ictus sustinet quot lapides excipit. Vnde tanquam mortuus e ciuitate uelut cadauer extrahitur & proijcitur. Quæ quid aliud sunt, & Paulum bis morte afficere, semel lapidibus, & iterum uiolenta extractione. Inter hæc tamen extrema uitæ pericula, immo inter has mortes seruatur Paulus incolumis. Quis non admoneatur hoc exemplo, ut in periculosissimo rerum discrimine, de clementi & potenti Dei auxilio bene speret? Etenim Deus operatus est hoc miraculum in Paulo, non propter Paulum tantum, sed sicut aliàs ipse Paulus ait, ad exprimendum exẽplar his qui crediturí essent in ipso in uitam æternam. Ostendit enim Deus hoc exemplo, & qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, & angelis mandatur, ut custodiant credentes in omnibus uijs suis, & in manibus portent eos, ne forte offendant ad lapidem pedes suos, & non cadat capillus de capite nostro sine uoluntate patris, & nemo tentetur ultra id quod ferre potest, breuiter, & Deus liberet suos de omnibus necessitatibus eorum. Vnde & Paulus ad Timotheum scribens has suas afflictiones in exemplum producit, & ait, tu assectatus es persecutiones & afflictiones quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persecutiones sustinuerim, & ex omnibus eripuit me Dominus. Sed & omnes qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Confirmemus igitur hoc exemplo fidem nostram, ut quicquid nobis aduersi immineat, certum nobis auxilium Dei polliceamur. Ac postero die profectus est cum Barnaba Derben, cunctq; Euãgelizassent ciuitati illi, ac docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam, denuo confirmantes animas discipulorum, exhortantesq; ut perseuerarent in fide, & & per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei. Obserua iterum Paulum ex afflictione quam habuit in Lystris, non pusillanimem in officio Apostolico, sed multo fortiorem & animosiorem redditum, mox enim prædicat Euangelium in ciuitate Derbe, ac multos docet uiam ueritatis. Immane, quantum nos ab illius moribus ac pietate distemus. Si enim in uocatione nostra uel leuis afflictiuncula nobis accidat, cõfestim de præsenti uocatione relinquenda & alia sectanda deliberamus. Sed quid hac inconstantia ignauius? quid turpius? nam diuinam uocationem propter aduersa relinquere quid aliud indicat, & domum ædificatam esse non super petram, sed super arenam? & quid aliud refert & arundinem uento agitatam? Viro bellanti uicio datur, si propter paulo fœliciorem hostium fortunam hastam abijciat & fugiat, quanto magis Christianus reprehendendus uenit, & suum ordinem ob nescio quam aduersitatem deserat, præsertim, cum Dominus Deus noster in hoc ipsum aduersis suos Christianos affligat, non ut eos a uocatione sua dejiciat, sed ut probet eos & fortiores ac induratiores reddat. Quare abiecta hac ignauia, exemplum Pauli sectemur, ut quo plura nobis aduersa exitium minentur, eo constantius in uocatione Dei perseueremus & pergamus. Vnde & Paulus & Barnabas eo redeunt ubi prius Euangelion prædicauerunt, ut confirmarent animas discipulorum, & exhortarentur eos ut perseuerarent in fide. Vt enim in agro aut uinea non sufficit seminare aut plantare, sed etiam requiritur rigatio, fossio, stercoratio, & id genus alia, per quæ Deus incrementum effundit, ita & in Ecclesia seminatur bonum semen, ac plãtatur de Iesu Christo, ac potens quidem est Deus Ecclesiam suam, uel per unam tantum concionem Verbi Dei conseruare, sed habet suos modos per quos incrementum effundit, & auget, quos non uult contemni, uidelicet, rigationem exhortationis, stercorationem admonitionis, & fossionem increpationis. His enim modis Dominus Deus noster incremẽtum, quod per primam sementem effudit, conseruat & auget. Proinde qui ea persuasione quotidianas

Exemplum clementiæ Dei.

Christiano perseverandum esse.

quotidianas uerbi Dei conciones negligunt, q̃ putent sibi satisfactum, etiamsi toto uitæ suæ tempore, duntaxat unam concionem audierint, profecto deum tentant, & seipsos in pericula desolationis uineæ suæ conijciunt. Sed quomodo exhortantur Paulus & Barnabas animas discipulorũ ut in fide perseuerent, etiãsi multis tribulationibus afficiantur? Hæc erat, ut sequitur, ratio exhortationis, q̃ per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum dei. Christus enim non solum prædixit afflictiones suis discipulis imminere, sed etiã afflictiones in uiã ad regnum cœlorum in seipso dedicauit & consecrauit. Sic enim dixit Christus: Ecce emitto uos sicut oues in medio luporum. Et: Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium. Ac rursus: Si me persecuti sunt & uos persequentur. Item: In mundo afflictionem habebitis. Et ueniet tempus ut quisquis interficiat uos uideatur cultum præstare Deo. Sed num hæ afflictiones sunt damna salutis & impedimenta quominus ad regnum cœlorum perueniamus? Absit: lucra sunt, non damna, & compendia ad cœlum, nõ impedimenta. Beati, inquit, estis cum probra iecerint in uos homines & insectati uos fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos mentientes, propter me. Gaudete & exultate quoniã merces uestra multa est in cœlis. Hanc uiam ad cœlum per Christum dedicatam, oẽs patriarchæ, prophetæ, & pij ingressi sunt, quibus tametsi promissa erat omnis fœlicitas, accidit tamen eis in hoc seculo omnis infœlicitas. Primum ut probaretur fides eorum deinde ut mortificaretur caro eorum, postremo, ut iniiceretur eis ardentius futuræ uitæ desyderium. Quod autem fidem probat, carnem mortificat, & desyderium sempiternæ uitæ iniicit, certe adiumento non impedimẽto est ad regnum cœlorum. Proinde tantum absit ut afflictiones nos a uia qua pergimus in regnum cœlorum, auocet, ut potius per afflictiones constantiores in uia ueritatis reddamur. Et cum suffragijs creassent illis per singulas Ecclesias presbyteros, precatiq̃ essent cum ieiunijs, commendauerunt eos Domino in quem crediderant. Vides q̃ necessaria sit Ecclesiæ continua uerbi Dei prædicatio. Cum enim Paulo & Barnabæ iuxta officium uocationis suæ non liceret in uno loco semper habitare, sed necesse haberent orbem terrarum peragrare, constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros, quos aliàs scriptura Episcopos, aliàs pastores uocat. Et creauerunt eos his cæremonijs, primum, precati sunt Dominum cũ ieiunio, hoc est, publicas preces in congregatione Ecclesiæ orarũt usq̃ ad uesperum. Mos enim Iudęorum erat in publicis calamitatibus, aut in alijs rebus in quibus opus erat auxilio dei, ut per totum diem usq̃ ad uesperum unà perseuerarẽt ieiunantes, & auxilium dei precibus ambirent. Ieiunabant autem per totũ diem, non ut hoc ieiunij opere Deum placarent, sed ut magis idonei essent ad precandum. Vnde Iosaphat prædicauit ieiunium uniuerso Iuda, hoc est, cõgregauit uniuersum Iudam ad orandum deum publicis precibus. Et de impiorũ cœtu in Hieremia dicitur: Cum ieiunauerint non exaudiam preces eorum. Quæ uerba manifeste indicant publica ieiunia ob publicas preces obseruata fuisse. Cum igit Ecclesiæ opus haberent presbyteris qui ipsas uerbo Domini plantatas, prædicatione Euangelij & administratione sacramentorum fideliter rigarent, conuocant Paulus & Barnabas singulas Ecclesias ad publicas preces, ut Dominus in creandis presbyteris sua gratia præsto adsit. Deinde creant presbyteros suffragijs. Nulla hic fit mentio unctionis, nulla characteris indelibilis, & crediderim presbyteros seu Episcopos in Ecclesia recens orta ardentissimis quidem precibus & maximis orationibus ad Deum, minimis autem cæremonijs creatos esse. Hypocritæ uero maximis cæremonijs, minimis autem precibus ad Deum effusis Episcopos aut presbyteros suos creant. Quare non est mirum q̃ tales plærunq̃ creentur qui claudunt regnum cœlorum ante homines, nec ipsi intrant, nec adue-

Afflictiones esse lucra.

Quare pij afflgantur.

Mos initiandi presbyteros.

nientes intrare sinant. Sed ut finem dicendi faciamus, persequamur breuissimis
» sequentia in hoc capite. Peragrataq; Pisidia, uenerunt in Pamphiliam, & cũ lo
» cuti essent sermonem Pergæ, descenderunt in urbem Attiliam, & inde soluerũt
» Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleuerunt. Cum
» autem uenissent & congregassent Ecclesiam, retulerunt quæcunq; fecisset Deus
» secum, & q aperuisset Gentibus ostium fidei. Cõmorati sunt autẽ illic multum
» temporis cum discipulis. Redeunt Paulus & Barnabas in eam Antiochiam in
qua electi erant ab Ecclesia ut prædicarent Gentibus Euangeliũ, quemadmodũ capite decimotertio dictum est, & narrant illic quæcunq; (inquit Lucas) fecisset Deus secum. Vides Apostolos nihil tribuere suæ diligentiæ, industriæ & sanctitati, sed totum opus quod ministerio suo peregerunt, Deo adscribere. Quorum exemplum etiam nos imitemur, ut omnia nostra bona opera quæ ex officio uocationis nostræ facimus, nõ nostræ iusticiæ sed diuinę clementiæ adscribamus, & fateamur nos quidem seruos inutiles esse, solum autem Dei incrementum utile, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

CAPVT XV.

HOMILIA LXVI.

QVOD IN HOC DECIMOQVINTO capite tractatur, amicissimi, fortassis uidetur nobis non magni momenti, & indignũ propter quod tranquillus Ecclesiæ status turbetur. Agitur enim de abrogatione circuncisionis, nimirum, q opus circuncisionis non sit pars satisfactionis pro peccatis, nec necessaria ad consequendam salutem. Quicquid autem de circuncisione litigatur, inepte ac stulte nobis dici existimamus, quippe q Iudæorum sit ista contentio, & ad nos plane nihil pertineat, & consuetudo ipsa apud nos declaret circuncisionem post Christum esse meram Iudęorum superstitionem. At si quis hanc de circuncisione controuersiam propius intuea tur, & secundum suas conditiones ac circũstantias expendat, reperiet eam momenti longe omnium maximi esse, & ueram eius partem quam definierunt Apostoli in concilio Hierosolymitano ad illustrationem Christi præcipue pertinere, falsam autem eius partem totam Christianam doctrinam obscurare. Proinde nõ aliter omnibus Christianis in hac contentione arrigendæ sunt aures, quã si agere tur sicut uere agitur, num Christus esset Christus, hoc est, remissor peccatorum & saluator. Hoc enim uere in hac controuersia agitur, quẽadmodum postea perspicue declarabitur. Ne autem longius extra præscriptos historiæ actorũ Apostolicorę fines euagemur, audiamus ex ordine quod Lucas scribit, sic enim ait:
» Quidam qui descenderant a Iudæa docebant fratres, nisi circũcidamini secun
» dum morem Mosi, nõ potestis esse salui. Qui autem fuerũt illi quidam Iudæi? Num Iudæi Christum persequentes? at illi nõ docebant fratres, sed comprehendebant eos & lapidabant. Fuerunt ergo Iudæi qui in Iesum Christũ per prædicationem Apostolorum credebant, & hi nõ persequebantur quidem Christũ gladijs aut lapidibus, attamen si prævaluissent in sua doctrina, maius damnũ Christianismo sua falsa doctrina intulissent, q oẽs principes & Pharisæi sua crudeli tyrannide. Nã Ecclesiæ Christi multo pernitiosior est hęresis q externa & tyrannica

Collatio hæresis & tyrannidis.

nica persecutio. Etenim in persecutione tyrannica nihil agitur scripturis, legitimis rationibus & Verbo Domini, sed tantum uiolentia, crudelitate & tyrannide, quæ cum palam sit iniqua, eos tantum ad defectionem cogit, qui nunquam uere in Christum crediderunt, aut si etiam illos cogat qui credunt, grauitatem autem supplicij exhorrescunt, non tamen potest cogere animum, sed tantum os, ut aliud q̃ cor sentiat loquatur. Non hæc dico q̃ illi excusationem habeant, qui formidine supplicium Christum ore abnegant. Dicitur enim: Qui me abnegauerit coram hominibus, abnegabo eum ego coram patre meo cœlesti. Et ore fit confessio ad salutem, ore igitur fit abnegatio ad damnationem. Sed q̃ interdum fieri possit, ut quis uiolenter cogatur aliud confiteri q̃ sentiat, tametsi probus & honestus uir citius mortem perferat q̃ ut ignauia & timore supplicium Christum ore abneget in quem corde credit. Hæresis autem fraudulenter incedit, & transfigurat sese in angelum lucis, pugnat rationibus & uerbo dei, ac maiorem nominis & ueritatis diuinæ speciem habet, q̃ sana & recta doctrina. Proinde si qui imbecilles sunt in fide hi ita seducuntur, ut non solum ore, sed etiam corde in hæresim consentiant. Sic autem in falsam doctrinam consentire longe omnium pernicio sissimum est. Proinde hi Iudæi Christiani qui docuerunt circunci-sionem necessariam esse ad salutem, maius damnum minati sunt Ecclesiæ Christi q̃ omnes tyranni persecutores. Inquirendum autem est principio quæ fuerit occasio huius doctrinæ. Hanc enim si inuestigauerimus, multo melius statum controuersiæ illius intelligemus. Fuit autem occasio huiusmodi. Primum, Petrus accesserat ad Cornelium & multos alios ex Gentibus in Cæsarea, quemadmodum supra multis demonstratum est, & prædicauerat illis Euangelion, ac receperat eos postquam in Christum credebant in communionem Ecclesiæ, cum baptizasset eos in nomine Christi absq; circunci sione & impositione legis Mosaicæ. Deinde Paulus & Barnabas ex Antiochia ad Gentes missi, prædicauerãt Euangelion in multis Gentiũ regionibus, & omnes eos qui ex Gentibus in Christum credebant absq; circunci sione & obseruatione legis Mosaicæ, ad communionem cœlestis hæreditatis per Christum admiserant. Et Iudæos quidem Christum fide agnoscentes, relinquebant in consuetudinibus legis Mosaicæ, uidelicet, ut circunci sionem haberent, Sabbathum obseruarent, sacrificarent, & id genus alia opera facerent. Gentes autem ad fidem Christi cõuersas in suis legibus, non quidem in idololatria, sed ciuilibus moribus relinquebant, nimurum, ut retinerent præputium, Sabbathum negligerent, suos autem mores iuxta regionis consuetudinem, alia q̃ id genus multa obseruarẽt. Hinc igitur discipuli quidam ex Iudæis Christiani facti turbam in Antiochia contra Paulum, Barnabam & gentes in Christum absque circunci sione credentes, excitant, & reprehendunt quidem Paulum ac Barnabam, q̃ recepissent Gentes absq; circunci sione, Gentes autem docent q̃ nõ possint saluę esse nisi circuncidantur iuxta legem Mosi. Habebat autem horum sentẽtia maximam pietatis speciem, primum enim deus ipse circunci sionem instituit, & in institutione eius dicit: Pactum meum erit in carne uestra in fœdus æternum, masculus cuius præputij caro circunci sa non est delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meũ irritum fecit. Deinde quia etiam Apostoli qui erant Hieroso lymis adhuc obseruabant circunci sionem, & sinebant ut parentes Christum confitentes, pueros suos iuxta legem Mosi octauo die circuncidẽt. Quod autem in pueris Iudæorum fieret, hoc idem necessario in aduenis, qui Messiam Iudæorum agnoscerent, faciendum esse conijcitur, ut si uoluerunt uere de Repub. Israelis esse circunci sionem accipiant. Postremo, quia ex circunci sione pendebat tota lex. Abrogata igitur circũci sione, uidebatur tota lex abrogari, non ea tantũ legis pars quæ de cæremonijs & rebus politi-

Circunci sio quibus niteba tur.

cis præcipit, sed etiam quę de moribus lata est. Ergo ne licebit furari, adulterium committere, occidere, & pessima quęq; scelera designare si lex abrogetur? Quid igitur Christianismus differet a latrocinio & pessima omniũ gentium turpitudine? Hanc bonam speciem habebat sententia eorum, qui contendebant circunci sionem necessariam esse ad salutem. Ac multo religiosiorẽ speciem habebat ꝯ Papisticorum hypocritarum sententia, qui contẽdunt traditiones humanas esse necessarias ad consequendam remissionem peccatorum & salutem. Neq; enim traditiones humanæ a deo ordinatæ sunt, neq; ab apostolis institutæ, neq; ijs abrogatis argui potest, q uere bona opera a deo præcepta abrogentur. Quæ igitur in hoc capite statuuntur ab Apostolis de abrogatione circuncisionis & totius legis Mosaicę, ea multo magis statuta esse intelligamus de abrogatione omniũ humanarum traditionum, si quemadmodũ circũcisio, ita humanę traditiones ad iustificationem necessaria requiruntur. Porro autẽ quo speciosior & magis pia uidebatur eorũ sententia, qui asseuerabãt circuncisionem ad salutẽ necessariã esse, eo minus pia uidebatur illorum sentẽtia qui Gentes absq; circũcisione ad cõmunionem Christi assumebãt, & docebant circũcisionem nõ esse necessariam ad salutem. Nam hi uidebantur non Mosen solum sed & Deum ipsum legis Mosaicę authorem prophanare & conculcare, adhæc oẽm turpitudinẽ docere, ac licentiã quiduis faciendi permittere. Attamen opinio illorum qui circuncisionẽ & alias leges tanq; ad iustificationem & salutẽ necessarias exigebãt prorsus impia erat. Nam quod solius Domini nostri Iesu Christi est, hoc tribuebat circũcisioni, & aliarũ legum operibus, nimirꝝ, iustificationẽ & salutẽ. Hæc autẽ operibus legis adscribere, est Christum nõ solum obscurare sed plane extinguere & abnegare, ac opera legis in locum Christi substituere, quod quanta sit impietas uix uerbis explicari potest. Nam quod de perpetua obseruatione circũcisiõis in institutione eius a deo mandata obijcitur, nõ ad perpetuam circũcisionis durationẽ, sed ad gentis Abrahæ durationẽ respicit, uidelicet, circũcisionem carnis ꝑpetuo in carnali gẽte Abrahæ obseruandã esse, ita ut unà cũ ea gẽte instituta sit, & unà cũ ea gẽte interitura sit. Vñ dicit: Omne masculinũ in gnationib⁹ uestris circũcidet. Qñ ergo gnationes, hoc est, authoritas carnalis familiæ Abrahæ desinit, circũcisio quoq; desinet. Et postea: Eritq; pactum meum in carne uestra in fœdus æternum. Carne ergo, hoc est carnali authoritate & respectu gẽtis Abrahæ cessante, cessat & signum carnale. Aduentu autẽ Christi dictum est, ne sitis hac mente ut dicatis intra uos ipsos, patrem habemus Abrahã. Dico enim uobis q possit deus facere ut ex lapidibus his filij surgant ipsi Abrahæ. Et uenient ab oriente & occidente, & aquilone & austro & accumbent in regno dei. Quod quid aliud est ꝯ carnalem gentis Abrahæ respectum, nullam amplius post aduentum Christi authoritatẽ babere, sed omnes eos pro filijs Abrahæ reputari qui credunt in Iesum Christum. Vt igitur carnalis gentis authoritas per Christum abrogata est, ita & carnalia eius sacramenta abrogata sunt, quod pluribus ostendere & comprobare, nunc nec est locus nec tẽpus. Deinde, q Apostoli in Hierusalẽ sinebant pueros Iudæorum in Christum credentium circuncidi, non propter hãc causam fiebat, quia reuelato iam regno Christi circuncisio necessario obseruanda esset, sed quia in prima Euangelij prædicatione imbecilles adhuc erant credentium conscientiæ, & non poterant citra periculum uno temporis momẽto ab obseruatione legis uiolenter deturbari. Adhæc status Iudaicæ gentis nonnihil firmus adhuc consistebat. Parcendum igitur initio erat infirmis conscientijs, & publicus gentis status non erat turbandus. Q; autem dicitur, abrogata circuncisione totam legem abrogari, uere dicitur, non quia nulla pars legis omnino obseruanda est, sed quia propter Mosen & gentem Iudaicam nulla obseruanda est. Nam

Circuncisionis perpetua obseruatio quos comprehendat.

Circuncisio quare Hierosolymis aliquandiu sit ab Apostolis obseruata.

postquam

postquam Christus aduenit, redemit omnes in ipsum credentes a Mose & lege eius, & quemadmodum antea dictum est, authoritatem gentis Iudaicæ sustulit. Lex igitur Mosi neminem in Christum credentem ad obseruationem sui obligat, & multa tamen in lege Mosi obseruanda sunt (ut non esse nomen Domini maledictionibus sordidandum, non esse occidendum, non esse furandum, & alia) non quia Mose ea præcepit, sed quia fides in Christum & dilectio proximi obseruationem earum legum, etiamsi non essent a Mose conscriptæ exigit. Iam si tota lex, quantum ad hanc causam attinet, q̃ Mose eam præcepit, & authoritas Mosi per Christum defecit, abrogata est, quanto magis abrogata iudicari debet, propter hanc causam, q̃ nullius legis opus peccata expiet, pro peccatis satisfaciat, & iustitiam coram Deo conferat. Neq; enim is fuit usus operum legis in cordibus piorum, etiam eo tempore dum authoritas Mosi adhuc incolumis staret, quemadmodum postea Petrus indicabit. Proinde impia est illorum opinio, qui circunciſionem & alia opera legis tanquam iustificantia & pro peccatis satisfactoria exigebant. Eorum autem sententia qui Gentes sine circunciſione ad communionem Christi recipiebant, pijſſima erat: nõ enim sentiebãt quiduis impune licere, sed Christo suum honorem tribuebant, uidelicet, q̃ is solus esset peccatorum expiator, & q̃ omnis qui in hunc credat, siue circuncisus siue incircuncisus habeat peccatorum remissionem & iustitiam coram deo. Qui autem a peccatis per fidem liberatus est, quomodo ijsdem seruiret? quomodo quiduis pro sua libidine ageret? & ut Paulus ait: Qui mortui sunt peccato, quomodo post hac uiuent in eodem? Sentire igitur, Christum absq; circunciſione per solam fidem iustificare, est Christum uere honorare, & uere bona fidei opera docere. De qua re postea plura. Nunc reuertemur ad ea quæ Lucas narrat, sic eñ ait. Cum orta ergo seditio & disceptatio esset, non exigua Paulo ac Barnabæ, constituerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex ipsis ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. Recte dictum est a Salomone, Litis initium perinde est ac si sibi alueum ruperit aqua. Quod cum in ciuilibus dissensionibus, tum maxime in hac Ecclesiastica de circunciſione controuersia uerum esse uidemus. Habebat enim hæc controuersia exiguum initium, & ex leuissimis causis exorta erat, sed ecce sicut fluuius cum rumpit alueum, maiori subinde ui extra alueum effertur. Ita quia discipuli Christianismi semel de circunciſione contendere & concordiam interrumpere cœperunt, paulatim in magnam seditionem & graues disceptationes mutuo cooriuntur. Admonemur igitur hoc exemplo, ut quia iuxta prouerbium, lis litem parit, nõ inchoemus initia litium, nec demus importunitate nostra occasionem contentioni, sed in charitate quæ multitudinem peccatorum operit, ambulemus, & omnem discordiæ animam comitate & facilitate amputemus. Quid ergo de Paulo & Barnaba dicemus, qui usqueadeo nulla facilitate doctoribus circunciſionis cedunt, ut subinde maiorem seditionem disceptationibus suis aduersus ipsos moueant? Si Paulus & Barnabas sunt doctores charitatis & pacis, cur ipsi non seruant pacem cum aduersarijs suis? & quia uident eos esse contentiosos, cur non ad imbecillitatem eorum conniuent? Scribit quidem aliàs Paulus: Debemus (inquiens) nos qui potentes sumus infirmitatem impotentium portare, ac non placere nobisipsis, sed unusquisq; nostrum proximo placeat in bonum ad ædificationem. Aliud autem est infirmitate, aliud impietate & pertinatia laborare. Nam qui molestis & importunis moribus in externa uita sunt, hi in pace ferendi sunt. De qua re extat prouerbium: Amici mores noueris, non oderis. Similiter, qui in doctrina pietatis & in fide adhuc imbecilles sunt, horum fides non est importunitate extinguenda, sed beneuolentia & comitate erudienda & confirmanda.

Lex quatenus abrogata.

Lites.

Aliud esse infirmitate aliud pertinacia laborare.

Qui uero impia pertinaciter docent, his nequaquam est cedendum, nec ad impietatem eorum conniuendum, sed est afferenda ueritas pietatis aduersus impietatem inuitis omnibus portis inferi, etiamsi in hoc sæculo cœlum terræ propter eam doctrinam misceatur. Vt enim Deo obediatur, & doctrina ueræ salutis asseratur necesse est. Vt autem pax & tranquillitas mundi constet, non est necesse. In hac uero controuersia de circuncisione periclitabatur summa doctrina Euãgelij, de iustificatione propter Christum per fidem, quæ est doctrina ad salutem maxime omnium necessaria, in qua impijs doctoribus cedere, & ad conseruandam tranquillitatem ciuilem conniuere, non est obedire Christo, sed prodere Christum, non est mansuetudinem Christi imitari, sed maiestatem & gloriam Christi extinguere, non est paci operam dare, sed ueram pacem turbare. Quare ut doctores circuncisionis non debuissent ab initio occasionem contentioni dedisse, ita necessarium erat, ut Paulus & Barnabas pertinaci impietati doctrinæ eorum, quoquo modo possent, resisterent. Etenim quemadmodum in rebus ciuilibus nõ est quidem tumultus excitandus, attamen, si domus aliqua igni flagret, aut prædatores incursionem faciant, unde toti urbi ac regioni exitium imminet, non habetur is ciuis amator patriæ & pacis, qui adhæc tacitus conniuet ac tacet, sed is uere bonus ciuis habetur qui in tali discrimine tumultum excitat & turbam mouet, ut omnes undiq; ad ferendum auxilium concurrant, ita in infirmitatibus quidem morum non est aduersus infirmos tumultuandum, sed si doctrinæ Euangelicæ ab impijs doctoribus periculum immineat, hic maior est ratio habenda ueritatis doctrinæ piæ, quàm tranquillitatis huius sæculi. Proinde cum Paulus & Barnabas seditionem aduersus doctores circuncisionis mouent, non hoc agunt, ut Ecclesia Christi conturbetur, sed potius cauent, ne per impiam doctrinam perpetuis turbationibus obnoxia fiat. Sed hic mihi uide piam fratrum in Antiochia prudentiam. Cum enim in hac controuersia de obseruanda circuncisione & lege Mosi, utraq; pars scripturis niteretur, & Christiani Antiocheni non possent in hoc negocio præ imbecillitate spiritus sui quicquam pronunciare, miserunt Paulum, Barnabam & alios quosdam ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem, ut illic hæc controuersia cognosceretur. Dices autem: nonne quæstiones & conttouersiæ fidei iudicandæ sunt e Verbo DOMINI? Cur ergo hæc fidei quæstio ad Apostolos & Presbyteros, qui fuerunt, ut alij, homines, discernenda reijcitur? Recte sentis, controuersias fidei e Verbo DOMINI determinandas esse. Atq; ob eam ipsam causam hæc quæstio de circuncisione ad Apostolos & Presbyteros reijcitur, non ut de ea iuxta humanam prudentiam, iuxta longam consuetudinem, iuxta rationes carnales, sed iuxta Verbum DOMINI & testimonia sacræ scripturæ cognoscant. Habebant enim Apostoli & Presbyteri in Hierusalem testimonia spiritus sancti, quod donati erant cognitione rerum spiritualium & sacræ scripturæ, adeoq; diuina authoritate munere prædicandi Euangelij & interpretandæ sacræ scripturæ fungebantur. Proinde cum fratres Antiocheni hanc quæstionem ad eos reijciunt, non ad humana figmenta, sed ad oracula spiritus sancti eam referunt. Paulus autem hac legatione fungitur, non quia ipse de uero fidei scopo aduersus doctores circuncisionis dubitet, sed quemadmodum ad Galatas scribit, ut conferret cum Apostolis Euangelion quod prædicauerat inter Gentes, ne quo modo in uanum curreret aut cucurrisset. Nam finge Petrum & alios Apostolos ac presbyteros in hoc concilio lapsos fuisse & doctrinam circuncisionis approbasse, num existimas Paulum fuisse consensurum? Absit, ueritas enim Euangelij conseruanda est, etiamsi non Apostoli tantum, sed etiam angeli de cœlo aliud docerent. Sed bene habet, Apostoli & presbyteri non iudicant

Fidei quæstio quomodo discernenda.

dicant de hoc concilio iuxta humanam sapientiam & diuturnam Iudæorum consuetudinem, sed secundum testimonia spiritus sancti & sacram scripturam. Proinde nec Paulus nec alij Christiani decreta huius concilij detrectarunt. Quo exemplo admonent nos, ut quæcunq; testimonijs spiritus sancti & scripturæ nobis a maioribus proponuntur, ea tanquam diuina oracula, sicut uere sunt, excipiamus, ut spiritui sancto & scripturæ obedientes salutem consequamur, per Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXVII.

QVæ de abrogatione legis Mosaicæ Hierosolymis ab Apostolis & presbyteris, ad quos ea quæstio ab Antiochenis reiecta est, tractantur, attentis obsecro, amicissimi auribus & animis auscultate. In hoc enim negocio & uera legis ratio declaratur, & Christus perspicue illustratur. Quid ergo Hierosolymis actum est? Cum uenissent (inquit Lucas) Paulus & Barnabas Hierosolymam, susceptí sunt ab Ecclesia ab Apostolis & presbyteris annunciaueruntq; quęcũq; deus fecisset cũ ipsis. Quæ sunt illa inquies? nimirum, q̃ gentes recepissent Euangelion, q̃ Christus Gentes absque circuncisione & obseruatione legis assumpsisset, & ut suum populum agnouisset, idq; multis miraculis inter gentes per ipsos æditis cõfirmasset. Addiderunt præterea dissidium in Ecclesia Antiochiæ ortum propter gentes, contendentibus quibusdam obseruationem legis Mosaicæ necessariam esse ad remissionem peccatorum, iustificationem & salutem, secq; ob hanc causam ab Ecclesia Antiochena ad Apostolos & presbyteros in Hierusalẽ legatos uenisse, ut cum illis de hac quæstione dispicerent, uidelicet, num obseruatio circuncisionis & totius legis Mosaicæ gentibus tanquam ad remissionem peccatorum, iustificationem & salutem necessaria obtrudenda esset. Quid ergo fit? Dissidiũ Antiochiæ excitatũ maiori pietatis specie Hierosolymis a Pharisæis fouetur. Surrexerunt enim quidam de factione pharisęorũ qui crediderant, dicentes, q̃ oporteret circuncidere eos ac præcipere ut seruarent legem Mosi. Vides nunc eam opinionem, quæ legem tanquam necessariam ad salutem exigebat, non solum speciosis rationibus, quas in præcedenti Homilia commemorauimus, sed etiam authoritate & dignitate personarum firmari, Pharisæi enim sanctissimum in toto Iudaico orbe hominum genus habebantur, quales fortassis in Papatu habiti sunt Monachi Minoritæ aut Carthusiani. His igitur iam in Christum credentibus & sentientibus quod obseruatio legis ad salutem esset necessaria, quis nõ ad consentiendum moueretur? quis non adstipularetur? Quid si & Paulus acerrimus diuersæ sententiæ propugnator, hoc nomine male audiuit, quod nuper ad retinendam legis obseruationem a maioribus traditam, omnes Christianos crudelissime persecutus sit, nunc autem ad reijciendam legem Christianos tantum non cogat? Itaque qui in hac quæstione falso sentiebant, hi maiorem ueritatis speciem habebant, qui autem uere sentiebant, hi longe a ueritate abesse uidebantur. Proinde conuenerunt Apostoli & Presbyteri ut dispicerent de hoc negocio. Cum autem magna fuisset disceptatio, surgens Petrus dixit ad eos. Priusquam uero sententiam Petri, qua hanc disceptationem componit, audiamus, diligenter obseruandus ac probe animaduertendus est status huius controuersiæ, non enim quæritur, num tota lex Mosi ita abrogari

Status controuersiæ in negocio fidei.

debeat, ut nulla parte nullaq; ratione obseruanda sit? Sic enim non abrogatur, quemadmodum postea sequitur. Sed hoc quæritur, num obseruatio legis Mosaicæ, ob eam causam necessaria sit, ꝙ opera legis unà cum fide in Christum satisfaciant pro peccatis, expient peccata, impetrent remissionem peccatorum, iustificent coram deo, & sint merita salutis perpetuę? Sic enim lex decernitur non esse obseruatu necessaria gentibus, adeoq; abrogatur. Quibus autem ratiõibus, testimoniis & scripturis id fiat, audiamus sententiam Apostolorum, ac primum

„ Petrus dixit: Viri fratres, uos scitis ꝙ superioribus diebus Deus inter nos elegit, ut per os meum audirent gentes uerbum Euangelij crederentq;. Et qui nouit
„ corda Deus testimonium præbuit illis, dans illis spiritum sanctum sicut & nobis, nihilq; discreuit inter nos & illos, cum fide purificauerit corda illorum. Au
„ dis Apostolicam ac uere Christianam sententiam. Sentit enim Petrus obseruationem legis Mosaicæ non esse ob hanc causam necessariam ꝙ opera legis satisfaciant pro peccatis & purificent conscientiam nostram, ideoq; Gentes non esse ob hanc causam ad obseruationem legis cogendas, & probat hanc sententiam diuino miraculo ac testimonio quod Deus Gentibus tribuit. Loquitur autem de ea historia quæ supra de Cornelio Centurione in Cæsarea scripta est. Quam ẽm Petrus uisionem illic uiderit, & quid gestum sit, antea satis explicatum est, nunc tantum ea perstringamus quæ Petrus suo argumento accommodat. Probe (inquit) uobis compertum est ꝙ ante aliquot annos adnunciauerim Euangelion de Iesu Christo Cornelio, aliisq; gentibus quæ cum ipso congregatæ erant, idq; fecerim non meo arbitrio, sed diuina uocatione & uisione admonitus. Postquam autem audierunt ex me Euangelion, continuo donauit Deus eis mirabiliter donum illud spiritus sancti, quo nos in die pentecostes donauerat, cum tamen illi neq; circunciderent sese, neq; sabbathizarent, neq; aliud opus legis facerẽt. Hoc igitur miraculo palam declarauit deus, primum ꝙ gentes Euangelio crederent, deinde ꝙ nos iam iustos & sanctos reputaret per fidem propter Christum. Non enim datur spiritus sanctus nisi puris, mundis, iustis & sanctis. Gentes autem non habebant circunciſionem, non alia opera legis, qua mundæ ac purificatæ reputarentur, sed tantum habebant Christum, quem fide complectebantur & credebant ꝙ propter Christum peccata eorum remitterentur, & coram Deo iustificarentur. Proinde corda gentium fide tantum purificata & sanctificata fuerunt, adeoq; eam sanctificationem a Deo consecutæ sunt gentes per fidem sine circunciſione, quam nos consecuti sumus ex fide in circũciſione. Iam si nullum est discrimen coram Deo circunciſi & incircunciſi, obseruantis legem & non obseruantis, sed ut circunciſus aut obseruans legis ex fide, ita incircunciſus aut neglector legis per fidem purificatur. Quid igitur necesse est ob eam causam obseruationem legis gentibus obtrudere, ut per opera legis iustificentur ac sanctificentur? Et ut hanc rationem melius intelligamus, ponemus ob oculos nostros exemplum nobis magis familiare. Finge duos inter nos homines, alterum honestum ciuili probitate, hoc est, non furantem, non adulterantem, non occidentem, sed eleemosynas exhibentem, castam uitam ducentem, & inimicis benefacientem. Alterum autem inhonestum, furem, impostorem, adulterum, & homicidam. Quõ igitur sentiendum est hos duos in conspectu dei iustificari. Vterq; ẽm coram deo peccator est, & licet alter honestã ducat uitã, tñ quia oĩs homo est mendax, & nemo operibus legi Dei quæ est spiritualis, plene satisfacit (ꝙ omnia nostra bona opera sint imperfecta & impura) cogit̃ dicere: Seruus inutilis sum. Et: Tibi soli peccaui & malum coram te feci. Quomodo igitur dicemus eos iustificari? Iustificantur per illud solũ, si uterq; credat ꝙ propter Christum habeat remissionem peccatorum suorum. Hæc est utriusq; sanctitas & iusticia. Si uero

Deus

Deus & honestum & inhonestum per fidem sanctum & iustum reputat, consectaneum est, ꝙ honestas uitæ non sit causa propter quam peccata remittantur & expientur. Non dico honestatem uitæ non esse præstandam, sed nõ esse causam remissionis peccatorum. Nam qua de causa uitæ honestas obseruãda sit, postea indicabimus, quando de causis obseruationis multarum legum Mosi dicemus. Atq; hęc est prior ratio Petri cur censeat Gentibus nõ esse legem Mosi tanquam ad expianda peccata necessariam obtrudendam. Deus, inquit, purificauit corda Gentium fide, & nihil discreuit inter illos incircuncisos & nos circuncisos quod ad iustificationem attinet. Igitur circuncisio non est necessaria ad purificationẽ seu iustificationem. Si autem circuncisio nõ est ad purificationem cordium necessaria, sequitur nullũ opus legis necessarium esse, quandoquidẽ si ullum opus purificaret cor, certe id faceret opus circũcisionis: habet enim gratissimum mandatum Dei, Masculus (inquit) cuius præputij caro nõ fuerit circũcisa, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Cæterum ꝙ Petrus ait, corda purificari fide, non sic intelligendum est ꝙ cor credentis per fidem ita purificetur, ut nullum prorsus peccatum amplius sentiat, nec ulla sensibilis peccati macula in eo relinquatur. Quis eñ dicit, inquit Salomon, purũ est cor meũ, mundus sum a peccato? Et in Genesi: Intentio humani cordis mala est ab adolescentia sua. Et in Ieremia: Prauũ & inscrutabile est cor hominis. Christus quoq; apud Matthæum dicit: Ex corde exeunt cogitationes malæ. Cor igitur humanũ non ita purificatur fide, ut nil sentiat nisi puram sanctitatem, sed intelligendum est ꝙ cor accipiat per fidem remissionem peccatorum, nõ ut nõ sentiantur peccata, sed ut nõ imputentur. Quanquam enim cor humanum adhuc plenum maneat peccatis, ut ita dicam, sensibilibus, tamen fit per fidem propter Christum, ꝙ hæc peccata non imputentur. Hæc igitur est purificatio cordis. Primum, ꝙ per fidem habeat remissionem peccatorum, deinde ꝙ accipiat spiritum sanctum per fidem, qui efficiat ut peccatum adhuc in corde reliquum existens, non regnet in mortali nostro corpore, ut obediamus illi per cupiditates eius, sed ut accõmodemus nos metipsos deo ueluti ex mortuis uiuẽtes, & membra nostra arma in iusticiæ deo.

Prima ratio.

Quomodo purificentur corda fide.

Sed ut reuertamur ad orationem Petri, ad priorem rationem posset quispiam ita obstrepere. Tametsi circũcisio non est necessaria ad iustificationem, hoc est, ad expianda peccata & satisfaciendum pro peccatis, est tamen ad alia utilis, ita ut qui credit in Christum, habeat quidem remissionem peccatorum per fidem, sed qui ad fidem in Christum circũciditur etiam, maius habeat meritum remissionis peccatorum, ꝙ qui simpliciter absq; circũcisione credit. Vt huic cauillationi obuiãcatur, addit Petrus aliam rationem, in qua ostendit circuncisionem & omnia reliqua opera legis non solum nõ esse necessaria, sed nec utilia ad iustificationem. Et ait: Nunc ergo quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiã Domini nostri Iesu Christi credimus saluari quemadmodum & illi. Primum omnium uide mihi in hac ratione seueritatem apostolicã, quid tentatis, inquit, deũ? non simpliciter pronunciat Gentes non esse onerandas lege Mosi ad parandam iusticiam per opera eius, sed increpat etiam aduersarios & dicit eos tentare deũ. Tentat autem deum qui uiribus suis impossibilia sine Verbo Domini præsumit, aut ab alijs exigit. Cum igitur doctores circuncisionis exigant a Gentibus legem, cui nullo modo possunt operibus suis ad plenum satisfacere, recte arguit eos Petrus temeritatis, quod tentent Deum. Deinde obserua Petrum hoc loco sub nomine iugi, non tantum circuncisionem aut legem cæremonialem, sed etiam legem moralem, adeo ꝙ totam legem quocũ ꝙ nomine uocetur, intelligere. Neq; enim externa circuncisionis aut aliarum cæremoniarum opera por-

Obiectio ad priorem rationem.

Secunda ratio.

Iugum.

tatu impossibilia fuerunt. Itaq; non de illis tantum loquitur, sed potius de decalogo, & alijs legibus moralibus, quæ non possunt ab homine operibus impleri. Hæc igitur est sententia Petri, lex est iugum: Sic enim & legem Esaias uocat dicens: Iugum oneris eius, & uirgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti. Et hoc iugum, neq; nos Iudæi qui nunc uiuimus, neq; maiores & patriarchæ nostri portare potuimus. Nullus enim unquã legi Dei plene & ex omni parte satisfecit. Et enim lex non requirit tantum externa opera & ciuilem honestatem, sed quemadmodum Paulus ait, spiritualis est, hoc est, requirit summam sanctitatem, summam fidem, summam dilectionem Dei, ex toto corde, ex tota anima, & omnibus uiribus, dilectionem quoq; proximi sicut sui ipsius, adeoq; requirit hominem intus & in cute sanctum, purum, & ab omnibus peccatis alienum. Et qui hanc absolutam iusticiam non præstiterit, eum maledicit lex: Maledictus inquiens, qui non confirmat uerba legis huius ut faciat ea. Omnes autem homines concipiuntur & nascuntur in peccatis, & carent natura spiritu Dei: ubi uero non est spiritus Dei, ibi est spiritus Satanæ. Ac etiamsi pijs datur spiritus sanctus per fidem, manent tamen semper in credente reliquiæ carnis, quæ pugnant aduersus legem Dei, & spiritum sanctum, nec sinunt hominem in ipso etiam bonorum operum actu totum in se purum, sanctum & immaculatum esse, qualem lex dei requirit. Video, inquit Paulus, aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentẽ me legi peccati quæ est in membris meis. Et iterum: Affectus carnis inimicicia est erga deum, nam lege dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Et aliàs: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Nullus igitur hominum potest legem Dei implere. Et hoc non tantum intelligi debet de his hominibus qui carent spiritu sancto, sed etiam de his qui habent spiritum sanctum. Quanquam enim hi bona opera ex uirtute spiritus sancti faciant, tamen ea opera habent multam imperfectionem, nec plene satisfaciũt legi Dei, nec possunt in iudicio dei constare. Itaq; non iustificant, nec merentur uitam æternam. Nec hac tantum ratione, iugum legis portatu impossibile fuit, quia nemo potuit operibus suis legi satisfacere, sed alia quoq; ratione est impossibile portatu, quia nemo potest in conscientia sua iudicium & iram legis ferre. Quia enim nemo satisfacit legi, ideo lex arguit & auget peccata, & per hoc condemnat & occidit hominem. Quis autem potest hunc legis tumultum suis uiribus ferre? quis potest in tam horrendo iudicio constare? Proinde siue respicias impletionem quam lex requirit, siue iudicium, quod lex non satisfacientibus sibi obtrudit, iugum legis impossibile est portatu. Quid ergo ex hoc sequitur? certe istud sequitur: Si lex non potest impleri operibus, & opera non perfecte satisfaciunt legi, tunc non solum non sunt necessaria, sed etiam inutilia ad iustificationem seu remissionem peccatorum. Ipsa enim bona hominum opera etiam egent remissione peccatorum, quomodo igitur expiarent alia peccata & iustificarent factorem? Si uero opera legis sunt inutilia ad iustificationem, nõ est ulla ratio cur iugum legis Gentibus ideo imponatur, ut propter opera legis iustificentur & salutem consequantur. Atq; hanc abrogandæ legis rationem, commemorat etiam Apostolus ad Hebræos capite septimo: Abrogatur (inquiens) quod præcessit præceptum, propter imbecillitatem & inutilitatem, nam lex nihil ad perfectionem adduxit. Dices autem. Si lex abrogatur & non requiritur a gentibus, ergo nelicebit peccare. Vetus hæc est quæstio, & satis est ab Apostolo Paulo in epistola ad Romanos & ad Galatas tractata, nos eam nunc breuibus perstringemus. Vniuersa lex Mosi habet aut cæremonias, aut ethica seu moralia, aut politica seu ciuilia. Quantũ igiť attinet ad iustificationẽ, & satisfactionẽ pro peccatis, oẽs illæ partes legis abrogatę sunt. Neq;.n. opera cęremoniarę neq; moralia, neq; ciuilia

Iugum legis quare sit portatu impossibile.

Alia obiectio An sit peccandum cum lex non iustificet.

ciuilia iustificant coram Deo. Et si hac opinione fiunt ꝙ iustificent, prorsus impia sunt, & ab idololatria nihil differunt. Et iuxta hanc rationem, lex non solum Gentibus non imponitur, sed etiã apud Iudæos abrogatur, ac semper apud pios Iudæorum abrogata fuit, nec unquam licet eam sic obseruare. Adhæc quantum attinet ad condemnationem, similiter abrogata est lex in omnibus credentibus in Christum. Quia enim peccatum credentibus remissum est propter Christum, ideo sublatum est legi ius condemnandi credẽtes. Vnde Paulus dicit, peccatum uobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia. Sed quantum attinet ad ipsam operum legis obseruationem, ea certe opera legis non sunt abrogata, quæ fides in Christum tanquam fructus suos secum affert. Itaq; animaduerteendum est, ꝙ fides in Iesum Christum afferat secum spiritum sanctum. Porro, spiritus sanctus efficit, primum, ut Deus inuocetur, & nomen eius glorificetur. Leges igitur quæ de his præcipiunt non sunt ita abrogatæ ut liceat Deum contemnere & nomen eius prophanare, sed opera in illis mandata maxime omnium obseruanda sunt, non quidem ut iustificantia, sed ut ad obedientiam fidei requisita. Deinde spiritus sanctus non abolet legem naturæ, sed potius illustrat eam, & dat uires faciendi eam, quantum in hac carne possibile est. Lex autem naturæ est, Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Ex hac lege oriuntur illa quæ in decalogo ponuntur, non esse occidendum, nõ furandum, non adulterium committendum, non falsum testimonium dandum, non concupiscendam rem alterius. Et quæ in alijs quoq; locis scripta sunt: non esse cæco offendiculum ponendum, bouem fratris errantem non prętereundum esse, & id genus multa alia. Hæc igitur sunt abrogata quidem, quantum ad opinionem iustificationis attinet, non enim sentiendum ꝙ opera illa satisfaciãt pro peccatis & iustificent. Non sunt autem abrogata quantum ad rationem faciendi attinet. Omnino enim debemus illa opera facere & honestam uitam ducere, ut uocationi fidei obediamus. Et hæc pars legis ethica seu moralia uocãtur, quæ non in lege tantum Mosi, sed etiam in scriptis Ethnicorum philosophorum de uirtutibus traduntur. Adhæc spiritus sanctus non abolet politias, sed potius docet magistratũ & leges ciuiles esse ordinationes Dei. Et quia Euangelion debuit spargi nõ in unũ populũ Iudęorũ, sed in omnem orbem terrarũ, qui est in multa & uaria policiæ genera distinctus, relinquit spiritus sanctus unicuiq; Reipub. suas leges ciuiles, modo nõ sint contra leges naturæ. Relinquit autem eas primũ ob hanc causam, quia regnum Dei quod tractat Euangelion nõ est externa politiarum obseruatio, sed iustitia, pax & gaudium in spiritu sancto, quẽadmodum dicit Paulus. Deinde relinquit eas, ne publica tranquillitas, pro qua pij orare debent, Euangelij uicio turbetur. Nam accidit quidem interdũ ꝙ publicus Reip. status ad prędicationem Euangelij turbetur ac mutetur, tamen quia Euangelion non abolet leges ciuiles, nõ fit hoc uicio Euãgelij sed uicio hominum, qui Euangelion aut uiolentia persequuntur, aut uiolentia defendunt. Hæc igitur pars legis Mosi quæ tradit politica, relicta fuit Iudæis, ut quoad publicus eius gentis status constaret, ea uterentur. Relicta sunt & Romanis & alijs gentibus sua politica ut iuxta hæc uiuant, donec Respublica eorum permaneret. Itaq; spiritus sanctus iubet cum Iudæis Iudaica, cum Romanis Romana, cum Athenienſibus Athenienſia politica obseruare, non ꝙ iustificent, sed ꝙ publica tranquillitas conseruanda est. Et omnino, quia spiritus sanctus secum affert charitatem in proximum, ideo iubet omnia opera charitatis uel lege Mosi uel scriptis philosophorũ, uel legibus Ethnicis tradita obseruare. Postremo spũs sanctus affert secum per Euangelion reuelatam cognitionem Iesu Christi, qui per sacrificia & alias cæremonias legis adumbratus est. Sicut ergo sol exoriens dispellit tene-

bras, ita Christus reuelat⁹ dilijcit umbras legis, ac ita abolet, ut neq; opera earum factorem iustificent, quod est commune cum aliarum legum operibus, neq; facere ea per se necesse sit. Habes nunc breuiter quatenus lex sit abrogata, quatenus non sit abrogata. Sed priusquam alia uerba Petri explicemus, hoc etiam in abrogatione legis obseruandum est, q̃ cum dicitur, legem esse abrogatã, quantum attinet ad iustificationem, non intelligendum est q̃ uirtus & efficatia legis prorsus nihil conducant ad iustificationem, sed q̃ opera ab hominibus iuxta legem facta neminem iustificent. Nam cum ad remissionem peccatorum, quæ est caput iustificationis, requiratur prius agnitio peccatorum, & lex ducat in peccatorum cognitionem, certe uirtus legis multum cõducit ad parandam iusticiam, non q̃ terrores per legem incussi sint iusticia aut satisfactio pro peccatis, sed q̃ hi terrores sint primus gradus per quem ascẽditur in summum iusticię gradum, qui est remissio peccatorum per fidem propter Christum. Sed redeamus ad explicandam sententiam Petri. Dixit enim neq; ipsos neq; patres eorum potuisse legem implere, ac ex operibus legis iustificari. Per quid ergo inquies, iustificati ac saluati sunt? Respondet Petrus, per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Pauciſſimis uerbis, sed tamẽ apertiſſimis docet unde & hi qui ante Christum fuerunt, & illi qui post Christum sunt iustificentur & saluentur, per gratiam, inquit, Domini nostri Iesu Christi credimus saluari. In illis duobus uerbis, per gratiam, & credimus, sita est tota emphasis huius dicti. Sic & Paulus ad Romanos scribens, Iustificamur, inquit, gratis per illius gratiam per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit deus reconciliatorem per fidẽ interueniente ipsius sanguine. Sentiunt enim Petrus & Paulus, q̃ nulla bona hominum opera possint uel peccata expiare uel deum placare, ac mereri ut Deus propter illa remittat nobis peccata, & tribuat uitam æternam. Sunt enim bona hominum opera imperfecta, & non satisfaciunt legi Dei, sed Deus gratis per solam suam misericordiam remittat nobis peccata, & reputet nos iustos per fidem, non propter nostra merita, sed propter Iesum Christum. Et ut nos gratia tantum per fidem iustificamur, ita sentiendum est omnes patriarchas, prophetas, & quotquot unquam salutem consecuti sunt, non propter opera legis aut merita operum, sed tantũ propter gratiam Domini nostri Iesu Christi per fidẽ iustificatos esse. Nam si Deus remitteret peccata propter dignitatem nostrorum operum, iam hæc remissionis peccatorum gratia non esset gratia, nec esset gratuitum beneficium, sed debitum. Scriptura autem testatur tam maiores nostros q̃ nos per gratiam saluatos esse. Non igitur sunt saluati propter iusticiam operum suorum, sed tantum propter Christum per fidem. Est autem hæc sententia Petri altiſſima mente reponenda, ut hinc discamus non tam rationes abrogationis legis, q̃ quæ sit uera ratio & uerus modus consequendæ remissionis peccatorum, quæ est iustitia nostra, per quam ueram salutem assequimur. Cæterum hanc Petri sententiam confirmant Paulus & Barnabas alijs argumentis. Sequitur enim:

Fide iustificari homines.

» Tacuit autem omnis multitudo & audiebant Barnabam &
» Paulum, narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos.

Vides Petri sententiam uere diuinam esse, eo q̃ tam uenerando silentio ab omnibus auditoribus etiam aduersarijs excepta sit. Confirmant autem eam Paulus & Barnabas narratione signorũ & prodigiorum quæ Deus per ipsos inter Gentes fecit. Nos, inquiunt, prædicauimus Euãgelion de Iesu Christo, inter Gentes non solum incircuncisas, sed etiam multis & manifestis flagitijs nobiles, & docuimus q̃ nulla opera satisfaciant pro peccatis, sed q̃ peccata remittantur gratis a Deo, tantum propter Iesum Christum per fidem, & q̃ per hunc solum contingat nobis iustitia & salus. Hanc autem doctrinam conuenientem cum sententia

Petri,

Petri, tantum abest, ut condemnauerit Deus, ut multo magis eam magnis & stupendis miraculis comprobauerit. Nam confestim ut gentes nec circuncisæ, nec ob honestatem uitæ insignes, hanc Euangelij doctrinam fide exceperunt, donati sunt admirandis donis spiritus sancti. Et his miraculis etiam hæc accedebant quæ Deus per nos sanationibus ægrotum, expulsionibus dæmonum, & resuscitationibus mortuorum faciebat. Quæ certe miracula deus nequaquam uel in gentibus, uel per nos ædidisset, si uel nos uana docuissemus, uel gentes falsa crediderent. Habes hic quis sit uerus usus signorum & miraculorum, non enim ædita sunt ad confirmandam sanctitatem personarum, & ad stabiliendam superstitionem in sanctos, sed ad confirmandam ueritatem huius Euangelij, ꝙ remissio peccatorum seu iusticia non contingat nobis propter opera nostra, sed propter Iesum Christum per fidem. Amplectamur igitur hanc doctrinam, amicissimi, ut iustificati per fidem, hæreditatem cœlestis regni consequamur, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXVIII.

EXplicuimus, amicissimi, sententiam Petri, qua censuit gentes non esse cogendas ad obseruationem legis Mosaicæ. Primum, ꝙ nemo unquam, uel etiam sanctissimorum patriarcharum ac prophetarum potuerit legem implere, & decretis eius ad plenum satisfacere. Deinde ꝙ purificatio seu iusticia quæ est remissio peccatorum nemini contingat ex operibus legis, sed tãtum ex fide propter Iesum Christum, qui est propiciatio pro peccatis nostris, idꝙ comprobat Petrus exemplo Gentiũ & Iudæorum. Gentibus enim collatum est donum spiritus sancti, non quidem circuncidentibus se, aut alia legis opera facientibus, sed tantum credentibus in Iesum Christum per fidem, igitur propter Iesum Christum, non propter circuncisionem aut alia legis opera purificatur cor. Sed & maiores & si sub lege uixerint, non tamen salutem consecuti sunt propter opera legis, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi. Quare nulla est satis iusta ratio cur Gentibus onus legis Mosaicæ imponatur. Postremo sententiam Petri confirmant Paulus & Barnabas, narrantes quæ Deus signa & prodigia ædidisset inter Gentes per ipsos, quibus nimirum comprobauit Deus doctrinam Euangelij de gratuita remissione peccatorum ueram esse, & declarauit Deus Gentes tam acceptas esse ipsi per fidem in Christum extra circuncisionem, ꝙ accepti sunt Iudæi per fidei in circuncisione. Quæ igitur necessaria esset causa cur Gentes ad circuncisionem & legẽ Mosi capessendam cogerentur? Sed de his antea. Nunc audiemus sententiam Iacobi, non illius qui fuit frater Ioannis Euangelistæ filius Zebedæi, hunc enim audiuimus gladio Herodis occisum esse, sed illius, qui fuit filius Alphæi, & cognominatus est iustus, ac dictus frater Domini. Is igitur Iacobus, postquam alij conticuissent, respondit dicẽs: Viri fratres, audite me, Symeon narranit quemadmodum primum Deus uisitauerit ut sumeret ex Gentibus populum in nomine suo, & huic consonant uerba Prophetarum, sicut scriptum est: Posthæc reuertar, & rursus ædificabo tabernaculum Dauid quod collapsum est, & diruta eius instaurabo, & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines DOMINVM, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus, qui facit hæc omnia, nota a sæculo sunt Deo omnia hæc opera sua. Confirmat Iacobus sententiam Symeonis, quem Christus Petrum cognominauit, is enim narrauit, ꝙ Deus miraculo, quo contulit Gentibus donum spiritus san-

cti, quemadmodum Discipulis in die Pentecostes, declarauerit Gentes in Christum credentes tam acceptum sibi populum esse absq; circuncisione, quàm Iudæi sunt in circuncisione. Addit ergo Iacobus testimonia oraculorum prophe ticorũ de uocatione Gentium, & ex multis locis in quibus prophetæ de Gentibus ad Deum conuertendis per Christum, tractant, recenset unum tantum locum qui scriptus est in propheta Amos capite nono: Post hæc, inquit, reuertar ac rursus ædificabo tabernaculum Dauid quod collapsum est. De quo tabernaculo sentit propheta: Certe non de externo tabernaculo quod tetendit Dauid arcæ Domini in Hierusalem, aut templo quod a Salomone ædificatum, & postea a Chaldæis dirutum, aciterum ab Esdra restauratum, & a Romanis desolatum est, sed de impletione promissionis loquitur quæ dicta est a Deo ad Dauidem, de Iesu Christo, e semine eius suscitando, & de domo eius, quæ est Ecclesia, perpetuo duratura. Hoc enim tabernaculum (hoc est, promissio de aduentu Christi, & congregatione Ecclesiæ) uidebatur in deuastatione Israelis & Iuda prorsus collapsum ac dirutum, & nihil minus expectabatur quàm Messiam Dauidi promissum, Israelitas liberaturum. Sed ecce propheta ante deuastationem Hierusalem pios ad fidem præparat, ut etiamsi omnes Dei promissiones mendaces uideantur, credant tamen DOMINVM minime uanum fore, sed in plenitudine temporis missurum filium Dauidis quem promisit, & per illum non solum Iudæos in populum suum collecturum, sed etiam reliquias Idumæorum, & liarum gentium. Vt, requirant (inquit) qui reliqui sunt homines Dominum & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum. Vbi Græcus interpres habet (homines) in Hebræo est Edom, quod & hominem & Esau, seu gentem Idumæorum significat. Cæterum, quia Lucas Acta Apostolica græce scripsit, usus etiam est in citandis testimonijs prophetarum tralatione græcorum: nos uero sequamur ueritatem hebraicam, præsertim cum clarius tradat uocationem Gentium, sub nomine Idumæorum, quàm græca tralatio. Itaq; dicit DOMINVS se restauraturum tabernaculum Dauidis, & impleturum reipsa quod Dauidi promisit, ut etiam reliquiæ Idumæorum requirant DOMINVM, ac omnes gentes super quas inuocatnm est nomen eius, hoc est, quæ nunc propter fidem non uocantur nomine idolorum suorum, quæ quondam coluerunt, sed nomine DOMINI dei sui, ut in loco (quemadmodum in Osea scriptum est) ubi dicebatur, non populus meus, dicetur filij Dei uiuentis. Quid de uocatione gentium manifestius dici potest? Obseruandum autem est, q; ubicunq; Apostoli uocationem gentium e prophetis probant, non hoc tantum in prophetis uident, Gentes in Christum credituras, sed potius illud perspicacitate spiritus sui notant, Gentes in sua, non dico idololatria, sed gentilitate mansuras, nec recepturas legem Mosi, credituras tamen in Iesum Christum & salutem consecuturas. Dicunt enim prophetæ: Gentes requirent DOMINVM, non autem dicunt: Gentes requirent Mosen. Nam si Mosi legem capesserent, iam non essent, nec dicerentur Gentes, sed Iudæi proselyti seu aduenæ. Proinde ubi prophetæ de uocatione Gentium scribunt, ibi significant etiam authoritate Apostolorum, q; Gentes non sint ita in Christum credituræ, ut subijciant sese traditionibus legis Mosaicæ, sed ita ut maneant in sua gentilitate, nec habeant necesse obseruare legem Mosi. Ergo ne, inquies, miraculis, signis, prodigijs, & propheticis oraculis comprobatum est, q; Gentes nihil aliud necesse habeant ad parandam salutem agere, quàm credere in Iesum Christum, nec opus sit quicquam in lege Mosi obseruare? Licebit ergo Gentibus impune furari, latrocinari, adulteria designare, & alia scelera perpetrare quæ sunt in lege Mosi prohibita? Absit longissime, ut scelera dicamus licita esse siue Iudæis siue Gentibus in

Sub uocatione quid Apostoli innuant.

bus in Christum credentibus. Ad acquirendam quidem remissionem peccatorum, & iusticiam ac salutem parandam, nihil aliud requiritur quàm fides in Iesum Christum. Attamen qui uera fide credit q̃ peccata sibi propter Christum remissa sunt, is mortuus est peccatis, qui autem mortuus est peccatis, quomodo post hac uiuet in ijsdem? Præterea quicunq̃, ut Paulus ait, baptizati sunt in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sunt, sepulti igitur sunt una cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Ac debemus quidem peccata uitare, non quia Mose præcepit esse uitanda, Mose enim nihil ad Gentes, sed quia per fidem datur spiritus sanctus, qui ex diametro cum peccatis pugnat, nec potest ferre ut peccatũ in corpore nostro dominetur. Nam fuerunt & alij legislatores, qui multa honesta constituerunt. Solon, legislator Athenienſium sanxit ne quis maledicta in mortuum congerat. Laconum institutum erat, ut iuuenes non solum suos quisq̃ parentes reuererentur, hisq̃ dicto audientes essent, uerum etiam ut omnes seniores uererentur, tum de uia cedentes, tum e sedibus assurgentes, ac prætereuntibus illis taciti quietiq̃. Hæc & alia multa instituta etiam nobis obseruanda sunt, non quia ea aut Solon aut Lycurgus statuit, sed quia spiritus sanctus quem per fidem accipimus naturalem & ciuilem honestatem requirit. Verum quia in superiori homilia hanc rem explicuimus, non est quod in illa nunc immoremur. Quare ad explicandam sententiam Iacobi reuertemur. Allegauit autẽ Iacobus testimonium prophetæ Amos, & ostendit quod spiritus sanctus in nomine gentium significet, gentes creditu-ras quidem in Iesum Christum, non tamen iugum legis Mosi susceptu-ras, sed gentes, hoc est, carne incircunciſas manſuras. Concludit igitur Iacobus sententiam suam & dicit: Quare ego decerno, non esse turbandos eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribendum ad eos ut abstineant a contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato, & sanguine. Moses enim a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Quid hoc inquies? Apostoli probauerunt scripturis, miraculis, rationibus e scriptura sumptis, & testimonijs prophetarum non esse a gentibus exigendam obseruationem legis Mosaicæ. Ecce autem cum iam hæc Apostolorum, immo spiritus sancti sententia esset concludenda, Iacobus addit scribendum esse gentibus ut abstineant ab idolothytis, sanguine, suffocato, & fornicatione. Et postea in sequenti epistola quæ scribitur ab Apostolis & presbyteris ad Ecclesiam Antiochenam, uocantur hæc obseruatu necessaria. An non hoc est exigere legem Mosi a gentibus? Hæc enim in lege Mosi prohibita sunt & gentibus erant licita. Et quid hoc negocij est? minutiora legis, ut abstinentia a sanguine & suffocato a gentibus tanquam necessaria exiguntur, interim tamen liberæ a maioribus, uidelicet, circuncisione, & alijs ritibus pronunciantur. Quanto maiorem ueritatis speciem habebat sententia eorum qui exigebant circuncisionem ueluti necessariam? Cum enim Paulus ad Galatas scribens: Ecce ego (inquit) Paulus dico uobis, quod si circuncidamini, Christus nihil uobis proderit, contestor autem omnem hominem qui circuncidi-tur, quod debitor est totius legis seruandæ: cur non & aduersarijs eius dicere licuit, si abstineatis ab idolothyto, sanguine & suffocato, Christus uobis nihil proderit. Et contestamur omnem hominem, qui abstinet a sanguine & suffocato, quod debitor sit totius legis seruandæ? Si enim id quod in lege minutum est exigitur, quanto magis id quod maius est, exigendum uidetur. Sed ut ad hæc respondeamus, admonendi sunt auditores de statu controuersiæ quæ in hoc Apostolorum & presbyterorum conuentu cognoscitur. Non enim agitur

Status controuersiæ de abstinẽdis εἰδωλοθύτοις.

propríe de abrogatione operum legis. Multa .n. opera ín lege præcepta a credentibus in Christum exíguntur, quemadmodum supra ostendimus, sed agitur præcipue de abroganda ea causa propter quam doctores circuncisionis opera legis a credentibus in Christum exígebant. Hi enim exígebant circũcisionem & alia legis opera a Christianis, nõ tanꝯ opera quibus infirmis fratribus seruiretur, & publicus Reip. Iudaicæ status tranquillus conseruaretur, sed tanꝯ opera iustificantia coram Deo & necessaria ad satisfactionem peccatorum & consequẽdam salutem. Hanc causam exigendæ legis improbant Apostoli in hoc cõcílio, & docent ꝙ iustícia quæ est remissio peccatorum, & salus contingant nobis tantum per fidem propter Iesum Christum, non propter obseruationem legis aut merita bonorꝝ operum. Et quía ex abrogatione huius causæ sequitur libertas uíuendi iuxta quascunꝯ leges ciuiles, modo hæ non sint contra fidem ac legem naturæ, ídeo pronunciant Apostolí gentes liberas esse ab obseruatione legis Mosaicæ. Non autem pronũciant eas ita liberas esse ut líceat eis quíduis síue pium síue ímpium agere, sed subíjciunt eas legibus fidei & charitatis, non ut propter merita operum contingat eis iustícia, sed ut obediant uocationi diuinę, & operibus suis testentur fidem quam habẽt in deum & charitatem quam debent proximo. Longe ígitur dissímili necessítate exígebant a gentibus & pseudoapostoli circuncísionem, & ueri apostoli abstinẽtiam ab idolothytis & sanguine. Illí enim exegerũt obseruationem legis, tanquam necessaríam ad expíanda peccata, & tanꝯ meritum propter quod deus placaretur, & remitteret peccata: at hæc opinio símpliciter impía est. Hi autem exegerunt quædam opera legís, nõ tanꝯ necessaría merita ad remissíonem peccatorꝝ, sed tanꝯ necessaría ad tempus opera, quibus famíliaris Iudæorum & gentium in Christum credentium cõuíctus, tranquíllus conseruaretur, hoc est, exegerũt ea, nõ ut opera fídei, quibus in iudício dei ad comparandam salutem cõfideretur, sed ut opera charitatis quibus publicę tranquíllitatí & cõmodo proximi inseruiretur. Sæpe autem nunc dictum est ꝙ spũs sanctus qui per fídem datur nõ abroget opera charitatis, sed potius statuat ea & incẽdat homínem ad seruiendum proximo quoquomodo possit, íjs etiam operibus, quæ nulla lege, nullís decretís, nullís scríptis uel philosophorum uel apostolorꝝ mandata sunt. An ulla lege uetitũ est, ne alta uoce loquamur: attamen quí cũ eiusmodi ægroto est cuius dolorẽ capitis auget clamor & strepitur, certe ís sua sponte ex charitate uocem suã submittit, ut hoc opere seruíat proxímo suo. Quæ lex unꝯ præscripsit ne quís allio uescatur: attamen sí quis prius cõtuberalem habeat, qui maxime e graui allíj odore offenditur, profecto libẽter uitat esum allíj, ne proximo suo molestus sít. Minutíssima hæc sunt, & paruã proxímo cui seruítur utilitatem afferunt, attamen sí charitas in hís minutíjs gestit proxímo seruire, quanto magís in íjs seruiet quæ magnã proximo utilitatẽ afferre possunt. Proinde cum Apostolí statuunt ut gentes abstíneant ab idolothytis, suffocato, sanguíne & fornicatione, non ímponunt iugũ legis Mosaicæ super ceruíces Christianorꝝ, nec restituunt Mosen, sed qm̃ explícant quibus operibus utilitati proximi ad tẽpus seruiẽdum & sanctificationi spũs obsequendũ sít, plane apostolico munere funguntur, docentes opa charitatis & officiũ spũs sancti. Videamus aũt nũc de síngulis huius decreti partibus, ac primũ de cõtamínationibus símulachrorꝝ. Quod enim Iacobus hic cõtaminationẽ símulachrorꝝ uocat, hoc postea in epístola apostolorꝝ uocatur idolothyton, hoc est, ídolis sacrificatũ. Loquíť ergo Iacobus de nõ uescenda carne ímmolatícia. Iam ut nulli líceat ídola colere, ita Iudæis prohíbitum erat ne uescerenť íjs carnibus, quæ ídolis aut alíenis díjs ímmolatæ erant. Vnde in Numeris cap. 25. spũs sanctus exprobrat Israelíticis ꝙ accesserint ad sacrificía filiorum Moab, & comederint ex illís. Et Mose quoꝯ indignatur super

hoc

hoc ſcelere. Dicetur, inquiens, ubi ſunt Dij eorũ de quorum ſacrificijs comedebant adipes & bibebant uinũ libaminum. Veſci aũt carne idolis immolata, ideo uetitum erat q̃ in lege oĩa, etiam alioquí per ſe munda, per impietatẽ idololatriæ contamínari, ſordídari, & immũda ac abominabília reddí iudicabãtur. Vnde in Deut. ca. 7. de ſculptílibus terrę Canaan dícitur: Sculptília deorũ eorum igne cõbures. Non concupíſces argentum & aurum quod in eis eſt, nec aſſumes ex eis tibí quícquam, ne offendas, propterea quía abominatío eſt Dñí dei tui, nec inferes abominatíonem in domũ tuam, ne fías anathema ſícut & illud eſt, ſed deteſtaberís & abominaberís illud, quía anathema eſt. Vides legem Moſi nõ ſolum ipſam idololatríam, uerũ etiam omnía ex quibus idolum conflatum eſt, & quæ ad idolum pertínent, iudicare anathemata, ſordes, & abominatíones. Qua cæremonía ſignificatum eſt, impíjs omnía eſſe impía, & immũdis omnía eſſe immunda. Sed Iacobus & relíqui Apoſtoli ob longe alíam cauſam ſtatuunt, ne gentes ueſcantur carnibus immolatícijs. Non enim id decernunt, quía carnes idolo immolatæ impuræ ſínt (hæc enim eſt Iudaica opínio) ſed quía eſus idolothytorũ obſtare uidebatur concordiæ in familiarí conuíctu inter Iudæos & gentes obſeruãdæ. Quanq̃ enim idolum nihil ſit, & caro idolis immolata, ac poſtea in macello dí/uendita, per ſe nihil a uulgarí carne differat, tñ multí inter eos quí ex Iudaiſmo ad Chriſtum conuerſí erant, nondum tantam huiuſcemodí rerum cognítionem ac ſcientíam habebant, ac propterea aut iudicabãt eos quí carne immolatícia ueſcebantur, adhuc idololatras ac nõ uere ad Chriſtũ conuerſos, aut ne uiderent illís imperítiores, ueſcebãtur ipſí quoq̃, ſed mala conſcientia, quaſí eo eſu peccarent aduerſus Deũ. Huic ígitur diſcordiæ & turbæ medentẽ Apli, dum ſtatuunt, non eſſe ueſcendũ carnibus immolatícijs. Ad hanc aũt rõnem reſpexiſſe Apl'os, perſpícue indícat Paulus in priorí epiſtola ad Corínthíos ca. viij. ſic eñ ait: De eſu eorum quę ſímulachrís immolabant, ſcímus q̃ nullũ eſt ſímulachrũ in mũdo, & q̃ nullus ſit Deus alíus niſí unus. Et mox: Sed nõ in oĩbus eſt ſciẽtia, nõnulli uero cum cõſcientia ſímulachrí uſq̃ ad hoc tempus, tanq̃ ſímulachrís immolatum edunt, & cõſcientia illorũ infirma cũ ſit, polluitur. Ac iterũ. Sí eſca offendit fratrẽ meũ, haud quaq̃ ueſcar carnibus in æternum, ne fratrí meo ſím offendículo. Et poſtea cap. x. Omnia mihi licẽt, ſed non oĩa expediunt. Et ad Rom. ca. xiíj. Noui inquit & pſuaſum habeo p Dñm Ieſum nihil eſſe cõmune p ſe, niſi ei quí exiſtímat alíquid eſſe cõmune, illí cõmune eſt. Verũ ſi ꝓpter cibũ frater tuus cõtriſtatur, iam nõ ſecundum charitatẽ ambulas: ne cibo tuo illũ perdas pro quo Chriſtus mortuus eſt. Habes teſtímonío Pauli, Apl'os in hoc decreto non reſpexiſſe ad cauſam legis Moſaicæ, q̃ iudicat idolothíta immũda eſſe, ſed ad cauſam charitatis & cõcordiæ inter Gẽtes & Iudæos ad Ghriſtum cõuerſos cõſeruandæ. Ac charitas quídem ſemp manere debet, opa aũt charitatís mutantur iuxta cõditiones proxímí cui ſeruit. Hoc igit decretũ de nõ ueſcendo idolothyto tantiſper ualuit dum infirmitas ſcientiæ proximi id exegit. Poſtq̃ aũt frater factus eſt ſcientia robuſtus, tũc deſinẽte cauſa decretí, deſijt & ipſum decretũ. Et hæc de idolothyto.

Veſci immolaticia carne quare uetitum.

Prima ratio Iudæorum.

Secunda ratio apoſtolorum eſt.

Sed idẽ quoq̃ de ſuffocato & ſanguine ſciendũ eſt, horũ eñ eſum lex Moſí grauiſſime uetuit: Carnem (inquit Dñs ad Noha) cũ ſanguine non comedetis. Et in Leuítico: Sanguinẽ uniuerſæ carnís nõ comedetis, qa aĩa carnís in ſanguine eſt, & quicũq̃ comederit illũ, interibit. Et in Deut. Quícquid mortícinũ eſt nõ ueſcamíní ex eo. Ac prohibitus quidẽ fuit eſus illorũ in lege, quía iudicata ſunt ciuílíter immunda. Monẽt aũt ἀλληγορικῶς, ne ſímus ſítientes ſanguínís humaní, & ut caueamus ab homicídío ac mortuarijs opibus q̃ ſunt peccata. Apli ꝰo decernentes, ut gentes abſtineãt ab horũ eſu, nõ reſpiciũt in cauſam legis Moſaicæ, nõ eñ iudicãt hos cíbos immundos eſſe, ſed in cauſam charitatis, ne ſí gentes corã infír/

A ſuffocato ſanguine quare abſtinuerint.

mis Iudæis ueſcant̃ ſanguine aut ſuffocato, Iudæi offendant̃, & aut unà edant ad uerſante conſcientia, aut ad diſcordiã prouocẽtur. Cauere aũt ne frater offenda tur, nec ad contentionẽ prouoceẽ, officiũ charitatis eſt. Iam ut conditiones fratris mutant̃, ita etiã officia charitatis mutantur, aliter enim ſeruiendum eſt fratri infir mo, aliter firmo. Proinde hoc decretum de uitãdo eſu ſanguinis & ſuffocati, non fuit ꝑpetuum, ſed unà cum fratrum imbecillitate deſijt. Poſtremo de ſcortatione obſeruandũ eſt, ꝙ ſicut inter gẽtes nullus cõſuetus cibus iudicabat̃ immundus, & licebat quibuſuis ueſci, ita ſcortatio nõ iudicabat̃ immũda nec habebatur pro peccato, immo Satan uſq; adeo excæcauerat mentes quarundã gentium, ut proſti tutiones uirginum ſuaꝝ pro diuino cultu iudicauerint. Sic. n. gentiũ hiſtoriæ de Locrenſibus ſcribũt, ꝙ uouerint ſi uictores forent, ut die feſto Veneris uirgi nes ſuas proſtituerent. Et ille in comœdia ait: Non eſt flagitiũ mihi crede, adole ſcentulum ſcortari. Sed ſcortatio in lege Moſi ſeueriter prohibita eſt: Non erit meretrix, inquit, de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filijs iſrael. Et in decalogo: nõ mœcheris, quo præcepto nõ tantum adulteriũ, uerũ etiam ſcortatio prohibetur. Et puella quæ fornicata eſt in domo patris ſui lapidibus obruit̃, quẽadmodum ſcriptũ eſt in Deut, cap. xxij. Prohibetur aũt ſcortatio in Moſe, nõ quia ciuiliter tantum immũda ſit, ſicut aliquot gña ciboꝝ, ſed ꝙ uera ſit immundicies coram Deo, & plane ex Diametro cum ſpũ ſancto pugnet. Vnde & Apli prohibẽt eam Gentibus nõ ijſdem cauſis quibus idolothytũ, ſuffocatum & ſanguinẽ, ſed qui bus aliàs adulteria, furta, falſa teſtimonia, & id genus alia prohibita ſunt. Etenim quemadmodum ſpũs ſanctus qui datur per fidem, nõ poteſt ferre adulterium, ita neq; ferre poteſt ſcortationẽ. Quantum eñ ſpũs ſanctus ſcortationi aduerſetur, perſpicue explicat Paulus in priori epiſtola ad Corinthios cap. 6. An neſcitis in quit, ꝙ corpora ueſtra mẽbra ſunt Chriſti? num igitur tollẽs mẽbra Chriſti faciã ſcorti mẽbra. Et mox: An neſcitis ꝙ corpus ueſtrum templum eſt habitãtis in uo bis ſpiritus ſancti, quem habetis a Deo, & nõ eſtis ipſi ueſtri iuris? Et paulo ante: Neq; ſcortatores, neq; adulteri, regni Dei hereditatem accipient. Cum igitur ſpi ritus ſanctus ſemper & perpetuo exigat ſanctificationem & mundiciem noſtrã, profecto longe alia ratione uetitus eſt eſus idolothytoꝝ & ſanguinis q̃ ſcorta tio. Illeenim potuit multis rationibus & occaſionibus licitus fieri. Hæc autem nulla ratiõe, nulla occaſione licita & honeſta fieri poteſt. Proinde ſemper uitan da eſt ſcortatio. Habes nũc quibus cauſis lex Moſi abrogata ſit, quibus item de cauſis aliqua rurſus ab Apoſtolis reſtituta & gentibus impoſita ſint, uidelicet, non quia opera horum decretorum obſeruatores iuſtificent, ſed ut his operibus partim pax & concordia inter gentes & Iudæos per fidem in unum corpus reda ctos, conſeruetur, partim ut ſanctificationi ſpiritus obediatur. Nũc reliquum eſt ut uideamus, quid ſibi Iacobus uelit his uerbis quæ ad finem ſuæ ſententiæ ad nectit. Moſe enim, inquit, a temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis ubi per omne ſabbathum legitur. Ac alij quidem aliud ſequuntur in explicandis iſtis uerbis. Sunt qui putant Iacobum id uelle ꝙ cenſeat gentes non quidem onerandas eſſe obſeruatione legis Moſaicæ, non ta men arcẽdas eſſe ab auditu Moſi, cuius lex in ſingulis ciuitatibus dõceatur. Alij exiſtimãt Iacobũ reddere cauſam, quare cenſeat gentes debere abſtinere a ſuffo cato & ſanguine, quia Moſe qui ubiq; docetur, urgeat hanc legem. Ita q; ſi gẽtes ſanguine ueſcerentur inter Iudæos cõtra inſtitutum Moſi, concordia nõ diu in tam diuerſis inſtitutis ſeruari poſſet. Sed ea lex urget etiam circunciſionem & alia multa. Quare hi mihi propius ſententiam Iacobi perſpexiſſe uidentur, qui ſentiunt eſſe occupationem. Potuiſſet enim aliquis dicere, Quid? ſolis ne gentí bus ſcribemus, non autẽ Iudæis? Reſpondet igitur: Non opus eſt ut Iudæis ſcri bamus

Longe alia ratione eſſe prohibitam ſcortationẽ quàm eſum idolothytorum.

Verior ſententia.

bamus quid ipsi obseruare debeant, nam illi habent Mosen, qui in singulis ciuitatibus legitur, e quo discere possunt quid ipsis obseruandum sit. Huic sententiæ conueniunt ea quæ presbyteri Hierosolymitani ad Paulum dicũt, ut postea capite uicesimo primo sequitur. Audierunt, inquiunt, de te q̃ defectionem doceas a Mose, omnes qui inter Gentes sunt Iudæos, dicens, non debere eos circuncidere filios, nec q̃ secundum institutа uiuere. Et mox: De his autem qui crediderunt ex Gentibus nos scripsimus, decernentes, ne quid huiusmodi obseruent, nisi ut caueant ab his quæ sunt immolata simulachris a sanguine, suffocato & scortatione. Ex his uerbis manifestum est Iacobum hoc loco sentire, Gentes tantum liberandas esse ab obseruatione legis Mosi, non autem Iudæos, hos enim debere audire Mosen & legi eius obedire. Cur ergo inquies, Petrus censuit Gentes non esse lege Mosi onerandas, ob hanc causam, q̃ nullus potuerit unquam legem Mosi obseruare, ac propter opera legis iustificari? certe hæc causa liberat etiam Iudæos ab obseruatione legis Mosi. Quid igitur hoc rei est, q̃ Iacobus censet tantum Gentes liberas esse, non autem Iudæos? Petrus & Iacobus, si rem recte perpenderis, non sentiunt contraria. Nam q̃ Petrus dicit, neminem potuisse iustificari ex operibus legis, & ob eam causam Gentes non esse sub iugum legis mittendas, non solum liberat Gentes ab obseruatione legis, sed etiam Iudæos, quantum ad hanc rationem attinet. Sicut enim Gentes non debent obseruare legem, ut propter opera eius iustificentur, ita nec Iudæi debent propter hanc causam obseruare legem. Et quod amplius est, nec q̃ Gentes suam ipsarum legem, hoc est, ciuilem, propter hanc causam obseruare debent. Atq̃ ita Petrus liberat omnes populos hac causa, non solum ab alienis, uerumetiam a suis ipsorum legibus. Attamen sunt aliæ causæ propter quas unaquæuis gens suas leges ciuiles obseruare debet, quas quia antea commemorauimus, non est necesse nunc repetere. Iacobus igitur, dum censet Iudæos debere legem obseruare, nequaquam respicit in causam Petri quam ante approbauit, sed respicit in alias causas quæ exigunt obedientiam propriarum legum, non q̃ obseruatores propter opera illa iustificentur, sed ut obsequium præstetur spiritui sancto & legi naturæ, & ut tranquillitas uniuscuiusq̃ Reipub. conseruetur. Proinde ut uel tandem finem dicendi faciamus, ex omnibus illis discamus, solum Iesum Christum esse nostram iusticiam, cuius fides docet quidem q̃ nullum opus siue legis Mosaicæ siue aliarum quarumcunq̃ honestarum legum iustificet nos coram Deo, exigit autem ut unusquisq̃ legibus suæ Reipublicæ obediat, & honestam uitam ducat in obsequium Dei & utilitatem proximi, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus laudandus in sæcula. Amen.

Quomodo intelligitur quod Iacobus tantum gentes et non iudæos liberat ab obseruatione legis.

HOMILIA LXIX.



QVæ Apostoli & presbyteri Hierosolymitani in concilio suo, concordi sententia aduersus doctores circuncisionis & legis Mosi definierint, existimo satis, non quidem ornate, sed tamen perspicue in superioribus Homilijs explicata esse. Nunc igitur perstringemus legationem, & literas quas Apostoli & presbyteri seu seniores Ecclesiæ Hierosolymitanæ ad Antiochenas in eodem negocio miserunt.

» De qua re Lucas ita scribit: Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum om-
» ni Ecclesia (uidelicet Hierosolymitana) eligere uiros ex eis & mittere Antio
» chiam cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, & Silam
» uiros primarios inter fratres, & scripserunt per manus eorum. Primum omni-
um obserua mihi, quanta honestate negocium istud de non onerandis gentibus
lege Mosi ab Apostolis tractetur. Vt enim antea maxima spūs sancti sapientia
de quæstione circuncisionis pronunciauerunt, ita nunc non mediocri pruden
tia decernunt legatos & literas ad Antiochenos in hac causa unà cum Paulo &
Barnaba mittendos esse. Quanquam enim Paulus & Barnabas multæ autho-
ritatis erant, tamen quia præcipui fuerunt aduersarij eorum, qui circuncisio-
nem tanquam ad iustificationem necessariam exigebant, soli ipsi parum fidei
apud doctores circuncisionis & discipulos eorum inuenissent, si absq; literis &
collegis sententiam Apostolorum & presbyterorum Antiochiæ recitassent. Ad
duntur igitur ipsis primum legati, & hi quidem homines minime inter Christia
nos abiecti, sed primarij & prophetæ, sic enim scriptura eos postea uocat, di-
cens, Iudas & Silas cum essent etiam ipsi prophetæ, Verbo ubertim consolati
sunt fratres & confirmauerunt. Deinde adduntur & literæ, ut testimonio lega
torum & literarum, tam sententia Apostolorum quàm doctrina Pauli & Bar-
nabæ aduersus pseudoapostolos confirmaretur. Hæc gerendi huius negocij
prudentia, quanquam sit humanæ rationis, in qua homines huius sæculi pluri-
mum pollent, tamen quia in hoc loco seruit sapientiæ spiritus, non est arguen-
da uanitatis, sed ut donū Dei cōmendanda. Nam quod Paulus ad Corinthios
scribens: Sapientia, inquit, mundi huius, stultitia est apud Deum, non damnat
eam humanæ rationis sapientiam, quæ Verbo Dei seruit, sed eam quæ Verbo
Dei dominari, & illud pro carnali sua libidine tractare conatur. Cæterum quod
ad Paulum & doctrinam eius attinet, non eget ipse ullo hominum etiam san-
ctissimorum Apostolorum testimonio. Notum, inquit, uobis facio fratres, Eu-
angelion, quod prædicatum est a me non esse secundū hominem. Neq; enim ego
ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Et mox:
Mihi qui uidebantur esse in precio nihil contulerunt: sed eget hoc literarum & le
gatorum testimonio, partim propter aduersarios, partim propter infirmos in fi-
de, ut illi authoritate Apostolorum, quorum Euangelion se adnunciare iacta-
bant, compescerentur, & hi in uera fidei doctrina confirmarentur. Sic Christus
ipse, quamuis nullius prorsus hominis testimonio indigebat, attamen non reij-
cit testimonium Ioannis Baptistæ, sed producit illud aduersus Iudæos dicens:
Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati. Ego autem non
ab homine testimonium accipio, sed hæc dico (hoc est testimonium Iohannis
allego, non propter me sed propter uos) ut uos salui sitis. Quæ cum ita se ha-
beant, audiamus nunc quæ Apostoli in literis suis scribant & testificentur:

» Apostoli & Seniores fratres, fratribus qui sunt ex Gentibus Antiochiæ &
» in Syria & Cilicia salutem. Quoniam audiuimus quod quidam ex nobis exe-
» untes turbauerunt uos uerbis, labefactantes animas uestras iubentes circunci-
» di & seruare legem, quibus non mandauimus, placuit nobis collectis unani-
» miter eligere uiros, & mittere ad uos cum charissimis nostris Barnaba & Pau
» lo hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine DOMINI nostri
» Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uobis eadem refer-
» rent uerbis. Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere uo
» bis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis ab idolothytis, & sanguine. &
» suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes uos bene agetis, Valete. Hæ
sunt literæ quas Apostoli & Senatores Ecclesiæ Hierosolymitanę ad Antioche

nos

nos scripserunt, in quibus uides primum q̃ cognomẽ Fratris ueluti insigne epitheton usurpatur, neq; est aliud cognomen quod Christianos iucundius admoneat fidei suæ in Christum, & charitatis in proximũ. Neq; enim Christiani ideo tantum fratres dicuntur q̃ debeant se inuicem fraterno amore prosequi, sed ideo potius, quia sunt simul cohæredes Christi, q̃ est natura filius Dei. Vnde & Christianos fratres suos uocat. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Proinde cum audimus nos in scriptura, quæ est dictatura spiritus sancti, fratres uocari, confirmemus hinc potissimum fidem nostram q̃ simus filij Dei adoptione, & cohæredes Iesu Christi, hæredes autem Dei patris nostri qui est in cœlis. Si autem eandem hęreditatem expectamus, cur in hoc sæculo tantis odijs dissidemus? cur tanta discordia alter aduersus alterum interdum pro umbra tantum, ut dicitur, asini, pugnamus? profecto non admittemur ad cœlestem hæreditatem nisi unanimes & cõcordes. Quare uitam nostram ita instituamus, ut sancto fratris cognomine digni habeamur. Deinde perstringunt Apostoli in literis suis pseudoapostolos, qui falsæ suæ doctrinæ nomen & authoritatem uerorum Apostolorum prætexerunt. Ex nobis, inquiunt, exeuntes, quibus non mandauimus. Doctores enim circuncisionis non docebant simpliciter inter gentes opera legis necessaria esse ad iustificationem, sed addebant quoq; uerorum Apostolorum authoritatem, dicentes etiam apostolos illos a Christo institutos, sic inter Iudæos docere, q̃ opera legis iustificent & necessaria sint ad satisfaciendum pro peccatis & placandum deum. Obsecro autem te, utrum pseudoapostoli hoc de ueris Apostolis mera malicia finxerint, an probabili aliqua occasione hoc doctrinæ genus ab ipsis hauserint? Certe si rem probe perpendas, inuenies pseudoapostolos hanc doctrinam de iustificatione operum legis non mentiendi, sed potius sapiendi studio, de apostolico nomine commentos esse. Videbant enim ueros Apostolos legem Mosi magna diligentia inter Iudæos obseruare. Videbant Iudæos in Christum credentes monitu Apostolorum pueros suos iuxta legem circuncidere, & alia legis opera facere. Ab hoc igitur Apostolorum exemplo colligebant ipsi pro sua prudentia istud genus doctrinæ, q̃ opera legis iustificent, & necessaria sint ad expianda peccata & consequendam salutem. Non audierant quidem hæc ita ab Apostolis doceri, sed uiderant externam eorum uitam & exempla uitæ inter Iudæos. Quare colligunt ex illo, q̃ talis uiuendi modus sit necessarius ad remissionem peccatorum seu iustificationem, adeoq; ita argumentantur. Apostoli obseruant legem, & hortantur auditores suos Iudæos ad faciendа opera legis, igitur opera legis iustificant. Si autem iustificant, necessario debent gentes ea facere si uolunt iustificari. Sed hæc argumentatio non tam inepta est quàm impia. Si.n. exempla uiuendi arguunt & statuunt doctrinam iustificationis. Vide obsecro, quid non consecuturum sit? Apostoli ederunt & biberunt, esus igitur & potus iustificant. Apostoli dormierunt, igitur somnus iustificat. Apostoli ambulauerunt in urbe Hierusalem, ergo ambulare in urbe Hierusalem iustificat. Sed quis posset omnes ineptias & impietates commemorare quæ ex hac pseudoapostolorum argumentandi ratione nascuntur? Nec nouum nec rarum est hoc pseudoapostolorum inuentum. Nam ad eundem modum Iudæi quondam ab exemplis patriarcharum doctrinam & opinionem iustificationis collegerunt: sic enim senserunt, Abraham obtulit filiũ suũ Isaac, oblatio igitur filiorũ iustificat. Patriarchæ sacrificarũt in excelsis, igit̃ sacrificia in excelsis iustificãt. Mose instituit cultũ Leuiticũ in tabernaculo dei, cultus igitur leuiticus iustificat, adeoq; in eã tandem erroris uertiginem deuoluti sunt hypocritæ, ut senserint etiam lotiones manuũ & dilatationes fimbriarũ esse ueram iustificationẽ. Non minori impietate hypocritæ quoq; in

Fratris cognomen quàm iucundum.

Exẽpla non posse statuere doctrinam iustificationis.

Christianismo ab exemplis sanctorum Apostolorum & martyrum, iustificatio-nem operum docuerunt. Apostoli & apostolici uiri instituerunt in Ecclesia cæremonias, igitur cæremoniæ ecclesiasticæ iustificant. Antonius & alij quidam sancti uiri fugerunt ad deserta, & uixerunt cælibes & pauperes, igitur fugere ad deserta, & profiteri uota monastica, est iustificatio & ueluti nouus baptismus. Augustinus meminit matris suæ in celebratione Missæ, hoc est, communione cœnæ dominicæ. Item Chrysostomus sacrificat pro infirmis & pro terræ, maris, ac uniuersi orbis fructibus. Igitur Missa est sacrificium, & tale, quod ex opere, ut uocant, operato iustificet uiuentes, & liberat mortuos e purgatorio, & placat iram Dei, ut omnes fructus terræ eo fœlicius proueniant. Has & multas alias impias doctrinas colliguntuani hypocritæ ab exemplis Apostolorum & aliorum sanctorum. Sed nihil est iniquius, nihil absurdius, q̃ uel e priuatis sanctorum exemplis generalem legem condere, uel exempla sanctorum potius iuxta alienas opiniones & adinuentiones, quam iuxta ipsam sanctorum doctrinam interpretari. Si enim in ciuili iudicio nullus habetur uel dictorum uel factorum aptior interpres, quàm is qui dixit aut fecit ea, quanto magis sancti iudicandi sunt aptiores interpretes suorum operum quàm alieni? Adhæc ipsa boni operis, ut ita dicam, anima, non e specie externa, sed ab animo operantis pendet. Nemo igitur rectius illud declarare potest quàm ipse operis factor. In propatulo autem est quod patriarchæ, prophetæ, Apostoli, & ueri martyres nihil aliud senserint, crediderint & docuerint, quàm quod benedictio Dei non contingat nobis propter opera nostra, sed propter semen Abrahę promissum, hoc est, quod remissio peccatorum & uita æterna contingant nobis tantum propter Iesum Christum per fidem, & quod nulla opera humana satisfacere possint legi Dei, & hominem iustificare, sed quod huic qui credit in eum, qui iustificat impium, imputetur fides sua ad iusticiam: hac doctrina pleni sunt libri prophetarum & Euangelistarum, plenæ quoq; sunt conciones & literæ Apostolorum: ut hanc doctrinam de gratuita iustificatione fidei doceret, Iesus Christus unigenitus filius dei de cœlo descendit & factus est homo: ut hæc doctrina confirmaretur, Iesus Christus passus quidem est turpissimam mortem, sed rursus gloriossime a mortuis resurrexit, ascendit in cœlum & sedens ad dextram patris misit spiritum sanctum suum. Proinde q̃ Abraam obtulit filium suum, nõ consequitur oblationem filiorum iustificare. Nec enim Abraham sensit quod propter opera sua in conspectu dei iustificetur, sed quod fides propter misericordiam & promissionem Dei imputetur sibi ad iusticiam. Obtulit autem filium suum Isaac, non ut hoc opere satisfaciat pro peccatis suis & iusticiam consequatur, sed ut uocationi Dei seruiat, & præcepto dei obsequatur. Sic nec alij patres sacrificarunt in tabernaculo dei ut propter sacrificia iustificarentur. Crediderunt enim se propter solum semen Abrahæ iustificari, sed ut sacrificijs quæ fuerunt umbra Christi, non tam fidem suam in Christum testarentur, q̃ his sacramentis confirmarẽt. Sic nec Apostoli nec apostolici uiri cæremonias instituerunt in Ecclesia ut iustificarent cultorem, docebant enim nullum opus hominem iustificare, sed iusticiam quæ est remissio iniusticiæ nostræ, cõtingere propter solum Christum per fidem. Sed quas cæremonias instituerunt, eas ideo instituerunt, ut omnia decenter, & ut Paulus ait, secundum ordinem fierent. Et ne prætereamus eam causam quam nunc tractamus, Apostoli non ideo obseruarunt opera legis quia opera legis iustificant, scopus enim doctrinæ Apostolicæ fuit, ut Petrus dixit, quod & nos & patres per gratiam Domini nostri Iesu Christi, non propter opera nostra salutem consequamur, sed obseruarunt ea, primum, ne in uiolandis publicis ritibus gentis Iudaicæ, in qua uiuebant, tranquillitatem & pacem turbarẽt.

Apostoli quare obseruarint opera legis.

Deinde

Deinde ut in obseruandis moralibus diuinæ uocationi seruirent, & spiritui sancto obsequerentur. Itaq; pseudo apostoli falso & impie exempla uerorum Apostolorum interpretati sunt, q̃ opera legis iustificent, & Gentibus ad salutem obseruatu necessaria sint. Sed Apostoli obiter quoq; in literis suis ostendunt quantum mali secum afferat impia doctrina. Quidam, inquiunt, ex nobis exeuntes turbauerunt uos uerbis, labefactantes animas uestras. Vide q̃ proprie paucissimis uerbis impij doctores unà cum doctrina eorum a ueris Apostolis describuntur. Ex nobis (inquiunt) exeuntes. Nam impij doctores non uolunt uideri se aliud doctrinæ genus prædicare q̃ Apostoli, sed de doctrina Apostolorum gloriantur, hanc iactant, & sese ab Apostolis edoctos profitentur, attamen iactantia eorum uanissima est. E nobis (ait Ioannes) profecti sunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum, sed ut manifesti fierent, q̃ non sint omnes ex nobis. Quid autem ex impiorum doctrina consequitur? Turbantes uos uerbis, labefactantes animas uestras. Hæc est descriptio fructus impiæ doctrinæ, turbat enim & labefactat, & destruit conscientias antea Verbo Domini bene institutas & ædificatas. Quid autem hoc aliud est, q̃ animas hominum perdere & Satanæ captiuas reddere? Nihil igitur perniciosius est impia doctrina. Sed inquies, idipsum multi hoc etiam tempore conqueruntur, q̃ cum antea tranquillus fuerit status Ecclesiæ sub Papatu, nũc per prædicationem noui illius Euangelij (sic enim doctrinam iustificationis per fidem nouum uocant Euangelion) omnia turbentur, & hominum animæ prorsus irretiantur. Ergo ne Euangelion illud de iustificatione fidei propter Christum impia erit doctrina? Absit longissime. Nam ut intelligas Apostolos hanc doctrinam de iustificatione fidei absq; operibus hoc loco maxime omnium probare, & doctrinam hypocritarum, monachorum & doctorculorum papisticorum uehementer detestari, conferenda est controuersia huius tempestatis de fide & meritis operum cum controuersia quæ fuit temporibus Apostolorum de circuncisione. Doctores enim circuncisionis, ut sæpe iam dictum est, sentiebant gentes non satis posse iustificari, remissionem peccatorum & gratiam dei consequi per fidem propter Christum, nisi etiam bona opera legis hac opinione facerent ut propter ea iustificarentur & salutem consequerentur. Apostoli autem contra docuerũt, q̃ nullum opus aut meritum operis iustificet coram Deo & impetret remissionem peccatorum, sed q̃ propter solum Christum per fidem remissio peccatorum, iustícia & salus contingat. Amabo ergo te, quid controuersia huius temporis, a controuersia tempore Apostolorum exorta differt? profecto ne latum quidẽ unguem differt, nisi q̃ nomen circuncisionis uariet, cæterum reipsa non tam ouum ouo simile. Vt enim doctores circuncisionis prædicabant eum nondum habere plenam & perfectam peccatorum suorum remissionem qui crederet in Christum, nisi etiam adderet circuncisionem & alia opera, quorum merito peccata sua expiaret & iusticiam consequeretur. Ita monachi & hypocritę multo iam tempore in Ecclesia docuerunt, remissionem peccatorum non esse propter solum Christum per fidem, sed necessarium esse ut etiã bonis operibus pro peccatis nostris satisfaciamus, & gratiam Dei nostro studio mereamur. Et ut Apostoli cõtra doctores circũcisionis statuerunt, Gentes non esse onerandas lege Mosi, hoc est, nullã esse bonorum operum merita propter quę homo iustificetur, sed iusticiam seu remissionem peccatorum gratis tantum propter Iesum Christum per fidem contingere. Ita quotquot nũc Euangelion de Iesu Christo pure & synceriter annunciant, docent cõtra hypocritas, nullius hominis opera tam sancta esse ut possint mereri remissionem peccatorum & gratiam dei, sed solum Iesum Christum esse satisfactionem pro peccatis nostris, quæ nobis tantum per fidem commu-

Fructus impiæ doctrinæ

Collatio controuersiæ huius ætatis cum ea quæ tẽpore Apostolorum fuit.

nicetur,ſicut Ioannes ait: Quotquot receperunt eum,dedit eis poteſtatem ut lice ret filios Dei fieri,uidelicet his qui credidiſſent in nomine eius. Qui ergo ſunt illi qui hoc tempore ab Apoſtolis exierunt, turbantes & labefactantes ſtatum Eccleſiæ,hoc eſt,cõſcientias,baptiſmo in unum Ieſum Chriſtum ſanctificatas? Certe non illi huic culpæ affines ſunt,qui docent iuſtificationem gratis propter ſolum Chriſtum per fidem cõtingere, non propter merita operum. hi enim do cent plane idipſum quod Apoſtoli in hoc concilio Hieroſolymitano ſtatuerũt, ſed illi turbant Eccleſiam Domini qui docent ſatisfactionem Chriſti pro pecca tis nõ eſſe ſufficientem pro nobis per fidem,niſi hanc ſatisfactionem mereamur noſtris bonis operibus,hi enim prorſus idipſum docent de ſuis operibus bonis, quod pſeudoapoſtoli de circunciſione & operibus legis. Proinde nihil maio ri ſollicitudine uitãdũ et fugiendũ eſt,q̃ hæc impia hypocritarum & monacho rum de meritis operum doctrina. Sed de hac re poſtea fortaſſis plura. Nunc per ſequamur & alia quæ in literis Apoſtolicis ſequuntur. Viſum eſt,inquiunt,ſpi ritui ſancto & nobis. Recto ordine ſcribitur,uiſum eſt, primum,ſpiritui ſancto, deinde, & nobis. Noſtra enim ſententia nõ debet ſpiritui ſancto præire,ſed ſpiri tum ſanctum ſequi. Vnde ergo Apoſtoli certi fuerunt de ſententia ſpiritus ſan cti? Si orationes quas Apoſtoli in hoc concilio habuerunt obſeruauimus, non difficile erit cognoſcere,unde certitudinem ſententiæ ſpiritus ſancti habuerint. Primum enim Petrus indicauit q̃ Gentes ſubito ad prædicationem Euangelij donati ſint ſpiritui ſancto ſine præcedenti aut ſubſequenti circũciſione. Deinde indicauit ſentẽtiam ſcripturæ,q̃ nõ iuſtificetur in conſpectu Dei omnis uiuens, Hoc eſt,ut ipſe dixit,neq̃ nos neq̃ patres noſtri potuerunt portare onus legis. Idem quoq̃ Barnabas & Paulus per miracula a ſe inter gentes ædita, teſtificati ſunt. Poſtremo addit Iacobus teſtimonium prophetarum de uocatiõe Gentium. His argumentis certiſſime cognoſcitur,hanc eſſe ſentẽtiam ſpiritus ſancti q̃ nec gentes ſint onerandæ lege Moſi,nec merita bonorum operum iuſtificẽt coram Deo. Immane quantum ab hac certitudine ſpiritus ſancti abſint papiſticorum cõciliorum Senatores. Hi enim in cauſis religionis nõ ſolent ſequi ſpiritum ſan ctum,ſed præire,& quantum in ipſis eſt,cogunt ſpiritum ſanctum hoc ſentire q̃d ipſi ſentiunt. Dicunt enim ſpiritus ſanctus nõ derelinquit Eccleſiam ſuam, nos autem ſumus Eccleſia,igitur habemus ſpiritum ſanctum, ſi autem nobiſcum eſt ſpiritus ſanctus,conſequitur ergo,q̃ quicquid nobis libet & uiſum eſt, hoc ex ipſiſſima ſpiritus ſancti officina proficiſcatur. At ſcimus quidem ſpiritum ſan ctum non derelinquere Eccleſiam Chriſti,ſed num uos ſitis eccleſia Chriſti,mul ti non uanis rationibus adducti merito dubitant. Neq̃ illud cõſtat, q̃ quicquid ei, qui habet ſpiritum ſanctum,libeat,ſit protinus ſentẽtia ſpiritus ſancti. Fateor hanc eſſe ſententiam ſpiritus ſancti,quam e certis & infallibilibus argumẽtis ſpi ritus ſancti hauſit, quemadmodum hoc loco in Apoſtolis factum eſſe uidemus. At ſi quam ſententiam hauſerit e carnalibus ſuis rationibus & argumentis incer tis, quis diceret eam eſſe ſententiam ſpiritus ſancti? Proinde, ſi quis uoluerit de ſententia ſpiritus ſancti gloriari, is neceſſe habet, nõ quod uidetur humanæ & carnali rationi,ſed quod uidetur diuinæ & ſacroſanctæ ſcripturæ, quæ eſt ſpiri tus ſancti dictatura,& in qua ſpiritus ſanctus argumẽta ſuæ ſententiæ expreſſit, proferre & allegare, ſacram enim ſcripturam allegare,eſt ſpiritum ſanctum in te ſtimonium citare. Sed cum Apoſtoli decernant q̃ Gentes debeãt abſtinere ab im molaticijs,ſanguine & ſuffocato,multi clamant:uides Apoſtolos decreta conde re de abſtinẽtia ciborum & alijs rebus, cur ergo nõ liceret etiam Epiſcopis Apo ſtolorum ſucceſſoribus decreta de cibis, de ueſtibus, deq̃ alijs rebus condere? Quid adhæc dicemus? non negamus Apoſtolorum decretũ fuiſſe pium ac di uinum,

uinum, sed primum eos existimemus ueros & legittimos apostolorum successores, non qui sedes tantum Apostolorum occupant, sed qui ministerio Apostolorum funguntur (hoc est) qui doctrinam Apostolorum prædicant. Deinde sentimus omnino licere in Ecclesia obseruationes quasdam in rebus externis instituere exemplo Apostolorum, sed ita, ut illæ obseruationes habeant quoq; tam pias, tam sanctas conditiones & circunstantias q̄ decreta Apostolorum habuerunt. Apostoli enim abstinentiam immolaticiarum carnium, suffocati, & sanguinis decreuerunt, non hac opinione ut opus abstinentiæ esset satisfactio pro peccatis, nec hac conditione, ut perpetuo ita obseruaretur, nec illo pacto ut peccaret si quis absq; offendiculo proximi his cibis uescereturr, sed ut per abstinentiam horum ciborum infirmis fratribus ad tempus ex charitate seruiretur. Itaq; si quid obseruationum in Ecclesia decernitur quod habeat causam charitatis aut aliam piam rationem, uel publicæ tranquillitatis, uel disciplinæ rudium, non est detrectandum. Nunc autem Ecclesiasticæ quædam obseruationes, ut maxime initio non impijs rationibus institutæ sint, tamen exiguntur a multis tyrannis, impijs opinionibus, nimirum, q̄ sint satisfactio pro peccatis, q̄ debeant perpetuo obseruari, q̄ mortaliter peccet qui eas etiam nullo offendiculo proximi uiolet, propter has impias opiniones, fiunt & ipsæ obseruationes impiæ. Quare nobis quoq; dictum esse existimemus quod Christus ad discipulos de Pharisæis & traditionibus eorum dixit: Omittite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Nos autem eam teneamus doctrinam quæ sentit satisfactionem pro peccatis, & remissionem peccatorum nobis propter solum Iesum Christum per fidem contingere, interim uero sine impijs opinionibus obseruemus omnia ea quæ & spiritus sanctus exigit, & ad charitatem proximi, ac publicam tranquillitatem faciunt. Sic enim in uera uocatione Dei ambulabimus, per DOMINVM nostrum Iesum Christum qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXX.



VÆ ad huc reliqua sunt in decimoquinto capite, paucis nūc persequemur: Illi ergo dimissi descenderūt Antiochiam, & congregata multitudine reddiderunt epistolam, quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Paulo ante indicauerunt Apostoli in literis suis quid damni ex impia doctrina oriatur, uidelicet, turba, seditio, & labefactatio cōscientiarum. Nunc lectis illis literis, res ipsa declarat, quantum utilitatis e pia & uere Apostolica doctrina oriatur: Gauisi (inquit) sunt super consolatione. Itaq; ex Apostolica doctrina oritur gaudium conscientiæ & consolatio. Conscientia enim peccatis, horrore mortis, ac iudicio dei territa, nō potest tranquilla fieri ac pacificari nisi de remissione peccatorum ac iræ dei certificata fuerit. Vbi enim est incertitudo remissionis peccatorum & iræ diuinæ, ibi est dubitatio. Vbi autem est dubitatio, ibi non est certa fides. Vbi uero non est fides, ibi necessario sequitur obiecta tētatione incredulitas & desperatio. Quid autem pacis & tranquillitatis in desperatione esse posset? Iam nulla est alia doctrina quæ conscientiam de remissione peccatorum & de placata ira Dei certificare queat, q̄ doctrina Apostolorū de iustitia fidei in Iesu Christo. Omnes enim aliæ doctrinæ, siue pharisæorum de traditionibus suis, siue pseudoapostolorum de circuncisione & operibus legis, siue hypocritarum & monachorum de meritis bonorum operum, sentiunt, q̄ remissio peccatorum contingat propter merita & iustitiā bonorū operum, & q̄ Deus placatus fiat propter bona opera. Incertum

Apostolicam doctrinam solam certificare conscientias.

autem est, num bona opera quæ ab hominibus fiant, sint perfecte iusta & sancta, immo ex scriptura sacra certum est quod sint imperfectissima, & quantumuis bona iuxta externam speciem uideantur, non tamen plene & perfecte satisfaciant legi diuinæ. Non enim iustificatur (inquit) in conspectu tuo omnis uiuens. Et iterum: Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quanto minus homo, putredo, & filius hominis, uermis. Quare qui sentit quod propter operum suorum iusticiam habeat remissionem peccatorum, & clementem Deum, is necesse habet semper de remissione peccatorum suorum & de clementia Dei dubitare. Doctrina aũt Euangelij quod Apostoli de Iesu Christo prædicauerunt, tradit remissionem peccatorum contingere nobis non propter humanam iusticiam, sed gratis propter Iesum Christum per fidem, & Deum placari, non propter bona opera hominum, sed propter satisfactionem, aut, ut ita dicam, propter satispactionem Iesu Christi pro peccatis nostris. Nihil uero certius, nihil firmius est quàm promissio de Iesu Christo, quod satisfecerit pro peccatis nostris, & placauerit Deum. Per memetipsum iuraui, dicit DOMINVS ad Abraham, benedicentur in semine tuo (qui, interprete Petro & Paulo, Christus est) omnes gentes terræ. Et in Psalmo: Disposui testamentum electis meis, Iuraui Dauid seruo meo usque in æternum præparabo semen tuum. Et postea: In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Qui autem fieri posset ut iuramentum Dei falleret: ut Deus in Verbo suo mendax inueniretur. Proinde nulla est alia doctrina quæ conscientiam nostram pacificat, quàm Euangelion de Iesu Christo, in quo Apostoli tradiderunt, quod consequamur remissionem peccatorum & salutem, non propter opera legis aut merita operum, sed propter Iesum Christum per fidem. Gratissimæ igitur fuerunt literæ Apostolicæ fratribus Antiochenis, antea per impiam pseudoapostolorum doctrinam turbatis, & magnam consolationem ex his acceperunt. Præter Apostolicas autem literas legati quoque Apostolorum turbatas mentes uerbis suis recreant. Sequitur enim. Iudas autem & Silas cum essent etiam ipsi prophetæ, uerbo ubertim consolati sunt fratres & confirmauerunt. Prophetæ uocantur Iudas & Silas iuxta hunc usum, quo interdum etiam Paulus uerbo prophetandi utitur. Ad Corinthios enim scribens: Aemulamini, dicit, spiritualia, magis tamen ut prophetetis. Et mox: Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & consolationem. Iuxta hunc igitur usum dicuntur Iudas & Silas prophetæ, quia habebant donum spiritus sancti, quo potentes erant ad interpretandum prophetas, ad prædicandum Verbum DOMINI, & ad docendum, exhortandum, ac consolandum auditores ex Verbo DOMINI. Hic autem mihi uide quid scriptura tribuat Verbo externo. Verbo, inquit, ubertim consolati sunt fratres, & confirmauerunt. Verbo tribuitur consolatio & confirmatio fidei, solus autem spiritus sanctus est consolator in aduersis & confirmator fidei nostræ. Vnde Christus ait: Paracletus ille qui est spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunque dixi uobis. Et Paulus: Qui confirmat, inquit, nos unà uobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est, qui etiam obsignauit nos, deditque arram spiritus in cordibus nostris. Cum igitur consolatio & confirmatio in conscientia nostra ueniat per uerbum externum, manifeste consequitur, quod per Verbum detur nobis & operetur in nobis spiritus sanctus. Proinde, si quis desyderat in aduersis consolationem, & in tentationibus fidei confirmationem, non requirat uanas & ociosas speculationes, ac influxus, nescio quos, cœlestes, citra externum Verbum DOMINI. Sed requirat ipsum uerbum DOMINI, & audiat illud, per hoc enim organon illa

Collatio doctrinæ operum et fidei.

Verbi commendatio.

bitur

bitur ſpiritus conſolationis & confirmationis. Cæterum in qua re Iudas & Silas fratres Antiochenos uerbo ubertim conſolati ſunt & confirmauerũt, in eadem plane re nos quoq; conſolatione & confirmatione egemus. Non enim exiſtimandum eſt, quod controuerſia illa de circunciſione, & de non onerandis gentibus lege Moſi nihil ad nos, ſed tantum ad tempora Apoſtolorum pertineat. In hac enim quæſtione, hoc præcipue actum eſt, num circunciſio ac alia opera legis iuſtificent, purificent corda a peccatis, & ſint expiatio peccatorum coram Deo. Quam autem opinionem pſeudoapoſtoli habuerũt de operibus legis quod iuſtificent, eandem plane habent omnes omnium ſæculorum hypocritæ, ac præſertim in Chriſtianiſmo Monachi & Sophiſtæ de bonis operibus. Exiſtimant enim quod meritis bonorum operum peccata expientur, & ira Dei mitigetur. At ne uideantur Chriſtum contemnere, ita ſententiam ſuam explicant, quod Chriſtus ſatisfecerit quidem pro peccatis noſtris, ſed ita ut nos neceſſe habeamus communicationem ſatisfactionis Chriſti, bonis operibus mereri. Putant enim ſatisfactionem Chriſti nobis non eſſe utilem, nec communicari, niſi meritis bonorum operum impetremus ut nobis proſit. Ac quemadmodum nemo particeps habitus eſt, papiſticarum indulgentiarum niſi numerata pecunia, ita ſentiunt illi, neminem participem eſſe ſatisfactionis Chriſti niſi numeratis bonorum operum meritis. Quid autem hoc aliud eſt quàm Chriſtum uerbis quidem confiteri, factis autem abnegare, & nomen Chriſti in ore circumferre, gloriam autem & uirtutem Chriſti blaſphemia afficere? Hæc enim eſt gloria & uirtus Chriſti quod remiſſio peccatorum contingat nobis plane gratis non propter merita operum noſtrorum, quæ non poſſunt in iudicio Dei conſtare, ſed tantum propter meritum Chriſti. Per nullum autem aliud opus efficimur participes Chriſti & morti eius, quàm per fidem. Quotquot, inquit Ioannes, receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, uidelicet, his qui credidiſſent in nomen eius. Et iterum: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Sed quid pluribus teſtimonijs opus eſt? Sentire enim quod ſatisfactio Chriſti pro peccatis, non communicetur nobis niſi propter merita operum, & iuſticiæ noſtræ, eſt quidem uerbis nonnihil Chriſto tribuere, ſed reipſa plane idem eſt ſentire, quod pſeudoapoſtoli de circunciſione & merito operum legis ſenſerunt, uidelicet, ſalutem contingere, non propter ſolum Chriſtum per fidem, ſed etiam propter opera legis. Proinde quæcunq; Apoſtoli in hoc Hieroſolymitano concilio aduerſus doctores circunciſionis ſtatuerunt, quibuſcunq; argumentis, rationibus, teſtimonijs, & ſcripturis ſententiam ſuam comprobarunt, quocunq; uerbo Iudas & Silas fratres Antiochenos conſolati ſunt & confirmauerunt, denique quæcunq; Apoſtolus Paulus in omnibus ſuis epiſtolis, præſertim autem in ijs quas ſcripſit ad Romanos & Galatas pro iuſticia fidei propter Chriſtum, contra eos qui ſentiunt iuſticiam eſſe ex operibus legis, diſputat, ea omnia ſentiamus dicta, diſputata, ſtatuta, comprobata, & confirmata, contra impiam illorum ſententiam, qui docent remiſſionem peccatorum contingere nobis propter iuſticiam operum noſtrorum, & ſatisfactionem Chriſti pro peccatis non communicari nobis, niſi propter merita iuſticiæ noſtræ. Et hæc quidem de concilio Hieroſolymitano, quod eo altiori mente reponendum eſt, quod non tam exhibeat nobis exemplum obſeruandi Chriſtiani concilij, quàm q̃ in eo Chriſtus maxime omnium illuſtratus, & doctrina de uera iuſtificatione propter ſolum CHRISTVM, certiſſimis ac ſolidiſſimis argumentis confirmata ſit. Nunc etiam reliqua proſequemur. Commorati autem aliquanto tempore di-

Error eſt noxa uitati uitæ in ſtificationem tribuere.

» missi sunt cum pace a fratribus ad Apostolos qui miserant illos. Visum est au
» tem Silæ ibi permanere, Paulus autem & Barnabas commorabãtur Antiochiæ
» docentes & Euangelizantes cum alijs pluribus Verbum DOMINI. Vides
nihil hic ocio, ignauiæ, aut delicijs dari. Legati enim postquam Ecclesiam An-
tiochenam satis de sententia apostolorum edocuerunt, non inutiliter terunt tem
pus in ocio Antiochiæ, sed dimissi cum pace redeunt ad Hierusalem, qui uero
Antiochiæ remanent Paulus Barnabas & Silas, nec ipsi ociantur, sed docent &
Euangelizant Verbum Dei. Vt autem nihil est laboriosius quàm Euangelion
Christi fideliter docere, ita nihil est tum Deo gratius, tum Ecclesiæ utilius ac ma
Docere Euangelium quantus cultus Dei. gis necessarium. Docere enim Euangelion de Christo superat omnes cultus Le
uiticos, & qui docet Euãgelion, multo gratius Deo sacrificium offert, quàm qui
in lege multa holocausta obtulit. In holocaustis enim offerebãtur aut boues aut
oues aut capræ aut aues. In doctrina autem Euangelij offeruntur homines & sa-
crificantur Deo ut in ipsum credant, nomen eius glorificent, ipsi soli seruiant
& obediant. Hæc enim est doctrina qua ædificatur Ecclesia, qua etiam conserua
tur: adeoq; hæc doctrina clauis est qua portæ regni cœlorũ aperiuntur, ut quis-
quis huic fidem adhibeat, in perpetuam fœlicitatem ingrediatur. Proinde nihil
potius habent Paulus & Barnabas q̃ ut hanc doctrinam non frigide doceant,
sed ut instent ac urgeant. Nec hoc agunt Antiochiæ tantum, uerum etiam in om
» nibus alijs Ecclesijs. Vnde sequitur: Post aliquot autem dies dixit ad Barna-
» bam Paulus, reuertentes uisitemus fratres per omnes ciuitates in quibus prædi-
» cauimus Verbum Domini, quomodo se habeant. Hoc illud est quod Paulus
ad Corinthios scribens: Incumbit, inquit, mihi quotidiana cura omnium Eccle
siarum, quis infirmatur & ego non infirmor? quis offenditur & ego non uror?
Exemplo igitur Pauli unusquisq; suæ uocationi diligenter seruiet, sciens eam
seruitutem cultum esse Deo gratissimum. Quanquam autem hoc quod de sectan
da sua uocatione dicimus in paulo imitandum sit, illud tamen quod nunc sequi
» tur minime nobis imitandum proponitur. Sic enim scribit Lucas: Barnabas
» autem uolebat secum assumere & Ioannem qui cognominabatur Marcus. Pau-
» lus autem nolebat eum adiungi, quoniam in Pamphilia deseruerat eos & non
» ierat cum eis in opus. Facta est autem acris concertatio, ita ut discederent ab in-
» uicem. Et Barnabas quidem assumpto Marco nauigauit in Cyprum. Paulus ue
» ro electo Sila profectus est traditus gratiæ Dei a fratribus, peragrabat autem Sy
» riam & Ciliciam confirmans Ecclesiam. Quid hoc rei est, inquies? q̃ Barna-
bas & Paulus primarij inter prædicatores pacis & unà authore spiritu sancto ad
unum ministerium missi, tanta discordia inter se dissideant, ut alter ab altero ho
stiliter diuertat? Sunt quidem qui hoc Pauli & Barnabæ dissidium extenuare
studeant, perinde ac si nefas sit tam sanctos uiros alicuius criminis insimulare,
qui profecto studium pietatis habent, sed ut mea fert opinio, non secundum sci-
entiam. Nos autem sensum sacræ scripturæ sequemur, quæ nobis maximis de
causis infirmitates, uicia & crimina sanctorum ob oculos ponit. Ac primum, Io
annes ille Marcus propter quem dissidium fit, is est, de quo supra capite decimo
tertio scribitur, quod in Pamphilia digressus sit a Paulo & Barnaba, & reuer-
sus sit Hierosolymam. Huius mater fuit Maria, ad cuius domum Petrus e car-
cere ab angelo eductus diuertit, quemadmodum supra capite duodecimo scri-
ptum est. Propter hunc igitur tanta amarulentia Paulus & Barnabas inter se
παροξυσμὸς disceptant, ut ab inuicem digrediantur. Hanc disceptationem Lucas uocat παρ-
οξυσμὸν, nimirum medicus, medico uerbo acerbitatem & uirulentiam dissidij
exprimere uolens. Medici enim paroxysmum uocant, accessionem illam quæ

in

febribus circuitu quodam subinde ad febricitantem redire solet tanto interdum horrore, ut totum corpus contremiscat. Hoc igitur uerbo significat tam acrem fuisse contentionem inter Paulum & Barnabam, ut ipso quoq; corporis tremore, iram suam prodiderint. Solent enim ut febricitantes, ita & uehementer irati, manibus, pedibus, labijs, adeo q; toto corpore horrere ac intremiscere. Videbatur autem uterq; tam Paulus quàm Barnabas iustissimas consilij sui rationes habere. Paulus enim censebat Ioannem Marcum, quod semel ministerium Euangelij dereliquisset, inutilem esse ad illud ministerium, iuxta dictum Christi. Nemo qui manu sua admota aratro respexerit a tergo aptus est regno Dei. Et oportet ministrum Euangelij irreprehensibilem esse, & unumquenq; ad sectandam uocationem Dei exhortari. Qua autem fronte is auditorem ad diligentem diuinæ uocationis sectationem exhortabitur, qui in seipso hoc inconstantiæ crimen admisit, quod a ministerio suo defecerit? Barnabas autem censebat illum assumendum propterea quod nullus pœnitentiam agens repellendus sit. Quid enim? an non & Petrus Christum abnegauit, postea tamen iterum in Apostolum ab ipsomet Christo assumptus est? Prouerbium est, Vir fugiens denuo pugnabit. Nam ut in militia huius sæculi non continuo ad omnem pugnam inutilis habetur, qui semel abiecto clypeo fugerit, ita in militia spiritus non omnino reijciendus est a publico Euangelij ministerio, qui postquam semel ab eo defecerit ad illud redire cupit. Sed quid? quanquam uterque uidebatur optimas consilij sui rationes habere, tamen hæc causa non fuit tanti, ut propterea debuissent ad tantam iram & discordiam concitari, & in ipsam charitatem peccare. Ad doctrinam enim Euangelij nihil pertinebat, nec quicquam nocebat Ecclesiæ Dei siue Ioannes Marcus ad ministerium reassumeretur siue reijceretur. Sed hoc erat ingens periculum, & Ecclesiam Dei maxime offendebat, quod duo primarij Apostoli tanta iracundia erga se inuicem exardescebant, ut impotentiam affectus sui etiam ipsis corporis tremoribus indicarent. An non Paulus ipse charitatem sæpenumero ita prædicauerat, ut eam clarissimis donis linguarum, propheciæ, miraculorum ædendorum, & multis alijs præferret? quoties admonet auditores suos ut tolerent se inuicem per charitatem studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis? Super omnia, inquit, charitatem habete, quod est uinculum perfectionis. Et pax Christi regat corda uestra, in quam & uocati estis in uno corpore. Cur ergo quod alijs prædicat ipse non præstat? Profecto magna peccata ambo Apostoli Paulus & Barnabas hoc loco designant. Primum enim cum nullus alteri uult in sua opinione cedere, peccant arrogantia & fastu, deinde cum aduersus se inuicem concitantur, peccant amarulentia, ira & indignatione. Postremo cum a se inuicem digrediuntur, peccant, quantum in ipsis est offendiculo, quod suo exemplo toti Ecclesiæ præbent. Hoc autem est omnes pene charitatis leges præuaricari. Quid ergo? num doctrina Apostolorum ideo mendax censenda est, quia ipsi fuerunt peccatores? aut num licet uicijs nostris blandiri, quia Apostoli etiam peccauerunt? Minime gentium. Doctrina enim Euangelij ex imbecillitatibus & peccatis Apostolorum suo quodam modo confirmatur potius quàm infirmatur, & e uicijs ipsorum magis nobis discendum est uicia fugere quàm sectari. Scriptura enim proponit nobis infirmitates & peccata sanctorum, non ut contemnamus doctrinam eorum, sed potius ut in ipsis & ipsorum exemplis cernamus doctrinam eorum ueracissimam esse. Docuerunt enim primum q; omnes homines sint & maneant natura peccatores usq; ad ultimum uitæ suæ spiritum. Deinde, quod nemo iustificetur ex operibus suis, sed gratis propter Christum per fidem. Hæc est doctrina Apo

Rationes utriusq;.

Dissidium Pauli & Barnabæ.

Peccata et infirmitates Apostolorũ quare nobis proponãtur.

ſtolorum. Cum ergo legamus peccata ipſorum, & tamen audiamus eos ſalutem conſecutos eſſe, certe exemplis eorum manifeſte uidemus, quod iuxta ſuam ipſorum doctrinam ſint peccatores, & non habeant ſalutem e ſua iuſticia, ſed tantum propter Chriſtum per fidem, alioqui enim, ſi nullæ ſanctorum iniquitates nobis ob oculos ponerentur, exiſtimaremus ueram iuſticiam eſſe ex operibus, & cum in nobis nulla opera perfecte bona ac iuſta inuenire poſſumus, de ſalute noſtra deſperaremus. Deinde proponit nobis ſcriptura peccata ſanctorum, non ut imitemur ea, ſed ut diſcamus timorem Dei & fidem. Si enim ſancti tanto ſpiritu præditi non fuerunt alieni a peccatis, qua impudentia audemus nos in nobis ipſis iuſtos reputare? Et aut ea peccata quæ de ſanctis leguntur opere deſignauimus, tunc habemus in ſanctis exemplum miſericordiæ Dei & reſipiſcentiæ noſtræ. Vnde Paulus ad Timotheum ſcribens: Certus, inquit, ſermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quod Ieſus Chriſtus uenit in mundum ut peccatores ſaluos faceret, quorum ego primus ſum. Verum ideo miſericordiam ſum adeptus, ut in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam ad exprimendum exemplar his qui crediturí eſſent in ipſo in uitam æternam. Aut ea peccata externo opere nondum deſignauimus, tunc non efferamur animo, ſed diſcamus timorem Dei. Si enim tam ſancti homines in tanta peccata lapſi ſunt, quomodo nos ſecuri eſſe poſſumus? Et ſi exemplo ſanctorum cadimus, fortaſſis non licebit pro noſtra oportunitate & arbitrio exemplo eorum reſurgere. Quod enim cadimus, noſtrum peccatum eſt, Quod reſurgimus, gratia Dei eſt, in noſtris manibus minime ſita. Quare ne Deum præfracte tentes, da operam, ne ſemel a peccatis liberatus, ſubinde iterum atq; iterum in peccata relabaris. Poſtremo hic etiam uide mihi ingentem bonitatem Dei. Barnabas enim & Paulus ſuo diſſidio Eccleſiam Dei quantum in ipſis eſt turbant & offendunt. Ecce autem DOMINVS deus noſter tam bonus eſt, ut quod hi homines male egerunt, hoc ipſe in bonum Eccleſiæ uertat. Primum enim horum peccato illuſtriorem facit gratiam ſuam, ut ubi exuberauit peccatum, ibi exuberet gratia. Deinde horum diſſidio fit, ut Barnabas quidem in Cyprum, Paulus autem in Syriam & Ciliciam proficiſcantur: adeoq; multo plures Eccleſiæ per ipſos ſeiunctos uiſitentur & in fide confirmentur, quàm ſi unà profecti fuiſſent. Cum igitur tam bonum & induſtrium deum habeamus, qui mala noſtra in bonum uertat, agite amiciſſimi fratres, non abutamur impie hac bonitate & induſtria Dei, id quod fieret, ſi huius præſumptione peccaremus, ſed utamur ea pie, & confirmemus ex ea fidem noſtram, ut iudicio peccatorum noſtrorum in conſcientia tentati, credamus gratiam Dei tanto nobis propiorem eſſe, quanto plura & maiora peccata deſignauimus, ut quemadmodum regnauerat peccatum in morte, ſic & gratia regnet per iuſticiam ad uitam æternam, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſæcula. Amen.

CAPVT XVI.

HOMILIA LXXI.



IN PRAECEDENTI CAPITE SCRIptum est, Apostolos concordi sententia statuisse, Gentes ab onere Legis Mosaicæ liberas esse. Nunc sequitur huius libertatis exemplum. Sic enim scribit Lucas. Peruenit autem Paulus Derben & Lystran, & ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris cuiusdam Iudææ fidelis, cæterum patre græco. Huic testimonium bonum reddebant qui Lystris erant & Iconij fratres. Huncuoluit Paulus secum proficisci, & assumptum circuncidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat græcus. Quanquam hic locus uideatur requirere, dilectissimi, ut siquidem Timotheus scribitur natus de muliere Iudæa & patre gentili, explicaremus, primum quidem quomodo ratio legittimi matrimonij inter gentilem & Iudæam, hoc est, inter uirum & mulierem diuersæ religionis constet. Deinde autem quantis uirtutibus præditus fuerit Timotheus, quem Paulus in comitem suum elegit: tamen quia Paulus ueram rationem matrimonij abunde satis in priori epistola ad Corinthios capite septimo explicuit, & Timotheum suum duabus epistolis probe descripsit, intermissis illis, perstringemus exemplum illud libertatis, quo Paulus in circuncidendo Timotheo usus est. Mox autem reclamabit quispiam quomodo hocquod de circunciso Timotheo scribitur, possit esse exemplum libertatis, cum pauloante Apostoli decreuerint, & Paulus non solum consenserit, uerumetiam urgendo institerit, ut Gentes essent liberæ a lege Mosaica: nunc autem assumat Timotheum incircunciſum, hoc est, Gentilem, & circuncidat eum? Ac profecto, si quis rem recte perpendat, necesse habuit Paulus uaria discrimina in hac causa subire. Timotheus enim aptissimus erat ad adnunciandum Euangelion Christi, ita ut ei similis inter adolescētes uix reperiretur, quippe qui eruditus erat in sacris literis a puericia, & eruditioni tantam pietatem adiunxerat, ut ab omnibus commendaretur. Itaq; si Paulus assumeret eum comitem & Symmysten prædicandi Euangelij, & non circuncideret ipsum, periculum erat, ne non admitteretur a Iudæis qui adhuc legem Mosi agnoscebant. Ac forta ſſis exemplo ipsius multi rerum nouatores totam legem Mosi tanquam impiam conculcassent, & pro libidine sua uixissent. Si autem circuncideret eum, sustinenda essent multorum probra, qui traducerent Paulum tanquam defectorem ab Euangelio, tanquam contraria docentem & facientem, ac ex eodem ore calidum & frigidum efflantem, quippe qui nunc decerneret ac doceret gentes esse liberas ab onere legis Mosaicæ, & Christum nihil prodesse iis qui circũciduntur, nunc uero suum ipsius discipulum circũcideret. Quale est, si

Timothei circunciſio quomodo ſit exemplum libertatis.

quis noſtra tempeſtate doceret miniſtros Eccleſiæ non eſſe ungendos oleo, & tamen mitteret eos ad Epiſcopos ut ungerentur, aut non eſſe ieiunandum pro more papiſtico uſque ad horam undecimam, & tamen hortaretur ad obſeruationem ſtatutorum ieiuniorum, aut ſi quid eſt huic ſimile, ut de eſu carnium in Quadrageſima, de uſu ueſtium Miſſalium, & de alijs id genus rebus. Quid igitur in hoc ancipiti diſcrimine agit Paulus? aſſumptum (inquit Lucas) Timotheum, circuncidit eum. Sed quomodo defenditur, ne uideatur deficere ab Euangelio & contraria docere? Si recte intellexeris decretum Apoſtolicum de abrogatione legis Moſaicæ & doctrinam Pauli de libertate Chriſtiana, tantum abeſt ut ſentias Paulum ſibi contraria docere, & Iudaiſmum reducere, ut nemi-nem unquam ueritatem magis ſibi concordem docuiſſe & libertatem obſeruaſſe perſpicias. Etenim Apoſtoli decreuerunt quidem Gentes eſſe liberas ab onere legis Moſaicæ, ſed non decreuerunt peccatum & impietatem eſſe legem Moſi obſeruare, id quod ex Actis eius concilij manifeſtum eſt. Et Paulus de liberis rebus docuit, eas tunc utiles eſſe obſeruatu cum ex fide & charitate obſeruentur, impias autem cum ex impia opinione obſeruentur. Tria enim ſunt genera operum, alia ſunt a Deo mandata, ut credere in Deum, diligere proximum, egenum adiuuare. Alia ſunt prohibita, ut deſperare, nomen Dei blaſphemare, adulterium committere, & id genus multa. Alia nec ſunt mandata nec prohibita, ſed libera, ut eſci carnibus, hoc autem illo genere ueſtium uti, his aut illis legibus ciuilibus, modo non iniquis, & contra legem naturæ ſtatutis uti. In hunc tertium ordinem redacta ſunt poſt reuelatum Euangelium, circunciſio & Sabbathum, nam ante Chriſtum continebantur in genere operum a Deo mandatorum. Sed poſtquam Chriſtus factus eſt ſub lege, redemit eos, qui legi erant obnoxij, ac multis miraculis comprobauit, circunciſionem & ſabbathum non amplius ad genus mandatorum operum, ſed liberorum pertinere. Porro autem liberа opera non habent hanc rationem quod impium ſit ea obſeruare, ſed quod poſſint bene & male aut obſeruari aut omitti. Accipiunt enim rationem ſuam ex cauſa, animo, & opinione obſeruantis aut omittentis ea, nam ſi obſeruentur ea opinione, quia ſatisfaciant pro peccatis, & mereantur ex opere operato gratiam Dei, impia fiunt, quod opinio impia eſt, ſiquidem ſolus Chriſtus pro peccatis ſatisfecit, & per fidem propter Chriſtum non propter opus operatum accipimus gratiam Dei. Vnde Paulus ad Galatas ſcribens ita ait: Ecce ego Paulus dico uobis, quod ſi circuncidamini, Chriſtus nihil uobis proderit. Quare circunciſionem tanta ſeueritate reijcit, qui aliàs ſcribit circunciſionem nihil, hoc eſt, nec bonam nec malam eſſe, aliàs dicit, eam prodeſſe? Non reſpicit Paulus in ipſum circunciſionis opus dum ait: Si circuncidamini Chriſtus uobis nihil proderit. Sed in impiam opinionem Galatarum qua ſeſe circuncidebant. Putabant enim ſe non ſatis iuſtificari per Chriſtum, ſed etiam circunciſionem neceſſariam eſſe ad iuſtificationē. Vnde addit: Chriſtus uobis factus eſt ocioſus quicunq; per legem iuſtificamini a gratia excidiſtis. Et propter hanc cauſam non tulit Paulus, ut Titus, quamuis Ethnicus, circuncideretur, eo quod pſeudoapoſtoli exigebant ab eo circunciſionem tanquam neceſſariam ad iuſtificationem. Quod de circunciſione dicitur, hoc idem ſentiendum eſt de omnibus papiſticis cæremonijs, uidelicet, de Miſſa, de certis ieiunijs, de certis ferijs, de certis cibis, & alijs, quæ ſi ex hac impia opinione obſeruentur, quod deleant peccata ex opere operato, & emereantur gratiam Dei, fiunt & ipſa impia. At ſi circunciſio, & quæcunque huius ordinis ſunt, piam aut ſaltem non impiam cauſam habeant? tunc & ipſa pia fiunt. Inquirendum igitur, quam cauſam hoc

Triplicia eſſe opera.

Quatenus probãtur aut improbantur libera opera.

hoc loco habuerit Paulus circuncidendi Timothei. Voluit (inquit) Paulus hunc secum proficisci, & assumptum circuncidit eũ propter Iudæos qui erãt in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat græcus. E quibus uerbis conijcere licet Paulum hanc causam circuncidendi Timothei habuisse, non ut Timotheum ex circuncisione iustificaret, sed ut Timotheus propter præpucium non fieret auditoribus Iudæis, quibus prædicaturus erat Euangelion Christi, abominabilis. Item, quia cum Paulo erat inter Iudæos uersaturus, circuncisus est, ne publicum circuncidendi morem inter Iudæos turbaret. Hæ autem causæ non sunt impiæ, sed proficiscuntur ex charitate, quare nec opus impium fuit. Ita sentiendum est de omnibus operibus liberis, a Deo nec præceptis nec prohibitis quod pie fiant, si pias habeant causas, ut si quis magistratus prohibeat ne in quadragesima publice uendantur carnes, non quia impium sit uesci carnibus, sed ne publicus regionis mos interturbetur. Aut si quis inter Papistas uitam agens, ieiunet usque ad certam horam diei, non ut ex ieiunio iustificetur, sed ut publicum morem obseruet, hic non peccat. Hoc enim est quod Paulus ait: Cum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci ut plures lucrifaciam. Et factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam, ijs qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam. His qui sine lege sunt tanquam sim sine lege, cum non sum sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos qui sunt sine lege. Factus sum infirmis quasi infirmus ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia ut omnino aliquos seruem. Quid audimus? Paulus dicit se factum esse omnia omnibus, ut omnino aliquos seruet. Ergo ne, cum Iudæis credidit circũcisionem iustificare, cum gentibus sacrificauit idolis, cum adulteris adulterium commisit, cum furibus furatus est, cum bibonibus compotauit? Absit longissime, non enim loquitur Paulus de opinionibus impijs, aut operibus a Deo prohibitis, sed de rebus liberis. Nam inter Iudæos permisit ut filij Iudæorum circunciderentur, non autem permisit ut crederent circuncisionem esse satisfactionem pro peccatis & ueram iusticiam. Inter gentes permisit ut credentes seruarent suum præpucium & suas leges ciuiles, quas & ipse obseruauit, non autem permisit ut sacrificarent idolis, nec ipse sacrificauit. Quemadmodum enim qui humi iacentem erecturus est, inclinat se ad prolapsum, quasi & ipse cadere uideretur, ita Paulus se ad eorum mores per se liberos accommodauit, quos e profunda cæcitatis fouea liberare cupiebat. Et hæc est uera charitatis ratio, quippe quæ non inflatur, non est fastidiosa, non quærit quæ sua sunt, non placet sibi ipsi, sed infirmitates impotentium aut ignorantium portat, & studet proximo placere in bonum ad ædificationem. Sectemur igitur & nos exemplum Pauli, ut quod requirit charitas quam proximo debemus, in omnibus nostris operibus impleamus. Cæterum, postquam Timotheus circuncisus est, accinxit se itineri unà cum Paulo ad dilatandum imperium Christi inter Gentes. Cum autem pertransirent ciuitates, trade
» bant eis seruanda decreta quæ erant ordinata ab Apostolis & Presbyteris qui
» erant Hierosolymis. Itaq; Ecclesiæ confirmabantur fide & abundabant nume-
» ro quotidie. Vides q̃ fœlix fuerit euentus concilij Hierosolymitani. Cum enim
» Ecclesijs gentium decreta illius concilij adnunciarentur, non solũ confirmaṽ fide, quã prius pseudoapostoli labefactauerunt, sed etiã numerus eaṽ augebaṫ. Et obserua rem admirandam. Timotheus pauloante circuncisus nunc prædicat cũ Paulo gentibus, circuncisionem non esse necessariã, atq; ita sua circuncisione circuncisionem quantum in ipso est abrogat. Proinde, si illi quoṽ interest concilia cogere, ullam conciliorum utilitatem esse, & populum a superstitione liberare

Causa circuncidendi Timothei.

Vera Charitatis ratio.

uoluerint, necesse habent in hæc exempla respicere ut decreta concilij sui, non humanis figmentis, sed quemadmodum Apostoli diuina scriptura confirment, & ea non sanguine, sed diuinis literis scribant: adeo q̄ expeditissima ratio liberandi homines a superstitiosis opinionibus est, si doceatur res liberas iuxta charitatis amussim dirigendas esse, non autem remissionem peccatorum & iusticiam in earum obseruatione ponēdam. Remissio enim peccatorum & iusticia quæ coram Deo constat, & in solo Iesu Christo Domino nostro quærēda est, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXII.



Vperiori concione audiuimus Paulum ad Ecclesiasticum munus uocasse Timotheum adolescentem doctrina & pietate præstantissimū, ac quo minus Iudæis abominabilis esset propter præpucium, circuncidisse eum, non quia circuncisio aliquid salutis ei afferret, sed ne propter præpucium a functione muneris sui inter Iudæos excluderetur. Dictū est præterea, Paulum secum circumduxisse Timotheum ad confirmandas Ecclesias prius institutas, & ad adnunciandum eis decreta Apostolica de liberatione ab onere legis Mosaicæ, uidelicet, ut Timotheus adhuc neophitus, exemplo præceptoris sui Pauli disceret Ecclesias instituere, consolari & administrare. Nūc autem audiemus peregrinationem Pauli, comite Timotheo ad alias regiones, in quibus Euangelium nondum prædicatum, nec ulla Ecclesia instituta erat. Sic enim sequitur: Cum peragrassent Phrygiam & Galaciam regionem, uetitiq̄ essent a spiritu sancto loqui sermonē in Asia, profecti in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & uisio per noctem Paulo uisa est. Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum ac dicens: profectus in Macedoniam succurre nobis. Vt autem uisum uidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certificati, q̄ uocasset nos Dominus ad Euangelizandum eis. Cum soluissemus igitur a Troade, recto cursu uenimus Samothracen, & postero die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.

In hac profectionis Paulinæ narratione principio obseruandum, quid sibi uelit admirabilis illa rerum dispensatio, q̄ spiritus sanctus impedit Paulum ac Timotheum ne adnuncient Euangelium in ea regione, quæ proprie dicitur Asia, & ne ad Bithyniam proficiscantur, ut illic sermonem Dei loquantur, interim tamē uisione quadam inuitat & uocat Paulum ad Macedoniam, ut in ea regiōe Christum prædicet. Quid Asia & Bithynia sceleris commisere, ut indigni sint prædicatione Euangelij? quid Macedonia boni fecit, ut digna Euangelio iudicata fuerit? Profecto si religionem & morem omnium harum gentium spectes, inuenies ubiq̄ idololatriam & mores gentiles, hoc est, turpissimos. Et fortassis reperies in Macedonia atrociora scelera, quàm uel in Asia uel in Bithynia. Macedones enim sub rege suo Alexandro Magno totum orbem bellis quondam inuaserūt & deuastarūt. Quid aūt in bellis aliud q̄ impietas, & nullū nō genus sceleris discit? Verisimile igit̄ est posteriores Macedones a maioribus suis quasi p manū accepisse exempla quorūuis flagitiorū, & ea, ut natura humana ad mala sequax est, factis diligenter expressisse. Quid ergo causæ est cur spūs sanctus uocauerit Paulum ad Macedoniam, & prohibuerit eum ab Asia & Bithynia? certe nulla alia causa apparet, q̄ id quod Dominus per Mosen dicit: Miserebor cuiuscunq̄

cunq; miſereor, & commiſerebor quemcunq; commiſeror. Etenim omnes homines filij iræ & æterna morte digni ſunt. Itaq; ſi Dominus Deus noſter aliquot ex hoc damnatorum hominum numero clementer liberat, & donat eis ſalutem, non eſt hominis meritum ſed dei miſericordia, & ſi reliquos perire ſinat, non eſt crudelis iniuſticia, ſed debita iuſticia. Sic cum Deus tẽpore patriarchæ Abraham, reſpiceret ſuper filios hominum, ut uideret, ſi eſſet intelligens aut requirens Deum, ecce reperit omnes declinaſſe ac ſimul inutiles factos eſſe, adeoq; patres Abraham ſeruire dijs alienis, quemadmodum ſcribitur in Ioſua capite uicesimo quarto. Ex hoc tamẽ perditiſſimorum hominum numero, elegit Abraham & poſteritatem eius in populum ſuum, tantummodo, inquiens, uos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. Num igitur iniuſticia eſt apud Deum? Abſit, q; enim familiam Abrahæ elegit, miſericordia eſt, q; reliquas familias terræ reiecit, debita iuſticia eſt. Sic cum nondum nati eſſent Eſau & Iacob, ambo tamen in peccatis concepti, alioqui autem neq; boni quippiam neq; mali feciſſent, dictum eſt, Maior ſeruiet minori, hoc eſt, ut propheta exponit, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quæ igitur cauſa eſt, q; qui ſimiles erant conditione, diſſimiles fiunt electione? Nulla profecto alia cauſa eſt, niſi quia Deus reddidit Eſau quod debuit, hoc eſt, iram & perpetuam damnationem. Iacob autem dedit quod uoluit, uidelicet, gratiam, clementiam & fœlicitatem perpetuam. Hæc ideo nobis commemorantur, primum, ut agnoſcamus immenſam clemẽtiam Dei, qui cum optimo iure poſſet ac deberet omnes homines perdere, quoſdam tamen miſericorditer ſeruat. Vbi autem uere agnoſcitur clementia Dei, ibi augetur fides in omnibus aduerſis & periculis. Si (exempli gratia) infirmitas corporalis aut exilium aut paupertas, aut ignominia publica, ob hanc cauſam moleſta eſt, q; quicquid id eſt aduerſi, noſtris ſceleribus meriti ſimus, agnoſcenda eſt clementia dei q; ea non reſpicit humanam iniuſticiam. Si enim iniquitates obſeruaret, quis ſuſtineret? ſed ſuam ipſius miſericordiam. Qua cognita, quis non ſperaret auxilium dei? quis non confirmaretur fide ſua q; Deum habeat ſeruatorem? Deinde commemoratio huius diuinæ diſpenſationis hortatur nos ad gratiarum actionem, obſequium dei & timorem. Etenim ſi Dominus Deus noſter reuelauit nobis Ieſum Chriſtum filium ſuum, ut per eum ſalutem aſſequeremur, quem tamen a maiori numero hominum in hoc ſæculo abſcondit, quis ex nobis tam ingratus eſſet, qui non, quoquo modo poſſet, Deo pro tantis beneficijs gratias ageret? quis tam ſtupidus eſſet qui non in timore Dei ambularet, ne gratuitum hoc beneficium iterum amittat? Ingratitudo enim author eſt maioris perditionis & damnationis. Cuius rei exemplum manifeſtiſſimũ nobis propoſitum eſt in his regionibus quas Lucas in hoc loco & aliàs ſcribit a Paulo peragratas & Euãgelio illuſtratas eſſe. Omnes enim hæ ciuitates & regiones in quibus Paulus ille organon Dei electum, Ieſum Chriſtum prædicauit, & Eccleſias inſtituit, nunc turcam agnoſcunt, & o res horrenda dictu, impietati Mahumeticæ ſeruire coguntur. Quã ob cauſam putas ipſis tantam calamitatem ac peiorem q; cum gentes idololatræ fuerint, accidiſſe? profecto nullã aliam cõijcere cauſam poſſumus, q; q optimam quidem doctrinã Euangelij acceperãt, ſed ſummo faſtidio cõtemnebant, & peſſimis moribus coinquinabant, & plane accidit eis quod primum regno Iſrael, deinde regno Iuda, quod Chriſtus de Capernaum, de Bethzaida & Corozaim dixit: Iam ſi Deus ijs ingratis non pepercit, qui prophetas, ipſum met Chriſtum ac principem ſuum apoſtolum Paulum prædicantem audiuerunt, quid nobis ingratitudine noſtra omnes gentes ſuperantibus, reliquum ſpei eſt? Nam prædicatio Euangelij inter nos non ſolum contemnitur, ſed etiam arripetur & uſurpatur in occaſionem omnis mali, ut & hi qui alioqui impietatem Papiſticã agnoſcunt,

Cauſa, quare qui ſimiles ſint conditione, diſſimiles fiãt electiõe.

Duplex uſus electionis.

O OMNIVM MAXIMA INGRATITVDO.

ex Euangelio sibi licentiam quiduis pro libidine sua agendi sumũt. Sed de hac re nunc nõ est dicendi locus. Hoc charitatem uestram admonere nunc uolui, ut siquidẽ deus has regiones quibus Paulus Euangelion prædicauit, grauissimis supplicijs ob ingratitudinẽ affecit, seueritatem Dei timeamus, & Euãgelio eius obsequenter obediamus. Pergemus autẽ nunc ad explicandam uisionem, qua Paulus ad Macedoniam uocatus est. Nam cp apparuit Paulo uir Macedonico habitu indutus, & deprecãs eum dixit, profectus in Macedoniam, succurre nobis, satis manifestum fit hunc uirum angelum Dei fuisse præsidem Macedoniæ. Deus enim administrat regna huius sæculi per angelos suos, omnes enim angeli, ut Apostolus ad Hebræos ait, sunt administratorij spiritus. Et in Daniele angeli pro regionibus aduersus Satanam pugnant. Primum igitur obseruanda est immensa clementia Dei, qua curat pro eis quos diligit, etiam nescientibus aut nõ requirentibus. Nam Macedones, utpote gentes idololatræ, ne nomen quidem Euangelij aut Christi eo tpe audiuerant, tantum abest, ut requisierint. Attamen quia Deus dilexit eos, mittit angelum suum ad Paulum, ut Euangelium de Iesu Christo ipsis adnunciet & salutem consequantur. Sic Deus pro ignorante Abrahamo apud regem Abimelech, pro Iacob apud Laban curauit. Et hoc est quod Paulus scribit: Hoc ipsum quod oraturi simus, ut oportet, non nouimus, uerum ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Cum igitur Deus nos hactenus dilectione sua complexus est, demus operam gratitudine obsequij nostri, ut in ea dilectione maneamus, tunc enim pro nobis etiam dormientibus sollicitus erit Dominus Deus noster. Hoc autem pro nobis sollicito, quid incommodi nobis accidere posset? Deinde obseruanda quoq; est hoc loco ministerij Verbi Dei commendatio. Nam cum Deus potuisset per hunc angelum Macedonibus Euangelium admirabiliter adnunciare, tamẽ maluit angelum ad Paulum mittere qui ipsum ad prædicandum Christum Macedonibus uocaret. Instituit enim ministerium Euangelij ut per homines non per angelos perficeretur. Hominibus igitur Euangelium adnunciantibus plus q̃ angelis credendum est. Sicut Paulus dicit: Si angelus Dei de cœlo descenderet & aliud Euangelium prædicaret, anathema sit. Postremo cp Paulus non nisi uisione uocatus ac certificatus ad Macedoniam proficiscitur & prædicat illic Euangelium, exemplo nobis esse debet, cp nihil neq; publice neq; priuatim conãdum sit, nisi de uocatione certi fuerimus. Siue enim quis ad administrationem Reipub. contendit, certus sit se legittime eligi. Siue ad functionem Ecclesiasticam admouetur, prospiciat ut ordine uocetur. Siue mercaturã aut artificium aliquod operariũ exercere uult, sciat, quicquid illud sit negocij, deo placere. Etenim, quæuis uocatio aut functio suas habet cruces, sua pericula & calamitates. In administratione imperij, quantum sit periculorum, uel unus Mose aut Dauid exemplum est. In functione Ecclesiastica, quantum sit aduersitatum, prophetæ, ipse Christus, & Apostoli eius testantur. De artificijs autem priuatis quid dicam? in his enim artificibus tot accidunt cruces, ut mundus plenus sit querelarum. Igitur si quis de uocatione sua incertus temere quid aggreditur & periculis obruitur, quomodo constabit? quomodo aduersa perferet? Neq; enim illa constanter ferri possunt, nisi fides ex promissione diuini auxilij & liberationis concipiatur. Deus autem nullum auxilium, nullam liberationem temeritati, sed legittimæ tantum uocationi promisit. Quare ad ferendas cruces, quæ in una quauis uocatione accidere solent, necesse est, ut quis de uocatione sua certus sit, & cp uocatio Deo placeat, & cp sit legittima ad eam functionem uocatus. Sic enim quicquid aduersi acciderit adiumento est credenti in bonum, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Exemplum immensæ clementiæ dei.

Commendatio externi Verbi.

Legittima uocatio quantũ bonum.

Homilia

HOMILIA LXXIIII.



E uocatione Pauli ad Macedoniam per uisionem, ante dictum est. Nunc amicissimi, quid ab ipso in Macedonia gestum sit, audiemus: Eramus (inquit Lucas) in eadem urbe (uidelicet, Philippis, quæ est prima partis Macedoniæ, sic dicta a Philippo rege conditore eius) diebus aliquot commorantes, & die Sabbathorum egressi sumus e ciuitate iuxta flumen, ubi solebat esse precatio, & sedẽtes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Iterum uides Paulum & comites eius cũ Iudæis Iudæos agere. Sabbatizantibus enim Iudæis, sabbatizant & ipsi. Iudæis publicas preces obseruantibus, obseruant & ipsi. Ergo ne dicemus eos propter has Iudaicas obseruationes a Christianismo defecisse? Absit. Tametsi enim sabbatizauerint & precati sint cum Iudeis, tamen procul abfuerunt a Iudaica superstitione & incredulitate. Licet autẽ cum omnibus omnia quæ per se libera sunt, agere. Et quæ per se bona sunt, non tam licet q̃ necesse est cum omnibus siue Iudæis siue Gentibus agere. Quæ uero sunt impia, ea ne cum parentibus quidem ac filijs & uxoribus, aut cum legittimo nostro magistratu agenda sunt. Iam sabbatizare & publice orare per se non iniquum est, sabbatum autem sic obseruare ut credas te ea obseruatione deum tibi propicium reddere ac placare, ne propter peccata tua te puniat: item publicas precatiões sic obseruare ut putes te per illud opus operatum pro peccatis satisfacere & iustiorem fieri, quemadmodum superstitiosi Iudæi opinabãtur, ea demum impia est obseruatio. Quare opus quidem publice sabbathi & precationis, cum Iudæis obseruare licuit. Haud quaquam uero licet cum ipsis impie de sabbatho & precatione sentire. Ac ex uerbis Lucæ manifestum est, cur Paulus & comites eius cum Iudæis sabbathum & precationes obseruauerint, uidelicet, ut ea occasione prædicarent ipsis Christum. Dicit enim: Sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerãt. Neq; id colloquium male cessit, erat enim colloquium nõ de rebus uanis quod bonos mores corrumpere solet, sed de rebus pietatis, de Iesu Christo, q̃ hic Iesus quem ipsi adnunciant sit Christus, iusticia & redemptio nostra. Hoc autem colloquium non solum bonos mores format, sed etiam potentia Dei est ad salutem omni credenti. Audiamus igitur quæ fuerit colloquij huius energia. Quædã (inquit) mulier nomine Lydia, purpurarum uenditrix ciuitatis Thyatirorum, colens Deum, audiuit, cuius Dominus aperuit cor ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata esset & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete, & adegit nos. In hac Lydiæ historia principio adnotandum est admirabile Euangelij ingenium, illic enim maxime omnium fructum proferre solet, ubi minime omnium speratur. Etenim hæc Lydia, quæ in hoc loco ex Euangelio renascitur, erat purpurarum uenditrix ciuitatis Thyatirorum, unde apparet eam diuitem mercatricem fuisse. De diuitibus autem Christus ait: Camelum facilius intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum. Et mercatores ac mercatrices hoc nomine præcipue male audiunt, q̃ imposturis magnas opes congregent, & delicijs studeant. Nusquam igitur minus uidebatur Euangelion locum habiturum, quàm in hac Lydia. Nam quod uocetur colens Deum ac religiosa, uidebatur potius causa ut persecutura quàm ut agnitura esset Euangelion. Quippe quod Iudæi quo religiosiores fuerunt, eo magis persecuti sunt Euangelion. Cuius exemplum est ipse Paulus: & ut supra commemoratum est, religiosæ ac honestæ mulieres effecerunt, ut Paulus & Barnabas ex Antiochia Pisidiæ eijcerẽtur, ni-

Exemplum liberi operis.

Euangelij natura.

mirum, zelum Dei habentes, sed non iuxta scientiam. Nihilominus tamen hæc mulier mercatrix præcipua omnium Euangelion agnoscit, & ex illo resipiscit. Sic Euangelij fructus peruenit ad Zachæum, Matthæum, ad mulierem peccatricem, Cananæam, ad latronem in cruce, breuiter repulsis Iudæis, ad Gentes, ad quas tamen minime omnium peruenturum sperabatur. Proinde, quo quis abiectior sibi uidetur coram Deo, eo magis de clementia Dei bene confidat. Sed hic mihi animaduerte cuius uiribus ac potentia Lydia illa Euangelium fide percipiat. Cuius (inquit) cor Dominus aperuit ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo. Nemo enim Euangelio fidem adhibere potest e suis ipsius uiribus, fides enim donum est spiritus sancti. Cum autem natura simus filij iræ & in peccatis concepti ac nati, caremus uirtute spiritus sancti. Nec quicquam aliud est quod nobis plus imponat quàm præsumptio nostra, qua nobis ipsis persuademus & possimus si uelimus, quicquid nobis ex Verbo Dei dicitur, credere. At hæc animi sententia Satanæ instinctus est, sic enim sentire debemus & nec tantillum fidei Euangelio habere queamus, nisi illud desuper nobis datum sit. Proinde audientes Euangelij promissiones, desperemus de uiribus carnis nostræ, precemur autem Dominum ut ipse aperiat cor nostrum & tribuat nobis spiritum sanctum quo possimus id uere corde credere & opere implere quod ante audiuimus. Illud autem omnino explicandum nobis erit, quanta fuerit fidei efficacia in Lydia. Primum enim baptismum ex fide accepit, qua quidem re, quod eo tempore quo Iudæi & gentes aduersus Euangelium insaniebant, Christianismum professa est, exposuit periculo non solum diuitias suas, sed etiam uitam. Deinde nõ contenta sua ipsius salute, etiam hoc sedulo agit, ut familia eius baptizetur ac salutem adipiscatur. Atq; hoc est charitatis, ut & aliorum præsertim familiæ salus nobis curæ sit. Quantum hac parte patres & matres familias nostra tempestate ab hac Lydia distant, qui e sua familia lucrum tantum diuitiarum quærunt, interim ne requirentes quidem quam religionem familiares sectentur. Postremo ingentem etiam charitatem erga Paulum & collegas eius ostẽtat, postquam ẽm ipsa & familia eius baptizata est, inuitat ipsos ad suam domum, ut in ea maneãt donec ex urbe emigrẽt. Illi autem initio hospicium mulieris rennuũt. Primum, ut ab omni specie mala cauerent, ne uidelicet ingredientes hospicium mulieris diuitis, uiderentur ideo fidem eius ambijsse, ut ipsi diuitijs eius fruerentur. Deinde ne sua multitudine (erant enim unà Paulus, Timotheus, Lucas, Sylas, & fortassis etiam alij quidam) ipsam grauarent. Qua in re longissime differunt ab ingenio impietatis. Impietas enim semper cupit sibi benefieri, nec unquã dat operam ut alijs benefaciat, nisi fortassis maiorem remunerationem certo sentiat. Vera autem pietas quoquo modo potest conatur, ne cuiquam molesta sit & grauis, ac multo magis studet, ut beneficia conferat q̃ accipiat, beatius iudicans dare q̃ accipere, nec nisi coacta aliena beneficia aut petit aut accipit. Id quod indicant angeli illi qui uenerunt ad Sodomam, hos enim Loth peregrinos existimans, obsecrabat, ut ad suam domum diuerterent. Illi autem nõ nisi compulsi ingressi sunt domum eius. Idem uides hoc loco in Paulo & comitibus eius, qui non nisi coacti improbis mulieris precibus ad domum eius diuertunt. Si me, inquit, iudicastis fidelem Domino, introite in domum meam & manete illic, hoc est, si Dominus me suam agnouit, & uos me contemneretis: iudicabo enim me contemptam, nisi ad domum meam diuertatis, & sentiam me adhuc Domino abominabilem esse, si uobis indigna uidear, quæ uobis ministris Domini hospicium exhibeam. Quantam putas huius mulieris fidem & charitatem esse? Nam q̃ Paulum & comites eius tam apud Iudæos q̃ apud Gentes ob nouam Euangelij prædicationem ita inuisos, ut ubiuis de uita periclitarentur, hospicio excipit, manifestis

plane

Fides quomodo paretur.

Exemplum efficacis fidei.

Collatio pietatis et impietatis in benefaciendo.

plane persecutionibus sese obiicit, & exponit iam præsentaneo periculo non solum opes ac dignitatem, sed etiam uitam suam, quando in persecutionibus fere hospes unà cum conuiuis suis ad carceres & mortes rapi soleat. Immane autem quantum pietas huius mulierculæ a moribus nostris differat. Multi enim nostrum, ne per transennam quidem Euangelij prædicationem, aut eius ministros respicerent, nisi certum ex Euangelio lucrum huius sæculi affulgeret. Ac magistratus quidem spirat opes monasteriorum, & redditus sacrificulorum, priuatus autem licentiam quiduis impune agendi, uidelicet, ne habeat necesse sacerdoti peccata sua confiteri, ieiunare, & alia id genus dura sacra facere, & quod uere impium est, nonnulli palam ingenue fatentur, se ob Euangelij prædicationem ne oboli quidē iacturam facturos. O uocem prorsus Turcicam, tu ne tam uile, tam contemptibile æstimas Euāgelion de Iesu Christo, ut propter illud nec oboli damnum ferre uelis? Ecquis est, qui non uel in contractibus ciuilibus, uel in mercatura multarum opum iacturam faciat, tantum, ut agrum sibi cōparet, aut ut Christus dicit, inuenta una preciosa margarita non abiens uendat omnia quæ possidet, & mercetur illam? Quis non exponit cētum aureos nummos, ut annuis reditibus, quinq; tantum recipiat? & tu Euangelion illud, quod est potentia ad salutem omni credenti, multo minoris ducis q̄ agrum aut margaritam lapideam aut quinq; aureos nummos? Ac si omnino ita sententia stat ut propter Euangelium nec oboli damnum pati uolueris, quid aliud consequetur, q̄ q; nec ullum usufructum, emolumentum, aut lucrum eius percepturus sis? Vsufructus autem Euangelij est remissio peccatorum, iusticia, pax conscientiæ, placatus Deus in cœlo, salus & uita æterna. Et ne putes emolumentum eius in rebus tantum spiritualibus consistere, en accipe fructū quoq; corporalem. Nullus est, inquit Christus, qui reliquit domum aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut liberos, aut agros mea causa & Euangelij, quin recipiat centuplum nunc in tempore hoc, ac in sæculo uenturo uitam æternam. Et Paulus: Nihil habentes & tamen omnia possidentes. Horum omnium emolumentorum expers est, quisquis negat se ob Euāgelium nec oboli iacturam facturum. Particeps autem est, quisquis uera fide omnem suam substantiam, ac uitam etiam derelinquit potius q̄ ut abneget Euangelion de Iesu Christo. Proinde ueram pietatem sectemur, ut parati omnia propter Christum derelinquere, perpetuam fœlicitatem consequamur, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Exemplum fidei & charitatis.

HOMILIA LXXIIII.



Istoriam de Lydia purpurarum uēditrice, quæ fuit primiciæ Macedoniæ, uestris adiuti precibus pro mediocritate nostra perstrinximus. Nunc explicabimus quod de puella spiritum Pythonis habente sequitur. Accidit autem (inquit Lucas) euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens spiritum Pythonis, occurreret nobis, quę quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Principio quis sit hic Pythonis spiritus paucis quod ad rem attinet, indicabimus. Apollinem credidit superstitio gentium uaticinij Deum esse. Hic cum unà cum matre Latona ad Delphos urbem Phocidos proficisceretur, draconem nomine Pytho e specu impetum in eos facientem, sagittis confecit. In eo loco ædificatum est postea templum Apollini sacrum ubi oracula dabantur. Narratur ibi antrum fuisse ex quo frigidum spiritum in quodam uelut uento in sublime expulsum, mentes uatū in

Spiritus Pythonis.

uecordiam uertisse,& respõnsa consulentibus dare coegisse. Multa huius Delphici oraculi mentio apud Ethnicos scriptores, magna eius authoritas non tam a priuatis q̃ a summis gentium regibus habita est. At hæc mera fuit Satanæ impostura ludentis uanas gentium mentes. Neq; enim Apollo deus uaticiniꝝ fuit, neq; uates aut prophetæ eius uera oracula edere potuerunt, quippe q̃ non spiritu diuino, sed spiritu Satanæ impleti responsa consulentibus dabant. Vnde fere erant aut obscura aut captiosa, quemadmodum passim scriptores rerum gestarum testantur. Ac qui tali spiritu præditi uaticinabantur, dicti sunt a maioribus habere spiritum Pythonis, non quemadmodum superstitio gentium credidit dei Apollinis, sed serpentis ac draconis, hoc est, Satanæ, homines ludentis & decipientis. Sunt etiam qui tales uocent engastrimythos, hoc est, uentriloquos, q̃ immundi spiritus non ex ore eorum quos obsederunt, sed ex uentre responsa edãt. Et quia quicquid id est superstitiõis, Satanæ ludibrium est, ideo diuina lex mandat, ne quisquam consulat Pythones, & ultimo supplicio afficit eos, qui e spiritu Pythonico uaticinantur. Dicit enim in Deuteronomio capite decimo octauo. Non inueniatur in te qui cõsulat Pythones. Et in Leuitico capite uicesimo. Vir siue mulier in quibus Pythonicus uel diuinationis fuerit spiritus morte morian tur, lapidibus obruent eos. Ex horum ergo numero fuit & hæc ancilla, quam Lucas hoc loco scribit Paulo & comitibus eius occurrisse, & addit eam magnum quæstum dominis suis diuinando præstitisse: Quid? an non inuersa & impia ho minum liberalitas hoc facto manifeste exprimitur? Sic enim fere se hñt mores hominũ, quod ad cultus dæmonum & ad inuestiganda ac perdiscenda curiosa multas opes insumant, & nulli impendio parcant, ad uerum autem cultum dei, & ad inuestiganda & perdiscenda quæ sunt pietatis, uix teruncium aut quadrantem exponunt. In Exodo ad cultum uituli mulieres inaures suas tradunt. In Nehemia Leuitę ministri ueri cultus diuini, coguntur ministerium derelinquere & agros colere, propterea q̃ uulgus Israelitarum decimas quas debebant maligne præbebant. Idem ingeniꝝ inter nos emicat, nam cum hactenus innumerabiles sacrificulos impia docentes & exercentes, splendidissime foouerimus, nunc ne pauc os quidem ueræ pietatis ministros nutrire possumus. Et cum eorum mendicorum saccos plenos reddidimus, qui a nobis, nescio quorum sanctorum nomine eleemosynas postulauerunt, nunc omnes fere illos uacuos dimittimus qui a nobis eleemosynam in nomine Dei petunt. Sic & hoc loco apud Philippenses accidit, hi enim magnas opes contulerunt dominis huius puellæ uentriloquæ, ut ab ipsa audirent nescio quæ futura & admiranda. Interim autem Paulum & comites eius ueræ pietatis doctores, non tantum egere sinunt, sed etiam uirgis cædunt & carceribus includunt, quemadmodum postea sequetur. Quæ autem liberalitas magis impia est q̃ opes quas beneficio dei possides, deo largitori denegare & Satanæ dare? quæ liberalitas magis maledicta est? Hoc nescíuit, ait Dominus per Oseam, quia ego dedi ei frumentum & uinum & oleum, & argentũ multiplicaui ei, & aurum quæ fuerunt Baal. Idcirco conuertam & sumã frumentum meum in tempore suo, & uinum meũ in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum quæ operiebant ignominiã eius. Audis ne quod supplicium Dominus minetur impiæ liberalitati? Israelitæ, quæ beneficio Dei accipiunt, ea in cultum Baal insumebant. At Dominus ait, se sua beneficia sibi reseruaturum & omnium rerum penuriam ob inuersam & impiam liberalitatẽ immissurum. Ab hac igitur impietate resipiscendũ est ne benedictione diuina destituamur. Sed

Mira hominũ liberalitas in impios cultus

Supplicia in impiam liberalitatem.

» persequamur quæ de puella Pythonissa sequuntur. Hæc subsecuta Paulum ac
» nos, clamabat dicens: Isti homines serui dei excelsissimi sunt qui adnunciant no
» bis uiam salutis. Hoc autem faciebat multos dies. Sed ægre ferens Paulus, & con

uersus

uersus spiritui dixit: Præcipio tibi per nomẽ Iesu Christi ut exeas ab ea. Et exijt eadem hora. Quid? inquies, si spiritus hic Pythonis Satanæ spũs est, quomodo, qui est mendacij pater, uera dicere potest? Et si uera confitetur, cur Paulus præcipit ei ut e puella exeat? Hic scopus facile eximetur si Satanæ ingeniũ cognitum fuerit. Est autem Satan mendax & mendacij pater, non tantum eo nomine ꝙ manifesta semper mendacia loquatur, sed potius illo ꝙ manifesta ueritate ad persuadenda mendacia & fallendos homines abutatur. Transfigurat enim se in angelum lucis, & uera loquitur, non quia uelit ueritatem docere, sed quia uelit specie ueri falsum persuadere. Sic apud Lucam capite quarto exeunt dæmonia a multis & clamant: Tu es Christus filius Dei. Sic & hoc loco clamat Satan, Isti homines serui Dei excelsissimi sunt, qui adnunciant uobis uiam salutis. Quamobrem autem sic clamant? num ut persuadeant homines quo in Christum credant & salutem consequantur? nullo modo. Dæmones enim non quærunt hominum salutem, sed internitionem. Consilio autem fallendi & a Christo seducendi sic clamant. Sentiebat enim Satan aduentu Christi & adnunciatione Euangelij imperium suum minui, & potentiam suam eneruari, seqꝫ nõ posse uel manifestis mendacijs, uel crudelibus persecutionibus cursum Euangelij & salutem hominum impedire. Proinde confessionem ueritatis præ manibus accipit, ut per eam mendacia sua persuadeat, ita secum cogitans, Sunt pij, qui sciunt omnia mea mendacia esse. Itaqꝫ cum audiunt me confiteri Iesum Christum, mox putabunt omnia esse mendacia quæ de Iesu Christo ferũtur. Rursus sunt impij, qui miraculorum quæ æduntur a Christo & Apostolis, potentia commoti, possent a me desciscere & nugas ac impostoras meas intelligere. Vt igitur hi in officio meo contineantur, & mendacia mea uera existiment, fatebor & ego hunc Iesum Christum, ut illi audientes me hac in parte uera loqui, existiment me semper uera confiteri. Ad persuadenda igitur falsa, uera fatebor. Sed Satanæ astus sui nihil prosunt, nam & Christus eijcit eum & prohibet ipsum loqui, & Paulus hoc loco in nomine Christi præcipit ei ut taceat & exeat a puella manifestis miraculis significantes, ꝙ & si Satan interdum uera dicat, tamen ad fallẽdum dicat. Ad uocem igitur Satanæ siue ueram siue falsam aures omnino occludendæ sunt, ne mendaci sua ueritate seducamur. Postremo, ꝙ Satan in nomine Christi ex hac puella eijcitur, cõfirmatio est potentiæ Euangelij de Iesu Christo, uidelicet, ꝙ Euangelion adnuncians nobis remissionem peccatorum per Iesum Christum tantæ sit energiæ, ut quisquis illud crediderit, coram Deo iustificetur ac salutem consequatur. Manifeste præterea indicat ꝙ Christus, in cuius nomine Satan expellitur, longe potentior sit Satana. Proinde etiamsi afflixerit nos Satan, & condẽnauerit nos in conscientia propter peccata nostra, tamẽ qui in nobis est, Iesus Christus, in quem credimus, maior & potentior est, cũ ꝙ uel princeps huius mundi, uel ipsum cor aut conscientia nostra. Hæc est enim, inquit Ioannes, uictoria quæ uincit mundum, & omnia quæ in mundo sunt, fides nostra in Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Quòd Satan tãtum ad fallendum uera dicat.

HOMILIA LXXV.

QVid aduersus Satanam Paulus in nomine Christi egerit in puella, e qua spiritum Pythonis expulit, uidimus. Nunc uideamus quid Satan aduersus Paulum conetur, sic enim sequitur: Videntes autẽ domini eius ꝙ abijsset spes quæstus sui, apprehensum Paulum ac Silam traxerũt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus, dixerunt, Hi

homines conturbant ciuitatem noſtrã cum ſint Iudæi, & annunciant inſtituta
quæ nõ licet nobis ſuſcipere neq; ſeruare cum ſimus Romani. Qua ex re quid
aliud conijci poteſt, quàm q; Satan puellam quidem dereliquerit, dominos au-
tem eius inuaſerit, aut q; ſaltem is Satan qui ante tranquillus dominos puellæ ob
ſederat, nunc expulſione Satanæ Pythonici ita commotus & irritatus ſit, ut Pau
lo & comitibus eius extremam internitionem inferre conetur. Mendacij enim
Satan qui erat in puella, non ſolus Satan eſt, ſicut nec inſaniæ Satan ſolus Satan
eſt, nam & auaricíæ Satan eſt & inuidiæ, & ambitionis ſeu ſuperbiæ & libidi-
Varia eſſe ge nera ſpiritu- um inmun- dorum. dinis, adeoq; innumera ſunt genera ſpirituum immundorum. Cæterum qualis
Satan, aut immundus ſpiritus dominos puellæ, quorum hic fit mentio, obſede-
rit, Lucas manifeſtis uerbis ſignificat dicens: Videntes domini eius q; abiſſet
ſpes quæſtus ſui, præſtiterat enim puella eis magnum quæſtum diuinando.
Hinc aperte intelligimus eos auaricíæ ſpiritu obſeſſos fuiſſe, ac is quidem ſpiri-
tus ſatis placidus eſt ſi omnia ei ex animi ſententia eueniant, & ſubinde maiori
quæſtu ac lucro diteſcat. At ſi irritetur (irritatur autem dum ſpes quæſtus eius
abit) tunc nullum ſcelus tam horrendum, nullum facinus tam atrox eſt quod
non conetur, & ad quod hominem nõ impellit, tantummodo ut quæſtum ſuum
retineat. Nunc enim impudenter mentitur, cuius rei exemplum eſt ſeruus Eli-
zæ nomine Gehaſi, quemadmodum in poſteriori libro Malachim capite quin-
to ſcribitur, & Ananias ac uxor eius Sapphira, ut in capite quinto huius libri
oſtendimus. Nunc peierat, nunc prodit ſuos ipſius dominos, ut Síba ſeruus Me
phiboſeth, & Iudas Iſchariotes. Nunc furatur, nunc prædatur, nũc homicídia in
innocentes meditatur, id quod in hoc loco domini puellæ Pythoniſſæ palam de
Auaricíæ ſpi- ritus qualis ſit. clarant. Nam hactenus quidem promouente quæſtu ipſorum non uehementer
ſollíciti fuerunt de prædicatione Pauli, nunc autem cum ſentiunt ſe ſpe lucri ſui
deſtitui propter prędicationem Pauli, tanto furore comprehenduntur, ut in Pau
lum & Sylam comitem eius crudeliter manus inijciant, apprehenſos ad príncipes
& magiſtratus trahant, ſeditionis, defectionis a Romanis, & hæreſeos quæ ſunt
crímina capitalia eos accuſent, quo illi opprimantur & prorſus extinguantur.
Idem auaricíæ ſpiritus impulit quoſdam phariſæos & ſcribas ut Chriſtum ſalua
torem noſtrum in crucem adigerent: & quod te obſtupefaciet, idem ſpiritus im-
pulit quoſdam Iudæos ut filios ſuos per ignem traducerent ac morti traderent.
Niſi enim fallar, multi parentum filios ſuos Moloch ſacrificantium, prætexue-
rant quidem nomen pietatis, uidelicet, q; ob cultum Dei, & in gloriam eius filios
ſuos comburant, ſed reuera adegit eos ad tantam impietatem auaricía, nimi-
rum ut quibuſdam filijs igni abſumptis exile patrímoniũ reliquis ſufficiat. Quo
ſpiritu plæriq; etiam Chriſtianorum líberos ſuos impietatibus monaſteriorum
hactenus tradiderũt. Quid autem ſceleratius, quid furioſius eo ſpiritu, qui non
tantum hominem ad homicídia in alienis, uerumetiam parentes ad homicídia
in propríjs líberis perpetranda impellit? Vnde recte ait Sapiens: Auaro nihil eſt
ſceleſtius. Et quo turpitudo auaricíæ manifeſtius explicaretur, auaricía a Paulo
uocatur ídolorum cultus, quid autem hoc cultu magis impium? Proinde danda
eſt unicuiq; opera ut Satanam ſeu ſpiritum immundũ ex animo ſuo eijciat. Non
admoneo ut abijcias deſyderium uictus, hoc eſt naturæ eſt, & quemadmodum
ægrotus naturaliter appetit ſanitatẽ, ita uiuens naturaliter appetit uictum. Qui
naturalis appetitus niſi nobis ineſſet, non poſſemus ſerio in oratione Dñica pre-
cari, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Qui affectus etiam in Chri-
ſto fuit, cum enim eſuriret & uidiſſet arborem fici procul habentem folia, accede
bat ad eam, ſi uidelicet inuenturus eſſet aliquid in ea. Non igitur malum eſt deſy
derium uictus, ſed auaricíam admoneo eijciendam quæ eſt deſyderium uictus

cum

cum infidelitate coniunctum. Auarum enim esse est, ita uictū desyderare, ut non credas deum te nutriturum aut opes daturum, nisi animū tuum in opes apponas, & ad congregandas opes dolis, mendacijs, impostūris, alijsq; sceleribus contendas. Hunc Satanam ex corde expellendum adhortor, uidelicet, infidelem sollicitudinem uictus, & impiam opum cupiditatem, ut simul etiam expellatur author multorum scelerum, quæ supra enumerauimus. Sicut autem Paulus expulit Satanam mendacij a puella Pythonissa per nomē Christi, ita Satan auaricię expellitur e corde humano per Euangelion de Iesu Christo, & per fidem quæ Euāgelio adhibetur. Euangelion enim docet q̄ peccata nobis remissa sint per Iesum Christum, & q̄ per eum habeamus placatum patrem in cœlis, qui nos iuxta promissiones suas adiuturus sit in oībus afflictionibus tam corporalibus q̄ spūalibus, nec quenquam derelicturę ut fame intereat. Si. n. pascit uolatilia cœli, & uestit flores campi, quanto magis id hoībus præstabit. Hoc Euangelion tantæ potētiæ est, ut qui illud crediderit, mox Satanā auaricię expellit, & deinceps ab ijs crīmīnibus cauet, ad quæ auaricia mancipium suum adigere solet. Sed ut ad explicādum id quod proposuimus, reuertamur, hic, obsecro, animaduerte, q̄ astutus, q̄ callidus sit Satan. Domini enim puellæ Pythonissæ qui Paulum & Silam comprehensos ad magistratus traxerant, non dicunt in accusatione ipsorum, nos auari sumus, & hactenus ex diuinationibus Satanicis ancillæ nostræ multos decepimus, quo nobis ingentes congregaremus diuitias, nunc aūt hi ueritatis prædones, mendacem spūm ex ancilla nostra uirtute Christi quē prędicant, eiecerunt, & perijt spes quæstus nostri, ideo petimus ut trucidentur. Nihil horum uerborę audis ab illis accusatoribus, & res tamen ipsa ita se habebat, sed seditiones, turbationes rerum publicarum, defectiones a Romano imperio, & illicitas ac nefandas religiones crepant. Hi homines, inquiunt, conturbant ciuitatem nostram, & adnunciant instituta quæ nō licet nobis suscipere neq; seruare cum simus Romani. Atqui is est mos Satanę, ut ostentet sese non sua ipsius specie, nouit enim se turpiorem esse q̄ ut recipiatur, sed uenditet se specie iusticiæ & æquitatis, ac transfiguret se, quem admodum Paulus ait, in angelum lucis. Sic uenditabat se Satan inuidiæ in Caiapha, qui consultus de Christo, nō dicebat, ego inuideo Christo, & timeo ne si Euangelion eius, pmoueat, ego honore Pontificio destituar, ideo sentio ipsum esse occidendum. Negry quidem huiusmodi uerborę dicit, sed honesta prætexit, Ne Romani, inquiens, ueniant & tollant nostrū locum, expedit ut unus homo moriatur pro populo, q̄ ut tota gens pereat. Sic uenditabat se in accusatoribus Stephani. Hi ēm nō dicebant, nos ab inuidis pharisæis subornati sumus ut dicamus falsum testimoniū aduersus Stephanū, sed ita aiebant: Homo iste non cessat loqui uerba cōtumelioſa aduersus locum sanctum hunc & legem. Sed quid exempla longe repetita cōmemoro, cum nihil familiarius sit Satanæ q̄ seipsum quotidie in iudicibus iniquis ac inuidis bona specie uenditare. Nam si quispiam iudicio sistitur, cui iudex inuidet, & sententia ferenda est, tunc nō dicit iudex, ego inuideo isti, & nup affecit me iniuria, ideo condēno eum, sed peccatum eius exaggeratur & amplificatur, ac delictum quod perpetrauit, in eo, cui iudex inuidet, capitale censetur, quod in amico ne requirendū quidē uideret. Sed quo honestior Satanæ species est, eo peior & iniq̄or a nobis haberi, ac maiori cura caueri debet, ne nobis honesta sua specie imponat. Hoc. n. opus, hic labor Satanæ est, ut hoīb⁹ imponat & ad pditionē seducat. Atq; hoc quidē loco impostura sua aliqd in magistratibus Philippensibus pfecit, quos ita decepit, ut nō audita causa, p̄cipitanter Paulū & Silā, hoīes sanctissimos condēnarint, uirgis cæciderint, ac in carcerē cōiecerint, fortassis in crastinū ad mortē eos producturi, sic. n. sequit: Et cōcurrit turba aduersus eos ac magistratus scissis uestib⁹ suis iusserūt eos uirgis cędi.

» Cunq; multas plagas eis impoſuiſſent, coniecerunt eos in carcerem, præcipien
» tes cuſtodi carceris ut diligenter cuſtodiret eos. Qui cum tale præceptum acce-
» piſſet, coniecit eos in interiorem carcerem, & pedes eorũ ſtrinxit ligno. Mul-
ta hic operatione Satanæ peccant. Primum enim magiſtratus iram in conſilium
adhibet, & præcipiti furore in Apoſtolos ſæuit, nihil autem recto iudicio magis
officit q̃ præceps ira, quam cum nonnulli definiant breuem eſſe inſaniam, quid
obſecro, boni inſanus ille cõſiliarius ſuaderet? Deinde fert ſententiam inexplo
rata cauſa, & nondum audita altera parte, quo, in magiſtratu nihil neq; iniuſtius
neq; iniquius dici poteſt. Poſtremo innocentes homines contra ſuas ipſorum le
ges uirgis cędit, & in carcerem tanquam latrones aut homicidas conijcit. Quid
magis rationi boni magiſtratus contrarium? Principes enim ut Paulus ait, non
terrori ſunt bene agentibus, ſed male. Et Dei miniſter eſt, ultor ad iram, ei qui q̃d
malum eſt fecerit. Is autem apud Philippos magiſtratus ſupplicia infert bonis,
& eos qui bene fecerunt punit. Quid igitur minus in ipſum competit, q̃ nomen
boni magiſtratus? Iam ut Satanas hunc magiſtratum ad peſſima crimina perpe
trãda impellit, ita conatur etiam Apoſtolos ad ſcelera adigere, efficit enim ut in
carcerem conijciantur, & pedes eorum ligno ſtringantur, nimirum, ut impatien
tes fiant & deſperent, ac cauſam ſuam Euãgelij propter captiuitates iniuſtam iu
dicent. Sed intelligunt illi aſtus Satanæ, & tantum abeſt, ut de iuſticia cauſæ Eu
angelicæ dubitent, ac contumelias aduerſus deum impatienter efflent, ut potius
» nomen Domini cõmendent, & ſummis laudibus uehant. Media enim nocte
» Paulus & Silas orantes laudabant Deum, exaudiebãt autem eos qui uincti erant.
O ſtupendum & admirandum pietatis ingenium, Paulus & Silas paulo ante
uirgis cæſi & in carcerem coniecti ac pedibus uincti erant, & Deũ laudant. Quæ
eſt hæc rerum inuerſio? qui cæduntur & in captiuitates conijciuntur, lugere,
indignari, execrari deum & homines ſolent, Apoſtoli aũt in afflictionibus ſuis
pro aduerſarijs ſuis orant & Deũ laudant. Vnde ergo fit q̃ in anguſtijs ſuis tam
moderatum & tranquillum animi ſui ſtatum conſeruent, ut Deũ laudare queãt?
Certe trãquillitas iſta ſuas habet cauſas. Primum enim norunt Apoſtoli q̃ mun
dus non aliter ſuos benefactores remuneret q̃ maleficijs, & q̃, ut dici ſolet, gratię
Satanæ ſint huius ſæculi merces. In mundo, inquit Chriſtus, afflictionem habe
bitis, & ſi de mundo fuiſſetis, mũdus quod ſuum eſt diligeret, quia uero de mun
do non eſtis, ſed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mũdus. Longum
aut ẽ eſſet pauca ſaltem exempla, tum ex ſacra ſcriptura, tum ex prophanis hiſto-
rijs enumerare, quibus cõprobaretur, q̃ mundus beneficia maleficijs rependere
ſoleat. Vnus Dñs noſter Ieſus Chriſtus nobis ſufficit, qui cũ ſaluaret mundũ, a
mundo tamen crudeliſſime interfectus eſt. Deinde laudant Apoſtoli Deũ, q̃ di-
gni habiti ſint coram Dño ut aliquid pro nomine Ieſu paterentur. Summo. n. lo
co apud Deũ habetur cui hæc dignitas cõtingit, ut pro Chriſto aut alioqui inno
Afflictio quã-tum bonum. center patiatur. Nam ut dux exercitus non ignauos quoſdam & inertes, ſed for-
tiſſimos & lectiſſimos milites ad obeunda periculoſiora prælij diſcrimina mit-
tit, ita Deus noſter non dignatur malos homines hoc honore, ut aliquid iniuſte
pro noie Chriſti ſui patiantur, ſed quos ad id officij delegit, eos oportet ipſi acce-
ptiſſimos ac plane alteros quoſdã Abraamos, Ioſephos, Hiobos et Dauides eſſe,
quos conſtat & piſſimos & Deo gratiſſimos fuiſſe. Proinde non eſt q̃ nos peſſi
mis flagicijs obruti, formidemus, ne ob Euangelion perſecutionẽ patiamur: non
dum em̃ Deo tam grati ſumus ut propter nomen eius aduerſarius in nos ſæuiat.
Poſtremo laudant Apoſtoli Deum, q̃ ex fide norunt Dñm ipſis afflictis prope
eſſe, & certo eos liberaturum. Dñs enim prope eſt omnibus inuocantibus eum,
& ſoluit cõpeditos ac erigit eliſos, id q̃d confeſtim hoc loco miraculo cõprobat.

Poſtquam

Postquam enim Paulus & Silas ita laudarent Deum, ut & reliqui uincti uocem eorum exaudirent, Subito terremotus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia & omniũ uincula soluti. Quid ualidius, quid potentius oratione & laudatione Apostolorum? per hoc enim & terra mouetur, & fundamenta carceris concutiuntur, & aperiuntur omnia ostia carceris, & soluuntur non Apostolorum tantum, sed etiam omniũ aliorum captiuorum uincula. Nonne hoc est illud quod Christus ait: Amen dico uobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit, neq; quicquam impossibile erit uobis. At inquies, quod hoc loco factum legimus, miraculum est, nostra enim oratio & laudatio non tam efficax est ut possit ianuas carceris recludere. Fateor, miraculum est, sed ideo a Domino æditum est, ut hinc discamus, quàm efficax sit oratio ex fide profecta, & quam prope sit DOMINVS inuocantibus ipsum in ueritate. Tametsi enim oratio non semper recludat fores carceris uisibiliter & Dominus non semper manifestis miraculis præsentiam sui auxilij ostentet, tamen oratio pia commouet cœlum, & recludit ostia loci illius inaccessibilis, in quo maiestas dei habitat, ac Dominus oratione fideli inuitatus nunquam non e periculis inuocantem liberat, non quidem iuxta carnis nostræ propositum, sed iuxta diuinum spiritus sui consilium. Proinde, amicissimi, reponamus miraculum istud alta mente, ut ex eo cognoscamus, q; Deus sit auxiliator in necessitatibus, & q; respiciat afflictos & in hoc sæculo condemnatos. Sic enim concipiemus fiduciam, ut & nos inuocemus DOMINVM in omnibus afflictionibus nostris & salutem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXVI.



Miraculum, quod de aperta ex terræ motu carceris ianua, & uinculis solutis narrauimus, memorabile & stupẽdum est. Sed q̃d de conuersione ac resipiscentia custodis carceris sequitur multo memorabilius & magis stupendum est. In carcere enim aperta quidem sunt ostia fortiter obserata, & soluta sunt uincula ferrea. In custode autem carceris apertum & solutum est cor incredulum, quod incuruiceruica sua duricia omnem ferri duriciem superat. Noluerũt, inquit Zacharias, attendere, aures suas aggrauauerunt ne audirent, & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. Adamãtis autem, præsertim Arabici, tam inenarrabilis duricia est, ut incudibus impositus ac malleo percussus, ita respuat ictũ, ut ferrũ utrinq; dissultet, incudesq; etiam ipsæ dissiliant. Sed & uis eius ignis contemptrix est, unde & nomen apud græcos accepit, quasi dicas indomitum. Multo igitur memorabilius est, quod incredulum cor custodis carceris a uinculis impietatis solutum sit, quàm quod ferreæ compedes, quibus pedes Pauli & Silæ colligatæ fuerunt dissilierint. Sed quomodo hæc res in custode carceris acta sit, audiamus narrationem Lucæ. Experrectus autem custos carceris, cum uideret ianuas apertas carceris, euaginato gladio erat seipsum interfecturus, existimans aufugisse uinctos. Magnæ de hoc custode uirtutes, & cum adhuc erat Ethnicus, & cum postea factus esset Christianus, a Luca describuntur. Sed quemadmodũ Paulus omnem legis iusticiam extra Christum ducit pro damnis, & habet pro reiectamentis, ita maximæ huius custodis uirtutes in gentilitate sua maximæ coram Deo impietates sunt. Primum em̃ narrauit Lucas supra de hoc

custode, quod cum a magistratu accepisset præceptum, ut diligenter custodiret Paulum & Silam, coniecit eos in interiorem carcerem, & strinxit pedes eorum ligno. Est autem fidelis serui, mandatum Domini sui diligenter seruare. Sed quæ est in hoc seruo fidelitatis coram hominibus uirtus, ea est coram Deo maximum infidelitatis uicium. Vt enim magistratus innocentes homines iniuste condemnat, ita custos iniuste eos in carcerem includit, & qualis est impia iniustitia magistratus, talis est & custodis. Quid, inquies, ad custodem quod magistratus iniuste innocentes condemnauit, quando custodis non sit iudicare, sed iudicatos custodire? Videtur quidem custos excusationem habere, quod eius tãtum officium sit iudicatos & traditos custodire. Sed quia iniusta mandãtis & iniusta exequentis eadem iniquitas est, non habet ullam excusationem, qui se ignoranter etiam præbet ministrum iniusti iudicis. Nam & infans Turcarum non baptizatus, si moritur condemnatur, etiam si nesciat suam impietatem. Similiter & adultus Ethnicus, qui quondam in media impietate uixit, tametsi ignorauerit impietatem suam esse impietatem, immo putauerit esse ueram pietatem, tamen condemnatione obnoxius factus est. Sic & minister iniqui iudicis impie agit, si ex mandato iudicis innocenti supplicium inferat, etiamsi ignoret illum esse innocentem, sed putet esse nocentissimum. An putas præpositos operum a Pharaone iussos ut affligerent Israelitas in Aegypto, haud impie fecisse quod crudelitati regis obedierint, non existimantes aliter quàm quod Israelitæ iusta sententia a rege afflictioni adiudicati essent? Num excusabis ministros Iudæorum, qui Iesum comprehenderunt & crucí tradiderunt, q̃ putauerint Iesum tanquam seditiosum & hæreticum iuste condemnatum? Habent quidem illi excusationem coram hominibus, at minime coram Deo. Proinde magistratui curandum est ne quenquam iniuste cõdemnet, uidelicet, ne & se & ministros suos peccati maledictioni obnoxios reddat. Et ministris summa opera danda est, ut delectum habeant inter dominos quibus seruiant, ne impietati dominorum obsequendo ipsi quoq; impietatem exerceant. Deinde narratur hoc loco alia huius custodis uirtus, nam cum uidisset ianuas carceris apertas, euaginato gladio seipsum interfecturus erat, existimans uinctos aufugisse. Maluit enim suo ipsius gladio perire, quàm uel publica ignominia notari, uel infami carnificis gladio interfici, quod uinctos dimisisset. Reputatur autem apud Ethnicos maxima fortitudinis uirtus, si quis ad euitandam ignominiam, cum non alia uia queat, uel suo ipsius gladio sese iugulet. Hinc memoratur fortitudo Scipionis & Catonis, qui maluerunt præcordia suis ipsorum gladijs transuerberare, quàm Cæsaris hostis sui captiui esse. Celebratur etiam Saulis fortitudo, q̃ suo se gladio confixit, ne uiuus in manus Philistinorum ueniret, ac ignominiose ab ipsis tractaretur. In Machabeis quoq; Razias quidam multa laude commendatur, quod cum iam a Nicanore comprehendendus esset, gladio se petierit, magis uolens nobiliter mori, quàm impiorum captiuus esse. Et cum ob festinantiam non uulnerasset se letaliter, recurrens ad murum præcipitauit semetipsum uiriliter in turbas, & cum adhuc spiraret, accensus animo, cursu quàm potest festinantissimo ad petram ascendit, ibidem complexus intestina sua, utrinq; manibus proiecit super turbas. Magna hæc sunt & memorabilia, sed neq; bona neq; diuina sunt. Et quanquam uideatur esse maxima fortitudo ac uirilitas, tamen si rectius iudicaueris, inuenies esse extremam ignauiam ac plane muliebrem animum & scelus coram Deo maxime horrendũ. Vide. n. quã ob causam oẽs hi quos recensui seipsos interemerint: nõne, ut infamiã effugerẽt: nõne qa ignominiã ferre nequiuerũt. Nõ posse aũt ignominiã ferre, & malle in seipsum crudelẽ esse & cõtra naturã facere, q̃ infamiã sustinere, certe animi est minime fortis, sed maxiẽ muliebris. Is. n. animus

Sibi ipsi manum inferre, quod non fortitudo sed ignauia sit.

mus fortis dicitur qui grauia onera ferre potest. Non est autem grauius onus q̃ ignominia aut infamia. Proinde qui illud ferre nequit, sed potius in seipsum sæuit, hic non tam muliebris & impotens q̃ insanus est. Et ut Augustinus inquit, non est uir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Cum igitur custos carceris seipsum interfecturus, non ueram fortitudinis uirtutem spiraret, sed imbecillitatem muliebris sui animi declararet, retrahitur a Paulo. Clamauit enim Paulus uoce magna dicens: Ne quid feceris tibi ipsi mali, uniuersi enim hic sumus. O ingentem pietatem Pauli erga malefactorem suum. Coniecit hic custos Paulum & Silam in interiorem carcerem, strinxit crudeliter pedes eorum ligno. Ac alius quidem captiuus ultionis appetens, conniuisset ad cædem custodis, tum quia iudicasset digne eum propter crudelitatem suam interimi, tum quia existimasset, interfecto custode, magis patere sibi exitum & fugam e captiuitate. At Paulus neq; aduersarij necem optans, neq; tutum effugium quærẽs, reuocat custodem a sua ipsius cæde, & hortatur ut nihil mali sibi inferat. Quid hoc aliud est, quam q̃ Paulus mauult periclitare q̃ ut aduersarius periclitet? Periclitatur enim Paulus ne reuocato custode a cæde ipse in carcere diligentius detineatur, & mane facto ad mortem producatur. Atqui hæc est uera proximi charitas malle uidelicet seipsum quàm proximum periculo obijcere. Immane quantum nos absumus ab hac pietate. Nos enim uix pro amicis pericula subimus, ecquid pro aduersarijs faceremus? Quo longius autem a proximi charitate absumus, eo longius absumus a fide, & quo longius a fide, eo longius quoque a Christo absumus. Qui autem a Christo abest, certe abest ab omni fœlicitate. Demus igitur operam precibus nostris ad Deum per Christum ut accensa in nobis fide ardeat etiam charitas in proximũ. Cæterum audiuimus hactenus Ethnicas in custode uirtutes, audiemus nunc in eo uirtutes uere pias & Christianas. Cum enim audiuisset clamorem Pauli, postulato lumine irrupit, ac tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes, & productis illis foras, ait: Domini, quid me oporteat facere ut saluus fiam? O admirandam metamorphosim, qui antea magna ferocia Paulum & Silam in captiuitatem coniecerat, nunc tremefactus eos adorat. Qui antea superbus pedes eorum ligno strinxerat, nunc humilis ad pedes eorum accidit. Qui antea illos tanquam populi seductores in carcere detinuerat, nunc tanquam mundi saluatores producit & rogat quid agere debeat, ut salutẽ consequatur. Qui antea omnis honestatis contemptor erat, nunc de perpetua salute, hoc est, de maxima omnium honestate sollicitus redditur. Hanc tam repentinam mutationem, cui adscribemus nisi summæ Dei clementiæ, miserentis cui uult? Non enim adscribemus Paulo, qui nondum quicquam custodi de Christo prædicauerat, multo minus adscribemus uirtutibus custodis, quippe quæ ut antea demonstrauimus, coram iudicio Dei horrenda fuerunt scelera. Miraculo inquies apertorum ostiorum adscribemus. Sed quis alius, quàm Deus miraculum illud operatus est? Proinde diuina clementia in causa est quod custos tam repente in alium hominem transformatus sit, & quærat nunc magna sollicitudine quid oporteat facere ut saluus fiat, qui prius ne tantillam quidem salutis suæ rationem habebat. Summe autem obseruãdum est, quid ei Apostoli respondeant. Dixerunt enim: Crede in Dominũ Iesum & saluus eris tu & domus tua. Quid dicitis Paule & Sila? num tam facilis est uia ad salutem? num is qui multis annis ab adolescentia sua idola coluerat, horrenda flagicia, qualia solent Ethnici, perpetrauerat, & paulo ante uos innocentes ac sanctos uiros in carcerem crudeliter coniecerat, & pedes uestros quos prophetæ speciosos, utpote eorum, qui adnunciãt pacem, uocauit, ligno strinxit, tam facile ueniam peccatorum suorum consequetur, ut si saltem credat, salutem ha-

Exemplum charitatis erga proximũ.

Clementia miserentis Dei.

beat? Cur non iubetis ipsum omnibus diebus uitæ suæ pane & aqua ieiunare? non nisi uestimentis lineis sese uestire? super spinas ambulare? ad templum Hierosolymitanum pisis calciamentis impositis peregrinari, & alia id genus opera facere, ut his peccata sua expiet, & pro illis satisfaciat, siue mauis, satis patiatur? At uero Paulus & Silas Apostoli Christi, non Antichristi sunt, doctrina enim Antichristi est, ꝙ opera ab homine facta expient peccata, & satisfaciant pro peccatis. Doctrina autem Christi est, ꝙ solus Iesus Christus sit peccatorum expiator, & pro peccatis satisfecerit. & ꝙ omnis qui in ipsum credat, habeat per fidem ptopter ipsum remissionem peccatorum. Dicunt ergo Apostoli ad custodem carceris: Crede in DOMINVM Iesum & saluus eris. Ergo ne sola fides in Iesum Christum ad salutem sufficit? Omnino. Nam qui in Christum credit habet absq; omnibus operibus suis, propter solum Christum per fidem, remissionem peccatorum. Qui autem habet remissionem peccatorum, iustus coram Deo reputatur, qui autem iustus est, nonne hic beatus est? iuxta illud Psalmi: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum. Saluus igitur erit quicunq; credit in Dominum Iesum. Non est autem quod existimes fidem illam iustificantem & saluantem, remesse uanam ac ociosam, qui enim per fidem in Christum iustificatur, huic confertur spiritus sanctus: is autem reliquias peccati in homine expurgat, & ducit hominem in obsequium mandatorum Dei, non quidem ut operibus bonis pro peccatis satisfaciat, sed ut obsequio suo Deo seruiat & fidem suam probet.

Fidē non esse ociosam.

" Quàm efficax uero res sit fides in hoc carceris custode manifestum reddit. Lo
" cuti enim sunt ei Paulus & Silas sermonem Domini, & omnibus qui erant in
" domo eius. Cum autem sermonem Domini fide excepisset, quid obsecro fides
" in eo operatur? Sequitur: Et assumptis illis in illa hora noctis, abluit plagas, &
" baptizatus est ipse & omnes domestici illius continuo. Cunq; perduxisset eos in
" domum suam, apposuit eis mensam, & exultauit, ꝙ cum uniuersa domo sua cre-
" didisset Deo. Audis nunc, quãta fuerit fidei energia in custode carceris. Primum enim postquam credit non amplius captiuos detinet Apostolos, sed quos Deus miraculo liberauerat, hos etiam liberos ad domum suam ducit. Quid autem hoc opere aliud facit q̃ ꝙ seipsum præsentaneo periculo uitæ suæ exponat, ut diuinæ uocationi seruiat? Siquidem ꝙ eos quos iussus fuerat diligenter custodire, liberos educit, constat ipsum periculo capitis sui, adeoq; nunc uere fortem uirum agit, cum antea, quando se suo ipsius gladio iugulare uoluerat, plane mulierem suam imbecillitatem ostẽderit: ea enim demum uera est fortitudo, non te ipsum interimere, ne indigna aut iniusta patiaris, sed alieno gladio te interimendum obijcere ac exponere, ne indigna aut iniusta facias, sed ut diuinam uocationem sequaris. Deinde baptizatur. Vt enim baptismus a Domino institutus, ita & susceptu necessarius est. Hinc abluit Apostolorũ pedes quos antea ligno strinxerat, & apponit eis mensam. Hæc autem sunt charitatis officia, ut uideas fidem per charitatem operari. Postremo exultat & agit Deo gratias, ꝙ cum uniuersa familia sua in Deum crediderit, adeoq; iam & ipse lætus mortem propter Christum expectat, qui prius Apostolos morte propter Christũ afficere uolebat. An non habes hic copiosissimum fidei fructum? ecquæ uere bona opera nunc in isto custode carceris desunt? gratias agit Deo, proximis benefacit, mortem propter Christum expectat. Nihil habes quod nunc in eo cõqueraris. Tantam autem honestatem operatur in eo fides. Proinde orabimus Dominũ, amicissimi, ut & in nobis fidem augeat, quo per fidem iustificati in bonis operibus ambulemus, & æternam salutem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est

Vera fortitudo.

unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMI-

HOMILIA LXXVII.



Conuersionem carcerarij ad DOMINVM nostrum Iesum Christum, satis (ut opinor) antea explicuimus. Nunc quid a magistratu, qui Paulũ & Silam uirgis cędi & in carcerem conijci iusserant, actum sit, audiemus: Cum dies, inquit, ortus esset, miserunt magistratus uiatores dicentes, dimitte homines illos. Quid hęc noua sibi uult clemẽtia ac moderatio, ꝙ magistratus paulo ante Apostolos uirgis cædi, & diligenter in carcere custodiri præceperat ne effugerent, sed postero die tanquam seditiosi & populi seductores ad mortem producerentur. Orto autem die continuo ad carcerarium nuncios mittunt & præcipiunt ut Apostolos omnino libere & impune abire sinat: num & ipsi in ea nocte, quemadmodum carcerarius ad Christum conuersi sunt? Non conuersio in Christum, sed mora, quæ maximum dicitur esse remedium iræ, in causa est, ꝙ crudelitas huius magistratus altera die in clementiam, aut ut uerius dicam, in pœnitentiam mutata sit. Iusserant enim Apostolos uirgis cædi & in carcerem conijci, nulla legittima causa, sed tantum præcipiti ira & furore aduersus Apostolos concitati. Interposito uero noctis spacio deferuescit ira, & sedato iam affectu furoris, redeunt ad mentem, ac factum suum expendentes intelligunt temeritatem suam, & comperiunt se Apostolos non explorata causa, adeo ꝙ propter benefacta (liberauerant enim insanam puellam ab insania, id quod beneficij loco habendum est) afflixisse. Igitur pœnitet eos temeritatis & præcipitantiæ suæ, ac præcipiunt ut Apostoli impune dimittantur. Hoc ergo exemplo manifestum est, ꝙ præcipitis iræ comes sit pœnitentia. Si enim ira est breuis insania, & sponte ascita cæcitas, qui fieri potest ꝙ consultet aliquid sani, aut recta uia incedat? Insana aũt consilia & errores quid aliud consequeretur ꝙ pœnitentia? De Caino scribitur, ꝙ iratus fuerit uehementer, quando Deus respexit munera Abel, sua autem despexit, & consilio eius iræ exiuit ac suum ipsius fratrem interfecit. Sed quid sequitur? tanta pœnitentia ac desperatio, ut quoties recordabatur nominis fratris sui, toties putabat gladium capiti suo imminere. Sic Pharao audiens Israelitas ex Aegypto fugere, ira & furore corripitur, ac eodem affectu cum exercitu suo persequitur Israelitas usq; in mare rubrum. Sed mox adest iræ comes pœnitentia, nam reuertente mari in alueum suum frustra clamant Aegyptij, fugiamus Israhelem. Inuoluti enim sunt fluctibus marinis & perierunt. Iratus igitur nihil dicas aut facias nisi prius affectus iræ sedetur. Memineris iram rationi inimicam esse, & suam secum pœnam adducere, nec ullum unquam hominem ex ira carnis suæ laudem, sed potius dedecus, ignominiam, probrum, & suã ipsius interritionem tulisse. Quæ quo manifestius cognoscamus, ad magistratus Philippensium reuertemur. Quid enim hi ex ira sua aliud consecuti sunt, quam primum quidem pœnitentiam, deinde etiam publicam infamiam, de qua postea sequitur. Sed quia hi fuerunt impij Ethnici, pœnitentia eorum non fuit pia sed ethnica, pœnituerunt enim non quia aduersus innocentes peccauerunt, sed quia timuerunt ne uulgus iniquitatem & tyrannidem ipsorũ rescisceat, & mota seditione eos trucidet. Magna igitur anxietate consultarunt quomodo seipsos e periculo liberare queãt. Non enim tutum uidebatur ut Apostolos clam interficiant, quando palam in carcerem cõiecti fuerant, & constabat publice innocentia eorum, quippe qui nihil mali, sed bene fecerãt, ꝙ puellam insanam ad insania liberassent. Minus tutum uidebatur, si palam eos liberos dimitterent ut in urbe uagarentur, & suam innocẽtiam, magistratus autem tyrannidem publice iactarent. Tutissima igitur uia uidebatur, ut iube-

Iræ comitem esse pœnitentiam.

rent eos clam discedere, ac postea dicerent ipsos, nimirum, scelerum conscios, carcerem effregisse & clanculum aufugisse, ut mentiendo suam iniquitatem & tyrannidem tegerent. Primum igitur ex hoc mihi consydera, quàm potens sit innocentia etiam captiua, & quàm impotens sit iniquitas etiam libera. Erant enim innocentes Apostoli in captiuitatem coniecti, Magistratus autem iniqui erant liberi, attamen Deus ita rem dispensat, ut Apostoli captiui liberentur, & magistratus liber ob innocentiam Apostolorum, ita captiuus mente sua ducatur, ut nesciat quo se uertat. Ac captiui quidem Apostoli laudant Deum, gaudent in domo carcerarij, læti conuiuantur. Liberi autem magistratus irrequietam & insomnem ducunt noctem, ad quemuis ianuæ crepitum irruptionem uulgi in domos suas timent, misere secum afflíguntur, & consultant, quo tñ mõ ab his captiuis, hoc est, a periculo uitę suę liberent. En tãtam turbã excitat aliena innocentia in aio eius, q innocentiã iniuria affecit. Et hãc esse innocẽtiæ efficaciã multis etiam alijs exemplis comprobatur. Abel iniuste a fratre suo Caín trucidatus est. Iam non habet necesse Abel, spectro suo nocturno Caínum territare, aut ultores homines quosdam ad persequendum eum excitare, sed per innocentiam suam in tantum afflígit eum, ut sonitum folij uolantis tanquam gladium timeat, & nusquam constet. Abraham iniuria afficitur a rege Abimelech, eo quod rex abstulisset Abrahæ uxorem. At uero nihil opus habet Abraham, ut regiam Abimelech tormentis oppugnet, sed innocentia sua tantum supplicium in regiam immisit, ut nec rex quietas duceret noctes, nec quicquam benedictionis in regijs uxoribus & ancillis inueniretur. Quid dicam de Dauide, qui iniuste a Saule regno pulsus, innocentia sua Saulis conscientiam tam irrequietam tam formidolosam reddebat, ut ille nullo momento sibi tutam uitam putauerit. Quid & de Iuda proditore dicendum est, quem innocentia Christi non ad desperationem solum, sed etiam ad laqueum adegit? Proinde quisquis iniuria affectus es, noli quærere ultionem iuxta desyderium carnis tuæ, sed quære innocentiam, & te de inimico tuo plusquam optaueris, uindicabis. Hæc enim uindicta, quæ fit per innocentiam diuinissima est. Tu uero qui delectaris innocentem iniuria afficere, noli existimare te iniquitatem tuam impune laturum, si iniuria affectus impotentior est quàm ut seipsum uindicare queat, sed memineris innocentiam iniuria affecti tam potentem esse, ut queat tibi maius malum inferre quàm potentissimi quiq; hostes. Deinde hoc quoq; in magistratu Philippensium animaduertendum est, quod cum decernant se uelle mentiendo Apostolos tanquam sceleris conscios clam aufugisse, iniquitatem suam tegere, satis perspicue indicant, hoc fere hominum ingenium esse, quod conentur admissa facinora non pia resipiscentia, sed alijs sceleribus tegere. Sic filij Iacob parricidium suum mendacio sanguinolentæ tunicæ tegebant. Sic uolebat Dauid adulterium homicidio abscondere. Sic Herodes cupiebat incestum suum cæde innocentis Ioannis Baptistæ celare. Sic omnes mali homines scelera sceleribus tegere student. Atqui ita non teguntur scelera, sed augentur, nec ita celantur, sed potius reuelantur, & authores magis confunduntur ac pudefiunt. Cuius rei, nõ tam qui nũc cõmemorati sunt, quàm magistratus illi Philippẽses, exempla sunt, quemadmodum sequitur. Vera enim & recta uia tegendi, immo prorsus opprimendi scelera, est agnitio peccatorum, & fides in Christum Iesum, deniq; fructus fidei. His rebus, non alijs sceleribus teguntur scelera. Sed uideamus quem euentum habeat consilium magistratuum Philippensium, quo statuerunt crudelitatem suam, noua crudelitate, hoc est, uulgando falsam de innocentibus suspicionem celare. Nunciauit autem custos carceris sermones hos Paulo,

„ Miserunt magistratus ut dimittamini, nunc ergo exeuntes, ite in pace. Custos

carceris

Innocentiæ efficatia.

Vindicta qualis esse debeat.

Quod homines scelera sua mẽdacijs tegant & nõ resipiscentia

carceris lætatus quidem est, nõ tam sua q̃ Apostolorum causa, ut incolumes eua derent. Paulus autem noluit clam discedere. Et dixit uiatoribus, Cæsos nos publice indicta causa, cum simus Romani, coniecerunt in carcerem, & nunc occulto nos eiiciunt? Non profecto, sed ueniant ipsi & nos educant. Quid obsecro sibi uult hic fastus & hæc arrogantia Pauli, quod nolit clam e carcere egredi, sed postulet ut publice a magistratibus quasi honoris gratia educatur? At hæc postulatio nec est fastus nec arrogãtia, sed legittimæ æquitatis petitio. Nam hi magistratus duobus potissimum criminibus aduersus Paulum & Silam peccarunt. Altero quod causa nec audita nec explorata. Altero quod contra personalia Romanorum ciuium iura publice eos uirgis cęciderint & in carcerem coniecerint. Est autem magnum in magistratu crimen quod condemnat hominem non auditum, & causa nondum explorata. Est & hoc iniquum, quod qui Romana iura agnoscunt, contra ea innocentes condemnent. Porro personalia ciuium Romanorum iura, quæ nos priuilegia uocamus, erant, quod quicunq; haberet ius ciuitatis Romanæ, is ubiq; esset inuiolatus, acut dicitur, sacrosanctus, nec cuiq; licebat uiolentas manus in eum iniicere. At puto tale ius translatum hactenus fuisse in clericos. Hi enim Romanis priuilegijs ita inuiolati habiti sunt, ut nulli licuerit uim eis inferre, ac etiamsi crimen aliquod publicum designassent, tamen non licuit ciuili magistratui eos punire, sed necesse habebat ipsos ad ordinarios suos Episcopos remittere. Sic & quondam nulli nec priuato homini nec magistratui permissum fuit in eos grassari, qui habebant ius Romanæ ciuitatis. Notum est quod Cicero scribit, Hæc uox, inquit, ciuis Romanus sum, sæpe in ultimis terris, plærisq; opem inter Barbaros tulit. Erat enim lex a Valerio Publicola lata, ne quis magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem uerberaret aut necaret. Romani autem tanta seueritate iura sua administrabant ut iniurias ciuibus ac socijs suis illatas semper grauissimæ ulti sint. Qua seueritate tantum terrorem omnibus gentibus iniecerunt, ut nemo ausus fuerit quicquam uiolentum in ciuem Romanum tentare. Et quo seuerius hoc ius administratum est, eo auctius & stabilius imperium suum effecerunt. Nihil enim est quod plus imperia & augeat & contineat quàm seuera iuris administratio. Nihil est quod magis ea perdat quàm iuris peruersio & neglectus. Expectaui, inquit Dominus per Esaiam, ut faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iusticiam, & ecce clamor. Audisti iuris neglectum, audi nunc supplicium: Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Iam, hoc, de quo dictum est, Romanæ ciuitatis ius, Paulus hæreditate quadam a parentibus suis accepit, quemadmodum postea capite uigesimo secundo sequetur. Ex quo intelligere licet Paulum etiam coram mundo nobilitatis genere insignitum fuisse. Summa igitur iniquitate Philippenses Paulum flagris cęciderunt & in carcerem coniecerunt. Proinde cum Paulus potuisset humano iure hanc iniuriam in Philippensibus grauiter uindicare, DOMINO tamen Deo suo uindictam relinquit, & hoc saltem postulat, ut quia publice uirgis cęsus & in carcerem coniectus est iniuste, publice etiam innocens declaretur. Aequissimum enim est, ut qui publica ignominia inique notatus est, idem publico honore innocens commendetur. Et qui hoc petit, non uindictam, sed innocentiæ suæ testimonium & iudicium æquitatis petit. Petere autem testimonium innocentiæ nec est fastus nec arrogantia, sed iusta prudentia. Tantum igitur abest Paulus hoc loco a fastu, quantum abest iusta prudentia ab iniusta arrogantia. Sed audiamus quid deinceps actum sit: Nunciauerunt autem Magistratibus uerba hæc, timuerũtq;, audito quod Romani essent. Magis tandem pœnitet Philippenses Magistratus, quod iram suam in consilium adhibentes, in Paulum &

Personalia ciuium Romanorum iura cuiusmodi fuerint.

Quid augeat & quid perdat imperia.

Petere testimoniũ innocentiæ.

Silam grassati sint. Et obserua, eos timere, audito q̃ Romani sint. Non timent q̃ iniuste illos afflixerint, q̃ inaudita & incognita causa flagris eos cæciderint, q̃ contra Romana iura eos in carcerem coniecerint. Breuiter, non timent q̃ pecca uerint, sed timent tantum ne ipsis a Romanis periculum immineat, q̃ ciues Romanos iniuria affecerint. Non timent ob peccatum, sed timent ob imminens periculum & damnum, hæc enim est humani ingenij natura, q̃ non iniquitatem, sed tantum iniquitatis supplicium horreat. At si ueram pietatem amplecteris, magis timenda est ipsa iniquitas, quàm iniquitatis pœna. DOMINVS enim Deus noster non irascitur nobis propter pœnam quam infligit, sed propter iniquitatem quæ & pœnæ causa est. Et timor pœnæ non uere effecit ut peccatum uitemus, timor autem peccati cum fide coniunctus efficit, ut & peccatum & pœnam effugiamus. De Magistratibus autẽ Philippensibus sequitur. Venientes deprecati sunt eos, & eductos rogabant ut egrederẽtur e ciuitate. Ne enim grauiora mala a Romanis patiantur, ueniunt ad carceres, & quos heri crudeliter afflixerant, eos nunc supplices precantur ut sibi errati ueniam dent, quos paulo ante publica ignominia notauerant, eos nunc publici honoris gratia e carcere educunt, hoc est, seipsos infamia afficiunt & ipsa eductione fatentur se iniustos & iniquos, illos autem innocentes esse. Nunc igitur uide mihi quanta confusio maneat præcipitem iram, quanta infamia maneat iniustitiam, & qualia supplicia Deus illaturus sit his qui innocentibus iniuriam inferunt, & populum Dei affligant. Deuitenim DOMINVS Deus noster in publica Magistratuum Philippensium ignominia specimen q̃ uelit omnes eos confundere qui populum Dei confundunt, & q̃ perpetuam infamiam illis inferre uelit qui innocentes infamia notant. Confundantur, inquit Psalmus, & reuereãtur simul qui quærunt animam meam ut auferant eam. Auertantur retrorsum & reuereantur qui uolunt mihi mala, ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi euge euge. Et iterum: Saluasti nos de affligentibus nos, & odientes nos cõfudisti. Quanquam autem Philippenses Magistratus publice confundantur q̃ iniuste Apostolos afflixerint, nondum tamen resipiscunt, nec fidem prædicationi Apostolorum adhibent, sed rogant eos ut e ciuitate egrediantur, nimirum, timentes ne ob præsentiam eorum, nescio quæ mala ciuitati suæ eueniant. Sic etiam Geraseni rogabant Christum ut a finibus suis decederet. Sed quæ est hæc hominum insania, q̃ timeant mala ob præsentiam uel Christi uel Pauli, & non timeant mala propter tot scelera, propter tot impietates quæ in ipsorum ciuitate ac regione impudenter designantur? Quin potius omnia mala timenda sunt, si Christus & prædicatio Apostolica eijciatur. Omnia autem bona speranda sunt, ubi Christus & Apostolica doctrina recipiuntur & diligenter seruantur. Porro autem quia Apostolorum erat non uni regioni, non uni ciuitati Euangelion prædicare, ideo Paulus & Silas obediunt precibus Magistratuum Philippensium.

» Et egressi e carcere introierunt ad Lydiam, & uisis fratribus, consolati sunt
» eos & profecti sunt. Quid ergo? num Paulus tam male Philippis affectus, omnes Philippenses etiam in Christum credentes derelinquit? & num qui Philippis in Christum crediderunt Paulum post hæc ex animo suo excluserunt? id uero nequaquam factum est. Tametsi enim Paulus discesserit a Philippensibus corpore, tamen inuisit eos post epistola pulcherrima & pijssima, quæ adhuc inter epistolas Pauli extat & ad Philippenses inscribitur. In qua Paulus non solum eorum qui in Christum Philippis crediderũt fidem, sed etiam afflictiones quas pertulerunt a magistratibus iam post acceptam publice ignominiam & abitum Pauli ac Silæ ferocioribus (solet enim impietas supplicio irritari, non sedari) & crudelioribus in eos qui in Christum credebant. Deniq̃ eximiam eorum charitatem

Epistola ad Philippẽses.

ritatem prædicat, ꝙ ipsi soli communicauerint ei sumptum ut alijs quibusdam Ecclesijs præsertim Thessalonicensibus, de quibus mox sequitur, Euangelion gratis adnunciaret, tantũ abest, ut uel Paulus Philippenses, uel Philippenses Paulum & doctrinam eius ex animo suo eiecerint. Imitemur ergo amicissimi pietatẽ eorum, qui Philippis in Christum crediderãt, & quanꝯ nũc nec Paulus, nec alij Apostoli corpore suo nobiscum sint, tamẽ doctrina eorũ adhuc reliqua est. Hãc capessamus, ex hac fidem nostram firmemus, ex hac constantiã in omnibus afflictionibus concipiamus, ex hac charitatem erga proximũ augeamus, ut fide iustificati perpetuam salutem cõsequamur per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

CAPVT XVII.

HOMILIA LXXVIII.



B VRBE PHILIPPIS, QVAE EST in prima parte Macedonię ad Thessalonicam Macedoniæ metropolim proficiscuntur Paulus & Silas, progrediemur & nos ab explicatione actorum Philippensium, ad explicanda ea quæ in Thessalonica acta sunt, de quibus Lucas ita scribit: Cum autem iter fecissent per Amphipolim et Apolloniã (quæ & ipsa sunt Macedoniæ oppida) uenerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Iudæorum. Quanquam aũt Paulus antea dixerat, se conuerti ad Gentes, & sciebat Iudęos euera olea exectos, Gentes autem insitas esse, tamen nõ in totum derelinquit Iudæos, sed quoquo modo potest saluti eorum cõsulit. Optarim enim ego ipse inquit anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis meis secũdum carnem, qui sunt Israelitæ. Et iterum: Propensa quædam uoluntas cordis mei, & deprecatio quæ fit ad Deum pro Israel est ad salutem. Testimonium enim illis perhibeo, ꝙ studium Dei habeant, sed non secundum scientiam. Ac uoluntatem & deprecationem suam pro Israel minime frustraneam sperat. Tametsi enim Deus Gentem Iudaicam repulit, tamẽ quemadmodum sub Elia reliquerat sibi septem milia uirorum, qui non inflexerunt genu imagini Baal, ita probe confidit Paulus saltem reliquias aliquot Iudæorum secũdum electionem Dei gratiam consecuturos, iuxta illud quod Esaias dixit, Si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt. Igitur secundum consuetudinem suam introiuit Paulus ad Iudęos, & per Sabbata tria differebat eis e scripturis, adaperiẽs & allegans ꝙ Christum oportuisset pati, & resurgere a mortuis, & ꝙ hic esset Christus Iesus, quem ego, inquit, adnuncio uobis. Vide obsecro summã & cõstantem Pauli diligẽtiam in administratione functionis suę. Paulo ante uirgis cæsus erat in Philippis propter Euãgelion suum, & nihil minus sperare potest in Thessalonica, instat tamen & urget Euangelium suum de Iesu Christo. Nec satis se muneri suo facere iudicat, ꝙ propensam habeat uoluntatem pro Iudæis, & deprecetur pro salute eorum, nisi & ipso facto, hoc est, prædicatione sua ad sectandum Christum eos inuitet, & scripturas eis de Christo interpretetur. Quo exemplo non solum Ecclesiastas, sed etiam Magistratus & patres familias admonet officij sui, ni mirum, ut primum quidem propensam pro subditis & familia sua uoluntatem gerant, deinde pro salute eorum deprecentur. Sed hæc non sufficiunt, nisi postremo etiam opere saluti eorꝝ consulant. Magistratus quidem bonis legibus, sup-

plicijs malorum, & defensione ac honoratione bonorum, patresfamilias autem honesta sua ipsorum conuersatione, erudítione, increpatione, castigatione, & id genus alijs patrisfamilias officijs. Sed quid disseruit Paulus Iudæis e scriptura? profecto nihil aliud nisi de Christo. Dicit enim aliàs: Non iudicaui me quicquã scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Nec est alia ꝙ de Christo prædicatio, si de consequenda uera iusticia & perpetua fœlicitate uerba facere uelis. Omnes enim homines natura & operibus suis iniusti sunt & damnationi obnoxij. Solus autem Christus est natura iustus & perpetuo fœlix, ac uenit propterea in hunc mundum, ut omnis qui credit in ipsum habeat remissionem iniusticiæ suæ & fœlicitatem per ipsum consequatur. Itaq; de Christo differi oportet, ubi de iusticia & fœlicitate disserẽdũ est. Porro aũt, Iudæi sẽtiebãt quidẽ Messiã seu Christum patriarchis, & per prophetas promissum esse, dupliciter tamen de ipso errabant. Primum, quia existimabant uenturum Messiam humanorum regum more regnaturum, nec quicquam aduersi in terra passurum, sed potentissima & fœlicissima maiestate omnia huius sæculi regna occupaturum. Deinde quia nõ credebant ꝙ is Iesus sub Pontio Pilato passus & crucifixus uerus ille Messias esset, qui per prophetas promissus erat. Paulus autem utrunq; errorem refellit, ac primum quidẽ docet ex scriptura ꝙ oportuerit Messiam pati & resurgere a mortuis, ac ita per passionem intrare in gloriam suam. Nam in decimoquinto psalmo ita scriptum est in persona Messiæ: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuũ uidere corruptionẽ, Notas mihi feci sti uias uitæ. Hæc non de Dauide quemadmodum in prioribus & Petri & Pauli concionibus demonstratum est, intelligi possunt, sed tantum de Messia seu Christo. Vbi autẽ anima non derelinquitur in inferno, nec sanctus uidet corruptionẽ, ibi oportet animã prius ad infernum descendere & ad corruptionẽ appropinquare, q̃d nihil aliud est ꝙ pati & mori. Oportet igitur Christũ prius pati & mori, ut notæ ei fiant uiæ uitæ, & resurgat a mortuis. Et aliàs scriptum est de Messia: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quid autẽ est illud ascendit, nisi ꝙ etiam descẽderat prius in infimas partes terræ: Iam & illud de Messia in Prophetis scriptum est, ꝙ Dominus posuit in eo oĩum nostrum iniquitatẽ, & ꝙ oblatus sit, & ad occisionẽ ductus sicut ouis, & alia multa quæ Esaias de ipsius passione & oblatione p̃ peccatis manifestissime prophetauit. Vbi aũt est pro peccatis oblatio, ibi est & sanguinis effusio, quẽadmodum testãtur oblationes legis, quæ Messiæ oblationem adumbrant. Necessarium igitur ex scriptura est ut Messias sanguinẽ suum effundat, hoc est, patiatur & moriatur. Quid ꝙ nullus unquã pius ad honorem aliquẽ huius sęculi peruenit, nisi per aduersas afflictiones: Vide mihi Abrahamũ, uide Iacob, Ioseph, Mosen, Dauidem, Danielem, & multos alios, qui ad honores suos nõ nisi per magnas tribulationes ascenderunt. Cum aũt Messias oĩum piorũ caput sit, & pertineat ad eũ honor qui est in cœlo & in terra longe oĩum maximus, qui fieret, ut quod in mẽbris tanq; in exẽplari inchoatũ est, in capite nõ impleretur? & Messias ad maximũ honorem per maximas afflictiones, hoc est, mortem, non ascenderet: Postremo cum scriptura dicat, regnum Messiæ nõ habiturum fine, sed perpetuum fore, consectaneum est hinc ꝙ nõ sit in hac terra pro more humanorum regum regnaturus, siquidẽ nihil in hac terra durabile & perpetuum est, sed ꝙ regnum eius spirituale sit, ut perpetuo durare queat. Hæc fere sunt argumẽta e scriptura sumpta, quibus Paulus proculdubio usus est ad confutandum Iudæorũ errorem de terrena & humana Messiæ maiestate. Alter error est ꝙ nõ crediderint hunc Iesum ex Maria natum, & sub Pontio crucifixum, uerũ Messiam esse. Et hunc quo ꝙ Paulus cõfutat. Primũ ꝙ is Iesus ex ea familia, uidelicet, Dauidis, & eo tempore, nimirũ Cæsaris Augusti, sub quo septuaginta heptomades

Iudæos dupliciter errare de Christo.

Testimonia passionis Christi.

Christi regnum fore perpetuum.

Danielis

Danielis completæ sunt, & eo loco, uidelicet, in Bethleem, q̃ prophetæ definierunt, natus sit. Deinde q̃ ea quoq; miracula ædiderit, quæ a prophetis a Messia ædẽda prædicta sunt. Postremo, q̃ a mortuis resurrexerit, & cœlum ascẽderit, id quod testantur miracula quæ post ascensionẽ in nomine eius æduntur. Qui em̃ possent tãta miracula in nomine eius fieri, si ipse adhuc in morte detineretur, nec potenter omnia administraret: quõ uel ægritudo corporalis, uel Satan, uel ipsa mors (nam & mortui in nomine eius excitantur) potentiã nominis eius timerẽt, ac fugerent, si nõ ubiq; potentissime regnaret? Hæc fere dici potuerunt ad confutandum alterum Iudæorũ errorem de Messia. Cæterum tolerabile fortassis esset si soli hi Iudæi sic in fide Messiæ errassent, & non item magna ipsorum Messiacorum, hoc est, Christianorum pars in fide Christi sui ad eundem modum errarẽt. Nunc autẽ dictu quidem fœdum, sed factu multo fœdius est, q̃ multi inter Christianos eisdem Iudaicis erroribus de Messia tenentur. Primum enim quid inter Christianos abominabilius & odiosius habetur cruce & afflictionibus: & quid maiori cupiditate desyderatur q̃ ut summa fœlicitate citra ullã molestiam fruamur? Abominari autem crucem & non aliter desyderare fœlicitatis bona, q̃ citra omnem molestiam, argumentum est, q̃ qui ita affecti sunt, nondum satis credunt Christum oportere pati, & per crucem ingredi in gloriã suam. Sed unà cum Iudæis sentiunt, Christum oportere more humanorum regum terrena maiestate regnare. Deinde alius error, immo impietas est, q̃ multi inter Christianos non credunt hunc Iesum esse uerum Messiam. Ecquis, inquies, nostrum tam impius esset qui hoc non crederet? Certe si rem penitius introspicias, inuenies multos eiusmodi esse. Nam condicio ueri huius Messiæ Iesu Christi est, q̃ mortuus sit propter peccata nostra, q̃ satisfecerit pro peccatis nostris, & placatum nobis reddiderit patrem in cœlis. Quisquis ergo sentit q̃ opera sua sint merita remissionis peccatorum, & q̃ propter suam ipsius iusticiam propicium reddat Deum, is non credit hunc Iesum esse uerum Messiam, sed in locum huius Messiæ sua opera, & suam iusticiam reponit. Quot autem existimas esse, qui sentiunt sibi remissa peccata, eo q̃ certis horis ieiunãt, aut certas preces orant, aut eleemosynam quandam pauperi largiuntur? Non dico nõ esse ieiunandum, non orandum, nõ eleemosynas dandas, hæc enim ut faciamus, a Deo mandatum est, sed hoc dico, opera illa non esse in locum Christi collocãda, nec dignitate soli Christo debita afficienda. Qui enim putant se propter opus ieiunij, orationis & eleemosynæ aut alterius cuiusdam facti remissionem peccatorum consequi & Deum placare, hi ex opere suo Christum faciunt. Hic audio. Credimus quidem Christum pro peccatis nostris satisfeciſſe, sed ita, ut nos bonis nostris operibus hãc Christi satisfactionem nobis utilem esse mereamur. At quid magis blasphemũ aduersus Christum senti ri, aut aduersus spũm sanctum dici posset? Si enim nostra iusticia Christi iusticiã meremur, quid aliud est q̃ q̃ peccatis iusticiam mereamur? Nostra. n. iusticia, ut impura est, ita pro peccatis reputat̃ in conspectu Dei. Non iustificat̃, inquit scriptura, in cõspectu tuo oĩs uiuẽs. Et: Ex opibus legis nõ iustificat̃ oĩs homo. Et: Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Et: Cum oĩa feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Adhæc, si opibus nostris meremur ut nobis p̃sit satisfactio Christi, nõne adhuc possumus gloriari aduersus Deũ? Et gratia eius, iam nõ erit gratia, sed debitũ. Quid igit̃ est quod ad Ephesios scribit̃: Gratia seruati estis p̃ fidem, idq; nõ ex uobis. Dei donũ est, nõ ex opibus ne quis glorietur. Et ad Titũ: Non ex operibus quæ sunt in iusticia quæ faciebamus nos, sed secundũ suã misericordiã, saluos nos fecit p̃ lauacrũ regnationis & renouationis spũs sancti. Non igit̃ meremur nostris operibus ut iusticia Christi nobis prosit, sed iusticia Christi tum demũ nostra fit, si credimus q̃ Christus pro nobis mortuus sit,

Quomodo multi inter Christianos Iudaicis erroribus teneantur.

Arbitramur, inquit Paulus, fide hominem iustificari absq; operibus legis, Et mox: Qui credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam. Et Christus ipse: Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Ergo ne nihil aliud boni operandum est, sed tantum credendum? Absit. Tametsi enim non sint bona opera facienda, ut propter illa remissionem peccatorum & iusticiam mereamur, tamen facienda sunt ut Deo obsequium præstemus, & ut fidem nostram coram nobis ipsis ac alijs hominibus testemur. Præcepit enim Deus ut bona opera faciamus, nõ ut ea collocemus in locum Christi, sed ut ipsius uoluntati & uocationi obediamus. De qua re, quoniam aliàs sæpe dictum est, nunc plura non dicemus. Sed audiemus quem fructum conciones Pauli in Synagoga Iudæorum Thessalonicensium attulerit. Et quidam, inquit, ex eis crediderũt & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ nõ paucæ. Audis ingentem pauciſſimarũ concionum fructũ. Nõ enim Iudæi tantum, sed & Græci, hoc est, Gentes, ad Christũ conuersi sunt, nec uiri tantum, sed & mulieres, adeoq; nõ obscuræ sed primariæ. Reliquum igitur est, ut quando argumentum cõcionum Pauli adhuc nõ tam in hoc libro q̃ in Epistolis eius extat, & nobis frequenter legitur, explicet, immo & cantatur, DOMINVM precemur, & pijs uotis inuocemus, ut ministerio earum cõcionum etiam nobis Christum clarius manifestet, fidem & charitatem augeat, & perpetuam fœlicitatem donet, per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXIX.

QVæ spiritus sanctus ad profectũ Euangelij ministerio Pauli in urbe Thessalonica operatus sit audiuimus, uidelicet, q̃ partim Iudæi, partim magna gentium multitudo nõ solum pręstantium uirorum, sed & pręcipuarum in ea urbe mulierum Christum agnouerint. Nunc quæ spũs Satanæ aduersus profectum Euangelij ministerio incredulorum Iudæorum conatus sit, audiamus. Hi em̃ duo spũs semper sibi inuicem resistunt, & quod spiritus sanctus ædificat, hoc totis uiribus nititur Satanæ spũs destruere. Adeoq; Satan tanquam indiuiduus comes spũm sanctum cõtinenter sequitur, ut conatus, consilia & opera eius impediat & cõculcet. Proinde quicquid unquam boni authore spiritu sancto tibi proposueris, nihil certius imminere scias, q̃ Satanam mox adfuturũ & tibi aduersaturum, ut te a bono spiritus sancti proposito deijciat, & ad sectanda sua desyderia seducat. Quod quo certius est, eo cautiores & prudentiores nos reddere debet, ut omni opera nos ad resistendum Satanæ paremus, & in proposito spũs sancti constemus. Cuius constantiæ exhibẽt nobis magnum exemplũ Paulus & comites eius. Q̃ em̃ cõstanter in ministerio Euangelij perseuerauerint & perrexerint, quãuis multis tribulationibus a Satana afflicti, Lucas diligenter describit. Zelo aũt, inquiens, commoti Iudæi increduli, & assumptis quibusdam circumforaneis uiris malis, ac turba coacta, concitauerunt ciuitatem, & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Recte Christus Satanam & mendacem & homicidam appellat. Primum enim decipit homines mendacijs specie ueritatis ac honestatis. Deinde mendacijs deceptos, ad homicidia impellit. Quæ cum Satan aliàs sæpe, nunc uero maxime in incredulis Iudæis Thessalonicensibus de seipso testat̃. Principio enim specie legis Mosaicæ ita eos decipit, ut existiment Euangelion de Iesu

de Iesu Christo esse pernicio sissimam hæresim. Iurarent, aut seipsos diris deuouerent, nisi hi omnes & anima & corpore interirent, qui Euangelio Iesu Christi crederent. Atq; hic quidem zelus Dei dicitur, sed non secundum scientiam. Talis fuit zelus Pauli dum adhuc persequeretur Ecclesiam. Talis est & illorum zelus de quibus Christus dicit: Veniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uidetur cultum præstare Deo. Talis fuit & zelus Petri pro Christo, dum gladio ad defendendum Christum aduersus armatas cohortes pugnabat. Deinde quos Satan tali zelo qui non est secundum scientiam decepit ac commouit, eos etiam impellit ad homicidia designanda. Vide enim obsecro quid atrocium scelerum Iudæi Thessalonicenses ex impio suo zelo perpetrent. Assumunt ad se circumforaneos quosdam malos uiros, turbam cogunt, ciuitatem concitant, domum Iasonis urgent, Paulum & Silam ad populum producere quærunt ut interficiantur, quæ quid aliud sunt quàm publice latrocinari? adeoq; hæc scelera eo atrociora sunt, quo liberioris conditionis est ciuitas illa Thessalonica in qua impune committuntur. At nondum est finis scelerum, sequitur enim: Et cum non inuenissent eos (Paulum uidelicet ac Silam) trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes, hi qui terrarum orbem conturbarunt, huc quoq; uenerunt, quos clanculum excepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Audis, quid ad priora facinora adijciant. Cum non inuenissent Apostolos, furorem suum in hospitem Apostolorum nomine Iasonem effundũt, & impetu in eum ac fratres quosdam in Christum credentes facto, non ducunt sed trahunt eos ad magistratus urbis, & accusant illic Iasonem tanquam urbis proditorem, q̃ eos excepisset hospicio, qui totum terrarum orbem conturbant, & defectionem a Romano Imperatore prædicant, nimirum, dicentes Iesum quendam esse regem, cui omnes obedire debeant. Hoc autem quid aliud est, inquiunt, q̃ aduersus decreta Cæsaris facere, qui grauissimis edictis uetuit, & nos iuramentis nostris recepimus, ut præter se alium regem non agnoscamus. Habes catalogum scelerum, quæ increduli aduersus credentes designant. Seditionem concitant, impetum in credentes faciunt, accusant eos falso apud Magistratus, & quoquomodo possunt, efficere conantur, ut a Magistratu interficiantur. Et hæc omnia zelo Dei faciunt, ac bona, ut dicitur, intentione, uidelicet, hac uia gloriam nominis diuini defensuri & recuperaturi, quam Euangelio Christi prorsus labefactatam esse persuasissimi erant. Nunquid autem scelera illa iusta reputanda sunt, quia zelo Dei & bona opinione fiant? Absit. Zelus enim Dei qui non est secundum scientiam, non est opus spiritus sancti, sed deceptio & impostura Satanæ. Quicquid autem est e Satana, quomodo potest iustum reputari? Et bona opinio non ex Verbo Dei, sed ex humana ratione concepta nõ est aliud nisi mendaciũ: omnis enim homo mendax. Quõ aũt mendacium ueritatẽ operabitur? Nullã igitur scelus quod ex imperito zelo dei orit iustificari põt, quin potius eo peius est scelus, q̃ honestius apparet. Nam quæ scelera nulla honestate fulgent, sed palam iniqua apparent, ea facilius peccata cognoscuntur. Quæ uero peccata agnoscuntur, ea & remissibilia sunt, siquidem pro ijs oratur, & creditur quod per Iesum Christum remittantur. At scelera honestate aliqua prædita, non facile pro peccatis agnoscuntur. Quæ autem non agnoscuntur, ea nec remissibilia sunt, quippe quod pro ijs non oratur, nec creditur ea per Iesum Christum remitti. Quare, quo honestiora sunt in oculis hominum, eo inhonestiora & atrociora sunt in conspectu Dei. Sed ut ad alia explicanda pergamus, hic mihi obsecro uide impudentissimum Satanæ ac impiorum commentum. Quæ enim facinora & Satan subornat, & impij perpetrant, eorum culpam reijciunt in Euangelion Christi & Apostolos eius.

Satan mẽdax & homicida

An iustũ putandum quod bona opinione fit.

Quod impij seditionis culpam in Euãgeliũ & Apostolos immerito reiiciãt.

Hi enim Iudæi in urbe Thessalonica seditionem concitant, & totam ciuitatem conturbant, quemadmodum & alij impij in alijs urbibus, attamen huius sceleris Apostolos coram magistratu accusant, uidelicet, quod totum terrarum orbem conturbent. Præterea nemo magis inuidebat Romano Cæsari quàm Iudæi, unde & frequentissimis seditionibus aduersus magistratus a Cæsare constitutos in Iudæa debacchabantur, & subinde disputabant, num liceret Romano Cæsari dare tributum an non, donec negato tributo & occisis Romanis magistratibus, aduersus Cæsarem bellum pararent. Attamen accusant Euangelion Christi, quod prædicet alium regem & defectionem a Romano imperio moliatur. Ac sic quidem se habent mores huius sæculi, quod quorum malorum authores sunt impij, eorum culpam reijciunt in pios. Ahab effecerat idololatria sua Baalitica, ut fames trium annorum Israelitas inuaderet, huius tamen mali culpam in prophetam Eliam reijcit, dicens: Tu ne es ille qui conturbas Israel? Senatus regis Zedekiæ author erat deuastationis Hierosolymitanæ, quia Verbo DOMINI obsequi nolebat, attamen accusabat coram rege prophetam Hieremiam tanquam patriæ proditorem & deuastationis authorem. Vsq; adeo quod mali impij designant, eius culpam pij ferre coguntur. Quem igitur tanta in rebus humanis iniquitas non male haberet? quem non ad iracundiam prouocaret? at tu operam da ne hæc res ad impatientiam te inuitet. Est enim Deus in cœlo qui suo tempore facit iudicium & iusticiam, apud quem si iniurias & iniquitates tibi illatas deponas, inuenies non ultionem solum in aduersarios, sed etiam maximam pro iniurijs retributionem. Gaudete, inquit Christus, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Et Paulus de suis afflictionibus ad Timotheum scribens: Noui, ait, certusq; sum, quod is cui credidi potens sit depositum meum custodire in illum diem. Quod est illud depositum de quo Paulus scribit? Certe quantum ex eo loco intelligere licet, aliud non est quàm uincula & afflictiones quas iniuste propter Euangelion ferre cogitur. Has deponit Paulus in sinum Dei ut illic custodiantur, & in illo die magna salutis mercede & remuneratiõe ipsi resarciantur. Deponamus igitur & nos iniurias ab alijs nobis illatas in manum Dei, & merces nostra erit iusticia perpetua. Sed ut pergamus, non est prætereundum, quod Iason hospes Apostolorum eximium charitatis erga proximos exemplũ præbet. Nam cum Apostolos hospicio excepisset, & intelligeret eos queri ad supplicium, clanculum dimittit eos, & exponit se pro ipsis periculo, nimirum imitans charitatem Loth erga hospites suos. Nam & hic periculo uitæ suæ hospites qui ad se diuerterant ab iniuria ciuium Zodomitarum defendit. Qui autem tanto amore hospites suos complectuntur, ut malint se quàm hospites periclitari, hi palam fidem suam quam in Deum habent testantur, ac seipsos certificant quod credant Deum ipsos per benedictum semen Abrahæ Dominum nostrum Iesum Christum in omnibus periculis defendere ab omnibus periculis, liberare, ac perpetuam securitatem eis donare. Demus igitur & nos operam, ut charitate uocationem nostram firmam efficiamus, & ut Christus nos dilexit, ita & nos proximum diligamus. Cæterum audiamus nunc quid effecerit accusatio incredulorum Iudæorum aduersus Iasonem & alios fratres. Concitauerunt autem, inquit, turbam & magistratus ciuitatis audientes hæc. Et accepta satisfactione ab Iasone & a cæteris dimiserunt eos. Eiuscemodi exitum omnes accusationes impiorum aduersus pios habere solent, nam dum pij accusantur, fremit mundus aduersus ipsos, & indignatur, ac furit, minatur præterea nescio quæ atrocissima supplicia. Sed quis huius furoris ac minarum exitus? pij liberi euadunt. Tametsi enim multi ab impijs crudeliter trucidentur, quid autem hæ trucidationes aliud sunt q̃ uanissimæ & inefficacissimæ minæ?

Deposita piorum.

EXEMPLVM CHARITATIS.

Auferunt

Auferunt a pijs paucas opes, sed perpetuæ diuitiæ eis restituuntur: auferunt gloriam, sed illi sempiternam gloriam consequuntur: auferunt uitam corporis, sed illi adquirũt interim æternam corporis & animæ uitam. Quid igitur impiorum furores intantum extimescere ut animum tuum desponderes? quin potius hoc agendum est pio homini, ut quantum impij insaniant, tantum ipse salutis spem in DOMINO concipiat. Inter hęc tamen magistratus Thessalonicensis non est sua laude fraudandus. Multo enim prudentius officio suo fungitur ꝙ magistratus Philippensis. Hic enim in Paulum & Silam, causa nondum explorata, nec altera parte audita, præcipiti ira animaduertunt. Ille autem quamuis accusatione aduersus Iasonem audita nonnihil cõmouetur, tamen nihil præcipitanter agit, sed audit etiã alteram partem, & cũ Iason ac cæteri se satis purgarent, dimittit liberos eos. Hoc enim est officium magistratus, ut bonos defendat, & reos innocẽtes absoluat. Itaq; si Ethnicus magistratus suo officio quod ad hanc rem attinet defunctus est, quanto sceleratius erit, si Christianus magistratus reos nondum auditos præcipitanter condemnet, ac siue fontes siue insontes supplicio afficiat? De Paulo autem & Sila per Iasonem absconditis quid sequitur: Fratres uero confestim per noctem emiserunt Paulum simul & Silam in Berrhœam, quæ & ipsa Macedoniæ urbs est. Qui cum aduenissent, abierunt in Synagogam Iudæorum, hi autem erant nobilioris prosapiæ ꝙ Thessalonicenses, qui receperunt sermonem cum omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & Græcæ mulieres honestæ, ac uiri non pauci. Iterum uides persecutionem occasionem esse maioris profectus Euangelij. Fugantur Paulus & Silas a Thessalonica, sed diuertentes ad Berrhœam, multos illic tam inter Iudæos ꝙ inter gentes ad Christum conuertunt. Neq; in hac tantum Euangelij causa, sed in omnibus alijs rebus afflictiones, & calamitates sunt occasiones & organa, quibus Dominus pios maximis bonis afficere solet. Cæterum diserte hoc in loco narratur, ꝙ Iudæi, qui nobilitate generis Thessalonicensibus præstabant: præterea inter gentes honesti uiri ac mulieres Christum agnouerint. Aliàs enim scribitur, neminem magis persecutum esse Euangelion ꝙ nobiles uiros, mulieres religiosas & honestas. Et Christus ad honestos uiros ac mulieres ait: Publicani & meretrices præcedẽt uos in regno dei. Paulus quoq; ad Corinthios scribens: Videtis, inquit, uocationem uestram fratres, ꝙ non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum delegit Deus. Proinde, ne quis suspicetur totum nobilium uirorum ac mulierum honestarum ordinem a Christo reiectũ esse, nõ pauci nobiles uiri ac honestæ mulieres Berrhœæ Euangelion de Iesu Christo receperunt. Tametsi enim ut diues, ita nobilis, potẽs ac honestus difficile intret in regnũ Dei, quippe q; difficile sit suam nobilitatem, potentiam ac honestatem pro damno ac stercore iudicare, tamen ut nec Deus, ita nec Euangelion respicit personas, sed in quauis gente, in quouis ordine, in quouis hominum statu, qui credit Euangelio Iesu Christi, is acceptus est illi. Porro aũt Thessalonicensis Satan, nec Berrhœæ Euãgelion ferre potuit. Cum enim cognouissent Thessalonicenses Iudæi ꝙ & Berrhœæ annunciatus esset a Paulo sermo Dei, uenerunt, & illic quoq; commouebant turbas. Vide ꝙ irrequietus, ꝙ sollicitus Euangelij persecutor est Satan. O beatos nos, si pro media saltem parte tam diligentes Euangelij sectatores essemus, ꝙ diligens persecutor est Satan. Sed iterum adiuuat Satan persecutione sua Euangelij profectum. Hac enim occasione peruenit Paulus ad Athenienses & illic Christum magno fructu prædicat, sic enim sequitur: Statimq; tunc Paulum emiserunt fratres ut iret uelut ad mare, Silas autem & Timotheus remanserunt ibi. Porro qui prosequebantur

Magistratus officium.

Quod nobiles etiam Euãgelium recipiant.

» Paulum, deduxerunt eum Athenas usq;, & accepto mandato ad Silam ac Timo
» theũ, ut q̃ celerrime uenirent ad se, profecti sunt. Quid dicemus ad tam frequen
tes emissiones & fugas Pauli? immo quid ipsum putas in tantis afflictionibus
sensisse? Etenim cum Paulus adhuc in Iudaismo uiueret, & Christum nondum
agnosceret, omni fere sæculi huius fœlicitate ac prospero rerum successu frueba
tur. Erat enim iuxta sæculum claro loco natus, uidelicet, patria quidem Tarsen-
sis, ciuis autem Romanus, adhæc uir ab omnibus honestissime habitus. Sic eñ
ipse de se ait: Proficiebam in Iudaismo supra multos æquales in genere meo. Et
iterum: Iuxta iusticiam quæ est in lege factus irreprehensibilis. Quid autem de
authoritate eius dicam? Nisi enim maxima authoritate præditus fuisset, haud
quaquam licuisset ei Ecclesiam crudeliter deuastare, per singulas domos intra-
re, uiros ac mulieres trahere, & in custodiam tradere. Postquam uero Christum
agnouit, nulla unquam prospera fortuna usus uidetur. Primũ enim postquam
renatus esset per baptismum in Damasco, per murum in sporta demissus est, post
aũt nunc uirgis cæditur, nũc in carcerem conijcitur, nunc naufragia patitur, nũc
fugatur, nũc lapidatur, adeoq; subinde alijs atq; alijs calamitatibus affligitur, do
nec uinctus ad Romã mittatur. In tãtis igitur calamitatibus alius quispiã impius
homo causam afflictionum reiecisset in nouum Euangelion & cogitasset, hoc
Euangelion de Iesu plane mendax & Satanicum esse, quippe q̃ non solum sibi
maximarum calamitatum, sed etiam in omnibus urbibus ubi adnunciatur perni
ciosissimarum seditionum author sit, adeoq; statuisset secũ, multo cõsultius esse
hoc Euangelio deficere & ad Iudaismum redire, q̃ tot afflictiones ferre, &
Respub. turbare. At quo magis Paulus affligitur, eo constantius in prædican
do Euangelio perseuerat & pergit, non enim iudicat causam Euangelij ex euen
tu aut fortuna huius sæculi, sed e Verbo Domini. Tametsi enim sic a Deo ordi-
natum est, ut bona causa bonum euentum, mala autem malum euentum etiam in
hoc sæculo habeat, tamen quia Satan est princeps huius mundi, & Deus huius sæ
culi hanc diuinam ordinationem ita inuertit, ut optima causa pessimam, & pessi
ma causa optimam ac fœlicissimam fortunam in hoc sæculo habeat. Quæ causa
peior est impiorum causa? attamen impij pacem habent, quemadmodum psal-
mus canit, & non est respectus morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum,
in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Rursus quæ
causa melior fuit Christi causa? attamen Christus captus, percussus, flagellatus,
consputus & crucifixus est. Nullam igitur causam e fortuna huius sæculi æsti-
mes, sed eam pronuncies bonam quæ a Verbo Domini bona pronunciatur, etiã
si in fœliciss imum euentum habeat, eam autem iudices malam quæ a Verbo Do
mini mala iudicatur, etiamsi fœliciss imam huius sæculi fortunã habeat. Sic eñ
dabis operam, ut siue aduersa fortuna te cruciet, siue prospera arrideat, pietatem
constanter secteris, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum pa
tre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Collatio felicitatis et infelicitatis Pauli.

Euangelij causam ex Verbo Dei et non ex euentu æstimandam esse.

HOMILIA LXXX.

Athenarum laus.

POst fugam e Berrhœa, proficiscamur unà cum Paulo ad Athenas, audituri quomodo illic Euangelion de Iesu Christo audiat, & quantum inter sapientes huius mundi promoueat. Fuit autem Athenæ urbs Græciæ clarissima, non belicis solum strategematis inclyta, uerumetiam sapientiæ, adeoq; omnium bonarũ artium, totiusq; philosophiæ patria, & ut illi uocãt, templum, ad quod e toto orbe percipiendarum

darum disciplinarum gratia, Philosophi, hoc est, studiosi sapientiæ cõfluebant. Sed quo maius illic studium sapientiæ erat, eo turpior ac fœdior idololatria inualescebat, donec eo deuentum est, ut Athenienses non solum mortuos homines pro diis colerent, sed etiam uiuis regibus Demetrio & Antigono diuinos honores decernerent, nomen Demetrij tanquam nomẽ Dei omnibus decretis & scriptis suis præponerent, aram in honorem eius constituerent, & illic ei singulis annis sacrificarent, aliaq; magis abominabilia etiam contra sensum communem in idololatria sua committerent. Huc enim euadit humana sapientia, quæ est sine cognitione ueri Dei, ut quo maior est sapientia, eo turpiori idololatriæ sese dedat. Vndequod Paulus ad Romanos de sapientibus scribit, uidetur Athenis potissimum didicisse, sic enim ait: Cum se crederent esse sapientes stulti facti sunt, mutauerunt q; gloriam immortalis Dei per imaginem, nõ solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerumetiam uolatilium & quadrupedum & reptilium. Hæc ideo ab initio paucis narrare uolui, ut quæ sequuntur de Athenien-
sibus eo melius intelligãtur, Audiamus igitur nunc, quid Lucas referat. Paulus ,,
autem cum Athenis eos (uidelicet Silam & Timotheum) expectaret, incande- ,,
scebat spiritus eius in ipso, cum uideret simulacrorũ cultui deditam ciuitatem. ,,
Vbiq; uides optimi Pauli constantiam & feruorem in propagando Euangelio Christi. Nam alius quispiam semichristianus offensus fuisset multitudine, claritudine, & eruditione tantæ urbis, ac cogitasset secum, quid? tu ne solus sapies contra tot, tam claros & eruditos uiros? præferes ne tuam in Christum fidem iudicio tot ac talium uirorum in toto orbe sapientissimorum, qui omnes sentiũt multos esse Deos, ac uariis diis seruiunt? & qui potest fieri, q; tam populosa, tam clara, tam erudita ciuitas Satanæ mancipium sit? Hæ fuissent fortassis alterius cuiuspiam male Christiani hominis cogitationes. Iam etiamsi nihil tale in mentem ei uenisset, desperasset tamen sibi abiecto homini de Christo concionaturo, in tanta hominum claritudine & eruditione locum fore. At Paulus tanto magis ad diuulgandum Euangelion de Christo accenditur, quanto maius est offendiculum, tantum abest, ut tot sapientissimorum uirorum authoritate ab Euangelio absterreatur. Incandescebat enim (inquit Lucas) spiritus eius in ipso, quippe q; pijssimo uiro dolebat tantam hominum multitudinem, tot clarissimos & sapientissimos uiros in sua ipsorum impietate perire. Indignabatur mirum in modum Satanæ, q; tam populosam & celebrem urbem captiuam suis ludibrijs teneret, & modis omnibus conabatur, uel aliquot in ea urbe incolas e faucibus Satanæ eripere ac Christo ad salutẽ offerre. Habes igitur hoc loco ueræ pietatis in Paulo exemplum. Etenim, quemadmodum is in Euangelio Christi, non offenditur nec multitudine nec claritudine, nec sapiẽtia idololatrarum Athenien-
sium, sed potius in fide Christi eo fortius animatur & uiam inquirit, non ut ipse ad idololatras deficiat, sed ut illos ab idololatria ad suam religionem, hoc est, fidem in Christum adducat, ita nemo qui Euangelio de Iesu Christo, q; ipse solus sit propiciatio pro peccatis, non opera nostra, credit, offendi debet multitudine, honestate, & prudentia hostium Euangelij. Sed unusquisq; potius magis ad capessendum Euangelion accendatur, & ut ex hostibus Euangelij amici fiant, pro sua uirili & uocatione adiuuet. Dices autem: Qui possem non offendi multitudine & sapientia hostium Euangelij, cum illi palam clament se recte de religione sentire, eos autem qui ab Euangelio stant errare & hæreticos esse? At hæ impiæ uoces nullum mouere debent. Nam & Athenienses non dixerunt se, sed Paulum errare, & suam religionem diuturnitate temporis comprobarunt, cum Pauli religio quam prædicabat nuper adeo ut ipsis uidebatur emersérat. Nunquid ergo uera fuit ipsorum superstitio & idololatria? minime omnium. Sed eo peior fuit

Pauli studium & zelus in Euangelio propagãdo.

quo magis ab impijs defensa & diuturnior fuit. Itaq; discamus quę sit uera Euangelij doctrina, idq; discamus non e clamoribus aduersariorum, sed e sacra scriptura, e concionibus Christi & Apostolorum eius. Sic enim nulla aduersariorum authoritate, multitudine & sapientia ad defectionem a uero Euãgelio commouebimur. Sed ut pergamus, audite quæso, ad quid Paulum excandescens spiritus impulerit. Sic enim Lucas ait: „ Disputabat igitur in Synagoga cum Iu„ dæis & religiosis, & in foro quotidie cum ijs qui forte ipsum audiissent. Audis legittimum excandescentis spiritus sancti officium. Paulus enim non irrumpit in templa Athenienſium ad deijcienda & comburenda idola, non currit per urbem more insani hominis, clamans, uos omnes estis mancipium Satanæ, sed quamuis excandescebat, cõtinet tamen se intra terminos suæ uocationis. Disputat in Synagoga cum Iudæis & religiosis aduenis, disputat & in foro ciuiliter cum ijs qui forte ad ipsum conuenerant, erat enim uocatio eius, docere Euangelion. Discamus igitur hoc exemplo quod sit legitimum diuini zeli, & excandescentiæ spiritus sancti officium, quod item carnalis zeli & iræ argumentum. Est enim duplex excandescentia, altera spiritualis, altera carnalis. Spiritualis & si ferueat, tamen terminos legitimæ uocationis non transilit. Excandescit Mose aduersus Iudæos adoratores uituli aurei, non tamen Iudæos diris deuouet coram Deo, sed orat pro eis, & gladio in authores animaduertit, hoc enim erat legittimum officium & Prophetæ & ciuilis Magistratus. Excandescit Phinees super fornicatione Israelitæ cum scorto Madanitico, & gladio ambos transfodit, quia magistratus erat, & officium magistratus est, fontes ad exemplum seueriter punire. Vbi autem termini legitimæ uocationis propter excandescentiam transiliuntur, argumentum est, eam excandescentiam non esse spiritus sancti, sed carnis opus, ut si exempli gratia magistratus super leui crimine subditorum ita excandescat, ut quod puniendum sit tantum reprehensione, ipse capitali supplicio præcipiti ira puniat, non est seueritas spiritus, sed crudelitas carnis: aut si paterfamilias intantum super iniquitate familiæ suæ indignetur, ut uxori manum amputet, ancillæ oculum excutiat, hoc non est e spiritu sancto, sed e Satana irasci. Aut si priuatus quispiam urbem papisticis sacris adhuc deditam ingrediatur, & uidens ciues illic ad impietatem Missæ festinare, ad tantam iracundiam prouocetur, ut Ecclesiam eorum inuadat, sacrificulum ab altari proturbet, aut aliàs in publicis tabernis subinde clamitet: Vos estis Satanæ mancipia, diabolus uos perdat, & id genus alia dira. Quis diceret talem excandescentiam e spiritu, & non potius ex ipsissima carne proficisci? Debet enim unusquisq; e spiritu excandescens, sese intra terminos suæ uocationis continere, quos si egreditur, non spiritum sed carnem sequitur. Vocatio autem Magistratus est, fontes pro modo criminis & exempli punire, non nimis crudeliter sæuire. Patrisfamilias, castigare familiam, pro patris, non carnificis ratione. Priuati pro ignorantibus orare, non conuiciari. Hæc igitur officia ab unoquoq; pro sua uocatione obseruata efficiunt, ut excandescentia coram Deo commendetur. Porro, inter eos quibus cum Paulus disputauit fuerunt & philosophi, partim Epicurei, partim Stoici dogmatibus inter se διὰ παντὸς dissentientes. Dicit enim Lucas: „ Quidã „ autem Epicurei & Stoici philosophi conflictabantur cum eo. Vt igitur cognoscamus in quo argumento uersata sit conflictatio horum philosophorum cum Paulo, obseruandum est, q; sicut Paulus doctrina sua, ita & hi philosophi dogmatibus suis ueram fœlicitatem pollicebantur. Et ut alius aliam fœlicitatem statuebat, ita quisq; alia dogmata ad consequendam illam fœlicitatem tradebat. Nam Epicurei sentiebant uoluptatem corporis & mentis, hoc est, doloris uacuitatem in sensu & animo, esse summum bonum & ueram fœlicitatem. Et ad consequendum,

Officium legittimum diuini zeli.

Duplicem excandescentiam.

Epicureorũ dogmata.

dum hoc bonum, docebant quidem uirtutibus operam dandam esse, non autem hac causa, quia uirtus per se bona & expetanda est, sed quia efficit uoluptatem ne quis ob uicia male in corpore affligatur & cruciatibus afficiatur. Item, docebant non esse credendum, deum habere curam rerum humanarum, nimirum sentientes, ꝙ qui credunt deum curare humana, hi necesse habent in corde suo metuere, ne deus ipsos ob malefacta puniat. Habere autem metum in corde, officit fœlicitati quam ipsi fingebant. Adhæc sentiebant non esse reliquam uitam post hanc uitam, putantes sic credere, multam eximere molestiam in rebus humanis. Vnde uulgatum de Epicuris dictum iactatur, Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas. Tolerabile autem esset, si Pauli tantum tempore aliquot Philosophi Athenis fuissent qui tam impia docuerint & crediderint. At hoc dictu horrendū est, ꝙ semper in orbe tales homines extiterint, adeoq; semper extabunt, qui sentiunt summum bonum esse omni dolore in hoc sæculo uacare. Et ut hoc bonum consequantur, dant operam uoluptatibus, ac sobrie quidem uiuunt, non quia per se probent sobrietatem, sed ne ebrietas & crapula corpori dolorem afferant. Videlicet ebrietatem & crapulam sectaturi, si quantum exitij, tantum uoluptatis corpori afferrent. Præterea non curant deum, nec uenturæ uitæ ullum respectum habent, sentientes hæc quæ de deo & uentura uita dicuntur, esse uanas nugas ad terriculamentum rudium hominum a prudentibus & astutis uiris excogitatas. Tales propemodum Epicurei his temporibus sunt, prudentes huius sæculi, qui totam religionem ac Euangelion de Iesu Christo ita irrident, ut existiment nihil uanius esse cū de his rebus, ut ipsi loquuntur, leuiculis sollicitum esse. Cōtra hos igitur Paulus disputauit & docuit uacuitatem doloris in hoc sæculo non esse summum bonum ac fœlicitatem, sed eam esse ueram fœlicitatem quæ in futuro sæculo hominibus parata esset, & ad hanc consequendam credendum esse deum res humanas curare, credendum esse ꝙ per Iesum Christum filium dei iustificemur per fidem. Item uirtutibus esse operam dandam, non quia efficiant uoluptatem, sed quia deus requirit, & deo obediendum est. Item nullum non dolorem ferendum propter Christum & futuram uitam ad quam mortui sint resurrecturi. Hæc aut his non dissimilia Paulum contra Epicureos declamasse, ex eo colligitur ꝙ Lucas paulo post dicit, eum adnunciasse Iesum & resurrectionem mortuorum. Ex altera parte contra Stoicos quoq; Paulus disputauit. Dissentiebant autem Stoici plane cum Epicureis, neq; tamen recte de fœlicitate senserunt. Vt enim Epicurei nimium tribuebant uoluptati, ita Stoici nimium tribuerunt carentiæ uoluptatis, nam improbabant omnes affectus humanos & docebant, ἀπάθειαν, hoc est, uacuitatem omnium affectuum esse summum bonum & ueram fœlicitatem, uidelicet, hunc esse uere fœlicem, qui non moueretur lætitia, si quid uoluptatis ipsi contingeret, qui non tangeretur tristitia si quid aduersi accideret, qui non timeret, etiamsi fractus orbis illaberetur. Breuiter, qui quiduis eueniret, uelut stipes quispiam aut immobile saxum negligeret. Et ad consequendam hanc fœlicitatem sua docuerunt dogmata, suas uias & modos. Sicut autem Epicureorum secta nec unius populi, nec unius temporis fuit, ita Stoicorum philosophia non solum Gentes, sed etiam Israelitas & Christianos inua sit, nisi ꝙ in alijs gentibus & alijs temporibus, alia nomina sortita est, idem tamen error mansit, aut nimium ad sinistram, aut nimium ad dextram declinans. Inter Israelitas Stoici fuerunt Baalitæ, qui sese cultris & lanceolis incidebant, donec sanguis efflueret. Item hi qui liberos suos per ignem traducebant. Inter Christianos Stoici fuerunt Monachi, qui putauerunt summam iustitiam esse omnes affectus humanos abnegare. Vnde narrant Symeonem quendam heremitam per totum annum super uno pede stetisse, & cum in uul-

Quales nostra ætas Epicuros habeat

Stoicorum dogmata.

Epicureorū & Stoicorū sectas nō uni us temporis esse.

nere eius uermes e putredine nascebantur, tantum abfuit, ut uulnus curaret, & uermes abijceret, ut etiam eos uermes qui forte ex uulnere decedissent colligeret ac in uulnus reponeret, iudicans summam esse pietatem, nullo affectu ueluti saxum, uermium iniurias tolerare. De alio quodam cui nomen erat Mutius, scribunt, ꝙ ex mandato abbatis suum ipsius filium in fluuium proiecerit, sentiens maximam esse iusticiam affectum parentis erga filium abnegare. Et quis omnes Monachorum superstitiones, immo impietates enumerare posset, quibus significauerunt summam fœlicitatem iuxta Stoicorum sententiam esse, affectibus carere? Itaq; aduersus hos quoq; philosophos Paulus disputauit, ac docuit abdicationem humanorum affectuum non esse summam fœlicitatem, sed ueram fœlicitatem homini contingere post mortem, & non contingere per hoc quod quis omnes humanos affectus prorsus abneget. Nam affectus humani, ut patris erga filium, mariti erga uxorem, amici erga amicum, & alia id genus, dona Dei sunt, & arguuntur a Paulo, uocanturq; ἄστοργοι, qui ab huiusce modi affectibus alieni sunt. Quanquam igitur hi affectus uicio originalis peccati in nobis corrumpantur, tamen ipsi per se bonæ Dei creaturæ sunt. Proinde non est uirtus humanos affectus abijcere, nec per hoc acquiritur uera fœlicitas, sed adquiritur per fidem in Iesum Christum, per quem solum Deus ita nobis placatur, ut summam & æternam fœlicitatem credentibus tribuat. Hæc autem his non dissimilia Paulus contra Stoicos disseruit. Sed quam mercedem hinc
» retulit? Sequitur: Quidam dicebant, Quid uult spermologus hic dicere? Alij
» uero nouorum dæmoniorum uidetur adnunciator esse, quod Iesum & resurre-
» ctionem adnunciaret eis. Vide ut Paulus omnibus afflictionum generibus tentetur. Aliàs propter Euangelion suum fert uincula, carceres, uirgas & lapides. Nunc autem apud Athenienses fert irrisionem & subsannationem. Vocatur enim contemptissimo nomine, Spermologus, hoc est, seminum collector, quod genus hominum abiectissimum erat, quales apud nos habentur myropolæ ac pharmacopolæ circumforanei, & quos uulgo uocamus dentium extractores. Hinc est quod Paulus ad Corinthios scribẽs, Euangelion, dicit, Græcis esse stulticiam: fortassis id uerum esse, maxime omnium Athenis didicit, ac sinamus nos Athenienses cum sua sapientia ualere, & quanquam ipsis Euangelion est stulticia, tamen nobis est sapientia Dei, & potentia ad salutem omni credenti, ut quotquot Euangelio credant, habeant iusticiam & fœlicitatem per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & Spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXXI.



Vdiuimus Euangelion de Iesu Christo & resurrectione mortuorum, a quibusdam Athenien sibus risu exceptum, & tanquam uanam fabulam a circumforaneo illo (sic enim uocabant Paulum) spermologo, ad captandas aures populi confictam, explosum esse. Audiamus nunc quosdam Euangelion non quidem ut fabulam, sed ut historiam in longinqua regione gestam excepisse, ita tamen ut nouitatis tantum studio & uoluptatis gratia audirent, non ut salutem aliquam consequerentur. Atq; hæc fere inter prudentes huius sæculi Euangelij de remissione peccatorum per Christum & resurrectione mortuorum sors est, ꝙ alij quidem irrideant, & naso suspẽdant adunco, alij autem non alio animo audiant quàm ꝙ teneantur desyderio & curiositate cognoscendi res nouas & admirandas, non audiunt

audiunt ut ex fide iustificentur & salutem consequantur. His itaq; auditoribus parum utilitatis ac fructus confert prædicatio Euangelij, id quod exemplo Athenienſium postea comprobabitur. De curiosis ergo & studiosis nouitatis ita scribit Lucas: Alij uero nouorum (inquiebant) dæmoniorum uidetur adnunciator esse, quod Iesum & resurrectionem adnunciaret eis. Et apprehensum eum ad Marcium uicum duxerunt, dicentes, possumus ne scire quæ sit ista noua quæ a te refertur doctrina? Noua enim ingeris auribus nostris, uolumus ergo scire quid nam uelint hæc esse. Pulchre admodum mores curiosorum & nouitatis studiosorum, in his Athenienſibus exprimuntur, confluunt enim undiq; ad Paulum, nouarum rerum nuncium, & ut omnes eum probe percipere queant, apprehendunt eum manibus suis & ducunt in Marcium uicum, qui Athenienſium lingua Ariopagus dictus est. Fuit autem is locus Athenis celeberrimus, in quem Senatores ab eo loco Ariopagitæ dicti, ad iudicandas causas capitales cogebantur, qui tanta integritate de causis capitalibus pronunciasse dicuntur, ut noctu atq; in tenebris non interdiu, nec; luci causas cognoscerent, quo non dicentes, sed duntaxat, quæ dicerentur, spectarent. Et, nisi fallor, si quid publice populo ab oratoribus aut præconibus adnunciandum erat, in eo loco adnunciabatur. In hunc igitur locum statuunt Paulum & diligenter rogant, iterumq; repetunt ut clarius ipsis nouam suam doctrinam ac philosophiam explicet. Et ne quis dubitet eos magis nouitatis quàm pietatis studio hæc fecisse, addit Lucas: Athenienſes autem omnes, & qui illic uersabantur hospites ad nihil aliud uacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid noui. Quid autem tam curiosis hominibus accidere solet? nimirum id quod Paulus scribit. Fluctuant enim & circumferuntur quouis uento doctrinæ, & cum coaceruent sibi doctores iuxta suas concupiscentias, ac aures ipsis pruriant, a ueritate quidem aures auertunt ad fabulas uero conuertuntur. Nam etiamsi nonnunquam contingat eis ueritatis doctor, quemadmodum hoc loco Athenienſibus, assueti tamen subinde noua audire, ueritatem non diutius amplectuntur, quam dum ob nouitatem aliquam uoluptatem affert, mox eam relicturi, si iucunda esse desinat. Quomodo ergo se gerit Paulus erga curiosos illos homines? Quanquam haud obscure intellígit eos magis nouitatis quàm pietatis studio de doctrina Euangelij interrogare, tamen non negligit hanc occasionem prædicandi Euangelij, & sperat, si non maiorem partem populi, saltem paucos aliquos se Christo subiecturum. Stans igitur Paulus in medio Marci uici, ait: Viri Athenienſes, per omnia fere superstitiosiores uos uideo. Hoc est exordium concionis Pauli apud Athenienſes, in quo captat beneuolentiam. Primum, quia appellat eos uiros Athenienſes, quo cognomine nihil honestius apud illos censebatur, tantæ celebritatis erant Athenæ. Deinde uocat eos tanquam superstitiosiores, quod cognomen male quidem audit apud uere pios, apud impios uero idololatras honestissimum censetur. Significat autem superstitio nimiam & superabundantem pietatem seu religionem, ut si quis non solum timet ne a Deo propter adulterium affligatur, sed etiam timet ne a Deo condemnetur, si uescatur carnibus in feria sexta, aut si non solum creditur Christum esse expiationem pro peccatis, sed etiam opus ieiunij, aut eleemosynæ, aut certarum precularum, esse peccatorum satisfactionem. Hæc nimia pietas uocatur superstitio. Et inter impios hypocritas aut iusticiarios maxime laudi ducitur superstitiosum esse. At inter uere pios nihil magis impium ducitur. Et tam malum iudicatur, nimium esse iustum, quàm nimium esse sceleratum. Nam in lege dicit DOMINVS: Quod ego præcipio uobis hoc seruate, ut facias nec addas quicquam nec mi-

Curiosi.

Ariopagitæ.

Superstitio.

nuas. Et aliàs: Non declinetis ab ijs quæ ſcripta ſunt in uolumine legis, neq; ad dextram neq; ad ſiniſtram. Et Eccleſiaſticus capite ſeptimo: Noli eſſe iuſtus multum. Nam hic etiam illud ualet quod de iure ciuili dicitur, Summum ius ſumma iniuria. Et illud agricolarum, Nihil minus expedit quàm agrum optime colere. Ac uetus illud, Ne quid nimis. Reijciuntur enim hypocritæ in Euangelio quod præter legis opera etiam ſua quædam opera excogitabant, & propter illa ſibi iuſticiam ac fœlicitatem pollicebantur. De quibus Paulus ſcribit, Iſraël, inquiens, qui ſectabatur legem iuſticiæ, ad legem iuſticiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis, hoc eſt, ideo non ſunt conſecuti iuſticiam, quia nimis iuſti eſſe uoluerunt. Quid Dario apud Danielem capite ſeptimo ob nimiam ſuam iuſticiam iniuſtius? Quia enim maluit innocentem Danielem leonibus obijcere, quàm fidem principibus ſuis præſtitam, pacta, decreta & ſigilla ſua uiolare, nonne in ſumma inſtitia ſumme iniuſtus factus eſt? Quid Herode in maxima æquitate iniquius? promiſerat is iureiurando Herodiadi ſe daturum quicquid illa poſtularet: poſtulabat autem caput Ioannis Baptiſtæ. Ne igitur Herodes uiolet iuſiurandum ſuum, obſequitur ſorto. Hoc quid aliud eſt quàm tunc maxime crudeliter agere, cum maxime ſanctitati operam des? Itaque qui uere pij ſunt, iam diligenter uitare debent ne nimium iuſti aut ſancti ſint (hoc enim eſt e religione in ſuperſtitionem degenerare) quàm ſollicite cauendum eſt ne iniuſta aut iniqua agant. Sed ut pauloante dixi, nimium eſſe religioſum aut ſuperſtitioſum, inter impios iuſticiarios honeſtum uidetur. Proinde Paulus Athenienſes ſuperſtitioſiores appellat, ad captandam beneuolentiam eorum, & ad præparandam ſibi uiam docendi de uera religione
,, ac pietate. Et addit cauſam cur eos ſic appellet. Præteriens enim inquit & con
,, templans culturas ueſtras, inueni aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto deo. Vera pietas eſt, unum tantum deum uerum colere, uideo autem uos (inquit Paulus) Athenienſes nimium pios eſſe, non enim unum ſolum deum, ſed etiam multos deos colitis, & non eos tantum quorum nomina uobis nota ſunt, ſed etiam eos quorum nomina neſcitis. Cum enim palarer in urbe ueſtra & contemplarer religionem ac culturas ueſtras, reperi altare cuius inſcriptio indicabat ipſum dedicatum eſſe ignoto Deo. Sunt autem qui teſtantur ſcriptum fuiſſe Dijs Aſiæ, Europæ & Aphricæ, Dijs ignotis & peregrinis. Quod ſi uerum eſt, haudquaquam tamen Paulus mendacij arguendus eſt. Si enim altare pluribus dijs ignotis dedicatum fuit, cur non & uni ignoto deo dicatum diceretur. Et fortaſſis Paulus græcam loquendi formam ad phraſim hebraici ſermonis interpretatus eſt. Nam Hebræis Elohim numero plurali interdum unum tantum Deum ſingulariter ſignificat. Cæterum, quo magis ſibi auditores conciliaret Paulus, initio concionis ſuæ refellit eos, qui dicebant ipſum nouorum dæmoniorum annunciatorem eſſe, & pia quadam arte publicam altaris inſcriptionem
,, ad ſuam cauſam accommodat dicens: Quem ergo ignorantes colitis, hunc
,, ego annuncio uobis. Non ſum nouorum dæmoniorum concionator, non fingo nouos Deos, ſed ueterem illum Deum adnuncio quem uos colitis quidem, ſed ignoranter, & doceo quomodo is & cognoſcatur & uere colatur. Quibus uerbis Paulus auditores ſuos non ſolum beneuolos ſed etiam attentos reddit. Nam qui eſt pietatis ſtudioſus, is attente audit eum, qui promittit ſe de uera pietate & uero cultu Dei dicturum. Porro autem ad cognoſcendum Deum & uerum eius cultum maxime omnium ualet ſi falſus Dei cultus refellatur. Itaque Paulus poſt captatam beneuolentiam & attentionem, falſam opi-

nionem

nionem de Deo refellit dicens: Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit DOMINVS, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam & halitum per omnia, fecitq; ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ, præfiniţq; præstituta tẽpora, præfixitq; terminos habitationis eorum, ut quærerent Deum, si forte palpent eum, & inueniant. Hæc nunc charitati uestræ explicabimus, nam quæ sequuntur in concione Pauli, ad aliam homiliam reiciemus. Paulus igitur contra uanam Athenienſium perſuaſionem de cultu Dei concionaturus, ſummam rei hac ſententia proponit. Deus ille, uobis quidem ueſtra ipſorum confeſſione ignotus, qui autem a me uobis manifeſtatur & reuelatur, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur. Quid ais Paule? Nonne Deus ubique eſt? & quomodo tu dicis, non habitat in manufactis templis? nonne Deus omnibus operibus externis Verbo eius mandatis colitur, & quomodo ais, non manibus humanis colitur? Ad hæc ita reſpondendum eſt, quod Paulus non negat præſentiam Dei in omnibus locis, quam poſtea prædicat & aſſeuerat, neque negat opera externa ex fide facta cultum Dei eſſe, ſed concio- *Quod Deus nõ concludatur in lapideatempla.*
tur hoc loco aduerſus falſam Ethnicorum de Deo opinionem. Hi autem ſentiebant diuinam maieſtatem ita in templum lapideum aut ſtatuam auream includi, ut extra templum aut ſtatuam nullam habeat maieſtatem, ſed in eo tantum loco diuinitatem quodammodo captiuam eſſe, quemadmodum ſuperſtitioſi hypocritæ de ſanctis ſentiunt, quod in his tantum locis propicij ſint, & cultoribus ſuis gratiam largiantur, in quibus habent ſepulchra aut uetuſtas imagines. Sentiebant præterea Ethnici, Deum tunc maxime coli & indigentiam eius impleri, cum in honorem eius ſtatua manu artificis maximo ſumptu uel ex auro uel argento uel lapide precioſo facta inſtitueretur. Aduerſus hanc falſam de Deo & cultu eius opinionem concionatur Paulus & dicit, Deum non ita habitare aut includi in templum manufactum, ut non alijs quoque locis præſto adſit aut habitet, nec humanum auxilium defectum Dei ſuppleat. Atque hæc eſt huius concionis propoſitio. Quanquam autem hæc concio ſimilior uideatur expoſitioni quàm argumentationi, tamen quia narratio eius argumentis plena eſt, nos docendi gratia argumenta ſeparatim tractabimus. Audiamus ergo nunc rationes & argumenta, quibus Paulus ſuam propoſitionem confirmat. Prima ratio eſt, quod Deus non concludatur *Prima ratio.*
in templum lapideum. Deus enim (ab Ethnicis ignoranter cultus, a Paulo autem manifeſte prædicatus) fecit mundum & omnia quæ in mundo ſunt, adeoque eſt DOMINVS cœli & terræ. Quomodo autem creator mundi & DOMINVS omnium creaturarum poſſet in paruo quodam loco contineri? Neque enim Deus mundi faber & DOMINVS eſt, quales ſolent eſſe fabri ac domini huius ſæculi. Hi enim opus ſuum quod faciunt derelinquunt, & a ſubditis ſuis interdum longe diſiunguntur. Deus autem ita mundum condidit, ut tamen ea quæ condita ſunt nunquam derelinquat, ſed omnia adminiſtret, & ita dominium in creaturas ſuas exercet, ut omnes adimpleat. Secunda ratio, quod DEVS non colitur humanis manibus, hoc *Secunda ratio.*
eſt, humanum auxilium nihil adiuuat DEVM, & non medetur defectui eius, quemadmodum Ethnici fingebant DEVM humana ope indigere. DEVS enim dat omnibus uitam & halitum per omnia. Quis igitur ſentiet

Deum indigere humana ope? quando potius homines egeant ope Dei, nec possint citra auxilium Dei consistere? Deducit autem Paulus hanc rationem universaliter propositam ad speciem. Deus, inquit, cum omnibus det uitam & halitum, tum uero præcipue, fecit humanum genus ex uno sanguine. Hoc ex libro Geneseos mutuatum est, ubi scribitur, Deum initio unum hominem creasse, & ex costa eius mulierem ædificasse, per hos autem, uidelicet uirum & mulierem, descendit postea diuina operatione omne genus hominum. Quod autem in Genesi dicitur: Tulit Dominus Deus & posuit eum in paradisum uoluptatis, hoc Paulus in isto loco sic explicat, Fecit ex uno sanguine omne genus hominum ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ, hæc enim fuit ante peccatum paradisus uoluptatis, Et quod in Genesi additur, Vt operaretur & custodiret illum, præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Hoc Paulus dicit, præfinijtq; præstituta tempora & præfixit terminos habitationis eorum ut quærerent Deum, si forte palpent eum & inueniant. Hoc certe nihil aliud est quàm q; Deus homines creauit, non ut genio indulgerent, quemadmodum Epicurei sentiebant, sed ut Deum cognoscerent & Deo obedirent. Hoc enim hominum officium est, ad hunc usum conditi sunt, uidelicet, ut Deum inquirant, Deum cognoscant, & uoluntati Dei obsequantur. Porro autem ut Deus inquiri possit, insculpsit naturaliter humanæ menti noticiam sui. Sic enim Paulus ad Romanos scribit: Quod de Deo, inquiens, cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit. Et iterum: Cum Gentes quæ legem non habent, naturaquæ legis sunt fecerint, & legem non habentes, sibijpsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus aut etiam excusantibus. Cæterum hanc naturalem de Deo noticiam de qua hic est sermo, non intelligas noticiam Euangelij, quæ est, quod Deus propitius sit per semen benedictum Abrahæ, Iesum Christum Dominum nostrum. Hac enim noticia prorsus caret humana ratio, nec unquam potest homo eam naturalibus uiribus assequi, sed necesse habet spiritu sancto per prædicationem Euangelij illustrari, ut cognoscat Deum esse propicium per Iesum Christum. Noticia igitur de Deo quæ naturaliter homini insculpta est, non est noticia Euangelij, sed noticia legis, quæ est, quod sit Deus, quod Deus sit clemens seruantibus mandata sua, & durus præuaricantibus, quod Deus omnia administret, quod Deus omnibus det uitam, & id genus alia. Et hæc noticia quamquam per peccatum obscurata est, non tamen ita extincta est, ut prorsus non possit excitari. Excitatur autem & commonefit duabus præcipue rebus, uidelicet, ex contemplatione maioris mundi, & ex contemplatione minoris mundi, quo nomine solet homo uocari. Vnde ad Romanos ita scribitur: Quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mundi peruidentur. Cum igitur uidemus pulcherrimam huius mundi dispositionem, ordinarios solis cursus, & lunæ recessus atque accessus, concordem terræ & maris consistentiam, ne mare terram obruat, fructus terræ singulis annis mirabiliter prouenientes, & alia id genus innumerabilia, nonne perspicue intelligimus non solum Deum esse, uerumetiam eum Deum esse prudentem, potentem, bonum, & ut illi dicunt, Optimum Maximum? Si igitur Deus quispiam est, quis eum non inquireret? Si is Deus prudens est, quis eum non reuereatur? Si potens est, quis eum non timeret? Si bonus est, quis eum non diligeret? Breuiter, si Optimus Maximus est, quis ei non obediret? Vides ergo quomodo naturalis cognitio de Deo e contemplatione maioris mundi excitetur. Quomodo autem commonefiat e contemplatione

Noticia naturalis de deo cuiusmodi sit.

Quomodo naturalis noticia de Deo excitetur.

platione minoris mundi, aliàs, si Deus uolet, dicemus. Cauemus enim ne prolixitate sermonis charitatem uestram tædio afficiamus. Nunc igitur hortamur uos, ut naturalem noticiam Dei, de qua diximus, diligenter in contemplatione maioris mundi exerceatis, nequaquam tamen in ea pedem figentes, sed ultra pergentes, eam Dei noticiam adsequamini quæ est per Euangelion de Iesu Christo Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXXII.

QVæ in concione Pauli sequuntur, nunc uestris adiuti precibus pro nostra mediocritate explicabimus. Dictum est autem, hominem creatum esse & institutum ad inhabitandam terram, non ut genio indulgeat & uoluptatibus studeat, sicut Epicurei sentiunt, sed ut deum quærat ac inuestiget. Porro cum noticia de Deo naturaliter humanæ menti insculpta sit, quemadmodum ad Romanos scribitur, duabus potissimum rebus naturalis illa de Deo noticia commonefieri & excitari solet, primum quidem ex ratione & administratione maioris mundi qui est cœlum & terra, & mare, & omnia quæ præter hominem in eis sunt. Deinde e ratione minoris mundi qui est homo. Dicitur autem homo minor mundus, ad similitudinem maioris, & sicut in maiori omnia sunt aut calida aut frigida, aut humida aut sicca, aut ex his composita, & super hæc omnia cœlestis quædam natura est, quam illi quintam essentiam uocant, ita homo calore, frigore, humido & sicco continetur, & præter hæc cœlestem habet naturam incorruptibilem quæ est anima hominis. Sunt præterea aliæ rationes, propter quas homo minor mundus dicitur, sed eas nunc commemorare non est necesse. Ac quomodo quidem Deus e ratione maioris mundi cognoscatur antea explicatum est, nunc uideamus quomodo cognoscatur e ratione minoris mundi. Sic autem dicit Paulus: Quamuis non longe absit ab unoquoq; nostrum, per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus, sicut & quidam uestratium poëtarum dixerunt, Nam huius progenies etiam sumus: His pauciſſimis uerbis Paulus multa falsa reprehendit, multa uera docet. Non enim id solum uult quod noticia dei ex ipsa mirabili hominis creatura in mentibus humanis excitetur, sed etiam multa alia, uidelicet, & Deus non habitet in templo manufacto, sed potius in templo a seipso creato, nimirum in homine, quod Deus non egeat operibus humanis, sed potius quod homines egeant Deo, & quod Deus non sit ociosus, sed sicut in cœlo & in terra, ita & in homine omnia administret. Hæc omnia ex ordine breuiter perstringemus, ac primum de cognitione Dei ex hominis ratione, Paulus ita docet. Ad excitandam & commonefaciendam naturalem noticiam de Deo, non est ualde necessarium ut scalis ad cœlum ascendas, & illic mirabiles stellarum creaturas contempleris, quibus Deum esse, Deum bonum esse, Deum sapientem esse, Deum potentem esse conijcias, nec opus est ut omnem terrarum orbem percurras aut in profunda maris descendas, ut immanes bestiæ & grandia cete doceant te fortitudinem & potentiam Dei, utq; pulcherrima illa dispensatio maris & terræ, ne uidelicet mare obruat terram, sed intra suos terminos mirabiliter concludatur, erudiat te, deum longe omnium optimum esse. Tantum inquam laborem ad perscrutanda inuisibilia Dei per uisibilia maioris mũdi, sumere minime necessarium est. Sed hoc saltem age, capesse teipsum, mane intra teipsum, in hoc enim paruulo tuo ipsius corpore habes totum mundum, cuius rationem si probe ex-

Homo quare minor mundus dicatur.

Quod Deus sit Opt. Max.

cutias,ad tantam Dei cognitionem peruenies,ut in teipso intellígas non solum deum quendam esse,sed eum quoq; deum esse optimum & maximum,& res conseruantem & iustum, bonorum uidelicet remuneratorem, malorum autem punitorem. Nam si consyderes conditionem tuam priusquam factus es, nimirum inuenies te non esse a teipso factum, & quanquam habeas parentes, per quos in hũc mundum ingressus es,tamen hoc cuiuis etiam deplorati ingenij cognobile est,q; ut quisquam homo nascatur nõ sit positum in potestate parentum. Quod si nec tuipse nec parentes conditores tui sunt,quanto minus te aliæ creaturæ longius a te separatæ condiderunt,oportet igitur deum esse per quem sumus. Deinde si consyderes quomodo uitam receperis in utero matris,& illic usq; ad natiuitatem creueris,cui uspiam tam mirabile artificium adscribes? num tibi? num parentibus? Sed quis tam insipiens esset, cui hoc uel in mentem ueniret? oportet igitur deum esse per quem uiuimus. Post hæc, si motum & corporis & animæ consyderaueris, certe non inuenies nisi talia per quæ in cognitionem Dei assurges,& senties Deum non longe abesse, sed intra teipsum habitare. Corpus enim mirabiliter mouetur,nunc ad hanc nunc ad illam partem,nunc sursum nũc deorsum. Obsecro igitur te,cuius uiribus motus ille fiat? num parentis? at is fortassis mortuus est,num tuis ipsius? Habes quidem uires mouendi,sed num a te ipso habes? minime: qui enim non potuisti tibi uitam dare,nec motum uitæ dare potes. Mouetur & anima mirabiliter, animæ autem motus sunt uoluntas & intellectus. Quis ergo horum motuum author est? profecto quocunq; respicias nõ inuenies nisi Deum,ut uitæ,ita & motuum uitæ authorem: & quia motuum humanorum author est,consequitur ipsum non abesse ab homine, sed inhabitare hominem. Si autem inhabitat,certe homo diuinæ naturæ est,seu ut hic ex poẽta Arato dicitur, diuinæ progeniei sumus. Cæterum abunde satis testimoniorum Paulo e scriptura sacra & prophetis erat quibus potuisset comprobare homines per Deum,esse,uiuere,& moueri,ac diuinæ naturæ esse. Dicitur enim in Genesi: Faciamus hominem ad similitudinem & imaginem nostram. Et in propheta Esaia: Cœlum mihi sedes est,& terra scabellum pedum meorum. Et in Hieremia: Cœlum & terram ego impleo dicit DOMINVS. Et alia multa testimonia sunt. Paulus autem concionatur Ethnicis, apud quos sacra scriptura nullum pondus authoritatis habeat. Allegat igitur poetarum dicta, propterea q; poẽtæ fuerunt Ethnicorum theologi atq; prophetæ. Sed pergamus in homine deum inquirere,nam si ultra consyderaueris, facinorosos homines, homicidas & adulteros,aut ad publica supplicia mirabiliter prodi,aut horribiles conscientiæ cruciatus intra se sustinere, statim intelliges deum puniturum iniustos, iustos autem honoraturum. Præterea cum interdum uideamus bonos affligi, malos autem impune uiuere in hoc sæculo, mox intelligimus aliam uitam reliquam esse in qua mali a Deo cruciandi,boni autem honorandi sint. Atq; ita ex hominis ratione cognitio de Deo excitari solet. Deinceps animaduertẽdum est,q; cum Paulus dicat homines per Deum uiuere,moueri & esse,significat deum non includi captiuum intra templum lapideum,sed hominẽ potius templum dei esse. Primũ quia deus dat homini uitam,& mouet eum, ergo inhabitat in eo, ubi autem deus habitat,ibi templum Dei est,homo igitur est templum Dei. Deinde, quia homo est diuinæ naturæ, creatus ad imaginem & similitudinem Dei. In eo enim quod intelligit,q; aliud ex alio ratiocinatur,q; futura præuidet,aliqua ex parte Deo similis est quia & deus intelligit & futura præuidet, sed multo excellentius hoie. Quia igitur imago dei aliquatenus est in homine,recte homo templũ dei dicit. Est & illud obseruandum, q; cum homines per Deum uiuant, sint, & moueantur, Deum non indigere ope hominis, sed hominem potius indigere ope Dei.

Quomodo ex homine cognitio de Deo.

Hominem esse templum Dei.

Vanissi-

Vaniſſimũ igitur eſt quod Ethnici putant deos ſuos quos colunt humanis operibus iuuari, uidelicet ſentientes, ꝙ diſ ad ſui nutrimentum egeant ſacrificijs bonum, & ad illuſtrandam gloriam ſuam indigeant cultibus hominum. Nam qui uerus eſt Deus is non eget cibo ad ſuſtentandam uitam ſuam, ſed omnibus largitur uitam & cibum, prꝛterea non indiget humana cõmendatione, ſed per ſe haber gloriam clariſſimam, quam etiam conditione huius mũdi manifeſtauit. Ac manifeſtauit non ſui ſed hominum gratia ut cognoſcant eum, & ex cognitione ipſi quoꝙ gloriam & ſalutem conſequantur. Poſtremo non eſt prætereundum ꝙ etiam Paulus, dum ait, per ipſum uiuimus, morimur, & ſumus, aduerſus Epicureos concionatur. Hi enim ſentiebant deum eſſe ocioſum, & non curare humanas res. Hoc reiicit nunc Paulus, & docet deum maxime omnium negocioſum & ſollicitum ad conſeruationem hominis. Primum enim facit ut homo ſit, deinde ut habeat uitam, poſtremo ut moueatur & corpore & anima. Quid igitur magis impium Epicureorum opinione? Habes ꝙ multa Paulus breuibus uerbis comprehendat & doceat. Videamus nunc argumentorum quæ præceſſerũt concluſionem, ſic enim ait: Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus exiſtimare auro aut argento aut lapide arte ſculpto, & inuento hominis numen eſſe ſimile. Hoc quid aliud eſt ꝙ ꝙ ſupra in propoſitione dixit, Deum non habitare in templis manufactis, nec operibus humanis coli? Opera enim humana ſunt imagines aureæ, argenteæ, lapideæ, luteæ, & ſi quid aliud ab homine excogitatur, ut per illud gratiam dei mereatur. Nam hoc ad ſimilitudinem dei effingi dicitur, quod in cultum Dei ad promerẽdam remiſſionem peccatorum, & fauorem Dei, inſtituitur. Sic Iſraelitæ, aſſimilarunt deum uitulo aureo, ſic monachi cucullæ, ſic hypocritæ ſex aut ſeptem horis ieiunij, ſperant enim ſe his rebus placare Deũ, & mereri gratiam Dei. At cum Deus omnia creauerit, uult ut per creaturas ſuas non ſuperſtitioſe & impie colatur, ſed ut per ipſas cognoſcatur, & uere ac pie colatur. Potuiſſet autem quiſpiam ex auditoribus obijcere, Quid tu Paule dicis humanum genus factum eſſe ut deum inquirat, hoc eſt, homini naturaliter inſculptam eſſe cognitionem Dei, & Deum non eſſe ſimilem auro & argento? Quomodo ergo tot ſapientes, tot prudentes, tanto ſæculorum tempore Deum quem prædicas, non uere cognouerunt nec uere coluerunt? & ſi cultus gentium qui tot ſæculis durauit deo diſplicet, qui fieri potuit ꝙ ipſum tamdiu tolerauit? ac ſi oĩno reiiciendus eſt cultus noſter, oſtẽde meliorem. Ad hæc reſpõdet Paulus pauciſſimis dicens: Et tempora quidem huius ignorantiæ cum hactenus diſſimularit Deus, nunc adnunciat hominibus, ut omnes ubiq; reſipiſcant, eo ꝙ ſtatuit diem in quo iudicaturus eſt orbem terrarum cũ iuſticia, per eum uirum per quem decreuerat, fide præſtita omnibus cum excitarit illum ex mortuis. Audis ubiq; Paulum ſummam operam modeſtiæ dare, quo auditores ſuos beneuolos retineat. Nam ut ſupra uere dicere potuiſſet, quem impie colitis, maluit tamẽ dicere, quem ignorãtes colitis. Ita nunc potuiſſet uere dicere, tempora huius impietatis diſſimulauit deus, placuit tamen ei modeſte dicere, tempora huius ignorantiæ diſſimulauit Deus. Primum autem cum ea tempora ignorantiæ tempora uocet, non explicat quidem quæ ſit cauſa ignorantiæ, ſubindicat tamen cauſam eſſe propter quam tot ſapientes uiri, tanta ſæculorum ſerie, etiam id quod homines naturaliter ſcire poſſunt, ignorauerint atq; errauerint. Et eam cauſam explicat ad Romanos ſcribens: Deum, inquit, cognouerunt, non autem ut Deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, ſed fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum, Cum ſe crederent eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & reliqua quæ illic ſequuntur. Hæc eſt ratio quare ſapientes tot ſæculis errauerint, quia & ſi naturalem cognitionem de Deo habuerunt, non tamen glorifica-

Quod Deus cõſeruet res.

Ratio quare ſapientes tot ſeculis erra-uerint.

uerunt ut deum, non timuerunt eum, non obedierunt ei, non tribuerunt ei hono rem creatoris, sed finxerunt quisq; sibi uanas quasdam de deo opiniones, itaq; tunc maxime stulti facti sunt cum crederent se esse sapientissimos. Deinde cum Paulus in hac concione dicit, deum tempora ignorantiæ dissimulasse hactenus, non addit hoc loco causam quare dissimularit, sed & hanc ad Romanos scribens explicat. Aut diuitias (dicens) bonitatis illius ac tolerantiæ, lenitatisq; contem nis, ignorans q̃ bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Audis q̃ deus impieta= tem quam Paulus hic modeste ignorantiam uocat dissimulet, non quia appro= bet ac iustificet eam, sed ut tolerantia & dissimulatione sua impios seu ignoran= tes ad pœnitentiam inuitet. Sic multo tempore tolerauit impios ante diluuium. Sic dissimulauit scelera Zodomitarum. Sic conniuit ad impietatem Israelitarũ ante deuastationẽ Samariæ & Hierusalem. Sic tolerat adhuc omnes malos, non quia approbet maliciam operum, sed ut tolerantia eos ad bonitatẽ inuitet. Nunc autem (inquit Paulus) annunciat Deus hominibus ut omnes ubiq; resipiscant. Quæ ergo est causa q̃ hoc præsertim tempore ignorantia seu potius impietas re uelatur, & ira dei palam fit de cœlo aduersus omnem iniusticiam hominum, qui ueritatem in iniusticia detinent? Hæc nimirum causa est q̃ deus statuit diem in quo iudicaturus est orbem terrarum cum iusticia. Vetus enim dei consuetudo est, q̃ cum inferre uelit impijs & iniustis supplicia, prius impietatem & iniusti= ciam per nuncios suos reuelet. Sic per Nohe palam fecit iniusticiam eorum qui ante diluuium ætatem egerunt. Sic per Loth manifestauit Zodomitis sua scele= ra ante incendium. Sic per Prophetas reuelauit regno Iuda & Israel suas impie= tates ante horum regnorum deuastationem. Sic post resurrectionem Christi ma nifestauit, ut hoc loco, & ad Romanos Paulus dicit, per Apostolos toti orbi suã impietatem. Quam ob causam? profecto nõ quia uoluptati sit deo Camarinam (ut dicitur) mouere, & sordes hominum manifestare, sed ut qui audiant, se ipsos agnoscant, ab impietate & iniusticia resipiscant, & futurum supplicii effugiant. Atq; hoc certe opus est summæ clementiæ Dei, q̃ prius admoneat peccatores q̃ in peccatis pereant, ut uidelicet spacium habeant pœnitentiæ, qua sola imminen tia supplicia euitari queunt. Cæterum supplicium illud quod post resurrectio= nem Christi generaliter toti orbi terrarum imminet, hoc est, q̃ Deus statuit diem in quo iuste iudicaturus est omnes homines, eos quidem qui bene egerunt uita æterna donaturus, eos autem qui male egerunt, perpetuo supplicio affecturus. Per quem autem hoc iudicium exercebit? per eum inquit uirum per quem decre uerat, fide præstita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis. Vel tandem Paulus ad Christum peruenit, & quanq̃ paucis, minime tamen obscuris, si explices, uer bis concionatur de ipso, q̃ sit mediator & propiciator noster apud Deum. Nam cum dicit, Deus iudicaturus est orbem terrarum per eum uirum per quem decre uerat, significat patrem omne iudicium & omnem potestatem in cœlo & in ter= ra dedisse filio suo DOMINO nostro Iesu Christo, idq; cõfirmasse & fidem præstitisse, per illud, q̃ excitarit eum a mortuis. Etenim q̃ Christus a mortuis re surrexit, sacramentum, signaculum, arrabo & confirmatio est, q̃ uir seu homo ille deus est. Declaratus est, inquit Paulus, filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis, eo q̃ resurrexit a mortuis. Si autem uir ille deus est, cer te habebit omnem diuinam potestatem. Inter partes autem diuinæ potestatis hæc maxime omnium præcipua est, q̃ ut deus est sapiens orbis terrarum condi= tor, ita est & iustus totius orbis terrarum iudex. Recte igitur Paulus & hoc loco & aliàs dicit hunc uirum constitutum esse a Deo iudicem uiuorum & mortuo= rum, totius denique orbis terrarum. Si uero iudex est, profecto omnes eos qui se subditos eius agnoscunt, qui in ipsum credunt, qui oẽm fiduciam suam in illum collocant,

Quare tole= ret Deus im= pietatem ho= minum.

Quod Chri= stus sit natu= ra deus & homo.

collocant, a iudicio condēnationis liberabit, sic.n. sua ipsius uerba testātur. Non misit (inquit) Deus filiū suum in mundū ut cōdemnet mundū, sed ut seruet mundus per eum. Qui credit in eū non cōdemnatur, qui uero nō credit iam cōdemnatus est, quia nō credit in nomē unigeniti filij Dei. Et aliàs: Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiāsi mortuus fuerit uiuet. Et oīs qui uiuit et credit in me, nō morietⁱ in æternū. Hæc cū ita se habeant, quid reliquū est, nisi ut abiectis aureis, argenteis aut lapideis simulachris, adeoq; oībus factitijs Dei cultibus hūc uirum cōplectamur. Cōplectimur aūt ipsum fide, uidelicet, ut credamus q; mortuus sit propter peccata nostra, & excitatus sit ꝓpter iustificationē nostri. Si aūt fide eū cōplectimur, reddit nobis iudex propitius ac placatus, ut iudiciū suū proferat nō secundū iniquitates nostras, sed secundū suā ipsius misericordiā. Hoc autē iudice placato, placatus nobis est Dñs Deus noster, ut donet nobis p filiū suū perpetuam fœlicitatē. Hæc est sentētia concionis Pauli quā Athenis habuit. Primum quidē docuit cultū simulacroꝝ nō esse uerā dei cognitionē ac cultū. Deinde aūt subindicauit uerā dei cognitionē & cultū esse fidē in Iesum Christū, quē Deus iudicem orbis terraꝝ cōstituit. Videamus aūt nunc quō Athenienses hanc contionē exceperint. Cū audissent aūt (inquit) resurrectionē mortuoꝝ, alij quidē irridebant, alij ꝙo dixerūt, audiemus te de hoc iterū. Recte scribit Paulus ad Corinthios, Christū esse Græcis stultitiā. Cum. n. hi sapientiā ac rōnes p suasibiles quærant, quid ipsis stultius apparet q̄ filiū Dei mori, & carnem hoīs putrefactam e mortuis resurgere? Alij igit irridēt Euangelion q̄d adnunciat filium Dei mortuū esse ac resurrexisse a mortuis, oēsq; in ipsum credētes a morte in uitā resurrecturos. Alij ꝙo desyderant quidē sępe de hoc argumento audire, nō aūt studio inquirēdæ ueritatis, sed audiendæ nouitatis. Vñ Paulus, quia uidet inter hos auditores nullū esse locū pietatis, exiuit e medio eoꝝ. Quid ergo? prorsus ne sine fructu cōcionatus est? Absit. Verbū Dei nō solet frustra p̄dicari, & si nō multos, certe paucos auditores ad se attrahit. Sequit eīn: Quidā uero uiri adhęrentes ei crediderūt, in quibus & Dionysius Ariopagita, & mulier noie Damaris, aliiq; cū eis. O rem maxime omniū stupendā, in tā populosa, religiosa, docta & erudita urbe duo tantū hoīes nobilitate clari, alius Ariopagita, hoc est, senator aut iudex in Areopago, alia mulier noie Damaris, ex uulgo aūt ignobili pauciſſimi ad Christū conuertunt. Quid obsecro impedijt quo minus plures in Christū crediderūt? Certe nihil aliud nisi nimia illoꝝ pietas & sapientia, qua ita suffocati erāt, ut nullā aliā pietatē & sapientiā admiserint q̄ eā quā ipsi cōmenti fuerunt. Quæ cū ita se habeant, demus opam amicissimi, ne nostra superstitione & sapiētia nosipsos decipiamus, sed tradamus oēm intellectū nostrū captiuū Verbo Dñi, ex quo erudimur q; sola nostra sapientia, pietas & iusticia sit Iesus Christus Dñs noster, q̄ est unà cū patre & spū sancto deus laudādus in sęcula. Amē.

Quis iudicaturus mundum.

CAPVT XVIII.



HOMILIA LXXXIII.

VID IN NEGOCIO EVANGELIco actum sit Athenis, explicuimus. Nunc unà cum Paulo ab Athenis ad Corinthios proficiscemur, ut quis illic Euangelij profectus sit uideamus. Post hæc (inquit Lucas) digressus Paulus Athenis, uenit Corinthum. Priusquam progrediamur, explicandum est quę fuerit urbs Corinthus, & qui mores

incolarum huius urbis. Hoc enim multum proderit, non tam ad cognoscendas res in ea per prædicationem Euangelij gestas, & ad melius intelligenda ea quæ Paulus duabus Epistolis ad Corinthios scribit. Corinthus igitur metropolis fuit Achaiæ, olim Ephyra dicta, in Isthmo sita, & duos habuit portus, alterum aduersus Asiam, alterum Italiæ oppositum. Ac ob portuum commoditatem, negociatorum frequentia locupletissima fuit, & nobilissimum Græciæ emporium. Vbi autem multæ diuitiæ, ibi magnus fastus & multus luxus. Et in quam urbem multi homines confluunt, & peregrinæ merces inuehuntur, in eam etiam solent multa scelera confluere, & peregrina uicia importari. Hinc igitur factum est, quod in Corintho omnia genera luxus, deliciarum, & aliorum scelerum, quę ex ocio & opibus euenire solent, impune exercebantur. Sunt qui scribant in ea templum fuisse Veneri sacrum, in quo plus mille puellæ Veneri consecratæ in eius deæ honorem prostiterint. Scilicet, eo cæcitatis adegit Corinthios impia mollicies e nimijs opibus proueniens, ut publicam eam & nephandissimam scortationem non solum approbarent, sed etiam pro cultu diuino ducerent. Qui turpissimi mores reliquis gentibus occasionem dedere, ut uulgato dicto Corinthiari usurparint, pro eo quod est scortationibus ac luxui operam dare, aut lenocinium exercere. Neq; Paulus dissimulat Corinthiorum mores longe omnium corruptissimos fuisse, sic enim in priori Epistola ad Corinthios scribit: Eratis scortatores, cultores simulachrorum, adulteri, molles, concubitores masculorum, fures, auari, ebriosi, maledici, & rapaces. Et paulo ante: Omnino auditur inter uos stuprum, & huiusmodi stuprum, quod nec inter gentes nominatur. Ex his patet urbem Corinthiorũ fuisse ueluti publicum lupanar, ganeum, lustrum, aut si quid turpius ac fœdius nominari potest. Ad hanc igitur urbem Paulus digressus ab Athenis, diuertit. Quid obsecro, illic facturus? num unà cum luxui deditis luxum sectaturus? Aut si honestior fuit & ut sese tam turpibus moribus daret, cur non fugit hanc urbem luxu omnino perditam? Si honestati & sanctitati studet, cur non ad honestam & sanctam quandam urbem diuertit, & a tam turpi ciuitate declinat? At quid hoc aliud est & si quis quærat, cur medicus intret in domum ægroti? Paulus enim ad Corinthios diuertit, ut illic non opum externarum, sed Euangelij mercaturam exerceat, ac iniusticiam eorum, iusticia commutet, eorum q; corruptis moribus medeatur. Siquidem oues perditæ quales erant Corinthij, non quærunt pastorem, sed pastor necesse habet oues perditas quærere. Ac nec frustranea fuit profectio Pauli ad Corinthios: plures enim illic ad obedientiam Euangelij adduxit & Athenis. Sic enim postea Dominus ait: Populus est mihi multus in hac ciuitate. Quid autem obsecro causæ est, q; plures inter publicæ flagicioſos, quales erant Corinthij, ad Christum conuersi sunt, & inter sapientes, doctos & religiosos, quales erant Athenienses? Certe si animaduertere uolueris, in promptu causam audies. Multo maioris molis est sapientem & in oculis suis iustum, & publicum peccatorem ad Christum conuertere & beatum reddere. Nam primus gradus conuersionis ad Christum, est agnitio peccatorum suorum. Ergo qui publicis sceleribus obrutus est, is facili momento ad agnitionem peccatorum suorum ducitur: siquidem nihil omnino habet nec legem Dei, nec rationem humanam, nec etiam semper publicum consensum, quibus manifestum suum peccatum defendere queat. Qui autem sibi sapiens & iustus uidetur, hic non uult uideri stultus & iniustus, sed quoquo modo potest, contendit sapientiam & iusticiam suam non esse coram Deo stulticiam & iniusticiam. Multo igitur difficilius ad fidem in Christum is qui sibi uidetur iustus, & qui palam iniustus est, adducitur. Atq; hæc est causa cur multo plures in Corintho urbe sceleratissima, & Athenis urbe sapientissima & religiosissima

CORINTHVS.

Athenis quare pauci ad fidem conuersi.

gioſiſſima Chriſto ſeſe dediderint. Hæc præmittere uolui, ut eo commodius ad enarranda quæ in Corintho, quod ad negocium Euangelij pertinet, geſta ſunt, deſcenderem. Nunc igitur primum uideamus ad quem hoſpitem Paulus in Corintho diuerterit. Sic autem ſequitur: Et nactus quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priſcilllam uxorem eius, eo q̃ præcepiſſet Claudius omnes Iudæos Roma decedere, acceſſit ad eos, & quia eiuſdem erat artificij, manebat apud eos & operabatur, erat autem ars illorum texere tabernacula. Chriſtus emiſſurus Apoſtolos ſuos ad prædicandum Euangelion, præcepit ipſis dicens: In quamcunq; ciuitatem aut uicum fueritis ingreſſi, exquirite quis in ea ſit dignus, atq; illic manete donec exeatis. Hoc igitur præcepto etiam Paulus obſequitur, & ingrediens Corinthum, non diuertit ad obuios quoſq; hoſpites, ſed quando difficile erat in tam corrupta ciuitate honeſtum ciuem inuenire, ad peregrinum ſeu aduenam, qui paulo ante unà cum uxore in Corinthum uenerat, diuertit. Huius nomen erat Aquila, e Ponto oriundus, & nomen uxoris eius Priſcilla. Multæ autem fuerunt cauſæ cur Paulus ad hos diuerterit. Primum, quia hi erãt exules, & ſua experientia didicerant exulibus, in quorum numero etiam Paulus erat, miſericordiam præſtare. Alij enim qui ſemper in patrijs delicijs uerſati ſunt, neſciunt quid ſit exilium, neſciunt quid ſit miſeria, neſciunt qualis ſit affectus miſerorum. Ita q̃ nec miſeris ſuccurrere ſciunt. At qui uel ſemel duntaxat calamitatem exilij aut alterius miſerię experti ſunt, hi ſimiliter affectis maxime fauent, & quoquo modo poſſunt ſubueniunt eis. Vnde monet DOMINVS Iudæos in lege ut benefaciant aduenis & peregrinis, ſiquidem ipſi quoq; peregrini fuerunt in terra Aegypti. Q2 autem Aquila & Priſcilla exules fuerint, indicat Lucas dum dicit: qui nuper uenerat ab Italia, eo q̃ Claudius præcepiſſet omnes Iudæos Roma decedere. Hic Claudius Romanus imperator fuit, qui poſt Caligulam imperiũ Romanorũ adminiſtrauit. Quæ uero cauſa fuerit q̃ Iudæos e Roma eiecerit, perſpicue ſcribit Sueto-nius Tranquillus in Claudio ita dicens: Iudęos, impulſore Chriſto, aſſidue tumultuantes Roma expulit. Hęc ſunt uerba Tranquilli, quibus Ethnicus ille ſcriptor indicat, Romæ multas ſeditiones inter Iudæos fuiſſe, q̃ alij Ieſum credidérant Chriſtum, alij uero negauerint & contenderint Chriſtum nondum ueniſſe. Itaq; Cæſarem Claudium omnes ſimul Iudæos ex urbe exegiſſe, ad quam tamen paulo poſt multi clementia principum redierunt. Habes cauſam exilij Aquilæ & uxoris eius. Videndum deinceps eſt num & aliæ rationes inuitarint Paulum ut diuerterit ad Aquilam & Priſcillam. Et ecce diuertit ad eos quia eiuſdem erant artificij, ars autem illorum erat texere tabernacula e pellibus, poſſes eos pelliones uocare. Vnde manebat Paulus apud hos & operabatur. Hic mihi uide ingentes Pauli uirtutes. Primum enim, & ſi iure Romanæ ciuitatis quod habuit, clarus ac nobilis fuerit, non tamen dedignatus eſt, non inhoneſtum quidem, ſed tamen paulo ſordidius artificium exercere. Alij enim nobilitatis genere clari, ſi diuites ſunt ociantur, ſi pauperes prædantur, & ex rapto uiuere ſolent. At dum quondam in Romano imperio adhuc uirtutibus opera dabatur, quo quiſq; nobilior erat genere & clarior uirtutibus, eo minus probro ſibi ducebat, honeſtam exercere artem. Nam & ab aratro ad ſummum Dictaturæ imperium quidam nobiles Romani rapti ſunt. Vnde & Paulus nobiles uiros honeſtatis amantes imitans, mauult honeſtum artificium exercere, quàm inhoneſtis & turpibus factis uictum ſibi parare. Deinde charitatis eſt, quod non uult gratis panem apud hoſpitem ſuum Aquilam manducare. Charitas enim requirit, ne quis proximo præter neceſſitatem grauis ſit. Et Paulus aliàs ait: Qui non laborat, non manducat. Quod igitur alijs præcepit, hoc idem pri-

Claudius quare Iudeos e Roma exegerit.

Pauli uirtus quod laborando uictum quæſierit.

mus ipſe obſeruauit, ut apud nullum gratis & ocioſe panem ederit, ſed aut operatus ſit manibus, aut Euangelion prædicarit. Accedit poſtremo alia cauſa quare Paulus ad Aquilam & Priſcillam diuerterit. Erant enim hi coniuges honeſtiſſimi, & prorſus unius in Chriſtum fidei, id quod rarum admodum eſt inter coniuges. Nam cum publica de religione controuerſia eſt, non frequenter inter coniuges de religione conuenit. Et hoc fortaſſis tolerabile eſſet, ſi non grauius malum accideret. Dum enim de religione controuertitur, non ſolum in uno, ut dicitur lecto, duorum coniugum, ſed etiam in uno unius ſiue mariti ſiue uxoris corde duæ diuerſæ religiones cubare aut habitare ſolent. At in coniugio Aquilæ & Priſcillæ nihil horum malorum inuenies, ibi erat unum cor & una anima, ſimul in Chriſtum credebant, ſimul ob Chriſtum in exilium profiſciſcuntur, hoc eſt, habebant tam proſpera quàm aduerſa communia. Ac horum pietatem Paulus aliàs multum commendat. Nam ad Romanos (ad quos poſtea Aquila & Priſcilla redierant) ſcribens ita ait: Salutate Priſcam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuam ipſorum ceruicem ſuppoſuerunt. Quibus non ego ſolum gratias ago, ſed & omnes Eccleſiæ gentium. Quin & hos habuiſſe piam familiam indicat Paulus ibidem dum addit, item quæ in domo illorum eſt, congregationem. Et ad Corinthios: Salutant uos in Domino multum Aquila & Priſcilla, cum ea quæ in domo eſt ipſorum Eccleſia. Ad hos igitur (ſiquidem Deus ſemper ducit ſimile ad ſimile) tam pios coniuges diuertit Paulus, exemplo ſuo nos monens, ut cum pijs contubernia habeamus. Iam uero Paulus non acceſſerat Corinthum, ut illic manibus tantum operaretur. Aliud habebat miniſterium, cui præcipue operam dabat, erat enim Apoſtolus Ieſu Chriſti, ut Euangelion de Chriſto tam inter Iudæos quàm inter gentes prædicaret. Itaq; alijs quidem diebus tabernacula texebat.

Par coniugũ concordium.

„ Per omne autem Sabbathum diſputabat in Synagoga, perſuadebatque Iu-
„ dæos pariter & Græcos. Hoc enim Apoſtoli officium eſt ut de pietate diſputet, & finis eius eſt ut auditores perſuadeat quo illi recte de pietate ſentiant, & ſalutem conſequantur. Ab initio quidem Paulus, quantum ex ijs quæ ſequuntur conijci poteſt, ita de pietate diſſeruit ut nondum aperte de Chriſto concionaretur, ſed tantum oſtenderit, opera legis non eſſe ueram iuſticiam. Neminem enim legi ſatisfacere, ſed omnium hominum opera, aut eſſe manifeſta peccata contra legem, aut apparere quidem honeſta & iuſta, non tamen ſatisfacere legi coram Deo, quippe quod lex ſit ſpiritualis, homines autem carnales. Fortaſſis & hoc addit, quod ad comparandam iuſticiam & ſalutem neceſſarium ſit ſemen Abrahæ promiſſum & Meſſias Dauidi pollicitus ac per prophetas prædicatus. Et hanc diſputationem adhuc tolerant Iudæi ac plures e Iudæis & Gen-
„ tibus approbant. Cum autem ueniſſent e Macedonia Silas & Timotheus,
„ coartabatur ſpiritu Paulus, teſtificans Iudæis Ieſum eſſe Chriſtum. Videob ſecro, quid potentius, quid efficatius concordi fratrum de rebus pietatis collatione & admonitione? Quanquam enim Paulus nihil aliud noctes atque dies meditabatur, quàm ut Chriſtum perſpicue prædicaret omnibus gentibus, tamen dum adhuc ſolus eſſet in Corintho, non magna, ut aliàs ſolitus fuerat, uehementia urgebat, hunc Ieſum eſſe Chriſtum. Poſtquam autem uenerant ad ipſum Silas & Timotheus e Macedonia, quemadmodum Paulus e Theſſalonica ad Athenas proficiſcens mandauerat, ex horum aduentu, exhortatione & miniſterij auxilio ita accenditur, ut iam nullis minis, nullis periculis, nullis humanis perſuaſionibus contineri potuerit, quin Chriſtum uehementer inculcaret & urgeret, uidelicet, non ſolum ad iuſticiam parandam opus eſſe Meſſia, uerumetiam hunc Ieſum Nazarenum eſſe uerum illum Meſſiam Dauidi promiſſum, &

missum, & per prophetas prædicatum. Reliquum igitur est, ut siquidem Paulus, qui in tertium usq; cœlum raptus fuerit, & de quo DOMINVS dixit: Organon mihi electum est, comministrorum suorum admonitione & auxilio accẽsus, testificatus est Iesum esse Christum, primum fratrum nostrorum, quam uis minorum, admonitiones non contemnamus, sed sentiamus eas nobis ad excitandam uehementiam spiritus nostri necessarias esse. Deinde credamus in hunc Iesum, quod ipse sit Christus, hoc est, quod sit propiciatio, satisfactio, iusticia, sapientia & redemptio nostra, sic enim ex remissione peccatorum nostrorum iusti coram Deo reputabimur, & perpetuam salutem consequemur, per eundem DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula. Amen.

HOMILIA LXXXIIII.

Escripsit Lucas argumentum concionum Pauli in Corintho, uidelicet, quod Iesus sit Messias ille olim a Deo promissus, in quo solo uera iusticia & salus habetur. Et hanc summam prædicationis fuisse, neq; ipse Paulus dissimulat. Sic enim in priori epistola ad Corinthios capite secundo scribit: Ego, inquiens, cum uenirem ad uos fratres, non ueniebam cum eminentia sermonis aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium Dei. Non enim me iudicaui quicquam scire inter uos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Hunc autem prædicare & scire est prædicare & scire uitam æternam. Hæc est, inquit Christus, uita æterna ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Audiamus autem nunc quomodo hæc prædicatio a Iudæis Corinthijs excepta sit.

Contradicentibus (inquit) eis & blasphema loquentibus, excussis uestimentis, dixit ad eos Paulus: Sanguis uester super caput uestrum. Mundus ego posthac ad Gentes uadam. Principio uides Iudæos non solum contradixisse prædicationi Pauli, sed etiam blasphema in Christum locutos esse. Ecquid sibi hoc uult dices, quod cum prædicatione Euangelij de Iesu Christo homines iustificentur, audiamus hos Iudæos Corinthios ex ea prædicatione haud quaquam iustificatos, sed omnium pessimos ac sceleratissimos redditos esse? Quod enim peius est scelus quàm aduersus Deum & Christum eius blasphema loqui? At hoc ipsum Christus explicat dicens: Ego in iudicium ueni in hunc mundum, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant. Ac Paulus: Christi bona, inquit, fragrancia sumus Deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem, illis uero odor uitæ ad uitam. Et Petrus, Vobis ait precios us est qui creditis. Cæterum his qui non credunt, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic cœpit esse caput anguli, & lapis in quem impingitur, & petra ad quem offendant. Etenim Christus natura sua illuminat, iustificat & saluat omnem hominem uenientem in hunc mundum & credentem in ipsum. Incredulos autem excæcat, peiores efficit & damnat, non quidem natura sua, sed uicio incredulorum. Nam quemadmodum sol natura sua omnia illustrat, interim tamen excæcat oculos cæcucientes, non suo ipsius sed imbecillium oculorum uicio, ita Christus cum credentes omnibus bonis afficiat, tantum tamen incredulitatis uicium est, ut incredulis omnia mala inferat. Habes admirandos ac plane diuersissimos prædicationis Euangelicæ effectus, quod alios quidem auditores meliores, alios autem peiores reddat. Duo autem sunt

Diuersi effectus euãgelij

Duo genera auditorũ qui ex Euãgelio peiores fiunt

genera eorum qui e prædicatione Euangelij peiores fiunt. Hæc enim est Euangelij prædicatio, quod non iustificemur aut saluemur propter merita operum nostrorum, dignitatem & uirtutes nostras, sed tantum iusti reputemur propter Christum Iesum per fidem, per quam habeamus remissionem peccatorum & placatum patrem. Ex hac igitur prædicatione alterum quidem impiorum genus, quod est hypocritarum, accenditur, ut blasphemias in Christum efflet, & Euangelion extremo odio persequatur. Quid ad me Christus inquiunt? si bene egero, scio Deum mihi redditurum pro benefactis meis uitam æternam, etiamsi nullus unquam Christus in hunc mundum uenisset. Hæc si non ore dicunt hypocritæ, certe corde ita sentiunt id quod ex eo patet, quod Euangelium de Iesu Christo persequantur. Et sic affecti fuerunt pharisæi, ac ipse quoq; Paulus quando adhuc in Iudaismo Ecclesiam persequebatur. Alterum genus est præsumptorum, eorum uidelicet qui ex prædicatione remissionis peccatorum licẽtiam peccandi sibi usurpant & dicunt, Quid? si peccata remittuntur, & neminem damnant, peccabo igitur libere, & genio indulgebo, semper mecum in corde illud Euangelij uolutans, Meretrices & publicani præcedunt uos in regno cœlorum. Hi non minus in Christum blasphemi sunt, q̃ qui aperto marte Euangelion persequunt̃, & blasphema de Christo loquunt̃. Blasphemia enim est non solum uirulenta aduersus Christum & Euangelion eius execratio, sed etiam impius Christi & Euangelij abusus. Christus aut̃ & Euangelion eius nobis proposita sunt, non ut habeamus licentiam peccandi, sed ut a peccatis liberemur & caueamus. Proinde qui sibi ansam peccandi e Christo & Euangelio usurpat, is multo plus peccat & blasphemat, q̃ qui uirulentissimis uerbis in Christum & Euangelion palam debacchantur. Hæc sunt genera auditorum qui ex auditu Euangelij peiores reddũtur. Reliqua autem paucissima pars melior euadit. Quare danda est nobis opera, & in eorum numero simus, quibus Euangelion est potentia Dei ad salutem. Quomodo autem Paulus gerit sese aduersus Iudæos contradicentes & blasphema loquentes? num in contentionem & pugnam cum ipsis descendit? nequaquam, contendendo enim & pugnando ueritas amittitur, sed obsequitur præcepto Domini sui Iesu Christi, is enim ait: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete aut̃ ab illis hominibus. Et aliàs: Ne detis quod sanctum est canibus, ne proieceritis margaritas uestras ante porcos, ne quando hi conculcent eas pedibus suis, & illi uersi in uos lacerent uos. Ac rursus: Si te & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus? Hic mihi obserua qualis maior auditorum Euangelij pars a Christo describitur. Lupi sunt, canes, & porci. Quibus bestijs quid aut ferocius, aut sordidius, aut immundius? Cum igitur Paulus animaduerteret Iudæos auditores suos lupos & canes esse, ac subinde e prædicatione Euangelij peiores fieri, reliquit eos, & cõuertit se ad Gentes. Excussis enim uestimentis suis, dicit: Sanguis uester super caput uestrum. Mundus ego post

Excutere uestimentum.

hac ad gentes uadam. Porro excutere uestimentum idem significat quod excutere calciamentum, aut manus lauare. Hoc enim signo significare uolunt homines, se non esse culpæ affines, sed eam a se in alios reijcere. Excutit igitur Paulus uestimentum suum ut ostendat sibi non esse imputandum, q̃ Iudæi prædicatione Euangelij destituantur, quando ipse suo munere defunctus sit, illi autem ministerium Euangelij non ferant, ergo Iudæi sua culpa peribunt, iuxta illud quod Dominus in Ezechiele ait: Si me dicente ad impium morte morieris, & tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua & a uia sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Porro autem, & si hic discessus Pauli Iudæis fuerit ludibrio, aut etiam gaudio,

gaudio, tamen Paulus unà cum suo discessu secum a Iudæis abstulit omnem iustitiam, pietatem, fœlicitatem, & uitam æternam, & reliquit Iudæis nil nisi omnem impietatem, iniquitatem, mortem, & perpetuam damnationem. Quomodo hoc inquies intelligendum est? An ne iustitia & uita æterna ita in Pauli potestate sita fuerunt, ut quo Paulus uenerit, illuc intulerit ea, ubi autem abierit, illinc ea abstulerit? Certe hæc non fuerunt sita in persona Pauli, sed tantum sita sunt in persona Christi. Nihilominus tamen Christus ea quoque ministerio Apostolico seu prædicationis commendauit. Et quia Paulus Christi fuit, habuit quoque suo ministerio creditam iustitiam & uitam æternam. Sic enim Christus ait: Qui uos audit me audit, qui uos contemnit me contemnit. Et iterum: Quorumcunq; remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt. Proinde, ubi ministri Euangelij contemnuntur & reijciuntur, ibi reijcitur quoq; iustitia & uita æterna, ac minister occasione contemptus recedens, omnia illa secum aufert. Sed uideamus nunc quo abeat Paulus. Et migrans, inquit, inde (uidelicet e Synagoga) intrauit in domum cuiusdam nomine Iusti, colentis Deum, cuius domus erat contigua Synagogæ. Cur autem intrauit in ædes Iusti? num ut illic delitesceret, ac a prædicatione Euangelij cessaret? Nequaquam, sed ut in ea domo Christum prædicaret, quando id non poterat præ blasphemijs Iudæorum in Synagoga facere. Quid ergo commodi attulit Euangelion in domo Iusti? Certe commodum non mediocre. Crispus enim archisynagogus credidit DOMINO cum tota domo sua (& hunc Paulus ipse baptizauit quemadmodum ad Corinthios scribit) multiq; Corinthiorum audientes credebant ac baptizabantur. Vides nunc Euangelij prædicationem multo magis inter summos nebulones, quales erant Corinthij, quàm inter doctissimos & religiosissimos, quales erant Athenienses, promouisse. At hic Paulo illi qui in tertium cœlum raptus fuit, qui dictus est organon electum Dei, humani aliquid accidisse, ea quæ sequuntur, testantur. Dixit autem DOMINVS nocte per uisionem Paulo: Noli timere, sed loquere & ne taceas, propterea quod ego sim tecum, & nemo adorietur te ut affligat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Ex hac admonitione & consolatione DOMINI, satis perspicue obseruatur, Paulum mirabiliter tentatum fuisse. DOMINVS enim Deus noster dicitur auxiliator in necessitatibus. Priusquam igitur auxilium suum credenti conferat, permittit eum grauissime tentari & affligi, & cum tentatio in summum peruenit, adest suo auxilio & tentatum seruat ac eripit. Cum autem nunc Paulum eximie consoletur & uehementer exhortetur ad capescendam Euangelij adnunciationem, manifeste apparet, tentationes Pauli grauissimas fuisse. Porro, quales fuerint, ipsa Verba Dei perspicue indicant, cum enim dicit, noli timere, sed loquere, & ne taceas, nonne manifestum redditur, Paulum in memoriam reuocasse omnes afflictiones quas hactenus propter Euangelion sustinuerit, nimirum quod carceres & uerbera pertulerit, quod quadragenas plagas una minus aliquoties a Iudæis acceperit, & lapidatus fuerit, ut non referam ludibria, conuicia, & id genus alia quæ passus est nunc a Iudæis, nunc a gentibus. Ac e præteritis futura cõiectans, multa maiora supplicia se in Corintho passurum cogitasse, & nescio quas horrendas mortes sibi ob oculos posuisse. Hæc igitur in mentem reuocans Paulus, maximo timore perculsus est, ut fieri solet, quod iuxta uulgatum dictum, puer igni semel tactus, ignem semper horret. Timore autem periculorum & mortis correptus, cogitauit non solum de relinquenda Corintho, ubi iam ostium Euangelio satis patenter apertum erat, sed etiam de relinquendo prorsus ministerio Euangelij, hoc est, cogitauit se porro taciturum, & non prædicaturum Euangelium, ut posset secure

Tentationes Pauli.

uiuere, quandoquidem uidebat se non tanto fructu Euangelion prędicare, quantum optaret ac speraret. Hæ autem sunt ipsissimi Satanæ cogitationes & ignita diaboli iacula, quibus is conatur pios ex obedientia uocationis suæ deijcere. Quid enim magis impium & Satanicum fuisset, quàm si Paulus ministerium suum dereliquisset? Erat enim Paulus ad tertium usq; cœlum raptus, & didicerat Euangelion, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum ac Deum patrem, idq; non sua tantum causa, sed potissimum propter alios, uidelicet, ut tam Iudæis quàm Gentibus prædicaret Euangelion. Erat præterea publico Ecclesiæ consensu per spiritum sanctum ad prædicandum Euangelion emissus, quemadmodum supra capite decimo tertio scribitur. Quin & ipse scribens ad Corinthios: Væ mihi, inquit, nisi Euangelizem. Quæ igitur magis impiæ cogitationes in Paulo esse potuissent, quàm hæ de tacendo & relinquendo ministerio suo? Et has cogitationes puto non minimam partem fuisse eius stimuli, de quo ipse Paulus scribit inquiens: Datus est mihi stimulus per carnem, nuncius Satanæ, ut me colaphis cæderet ne supra modum efferrer. At hic mihi uide ingentem clementiam Dei erga credentes in eum, & inuocantes ipsum. In mediis enim his periculosissimis cogitationibus & tentationibus præsto adest sua consolatione & alleuat eum, qui corruerat elisumq; erigit, dicens: Noli timere & ne taceas, sed loquere, hoc est, tu quidem times nunc & somnias tibi nescio quas grauissimas mortes, si pergas Euangelion meum prædicare, & ob hanc causam cogitas de fugienda Corintho, & de abijciendo ministerio tuo. At ego aliud iubeo, Ne timeas neq; taceas, sed in ministerio pergas. Et ut possis timorem excutere meo q; mandato parere, audi promissionem meam. Quia ego tecum sum & nemo adorietur te, ut affligat te. Quid autem his pollicitis non promittit Deus? Ego (inquit) tecum sum. Quis est ille ego? non est alius nisi DOMINVS deus noster. At quantæ sunt uires, quanta est potentia DOMINI? certe DOMINVS omnipotens est, & habet in potestate sua omnes creaturas, superas & inferas. Ac ut uerbo creauit totum mundum ita uno uerbo omnes aduersarios suæ uoluntatis perdere potest. Quos autem habet secum comites aut ministros? Milia milium (inquit Daniel) ministrant ei & decies milies, centena milia assistunt ei. Ac uel unus saltem illorum tantæ est potentiæ, ut possit una nocte centum octoginta quinq; milia armatorum uirorum trucidare, quemadmodum scriptum est de angelo, qui exercitum Sanneherib percussit. Itaq; Deus promittens se affuturum, promittit omnipotentiam suam adfuturam, promittit omnem angelorum potestatem adfuturam. Et quis tanto exercitu uallatus non esset tutus? Quis tanto auxilio adiutus, non omnia aduersa superaret? Si ambulauero (inquit Dauid) in medio umbræ mortis, nõ timebo mala quoniam tu mecum es. Et iterũ: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, Si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo. Ac rursus: DOMINVS mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Cæterum quo Paulus alacrior ad capescendum ministerium fiat, præter promissionem indicat etiam DOMINVS ei utilitatem ex Euangelio in Corintho secuturam, populus (inquit) est mihi multus in hac ciuitate. Multi prędicatione tua ad fidem conuertentur, multos reddes ministerio tuo fœlices. Quare ne taceas, sed loquaris & pergas uocationem tuam sequi. His uerbis per fidem exceptis ita animatus est Paulus, ut reiectis omnibus Satanæ cogitationibus, uocationem suam diligentissime secutus sit, ac multo tempore Corinthijs Euangelium prædicauerit. Sedit autem ibi (inquit Lucas) annum & sex menses, docens eos sermonem Dei. Cæterum imbecillitas Pauli & consolatio Dei, ponitur nobis ob oculos, neque Pauli neque DOMINI Dei nostri

Clementia dei quanta.

causa

abstineat,nec ullam persequatur,sed tantum curet ut ciuilem pacem inter subdí-
tos diuersę religionis conseruet. Quare cum Gallio non requirat religiones,nec
sciat quæ uera sit,multo prudentius facit ꝙ nolit esse iudex causarum religio-
nis,quam hoc tempore multi magistratus ciuiles, tam Papistæ ꝙ̃ Euangelici (ut
uocantur) quorum illi persequuntur Euangelion, hi omnes religionis causas
suo iudicio stare aut cadere uolunt, cum tamen nec Papisticam nec Euangeli-
cam religionem satis cognitam habeant. Iam quanquam prudentia est si non in-
telligas diuersitatem religionum a iudicio earum causarũ abstinere, tamen non
est pietas,ut quæ sit uera religio non discas neꝙ cognoscas,eamꝙ cognitam offi
cio magistratus tui non adiuues. Omnium enim hominum nedum magistratus
interest ueram religionem cognoscere,& pro uirili sua iuxta modum suæ uoca
tionis adiuuare & defendere. Proinde impietas est ꝙ Gallio non requirat ueram
religionem,eamꝙ quantum magistratui ciuili licet,ab hæreticis,schismaticis,&
alijs aduersarijs defendat. Sed quia non est Gallioni curæ ꝙ Græci apprehendũt
Sosthenem comitem Pauli,& percutiũt eum ante tribunal, hoc demũ iniquissi-
mum est,& præter omne officium magistratus ciuilis,& agit Gallio cõtra suam
ipsius uocem. Dixit enim: Si qua iniuria ciuilis esset aut facinus Romanis legi-
bus plectendum,merito uos sustinerem. An uero hæc non est iniuria ciuilis, ꝙ
Græci hominem insontem & incondemnatum,ante tribunal coram Proconsu-
le percutiant? Nolit sane Gallio iudex esse causarum religionis,cur non ciuilem
iniuriam uindicat? Magistratus enim interest, nullo habito personarum respe-
ctu,iniuriam quam alter alteri infert prohibere, cuius cuius sint hi uel ętatis uel
dignitatis,uel religionis. Ab hoc Gallione non differũt hi magistratus,qui cum
bene longis mandatis & grauissimis minis prohibeant,ne quisquam uel nomine
Dei ad execrationes & maledicta abutatur,uel proximum suum ad æquales hau
stus ingurgitandos cogat,attamẽ tam ignaui,tam torpidi suorum mandatorum
executores sunt, ut etiamsi suis ipsorum auribus execrationes audiant, aut suis
oculis ingurgitationem æqualium haustuum uideant,non tamen legitima pœna
hæc scelera uindicẽt. Quid autẽ hac ignauia iniquius, aut qua fœdiori labe maie
stas magistratus sordidari potest? Etenim, quẽadmodum omniũ hominum offi
cium est a sceleribus abstinere, ita magistratus officium est publica scelera legiti
ma pœna coërcere. Dei,inquit Paulus,minister est,ultor ad iram,ei qui quod ma
lum est fecerit. Publica igitur scelera ex ignauia impunita relinquere,quid in ma
gistratu aliud est ꝙ̃ in priuato publica scelera designare? Et si rem probe excusse
ris,multo plus peccat magistratus non coërcendo scelera, ꝙ̃ priuatus designan
do scelera. Priuatus enim suo scelere sæpenumero sibi tantum malus est, Magi-
stratus autem ad scelera cõniuendo,primum malus est scelerato, ꝙ legitimo sup
plicio non ducat eum ad resipiscentiam: deinde sibijpsi quoꝙ malus est, ꝙ suum
officium negligit. Postremo & alijs malus est,quibus sua conniuentia occasionẽ
præbet mala exempla sectandi. Iam maiestas magistratus requirit, ut reuerenter
suspiciatur & timeatur: quid autem maiorem in uulgo contemptum parit,quam
si magistratus multa mandet & nihil exequatur? hoc enim non est mandare, sed
inaniter crepitare & uana effutire. Magistratus igitur uanis suis mandatis con-
temptum pariens, quid aliud facit, ꝙ̃ ꝙ maiestatem diuinæ ordinationis propha
net,& quod sanctũ esse debet, sua ignauia contaminet? Sed reuertemur ad Gal-
lionem. Hic enim & si agnoscebat se iudicem ciuilium controuersiarum & in-
iuriarum, tamen nihil prorsus curæ ei fuit, ꝙ se spectatore bonus uir Sosthenes
nihil mali meritus percuteretur, qua indulgentia aut uerius negligentia, non-
ne occasionem dedit quibusuis malis nebulonibus quosuis bonos pessime tra-
ctandi,& pro sua libidine dilancinandi? Porro Sosthenes iste,qui hoc loco a

Græcis percutitur, archisynagogus fuit, quemadmodum Lucas ait, & postea tanta familiaritate iunctus est Paulo, ut cum Paulus priorem suam ad Corinthios epistolam scriberet, hunc Sosthenem unà cum ipso in epigrapha epistolæ inscripserit: Paulus, inquit, uocatus Apostolus Iesu Christi per uoluntatem Dei, & Sosthenes frater. Ac pietatem eius hoc etiam loco animaduertere potes, cum enim iniuste percuteretur, nec a magistratu defenderetur, non repercussit, nec in magistratum inuectus est, sed ultionem Deo relinquens, uerbera sine murmure pertulit, nimirum Christum Dominum suum imitans, qui cum maledictis incesseretur, non minabatur, sed tradidit uindictam ei qui iudicat iuste. Imitemur & nos amicissimi tantam mansuetudinem, ut quorum exemplafactis exprimamus, eorum quoq; consortium in cœlesti hæreditate cõsequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXXVI.

OVæ de Gallione & Sosthene Lucas scripsit, antea explicuimus, nunc reuertemur ad Paulum, ut quæ, postquam incolumis accusationem Iudæorum euasit, gesserit, explicemus, sic autem sequitur: Paulus uero deinde commoratus dies multos, ualedicto fratribus abnauigauit in Syriam comitantibus eum Priscilla & Aquila, posteaquam rasserat caput in Cenchreis, habebat enim uotum. Quod Paulus Timotheo suo præcipit: Esto, inquiens, forma fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate, hoc in se priore expressit. Cum enim propter Euangelion aduersa passus sit in Corintho, & non continuo Corinthum deseruerit, sed promissione ad ipsum antea dicta animatus, multos adhuc dies illic commoratus sit, ac in officio prædicandi Euangelij perrexerit, certe forma est omnium fidelium, ut nullis periculis deterriti a uocatiõe sua deficiãt, sed fide animati alacriter pergant. Necessariũ autem est ut hanc formam obseruemus: facillime enim fieri solet, ut pericula infirmos in fide a uocatione deterreant: Et alius quidem aliquandiu negociationem suam iuste (hęc enim est uocatio negociatoris) administrans, nec multum lucri sibi accidere sentiens, cogitat de relinquenda iustitia & usurpandis imposturis. Alius autem Euangelion de remissione peccatorum per Iesum Christum aliquanto tempore credens, & omnia in hoc sæculo infœlicia sentiens, deliberat de reijciendo Euangelio, & de redeundo ad ueterem hypocriticæ impietatis saliuam. At propter pericula derelinquere iustitiam ac pietatem, quid aliud est q̃ propter ingraue sc̃etem morbi dolorem medicum contemnere ac reijcere? Iustitia enim ac pietas sunt ueluti medicus. Si quis enim in fide (hæc enim reputatur in iustitiam propter Christum) constet. & fide iusta operetur, eo tandem peruenit ut liberetur ab omnibus periculis Iustitia, inquit Ezechiel, iusti super eum. Et iterum, Ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Et in Mose: Si audieris uocem Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate, benedictus in domo. Proinde quo maiora pericula instãt eo magis mordicus tenenda est iustitia, ut per eam pericula euadamus. Accedit huc, q̃ quemadmodum pater quispiam in hoc sæculo filio suo nonnunquam durus & austerus est, non q̃ uelit eum ab hæreditate excludere, sed quia uelit eum in timore & disciplina continere, ut eo commodior reddatur ad percipiendam hæreditatem paternam, ita pater noster cœlestis obijcit nos interdũ periculosis afflictionibus, nõ ut fugiamus & derelinquamus hæreditatem ab eo promissam, sed ut magis idonei ad capessendã illam reddamur. An non uides quid homines huius sæculi fãcere

In uocatione esse perstãdũ

cere ſoleant, quo chariorem aliquem theſaurum habent, eo diligentius illum cuſtodiunt, ne a furibus ſuppiletur, & pertinatius conſeruant ne a latronibus auferatur. Non autem eſt maior pietate theſaurus, & cui Satan tanquam fur & latro noctes atq; dies uarijs tentationibus inſidietur. Ergo qui propter pericula quæ a Satana excitantur, abijcit iuſticiam & pietatem, quid aliud faceret, quàm ſi quis audiens furem in domo ſua, non includat theſaurum ſuum, ſed aperiat, & proponat eum furi diripiendum, aut uidens latronem mox oſtentet ei opes ſuas atque auferendas obijciat. Quo quid imprudentius quid ſtultius dici poteſt? Ita q; comparemus nos ad formam Pauli, ut quemadmodum ille nihil periculis deterritus, eo conſtantius in miniſterio Euangelij perrexit, quo maiora diſcrimina ſubinde expertus eſt, ita nos eo pertinatius uocationem noſtram ſectemur, quo plura aduerſa nos deterrere conantur. Cęterum, poſtquam Paulus ſufficienter poſuiſſet fundamentum Chriſtianæ doctrinæ apud Corinthios, diſceſſit illinc, ut in alijs quoq; locis aut Chriſtum prædicaret, aut antea in Chriſtum credentes confirmaret. Hæc enim erat uocatio Pauli, non ut in uno loco maneret, ſicut Epiſcopi aut Doctores Eccleſiæ, ſed ut diuerſas regiones gentium peragraret ac Euangelium adnunciaret. In hac autem profectione comitantur eum duo illi coniuges Aquila & Priſcilla, ad quos primum Paulus in Corintho diuerterat, quemadmodum in principio huius capitis ſcriptum eſt. Nemo uero exiſtimet hanc profectionem & comitatum tam leuem ac facilem fuiſſe, quàm breuibus ac paucis uerbis hic deſcribitur. Nam quanto periculo cõſtiterit Aquilam & Priſcillam, teſtatur ipſemet Paulus, Romanis ita ſcribens: Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuam ipſorum ceruicem ſuppoſuerunt. Quibus non ego ſolus gratias ago, ſed & omnes Eccleſiæ Gentium. Exiſtimo autem hoc quod Paulus de Aquila & Priſcilla ſcribit, in hac potiſſimum profectione & comitatu contigiſſe. Nam primum quidem adiuuerunt Paulum ſumptu, deinde quia comitantur eum, eadem cum illo pericula ſubeunt, & ad defendendam uitam illius, ſeipſos maximis diſcrimínibus obijciunt, cum potuiſſent in Corintho ſecure uiuere: periculoſiſſimum enim erat eum comitari, in cuius mortem Iudæi conſpirauerant, & propter quem omnes amici & comites eius peſſime tractabantur, quemadmodum paulo ante in Soſthene apparuit. At idem quo periculoſius, eo credentibus in Chriſtum honeſtius fuit. Nam Paulus eius Euangelij adnunciator erat, quod eſt potentia ad ſalutem omni credenti, per quod acquiritur uera iuſticia, uera uita, perpetua fœlicitas, denique omnia cœleſtia bona. Quid igitur pium hominem magis decet, quàm propter illum fluxa & caduca corporis bona negligere, per quem perpetua animæ bona contigerunt? Nam qui ſic aliquid uel bonorum corporalium uel uitæ terrenæ negligit, hic nihil negligit ſed lucratur. Dicit enim Chriſtus: Quicunq; ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ tantum nomine diſcipuli, amen dico uobis non eſt perditurus mercedem ſuam. Si exhibitus frigidæ aquæ potus non erit abſq; mercede, quomodo poſſet fruſtra magnus ſumptus impendi? Elias propheta petijt bucellam panis a muliere Sareptana, quam cum illa Eliæ nomine prophetæ exhibuiſſet, tãtum abeſt ut perdiderit eam, ut farina eius nunquam uſq; ad eũ diem quo DOMINVS pluuiam dabat deficeret. De neglectu autem uitæ audi quid Chriſtus dicat: Qui perdiderit animam ſuam mea cauſa, inueniet eam. Obijcere uero ſeſe periculo propter Apoſtolum Chriſti in nomine Apoſtoli, eſt animam ſuam propter Chriſtum perdere, ait enim, qui uos recipit me recipit. Proinde nihil amittit periclitans propter Apoſtolum, ſed potius ut Chriſtus dicit, mercedem Apoſtoli accipit. Cuius rei memorabile exemplũ habes in Aquila & Priſcilla. De his enim

Vocatio Pauli.

Quod pij benefaciendo nihil amittant.

Paulus scribit: Quibus non ego solus gratias ago, sed & omnes Ecclesiæ Gentium. Audis quanta bona receperint Aquila & Priscilla, pro eo quod Paulum sumptu suo adiuuerint, & sese propter ipsum periculo exposuerint. Ego inquit non solus gratias pro eis ago, sed etiam omnes Ecclesiæ Gentium. Si solus Paulus pro Aquila & Priscilla gratias Deo ageret, quantum putas fauorem Dei Aquilæ & Priscillæ impetraret? Quomodo enim Deus illos non respiceret quos Paulus tantus Apostolus precibus suis commendaret? At non solus Paulus, sed omnes Ecclesiæ Gentium agunt pro illis Deo gratias, quam igitur gratiam non sperarent illi apud Deum? Et cum in hoc sæculo hi habuerunt omnes Ecclesias Gentium pro se sollicitas, qui fieri potuit ut non habuissent pro se sollicitum DOMINVM Deum nostrum? Porro autem pro quo Deus sollicitus est, quid non salutis ei cõtingeret? Benefaciamus igitur omnibus quibus Deus uult a nobis benefieri, ut omnes salutem nostram Deo commendent. Sed illud quod de Paulo sequitur, mirum uidetur. Rasit enim caput in Cenchreis (qui est portus Corinthiorum) quia habebat uotum. Quid hæc sibi uult rasura Pauli? num redit ad Iudaismum? Iudæi enim ex lege Nazareorum radebantur. At ne per somnium quidem cuiquam in mentem ueniat quod Paulus ab Euangelio defecerit, & relapsus sit ad Iudaismum. Sed hoc illud est quod aliàs dicit in priori ad Corinthios epistola capite nono. Cum liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum seruum feci ut plures lucrifaciam, & factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam, his qui sunt sub lege quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam. His qui sine lege sunt tanq̃ sim sine lege, cum non sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos qui sunt sine lege. Iam, Iudæi habebant legem de Nazarenis ac uoto & cæremonijs eorum, quæ scribuntur Numeri capite sexto: Loquere (inquit Dominus ad Mosen) ad filios Israel & dices ad eos, Vir siue mulier cum fecerint uotum ut sanctificentur, & se uoluerint Domino consecrare, a uino & omni quod inebriari potest abstinebunt. Et postea: Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius usq̃ ad completum diem quo Domino consecratur. Ac mox, Tunc radetur Nazareus ad ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ. Hactenus commemorauimus legem Nazareorum quantum in præsentiarum opus est. Quanquam autem oblatio Nazareorum non debuit fieri nisi in loco a Deo electo, tamen existimo rasuram licuisse fieri in quouis loco, scribitur enim, Vt radatur Nazareus ante ostium tabernaculi, hoc est, non in ipso tabernaculo. Ita q̃ si rasura non fiebat in tabernaculo, nihil contra hanc legis partem peccabatur in quocunque alio loco Nazarei radebantur. Cæterum hæc lex instituta fuit non ut Nazarei his operibus satisfacerent pro peccatis, expiarent commissa sua scelera, & placarent Deum ac gratiam eius mererentur, solum enim Christi opus aut sacrificium satisfactio est pro peccatis, & placauit patrem, his qui per fidem Christum agnoscant, sed instituta fuit ad exercitium externum, uidelicet, ut hac disciplina corpus ad continentiam & sobrietatem exerceretur, quo animus esset paratior ad orandum in magnis afflictionibus, aut ad alia diuina meditanda. Cum igitur Paulus maximas haberet afflictiones & tentationes, ueri simile est ipsum hoc uotum uouisse, ut huius uoti disciplina corpus suum in seruitutem redigeret & agilior redderetur ad inuocandum auxilium Dei in afflictionibus suis. Et quia hoc uotum opinione & opere legittimum fuit, iure obseruari debuit. Nam cum de obseruatione uotorum disputatur, non hoc tantum dispiciendum est, num factum sit uotum, sed num uotum quod factum est sit licitum aut legittimum? Sunt enim uota dissimilia, quædam sunt & opinione & facto impia, ut hypocrita uouens se uxorem & liberos relicturum ac ingressurum in monasterium,

LEX NAZAREORVM.

Paulus quare raserit caput & fecerit uotum.

nasterium, ut operibus monasticis pro peccatis suis satisfaciat. Hoc uotum est impium opere & opinione. Relinquere enim uxorem & liberos citra uocationem Dei, opus impium est: sentire autem quod opera monastica satisfaciant pro peccatis, opinio impia est. Ac huius generis uota, ut impium est uouere, ita magis impium est, iam uota obseruare. Quædam opere quidem sunt licita, fiunt autem opinione impia. Vt si quis uoueat se ieiunaturum pro peccatis suis. Ieiunium quidem opus legittimum est, sed opinio est impia, opus enim ieiunij non est satisfactio pro peccatis: ubi autem opinio impia est, ibi etiam opus ipsum alioquí per se legittimum impium fit. Quare nec huius generis uota obseruari debent, sed abijcienda est opinio impia, & opus ipsum libere seruari potest. Quædam sunt & opere & opinione pia, quale fuit uotum Pauli, quia opus ipsum lege præscriptum erat, & fiebat a Paulo, non ut opere illo pro peccatis suis satisfaceret, sed ut hac disciplina corpus suum exerceret. Huius generis uota sunt eorum, qui uouent se nõ æqualibus haustibus compotaturos, ne inebrientur uino, sed ut sobrij maneant. Item qui uouent se non lusuros tesseris, ne substantiam suam ludo perdant, sed ut uxorem & liberos nutriant. Hæc uota sunt opere & opinione legittima, quare omnino obseruanda sunt. Et de his scriptum est: Vouete & reddite Domino Deo uestro. Item si quid uouisti Deo ne moreris reddere. Vnde & Paulus quæ iuxta legem uouit, ea & iuxta legem obseruauit, non a Christianismo in Iudaismum relabens, sed uotum Mosaica lege præscriptum Christiana fide implens. Sed pergamus & sequentia explicare. Diuertitq; Paulus Ephesum, & illos ibi reliquit. Rogantibus autem eis ut tempore ampliori maneret apud se, non annuit, sed ualedixit illis dicens: Oportet omnino me festum quod instat agere Hierosolymis, sed iterum reuertar ad uos Deo uolente. Et soluit Epheso, cumq; peruenisset Cæsaream, ascendisset & salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam, & commoratus illic aliquantum temporis, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phrygiam, confirmans omnes Discipulos. De Epheso postea pluribus agetur, quare de hac nunc nihil dicemus. Porro autem Paulus in profectione ad Hierusalem, eas Ecclesias uisitat, quas antea plantauit, & confirmat omnes eos qui Euangelio Iesu Christi crediderant. Etenim quemadmodum uitæ naturali necessario accedit, nutricatio, & plantationi rigatio, ita necesse est, ut qui ex fide renatus est, in fide quoque confirmetur. Nam imbecillitas nostra maior est quàm ut uerbis explicari queat, & aduersarius noster Satan potentior est quàm ut humanis uiribus superari possit. Itaq; necesse habemus armatura Dei, quæ est Verbum Dei, subinde muniri, ut ualeamus aduersario nostro non solum resistere, sed etiam uincere ipsum, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Triplicia uota esse.

HOMILIA LXXXVII.



Gite fratres, etiam hodie aliquid e scriptura sancta tractabimus, ut animum nostrum spirituali cibo pascamus. Etenim quemadmodum corpus nostrum non contentum est semel tantum pasci, sed instat, ut creditor, & sæpius die appellat, ita animus uarijs tentationibus emaceratus subinde sua nutrimenta, suos cibos, qui sunt uerbum Dei, appetit, ut recuperatis uiribus tentationes sufferre ualeat. Audiamus igitur quæ nobis Lucas narret, postquam descripsit Paulum Galaticam regionem & Phrygiam perambulasse ac discipulos confirmasse. Sic enim ait:

» Iudæus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, uir eloquẽs de-
» uenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat institutus in uia DOMINI, &
» feruens spiritu loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt DOMINI, sci-
» ens tantum baptisma Iohannis, & hic cœpit libere loqui in Synagoga. Quid
inquis emolumenti affert nobis narratio illa de Iudæo Apollo? Certe multum.
Nam cum commemorantur excellentia dona eius, & commendatur q̃ donis in
ministerium Domini optime usus fuerit, profecto admonemur, ut suo quisq̃
dono recte ad illustrandam gloriam Christi utatur. Principio igitur commenda
Eloquentiæ donum. tur hic Apollo a dono eloquentiæ. Vir, inquit, eloquens. Inter dona autem hu-
ius sæculi ciuilia quæ Deus hominibus largiri solet, fere principem locum obti-
net eloquentia. Hac enim constant non tam Respub. ciuiles quàm Ecclesiasti-
cæ. Et quod nec potentia nec diuitiæ nec fortitudo efficere potest, hoc efficit elo
quentia. Nullum enim imperium tam potens, tam diues, tam forte est quod du-
rare potest, nisi homines prius bonis legibus & rationibus ad parendum per-
suasi fuerint. Nec quisquam hominũ ad bona cœlestis regni aspirat, nisi ante cer
tam persuasionem conceperit, talia bona ad se certo pertinere. Persuasio autem
eloquentiæ opus est. Proinde eloquentia superat diuitias, potentiam & omnia
id genus dona. Quanquam autem maximũ donum sit, tamen non facit possesso
rem suum iustiorem coram deo, sed tantum celebriorem & clariorem coram ho
minibus. Vna enim sola res est qua iustificamur, uidelicet, si credimus q̃ Deus
non imputet nobis peccata nostra, & remiserit nobis iniusticias nostras propter
Iesum Christum filium suum. Itaq̃, cui contingit donum eloquentiæ, is non exi
stimet se alijs propter donum suum meliorem & iustiorem, sed adiungat fidem
ut ex fide iustificatus & spiritu sancto donatus eloquentia sua bene iuxta uolun
tatem Dei utatur. Vnde & Apollo licet eloquentia præditus esset, tamen non re-
putat eam sibi ad salutem sufficere, sed confert se ad discendam scripturam sa-
cram, ut per uerbum Dei fidem concipiat, ex fide autem non eloquentia iustifi-
cetur. Commendatur igitur secũdo ab eruditione in scripturis. Potens (inquit)
in scripturis. Sed nec hoc ad ueram salutem satis est, quippe quod & Satan scri-
pturam sciat, & multi hæretici in scriptura potentes sint, non tamen salutem con
sequantur. Sed necesse est ut e scripturis cognitionem Dei ediscas, cognitionem
autem Dei disces, si primum legem Dei discas, ut eam facias, aut si id non potes,
peccata tua agnoscas. Deinde Euangelion de Iesu Christo, ut ei fidem adhibeas.
Commendatur igitur tertio in Apollo q̃ ad scripturam sese contulerit, non ut
scripturam falsis opinionibus deprauaret more Satanæ & hæreticorum, sed ut
uiam Domini cognosceret. Erat inquit institutus in uia Domini. In qua uia? Se-
quitur: Sciens tantum baptisma Iohannis. Quid ergo est baptisma Ioannis? num
hoc baptisma non est perfecta cognitio uiæ Domini? Vt respondeamus, obser-
uandum est, q̃ baptisma Ioannis nõ dicitur opus tantum illud quo Ioannes disci
Cuiusmodi fuerit baptisma Iohannis & doctrina. pulos suos in aquam Iordanis intinxit, sed dicitur totum negocium, hoc est, tota
doctrina Ioannis, & omnia quæ ad doctrinam eius pertinent. Porro autem do-
cuit Ioannes baptismum pœnitentiæ. Ad pœnitentiam uero requiritur, primum
quidem ut peccata agnoscantur, deinde ut credatur q̃ remissio peccatorum con-
tingat nobis propter Christum. Ioannes igitur docuit & legem, ut per ipsam pec
cata agnoscerentur, & Christum, ut quotquot in ipsum crederent haberent re-
missionem peccatorum. Nam q̃ Christum docuerit, conciones eius palam testan
tur. Post me, inquit, uenturus est, qui est fortior me, cuius non sum idoneus ut
calciamenta portem, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni. Et aliàs. Ecce ag-
nus ille dei qui tollit peccatum mundi. Ac iterum: Pater diligit filium, & omnia
dedit illi in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam. His certe concioni-

bus

bus ipsissimus plane Christus prædicatur. Quid ergo dicemus? Si Iohannes prædicauit Christum, & Apollo sciuit baptisma Iohannis, cur hic ait Lucas, ꝙ tantum baptisma Iohannis sciuerit, nimirum significans, ꝙ Apollo nondum rectam Euangelij aut Christi cognitionem habuerit. Et confirmat illud postea cum scribit Aquilam & Priscillam assumpsisse ad se Apollo, & exposuisse ei uiam Dei exactius. Ad hoc ita dicendum est, ꝙ Iohannes prædicauerit quidem Iesum Christum, sed tempore Iohannis nondum erat reuelatus modus, quo Christus esset orbem liberaturus, & regnum suum occupaturus ac dilataturus. Imaginabantur enim non tantum discipuli Ioannis, sed etiam discipuli Christi ante passionem eius, ꝙ Christus non passione, resurrectione, & spiritus sancti missione, sed armata manu orbem inuasurus, & externa maiestate sibi omnes gentes subiecturus ac in terra pro more terrenorum regum dominaturus esset: discipulos enim Christi huius opinionis fuisse notius est, ꝙ ut probari debeat. Igitur quemadmodum discipuli Christi ante passionem sciebãt quidem Iesum esse Christum, expiatorem peccatorum, & redemptorem orbis, sed nesciebant modum quo expianda essent peccata & redimendus orbis. Cum enim apud Marcum Christus de sua passione concionaretur, ac præciperet discipulis, ne cui transfigurationem in monte factam dicerent, nisi cum filius hominis a mortuis resurrexisset. Addit Euangelista: Verbum hoc tenuerunt apud sese, inter se disputantes, quid esset hoc quod dixerat, e mortuis resurgere. Et apud Lucam: Tradetur, inquit, Gentibus & illudetur & contumelijs afficietur & conspuetur, & cum flagellauerint, occident eum, ac die tertia resurget. Et addit Lucas: Ipsi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant quæ dicebantur. Sic & Apollo sciebat quidem Iesum esse Christum, hoc est, agnum Dei, qui tollit peccata mundi, & liberatorem populi, sed nesciebat mysteria passionis & resurrectiõis, ac ignorabat regnum Christi per missionem spiritus sancti, de qua nullam habebat cognitionem per orbem dilatandum, adeo ꝙ ea multa ignorabat, de quibus Christus ad discipulos suos ait: Adhuc multa habeo quæ uobis dicam, sed nõ potestis portare nunc. Cum igitur hæc quæ sunt reuelatio regni Christi, & reuelata Euangelij cognitio ignorauerit, alia tamen e prædicatione Iohannis de Christo probe calluerit, recte dicitur baptisma tantum Ioannis sciuisse, ac postea exactius in uia Domini ab Aquila & Priscilla institutus esse. Sed priusꝙ explicemus quomodo Apollo ad reuelatam cognitionem Christianismi, & Euangelij de resurrectione & regno Christi peruenerit, uideamus quomodo suis donis & sua scientia usus sit. Feruens (inquit) spiritu loquebatur & docebat diligenter ea quę sunt Domini, & cœpit libere loqui in Synagoga. Audis quomodo probe donis suis usus fuerit, nõ enim sufficit ut donum aliquod egregium possideas, sed requiritur ut eo iuxta donatoris uoluntatem utaris. Si Deus dederit diuitias, si potentiam, si sapientiam, si fidem in Christum, nõ dedit ut his pro tua libidine abutaris, sed ut diuitijs egentem adiuues, ut potẽtia oppressum defendas, ut sapientia insipienti consulas, ut fide bona opereris & mandatis Dei obedias. Ita si dederit eloquentiam & eruditionem in scripturis, nõ dedit ut ignauus torpescas, sed ut diligenter alios doceas, doctrinam feruenter urgeas, & ueritatem libere confitearis. Hic est uerus doni eloquentię & eruditionis in scripturis usus. Discamus igitur exemplo Apollo suo quisꝙ dono pro sua uocatione & uoluntate Dei uti, ut qui in pauco fidelis est, super multa constituatur. Cæterum, quomodo Apollo ad reuelatam Euangelij cognitionẽ peruenerit, sequitur. Quem cum audiuissent Priscilla & Aquila assumpserunt eum, atꝙ exactius exposuerunt ei uiam Dei. Iterum obserua horum duorum coniugum Aquilæ & Priscillæ pietatẽ in adiuuando ministerio Euangelij. Antea Paulum hospicio exce-

Quomodo Apollo tantũ sciuerit baptisma Ioannis.

Dona Dei usu constare.

perunt,& comitati eum sunt magno uitæ suæ periculo usq; ad Ephesum, quibus officijs quantum in se erat ministerium Euangelij adiuuerunt. Nũc quia uidens Apollo eloquentem quidem hominem & eruditum in scriptura sancta, nihil tamen aliud scientem q̃ baptisma Ioannis, hoc est, habentem rectam quidem & ueram, sed tamẽ adhuc obscuram Christianismi cognitionem, existimãt eum commodissimum reuelati Euangelij ministrum fore, & uocãt eum ad se: ac quemadmodum Christus apparẽs discipulis apud Lucam post resurrectionem, aperuit mentem illorum ut intelligerent scripturas & dixit eis: Sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertio die, & prędicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in oẽs gentes. Ita Aquila & Priscilla docẽt Apollinem reuelatam Christianismi cognitionem, nimirum, ut Christus passus sit, ut per passionem intrauerit in gloriã suam resurgẽs a mortuis, ut ascenderit in cœlum, & donum spũs sancti, ad proferẽdos terminos regni sui, hoc est ad propagandum Euãgelium in totum orbem terrarum effuderit. Quid autẽ pietatis tibi de his nõ polliceberis, qui tãto periculo & studio ministerium Euãgelij adiuuant: Hi em̃ ingẽs argumẽtum præbent, q̃ maximam fidem Euãgelio adhibẽt. Qui aũt Euãgelio credunt, hi ueram salutem possidẽt. Accedit huc q̃ qui hoc ministerium pro sua uirili & uocatione adiuuãt, certe nihil minus faciunt q̃ qui ipso ministerio funguntur. Qui autẽ eo funguntur, hi prædicatiõe sua homines ad pœnitẽtiam reducũt, & cœlum hoibus implẽt, quo opere quid posset esse sanctius aut Deo acceptius: Quare Aquila & Priscilla erudientes Apollo doctorem Ecclesiæ, nõ minus faciũt, q̃ si ipsi Ecclesiã pietatẽ docuissent. Postq̃ aũt Apollo reuelatum de Iesu Christo Euãgelion didicisset, eadem diligẽtia et uehemẽtia ur
» get illud, qua antea obscurã adhuc Euãgelij doctrinam. Sic em̃ sequitur: Cum
» autẽ uellet ire Achaiam, exhortati fratres scripserũt discipulis ut susciperẽt eũ.
» Qui cum uenisset (uidelicet ad Corinthum quæ est in Achaia) contulit multum
» his qui crediderũt per gratiã, uehemẽter em̃ Iudæos reuincebat publice, oñdens
» per scripturas q̃ Iesus esset Christ⁹. Quid Apollo in ministerio Dei diligẽtius? quid eo fidelius? In Epheso feruens spũ loquebatur sermonem Dei. In Corintho publice cõuincit Iudæos erroris, & manifestis scripturis oñdit q̃ Iesus Nazarenus uerus sit Messias seu Christus ille qui patriarchis promissus & a prophetis prędicatus est. Apollo aũt maxime authoritatis apud suos discipulos fuisse, multa haud obscure indicãt. Primũ em̃ discipuli hoc doctore gloriati sunt & laudi sibi duxerũt noĩe Apollo uocari. Sic em̃ Paulus ad Corinthios scribit. Vnusq̃sq̃ uestrum dicit, ego quidẽ sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ. Quanq̃ aũt reprehẽduntur Corinthij q̃ noibus Apostolorũ gloriabãtur, tñ facile hinc authoritas Apollo aĩaduertitur. Deinde tribuit Paulus huic Apollo rigationẽ, ingens: Ego plantaui, Apollo rigauit. Tametsi ꝟo nihil sit rigator sine incremẽto, tñ cooperarius dei est ad incrementũ. Quõ ergo rigauit Apollo Ecclesiã Corinthiorũ? Paucis illud explicat Lucas dicens: Oñdit per scripturas q̃ Iesus esset Christus. Hęc fuit summa Euãgelij q̃ Apollo Corinthios rigauit. Ex hac aũt summa haud difficulter diuinare licet, q̃d Corinthijs cõcionatus sit, uidelicet, q̃ is Iesus passione sua p̃ peccatis nostris satisfecerit, q̃ meruerit nobis oĩa cœlestia bona, q̃ placauerit patrẽ in cœlis, q̃ p̃ hunc solũ habeamus remissionẽ peccatorũ, q̃ is solus sit uia, uita, salus, resurrectio, iusticia, sanctificatio, sapiẽtia & redẽptio nostra. Sic em̃ explicaẽ Messias seu Christus. Cũ igitur hæc doctrina Ecclesiã riget ut abundantiorẽ fructum ferat, agite amicissimi, amplectamur hanc doctrinam, & adhibeamus ei fidẽ, ut spiritu sancto a Deo patre nostro donati, diuinæ uolũtati semper obediamus, & perpetuã fœlicitatẽ cõsequamur, per Iesum Christũ Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spũ sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

CAP.

CAPVT XIX.

HOMILIA LXXXVIII.



QVOD PAVLVS ANTEA AQVILAE & Priscillæ promiserat, uidelicet, se, posteaq; festum Hierosolymis peregisset ad Ephesum reuersurum, Iterum, inquit, reuertar ad uos, Deo uolente, hoc nunc probe præstat ac redit Ephesum, celebrem minoris Asiæ urbẽ, ut & illic Ecclesiã Christi plantaret. Nec frustraneus fuit conatus eius. Profectũ em̃ Euangelij in Epheso testat̃ ipe Paulus ad Corinthios ita scribens: Cõmorabor Ephesi usq; ad diem quinquagesimum. Nã ostium mihi apertum magnum & efficax, & aduersarij multi. Audiamus igitur Lucã narrantẽ nobis quid in negocio Euangelico ex ordine apud Ephesios gestũ sit: Factũ est autẽ (inquit) cũ Apollo ,, esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus (uidelicet, Asiæ mino ,, ris) ueniret Ephesum, & repertis quibusdam discipulis, dixit ad eos, num spũm ,, sanctũ accepistis posteaq; credidistis? Ex his principio satis aiaduertimus hũc ,, fuisse rerũ quod ad religionẽ Euãgelij attinet in Epheso statũ, ante Pauli aduentum, q; cũ nullus ad Ephesios hactenus apl̃us pueniisset qui Euãgelion iã p̃ resurrectionẽ Christi & missionẽ spũssancti reuelatũ prędicasset, nulla quoq; reuelata cognitio de Iesu Christo illic fuerit. Nã Paulus quidẽ puenerat cum Aquila & Priscilla ad Ephesum, sed cũ pauciss̃ima illic disputasset, soluit Epheso. Et Apollo potens quidẽ erat in scripturis, attamẽ nõ nouerat nisi baptismũ seu doctrinã Ioannis Baptistę. Aquila quoq; & Priscilla, tametsi reuelatã Christi cognitionẽ habebãt, tamen nõ fungebant̃ publico docendi munere. Ita factum est ut tractaretur quidẽ inter Ephesios noua Euãgelij religio, obscure tm̃ cognoscereť. Alius em̃ baptisma tm̃ Ioannis agnoscebat, alius Messiã uenisse quidẽ credebat, sed ad quid uenisset nesciebat, fortassis etiã multi a Iudæor̃ supstitione deficiebãt, nõ cognitione ueritatis, sed odio pharisaicar̃ traditionũ, & studio nouitatis. Quid si & alij quidã ex oĩbus religiõibus id q̃d sibi uoluptati erat elegerũt, quẽadmodum etiã his tp̃ibus accidere solet, nimir̃, e p̃dicatione Ioannis, cõtemptum pharisaicarũ traditionũ, ex auditu de Chr̃o, neglectũ oper̃ legis, e religione Ethnicorũ inter q̃s uiuebãt, licentiã quiduis impune agẽdi. Hęc, n. turba illic nasci solet, ubi spargit̃ quidẽ fama aliqua de x̃o Euãgelio, ministeriũ tm̃ Euãgelij nõ publice nec cõtinenter agit̃. Cũ igit̃ in Epheso uaria esset religiõis turba, p̃uenit illuc Paulus, & cũ quosdã inuenisset discipulos, hoc est, qui gloriabant̃ se nouo Euãgelio credere, aiaduerteret tm̃ ipsos ualde obscuram habere cognitionẽ ueri Euãgelij ac Iesu Christi, interrogauit eos, num accepissent etiam spũm sanctum? Porro Paulus non interrogat de ipsa spũssancti substantia, uel de cõmunibus spũssancti donis, probe, n. nouit spũm sanctum ut Deum oĩa implere, & sine spũssancti dono non posse etiam doctrinæ Ioannis Baptistæ credi. Siquidẽ illi fatentur postea, se baptizatos esse Ioãnis baptismate, & credũt doctrinã Ioĩs. Sed interrogat de specialibus & admirabilibus donis spũssancti, quæ post ascensionẽ Christi baptizatis in nomine Iesu Christi p̃ impositionẽ manuum Apl̃or̃ conferebant̃, de quibus in principio huius libri capite secundo audiuimus, nimir̃, sciẽtiam diuersarum linguarum, & donum prophetiæ seu intelligendi prophetias de Messia. Et hæc primum collata sunt Apostolis in die pentecostes, deinde his ad quos Petrus ait: Baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem

Qualis rerũ status Ephesi fuerit ante aduentum Pauli.

Pauli interrogatio de spiritu sancto cuiusmodi fuerit.

peccatorum,& accipietis donum ſpiritus ſancti. Poſtea Samaritanis a Philippo baptizatis,hinc Cornelio & alijs gentibus quibus Petrus Euangelion prædicauit. Item Galatis,ut Paulus teſtatur, poſtremo multis alijs,quorum in ſcriptura non fit mentio. Conferebantur autem hæc mirabilia dona ſpiritus ſancti,non ut humana ſanctitas probaretur, ſed ut baptiſmus & doctrina de Ieſu Chriſto confirmaretur,ut qui crederent Euangelio de Ieſu Chriſto & baptizarentur in nomine eius,certi eſſent ſe remiſſionem peccatorum,ſpiritum ſanctum,& ueram ſalutem conſecutos. Itaq;,cum Paulus audiret quidem Epheſios quoſdam gloriari de uera fide, ſed cum intelligeret eos nondum ſatis in fide eruditos, hac interrogatione de ſpiritu ſancto diſcere uoluit, num reuelatam iam & coruſcantem
» Euangelij doctrinã percepiſſent. Audi ergo quid illi reſpondeant: At illi dixe
» runt ad eum,immo neq; ſit ne ſpũs ſanctus audiuimus? Ex hac reſponſione iterum uidere licet, Paulum de admirabilibus ſpũſſancti donis interrogaſſe. Profecto enim hi Epheſij nõ tam ignari rerum ſpiritualium,neq; tam rudes in religione fuerunt,ut neſcierint eſſe ſpũm ſanctum Dei. Sciebant certe ſeptuaginta uiros de ſenioribus Iſrael ſpũ Dei ſancto impletos fuiſſe tẽpore Moſi. Non ignorabant prophetas per ſpũm ſanctum locutos eſſe. Probe nouerant Dauidem in pſalmo oraſſe: Spũm ſanctum tuum ne auferas a me. Non igitur hic ſermo eſt de ipſa ſpiritus exiſtentia,aut cõmunibus eius donis, ſed de nouis & admirabilibus donis ſpũſſancti. Hæc dicũt Epheſij ſe ignorare. Neq; ſit ne ſpũſſanctus audiuimus,hoc eſt,ſcimus quidem reipſa ſpũm ſanctũ eſſe,ſcimus eius uaria dona eſſe, ſed num talia dona effundat, de qualibus tu nos interrogas prorſus ignoramus. Qua reſpõſione prodũt ſeipſos q̃ nõ habeant reuelatã Euãgelij de Ieſu Chriſto cognitionem,de qua in priori Homilia diximus. Admiratꝰ igitur Paulus qui fiat q̃ glorientur ſe uere credere,ignorent tamen qualia dona ſpũſſancti uere credentibus conferantꝰ. Vnde interrogat eos ultra & ait ad illos: Quo ergo baptizati
» eſtis? At illi dixerunt Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes quidem
» baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo loquens de eo qui uenturus eſſet poſt
» ipſum,ut crederent,hoc eſt de Chriſto Ieſu. Vt quæ hic ſcribuntur,dilucidius intelligamus. Primũ omnium obſeruandum eſt q̃ baptiſma Ioannis hoc loco non aliter accipiatur,q̃ quemadmodum ſupra in eo loco quo dictum eſt,Apollo ſciuiſſe tantum baptiſma Ioannis, uidelicet,non pro intinctione tantum in aquã Iordanis,ſed pro toto negocio & miniſterio Ioãnis,quod eſt,prædicatio baptiſmi pœnitentiæ in remiſſionẽ peccatorũ,per agnum Dei tollentem peccata mũdi, qui eſt Ieſus Chriſtus. Vnde & Chriſtus cũ apud Lucã interrogaret principes ſacerdotum,num baptiſmus Ioannis e cœlo eſſet an ex hoibus,nõ tantum de intinctione in aquã,ſed de toto miniſterio Ioãnis quærit. Et quod hoc loco Paulus ait Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, in Euãgelio Lucæ cap.3. dicitur, Prædicans,inquam,baptiſmũ pœnitentiæ. Quare manifeſtũ eſt q̃ baptiſma Ioannis de toto miniſterio Ioãnis,hoc eſt,de doctrina & baptiſmo eius doctrinæ adnexo hic intelligatur. Deinde adnotandũ eſt q̃ hic nõ fiat antitheſis inter externũ miniſterium Ioannis,& inter externum miniſterium Chriſti aut Apoſtolorũ eius. Oſtendimus emã aliàs copioſe,q̃ in aduentu Chriſti in hũc mundũ Ioannes primus fuerit Euãgeliſta & cõcionator,ac inſtaurator Chriſtianiſmi,nec aliud docuerit q̃ quod Chriſtus & Apoſtoli poſtea docuerunt, nec alio baptiſmo baptizauerit,q̃ quo Apoſtoli baptizauerunt,& quo adhuc hodie miniſtri Eccleſiæ baptizant. Prædicauit enim q̃ Ieſus eſſet Chriſtus. At quid hoc aliud eſt quam ipſiſſimum Euangelion & doctrina Chriſtianiſmi? Et baptizauit in remiſſionem peccatorum. Nulli autem contingit remiſſio peccatorum, niſi in nomine Chriſti. Neceſſe igitur eſt quod Iohannes baptizauerit,non in ſuo ipſius nomine,

Baptiſma Ioannis quæ contineat.

mine, sed in nomine Christi. Quid autem baptismus in nomine Christi da us aliud est, ꝙ baptismus quo postea Apostoli, & adhuc ministri Ecclesiæ baptizant? Quare cum hic fiat mentio de baptismate Ioannis & Christi, non existimes baptismum aquæ quo Ioannes baptizauit, & baptismum aquæ quo Apostoli & Ecclesia baptizant inter se distingui, sed sentiendum est ꝙ hi baptismi inter se hic opponantur, quos aliàs Ioannes ipse inter se opponit dicens: Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam, at ille qui post me uenturus est, fortior me est, ipse baptizabit uos spiritu sancto & igni. Hic proponuntur duo baptismata, alterum Ioannis, cuius externa materia est aqua e profluente sumpta, alterum est Christi, cuius materia est ignis de cœlo missus. Quanquam autem baptismus Ioannis sit uerus baptismus spiritus, propterea ꝙ distributus sit in remissionem peccatorum, quæ non contingit nisi dono spiritus sancti in nomine Christi, quemadmodum satis perspicue in primo huius libri capite demonstrauimus, tamen Ioannes non distribuit per baptismum suum admiranda illa spiritus dona, quæ Christus postea Apostolis in die pentecostes igni cœlitus demisso, & per Apostolos aliis quibusdam distribuit. Cum igitur hoc loco baptismus Christi opponitur baptismo Ioannis, non est intelligendum de baptismo aquæ per Apostolos in nomine Christi distributo, hic enim idem est cum baptismo Ioannis, sed de baptismo ignis, per quem Christus e cœlo demissum distribuit Apostolis & discipulis suis admiranda dona linguarum ac prophetiæ, quæ est reuelata cognitio maiestatis & regni Christi. Atq; hi duo baptismi inter se opponuntur, Ioannes enim non distribuebat hæc admiranda spiritus dona per baptismum suum, nec authoritate, eo ꝙ ipse non erat Christus, nec ministerio, eo ꝙ tempore ministerij sui spiritus nondum erat, ut inquit Euangelista, quia Iesus nondum erat glorificatus. Etenim ante glorificationem Christi prædicabatur quidem uerum Euangelion, principio per Ioannem Baptistam, deinde etiam per Apostolos, & distribuebatur uerus baptismus in remissionem peccatorum propter Christum, sed quia Christus agebat adhuc in terra humilis, nec erat resurrectione & ascensione in cœlum glorificatus, ideo maiestas eius nondum erat missione admirandorum donorum spiritus sancti reuelata & declarata. Proinde, quos Ioannes fidem in Christum docuerat & baptizauerat, hi acceperant rectam fidei doctrinam & uerum baptismum in remissionem peccatorum. Sed hoc deerat eis, ꝙ quia nondum quicquam de glorificatione Christi acceperant, nondum etiam acceperant admiranda dona spiritus, qualia discipulis in die pentecostes data erant, nec reuelate cognoscebant maiestatem & ueram regni Christi rationem. His ita obseruatis, explicabimus nunc quod hic scribitur. Cum enim Paulus animaduerteret Ephesios plane donorum spiritus ignaros esse, interrogat eos dicens: Quo ergo baptizati estis? Non de intinctione tantum aquę interrogat, sed de toto doctrinæ genere & ministerio. Quam Euangelij doctrinam audiuistis? Quos habuistis concionatores & baptizatores? Quotum ministerio fidem in Christum didicistis? At illi dixerunt: Iohannis baptismate. Iterum non de aquæ tantum intinctione sermo est, sed de toto negocio Euangelici ministerij. Didicimus baptisma Ioannis: qui nos fidem in Christum docuerunt & baptizarunt, idem nos docuerunt, quod Iohannes, nimirum pœnitentiam in remissionem peccatorum, ꝙ ad salutẽ necesse sit, ut agnoscamus peccata nostra, & credamus nos habere peccatorũ remissionem per Iesum Christum. Quid præterea de Iesu Christo actum sit, aut quæ spiritus dona in credentes effuderit, plane ignoramus. Respõdit ergo Paulus: Ioannes baptizauit quidẽ baptismo pœnitẽtiæ, populo loquẽs de eo q uenturus esset post ipm, ut crederẽt hoc est, de Christo Iesu. Non reiecit Paulus baptismũ & doctrinã Ioannis tanꝙ

Quomodo baptismus Christi & Iohannis opponantur.

inutilem & uanam, sed potius approbat eam tanquam ueram Christianismi doctrinam. Perspicue enim dicit, Baptizauit baptismo pœnitentiæ, loquens de Christo Iesu ut crederent. Prædicare autem de Christo Iesu, ut credatur in eum, & baptizare in remissionem peccatorum, nonne est uerum Euangelium Christi prædicare, & Christianum baptismum distribuere? Quid ergo sibi uult Paulus, quod distinguat baptismum Iohannis a baptismo Christi? Non distinguit Euangelion & baptismum aquæ Ioannis ab Euangelio & baptismo aquæ Apostolorum, sed distinguit tempus a tempore, & obscuram adhuc de regno Christi prædicationem a reuelata Christi maiestate. Iohannes quidem (inquiens) baptizauit baptismo pœnitentiæ, loquens populo de eo qui uenturus esset post ipsum, hoc est, Iohannes uera quidem & recta prædicauit de Christo Iesu, sed quia tempore eius Christus nondum erat glorificatus, ideo admiranda illa spiritus sancti dona nondum effundebantur super credentes, nec manifeste ac reuelate cognoscebatur, quæ esset uera ratio regni & maiestatis Christi. Quare cũ Christus hoc tempore sit glorificatus, cognoscenda est glorificatio eius, ut accepto reuelato spiritus dono, maiestas quoq; Christi reuelate cognoscatur. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Ergo ne sunt Anabaptistæ, quia ante semel baptizati, nunc rebaptizantur? Absit. Quod enim dicitur, Baptizati sunt in nomine Iesu, non de baptismo aquæ, quo antea baptizati erant, intelligendum est, sed de doctrina glorificationis Christi, & de baptismo ignis, quo admiranda dona spiritus distribuebantur. Nam cum hi Ephesij ignorarent glorificationem Christi, docuit eos Paulus, quod Christus mortuus quidem sit propter peccata nostra, sed resurrexerit a mortuis, & dextera Dei exaltatus effuderit in discipulos suos baptismum ignis, quo contulerit eis stupenda dona spiritus. Ac plane idem ipsum prædicauit Paulus his Ephesijs de glorificatione Christi, quod antea Petrus Cornelio & gentibus incircumcisis prædicauerat, uidelicet, quod Deus suscitauerit Iesum tertio die & exhibuerit eum uiuentem, & præceperit Apostolis ut prædicarent istud populo, ac in toto orbe testificarentur, quod ipse sit ille qui constitutus sit a Deo iudex uiuorum & mortuorum. Igitur quemadmodum loquente adhuc Petro, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Ita Paulo Ephesios docente de glorificatione Christi & imponẽte illis manus, uenit spiritus sanctus super eos. Sic enim sequitur: Et cum imposuisset illis manus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant, erant autem omnes uiri fere duodecim.

Quomodo Paulus distinguat inter baptismum Iohannis & Christi.

An Ephesij sint rebaptizati.

Iterum intellige per spiritum sanctum admirabilia spiritus sancti dona, nimirum ea quæ sequuntur, uarijs linguis loqui & prophetare. Est autem magnum miraculum, quod homines rudes in uno momento efficiantur ignotarum prius linguarum periti, & prophetias aut ipsi loquantur, aut ante scriptas de uera Christi maiestate & recta ratione regni eius intelligant. Et hoc miraculo comprobata est, non sanctitas Pauli, per cuius manuum impositionem ædita est, non sanctitas illorum qui his donis insigniti sunt, horum enim omnium sanctitas nihil aliud fuit quàm remissio iniusticiæ ipsorum, sed comprobata est sanctitas, authoritas, & ueritas Euangelij de Iesu Christo, uidelicet, quod sit potentia ad salutem omni credenti, quod qui Euangelio Christi credat, accipiat remissionem peccatorum, & reputetur iustus ac sanctus coram Deo propter Christum. Cum igitur authoritas Euangelij tantis miraculis confirmata sit, agite, amicissimi, amplectamur illud obuia fide, quo & nos spiritu sancto donati, non iuxta carnem, quod mors est, sed iuxta spiritum quod uita est ambulemus, & perpetuam fœlicitatem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Miraculum linguarũ & prophetiæ.

HO-

HOMILIA LXXXIX.



Atis patenter apertum est ostium Euangelij prædicandi in Epheso, per miraculũ illud, quo duodecim uiri donati sunt spiritu sancto, ut loquerentur uarijs & prius ignotis linguis ac prophetarent. Quare Paulus oportunissimam occasionem nactus dilatandi Euangelij, tum inter Iudæos Ephesios, tum inter Gentes, ministerium suum impigre capessit. Et introgressus Synagogam libere loquebatur ad tres menses, & suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, nec crederent, male loquentes de uia Domini coram multitudine, digressus ab illis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam. Principio admirabitur fortassis quispiam, q̃ cum Euangelij prædicatio magis magisq; temporibus Apostolorum promoueret, ac clarissimis miraculis confirmaretur, tamẽ nemo minus fidem adhibebat Euangelio q̃ Iudæi, neq; quisquã odiosius ac pertinatius persequebatur Euangelium q̃ Iudæi. Hi enim Christum ipsum occiderunt in Hierusalem, Stephanum lapidauerunt, Iacobum gladio Herodis trucidandum obiecerunt, Petrum uinxerunt, Paulum ex omnibus suis Synagogis profligarunt. Breuiter, nec ferre potuerunt ut Euangelium inter Gentes prædicaretur, quemadmodum superius pluribus exemplis demonstratum est. Quid igitur causæ est q̃ Euangelium multo peius inter Iudæos q̃ inter Gentes tractatum est? num Iudæi tanta stulticia & insania suffocati fuerũt ut nescierint quid agerent? Coram Deo quidem maxima est insania & stulticia persequi Christũ & Euangelium eius. Nesciunt (inquit Christus) quid faciunt. At q̃ Iudæi tanto odio Christum reiecerunt, apparet coram mundo esse maxima prudentia, & uidentur habuisse causas ualde probabiles. Primum enim magnificentissimæ & amplissimæ promissiones sunt in prophetis de Messia & regno eius, q̃ restauraturus sit tabernaculum Dauid collapsum, q̃ defensurus sit populũ suum Israel ab omnibus inimicis suis, q̃ dominaturus sit in toto terrarum orbe. Iudæi autem uidebant q̃ ex prædicatione de Iesu Christo status Iudæorum esset collapsurus, q̃ memoria hominum Israel nunquam fere magis ab hostibus suis oppressus fuerit, q̃ eo tempore quo prædicatio Iesu Christi orta est, q̃ paucissimi, atq; hi obscuri in Iesum crederent, q̃ maxima & præcipua pars Iudæorum, præsertim summi pontifices & seniores Euangelium abominarentur, qui tamen uidebantur melior & potior pars populi Dei. Hoc igitur scandalo commoti Iudæi, Christum tanquam non uere Christum persequebantur. Deinde lex Mosi erat data & confirmata maximis miraculis. Audiebant autem hanc esse summam prædicationis Euangelij, q̃ homines non iustificarentur operibus legis, sed tãtum fide propter Christum. Existimantes igitur legem hac prędicatione aboleri, uidebantur zelo diuino concitari aduersus Euangelion. Vides Iudæos summa prudentia & maximo zelo Euangelion persecutos esse. Aduersus hæc scandala Paulum in Synagoga Ephesiorũ disputasse paucissimis uerbis Lucas significat, dum ait ip̃m de regno Dei disputasse, quæ disputatio pluribus in epistola ad Romanos capite nono & decimo ac undecimo explicatur. Cum enim Paulus disputauit in Synagoga de regno Dei, nimirum necesse habuit ostendere primum, quod regnum Messiæ a prophetis prædicatum, non intelligendum sit de regno corporali, sed spirituali, quo quis dominetur non in ciuitates & uillas, sed in afflictiones, maledictiones, peccata, mortem, infernum, deniq; in ipsum Satanam. Hæ enim sunt ciuitates, hæ sunt uillæ, quas occupaturus est Messias, & per Messiam omnes qui credunt in ipsum. Dicunt enim Prophetæ, regnum Christi perpetuum fore: at

Causæ quare peius inter Iudæos q̃ gentes Euangelion tractatum sit.

Regnũ Christi quale sit.

nullum corporale regnum perpetuum est. Necesse igitur est regnum Christi spirituale esse. Et alius dicit: Ascendit in altum, captiuam ducit captiuitatem. Quæ autem sit illa captiuitas similiter alius explicat, inquiens, O mors, ero mors tua, morsus tuus inferne. Et Daniel clare dicit: Vt cõsumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna. Quæ omnia satis manifeste indicant, regnum Christi non esse corporale, sed spirituale. Deinde ostendit q̃ ad hoc regnum non pertineant prudentes & sancti & potentes huius mundi propter suas uirtutes, sed tantum hi quos Deus elegit, & quibus Deus misericors est. Electio enim Dei & misericordia eius causa est salutis, non uirtus aut dignitas humana. Non est (inquit aliàs Paulus) uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei. Et miserebor cuiuscunq; misereor, & commiserebor quemcunq; commiseror. Eos autem elegit Deus & horum miseretur, non qui magnis uirtutibus in hoc mundo prædíti sunt, hos, inquam, non elegit propter uirtutes & dignitates suas, sed eos qui credũt in Iesum Christum elegit propter Christum. Christus enim est liber uitæ, electionis, prędestinationis, & misericordiæ Dei. Quicunq; igitur se in Christo inuenit, is etiam inuenit se scriptum in libro electionis Dei. Paucos uero Iudęos, hoc est, summos in hoc mundo, sanctos & prudentes in Christum credituros esse, scriptura antea prædixit. Esaias enim dicit: Si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ saluę erunt. Et in alijs multis scripturæ locis hoc habetur, quod nunc non est necesse enumerare. Quod Prophetæ de reiectione Iudæorum dicunt, hoc etiam intellígẽdum est de reiectione eorum qui uidentur in hoc mundo in regno Dei & in Ecclesia præcipui coryphæi. Quare non est q̃ ideo Iesus ille Nazarenus non sit Christus, quia pauci Iudæi credunt in eum, & maior pars summorũ uirorum persequitur ip̃m. Postremo ostendit etiam Paulus de regno Dei disputans, q̃ necesse sit ut per fidem propter Christum & non propter opera iustificemur & regno Dei incorporemur, non q̃ bona opera reijcienda sint, sed q̃ non pateat hominibus alia uia iustificationis q̃ per fidem propter Christum. Etenim opera quidem iustificarent, si quemadmodum lege diuina præcipiuntur, ita ab hominibus complerentur & perficerentur. At nullum est opus bonum quod ita ab hominibus fiat quemadmodum a Deo præceptum est. Lex enim Dei est spiritualis, & requirit non tantum manum puram, sed etiam mentem sanctam atq; incontaminatam. Nos autem sumus carnales, & caremus spiritu Dei, quo etiam si donemur, tamen primitias eius tantum possidemus, & relinquuntur semper in nobis, quoad in hoc mortali corpore uiuimus, reliquiæ carnis. Quicquid igitur operamur, aut prorsus spiritucaret, ut peccata, aut si aliquid spiritus habet ut bona opera, tamen fermentũ carnis, ita coinquinat opus illud, ut non possit in conspectu Dei constare. Vnde dicitur: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Et: Quicunq; sunt ex operibus legis maledicti sunt. Nulla igitur alia iustitia reliqua est, q̃ remissio in iustitiæ nostræ, & non imputatio iniquitatis. Hæc autẽ per fidem accipitur propter Christum. Ergo necesse est ut sentiamus nos per fidem iustificari. Hæc & alia multa disputauit Paulus in Synagoga Ephesiorum de regno Dei differens per tres menses. Quid autem hac disputatione effecit? Aliquot quidem persuasit & in suam sententiam adduxit, sed maior & præcipua pars Iudæorum id egit q̃d semper. Magis enim magisq; indurati, eo plus calumniabantur Christum & Euangelion, quo clarius de illo disputabatur. Nam quemadmodum si cæcutienti splendor solis ob oculos ponitur, non illuminatur ille, sed magis excæcatur, aut si surdastro magno sono in aures intonetur, non acuitur auditus eius, sed magis obtunditur, ita si indurato ueritatem proponas, non fit ille ueritatis amantior, sed subinde maius odium aduersus ueritatẽ concipit, id quod uides in Pharaone

Electionem fieri propter Christum.

Reiectio Iudæorum.

& in

& in omnibus deploratis impijs. Quare ne Paulus sanctum canibus det, & margaritas ante porcos proijciat, neue paucior & sanior auditorum pars, a maiori & insaniori parte ex diutino contubernio inficerentur, segregauit discipulos suos, & disputabat quotidie in schola cuiusdã ciuis Ephesij qui uocabatur Tyrannus. Hoc autẽ factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent sermonem Domini Iesu, Iudęi simul & Græci. Et hoc est quod Paulus ad Corinthios scribens ait: Commorabor Ephesi usq; ad pentecosten, nam ostium mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi. Quare autem dicat efficax, explicat Lucas hoc loco dicens: Omnes qui habitabant in Asia audiebant sermonem Iesu, Iudæi simul & Græci. Et addit. Virtutesq; non uulgares edebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrẽtur a corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi & spiritus mali egrederentur. Quid audio? Ita ne sordida sudaria & semicincta sanant ægrotos & expellunt dæmones? Certe scriptura non mentitur. Quam ergo ob causam hæc facta sunt? num propter sanctitatem Pauli? at scimus quantus peccator fuerit ante conuersionem suam, post conuersionem autem ipse de seipso prædicat: Ego carnalis sum. Et paulo ante audiuimus tanta infirmitate ipsum præditum fuisse, ut præ timore afflictionum deliberauerit de relinquendo ministerio Euangelij, hoc est, de nõ obediendo uocationi diuinæ. Adhæc ad Timotheum scribit: Certus sermo q; Iesus Christus uenit in hunc mundum ut peccatores saluos faceret, quorum ego primus. Non ait, fui, sed sum. Et cum uniuersaliter docet neminem iustificari ex operibus legis coram Deo, certe seipsum etiam in hac uniuersali propositione comprehendit, præsertim cum & orationem Dominicam una cum uniuersali Ecclesia precatus sit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Igitur Deus non sanauit infirmos & dæmoniacos per sudaria Pauli propter sanctitatem eius, nec propter sanctitatem dæmoniacorum. Quam enim sanctitatem haberẽt hi, qui ab ipso dæmone obsidentur? Nec propter sanctitatem eorum qui ad dæmoniacos deferebant sudaria. Si enim nulla fuit sanctitas Pauli cuius erant sudaria, quam tibi sanctitatem in deferẽtibus somniares? Nec propter sanctitatem ipsorum sudariorum, quid enim illis sordidius? Qua ergo causa hæc miracula per sudaria æduntur? Certe propter nullam aliam causam q; propter sanctitatem & ueritatem ministerij Euangelici, uidelicet, ut Deus per has uirtutes confirmaret Euangelion de Iesu Christo a Paulo prædicatum, & declararet non sanctitatem hominum sed sanctitatem Euangelij de Iesu Christo. Quid enim nobis prodesset etiamsi sciremus & Paulum & Pauli sudarijs sanatos esse sanctos? quid aliorum hominum sanctitas nobis conferret? At hoc nobis non solum utile, sed etiam necessarium est, ut sciamus Euangelion de Iesu Christo esse sanctum & uerum ac potentia Dei ad salutem omni credenti. Hac enim scientia, quæ fides est, etiam nos efficimur sancti & salutẽ adipiscimur. His de sudarijs Pauli miraculis non dissimile est quod supra de umbra Petri scriptum legimus. Quid enim umbra per se uanius? aut quid Petro quod ad suam ipsius naturam attinet, Christi desertore iniustius? miracula igitur per umbram ædita, non declarãt nec umbræ nec Petri sanctitatem, sed tantũ sanctitatem Euangelij de Iesu Christo a Petro prædicati. Quod autem est illud Euangelium de Iesu Christo? non est illud quod impij hypocritæ prædicare solent, uidelicet q; Christus condonet nobis peccata & uitam æternam propter nostra opera, merita, dignitates, aut uirtutes. Hoc enim non est Euangelion sed lex, nec est Christum sed uirtutes & dignitates humanas prædicare, nec est afflictas conscientias consolari, sed desperationem docere. At Euangelion de Iesu Christo, quod & ipse Christus prædicauit, & prophetæ pronunciauerunt

& Apoſtoli in orbem ſparſerunt, hoc eſt, quod Deus condonet nobis peccata & reputet nos iuſtos, ac uitam æternam nobis largiatur, non propter noſtra merita ſeu dignitates, ſed gratis propter Ieſum Chriſtum filium ſuum per fidem. Hic enim eſt propiciatio pro peccatis noſtris, & qui in hunc credit, iam habet uitam æternam. Hoc, inquam, Euangelion per miracula ſudariorum Pauli, & umbræ Petri confirmatum eſt. Ex his igitur miraculis, non conuertamur ad ſuperſtitioſam & impiam, uel Apoſtolorum uel ſudariorum culturã, ſed ad ueram & piam fidem Euangelij, ut fide iuſtificati pacem habeamus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſæcula. Amen.

HOMILIA XC.

QVid in nomine Ieſu Chriſti ad confirmationem Euangelij uſurpato, per Paulum & ſudaria eius geſtum ſit audiuimus. Nunc audiamus quid in nomine Chriſti, non ex uocatione Dei, nec ad confirmationem Euangelij, ſed ad quæſtum, ad ambitionem, & ad curioſitatem uſurpato geratur, ſic enim in hiſtoria Actorum ſequitur: Tentauerunt autem quidam e circumeuntibus Iudæis exorciſtis inuocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicentes: Adiuramus uos per Ieſum quem Paulus prædicat. Erant autem quidam filij Sceue Iudæi principis ſacerdotum ſeptem qui hoc faciebant. Principio ſentiunt nonnulli exorciſtas fuiſſe, qui ex inuocatione nominis Dei dæmones expulerunt ab hominibus obſeſſis, & huc aptant quod Chriſtus apud Matthæum dicit: Si ego præſidio Beelzebub eijcio dæmonia, filij ueſtri cuius præſidio eijciunt? Hos filios intelligunt Iudæos exorciſtas, quos phariſæi dicebant eijcere dæmones auxilio Dei, cum interim calumniabantur Chriſtum q̃ eijceret dæmones præſidio Satanæ. Sed multi indicant Chriſtum loqui de Apoſtolis ſuis, qui poteſtate ab ipſo tradita dæmones expellebant. Et ſcriptura nuſquam tradit publicam profeſſionem exorcizandi aut adiurandi dæmones diuinitus inſtitutam eſſe, ſicut nec inſtituta eſt profeſſio ſuſcitandi mortuos, aut reddendi cæcis uiſum, aut ſanandi leproſos mirabiliter. Proinde exiſtimo exorciſtas fuiſſe circumforaneos quoſdam magos qui certis ritibus & adiurationibus profitebantur ſe potentia nominis Tetragrammati dæmones eiecturos. Valde enim mira confingunt Iudæi de nomine Dei Tetragrammato ſeu quadriliitero, quod apud Iudæos ineffabile dicitur, & alijs literis ſcribitur, alijs legitur. Hoc ergo puto circumforaneos quoſdam uel ſuperſtitioſe uel auare ad quæſtum uſurpaſſe, & magicam artem exercuiſſe, quales apud nos fuerunt Stationarij, ut uocant, Anaſtaſij, qui certis cæremonijs ad inuocationem nominis Dei, & ſancti Anaſtaſij dæmones ſeſe eijcere profitebantur. Quanquam autem exorciſtæ Iudæi aut noſtri Anaſtaſiani uerba ſancta & cæremonias ſacras in ſuis exorciſmis ſeu adiurationibus uſurparint, & homines a dæmonibus liberari uiſi ſint, tamen non propterea approbanda eſt impia ipſorum profeſſio. Quo enim magis abuteris nomine Dei & ſacris uerbis, aut alijs etiam bonis Dei creaturis, hoc maior impietas deſignatur. An putas te excuſatum, q̃ execrando non niſi nomen Chriſti & nomen ſanctiſſimæ paſſionis eius, aut martyrum ſancti cuiuſpiam, exempli gratia, aut Valentini aut Quirini uſurpes? certe nomen Chriſti ſanctum eſt, martyrium quoq; ſanctorum ſacrum eſt, at eo peius aduerſus Deum peccas, quo plus ſanctis nominibus ad execrationes & maledicta abuteris. Num ebrioſo cauſam ſuam ita perorare licebit, Vinũ bona Dei creatura eſt, nõ igitur ebrietate pecco. Quis hanc ebriã argumentationem

EXORCIZANDI PROFESSIO.

nem ferret? quis non responderet, eo magis ebriosum peccare, quo magis bona Dei creatura tam fœde abutitur: Audiemus ne superstitiosum impiam suam missam pro peccatis satisfactoriam, ut putat, ita defendentem? Nihil nisi bona uerba in Missa dicuntur aut leguntur, cur igit̃ Missa esset impia? Atqui nouit sanam doctrinam Euangelij, & credit solum Christum esse satisfactionem pro peccatis, is facile intelligit, Missam ea opinione factam, quod sit satisfactio pro peccatis uiuorum & mortuorum ex opere operato, hoc magis impiam esse quo e sacratioribus uerbis & cæremonijs composita est. Exorcistæ aũt circumforanei, aut Anastasiani, nomine Dei & sacris uerbis in suis exorcismis abusi sunt. Primum enim quod soli diuinæ potentiæ adscribendum est, hoc ipsi tribuerunt uel sono uerborum uel formis literarum, uel operi operato rituum ac cæremoniarum suarum. Deinde, non sunt usi nomine Dei ad confirmationem ueritatis Euangelicæ, sed ad confirmationem impostura Satanæ, ad quæstum & ambitionem. Nam quos impostores illi suis adiurationibus a dæmonibus liberarunt, hi aut non uere a Satana obsessi fuerunt, aut non uere liberati sunt, sed unus fortasse solus Satan e corpore eiectus est, interim mille Satanæ aut Satanarum legio, totam animam occupauit, id quod fieri solet, dum humana mens uanis miraculis illusa, a uera in Deum religione ad impias superstitiones deficit. Sed descendamus tandem ad exorcistas illos Iudæos, de quibus nunc nobis sermo est. Erant hi (inquit Lucas) septem filij Sceue principis sacerdotum. Quia igitur erant filij eius qui in sacerdocio principatum gerebat, ueri simile est, ipsos authoritate sacerdocij nomen Dei Tetragrammaton, ad impietatem tamen, usurpasse. At postquam uiderunt dæmones magis abscedere in nomine Iesu, quàm in nomine sui Tetragrammati, tentauerunt & ipsi dæmones in nomine Iesu eijcere. Adiuramus (inquiunt) uos per Iesum quem Paulus prædicat. Vide astutam impiorum maliciam: quod negociatores ciuiles facere solent, ut eas merces proponant quas uident uendibiliores, ita impij in negocio pietatis quæstum exercentes, hoc Dei nomen, & hoc sacrum usurpant, quod uident esse quæstuosius, id quod hactenus in Stationarijs, quos uocant, & in mendicis quibusdam uidimus. Cæterum si externa uerba horum exorcistarum consyderaueris, nihil propemodum reprehensibile audis. Adiurant, sed & Ioiada pontifex adiurauit Israelitas, ut Ioas regem agnoscerent. Et Esdra adiurauit Iudæos e Babylone reduces, ut legi obedirent. Deinde usurpant nomine Iesu, sed & Apostoli ad expellendos dæmones illud usurpabant. Postremo addunt, quem Paulus prædicat. Sed hac determinatione uerum Iesum explicuerunt, siquidem Paulus uerum Iesum & saluatorem prædicabat. Nihil ergo in uerbis illorum prophanum apparet. Num igitur res ipsa sancta fuit? nequaquam, sed quo sanctiora sunt uerba eorum, eo ipsi magis prophani & impij sunt. Et quanquam sint qui sentiant dæmonem ab his exorcistis eiectum esse per adiurationem nominis Iesu, tamen multis argumentis probabile est, dæmonem non esse eiectum, neq; exorcistas, id quod tentauerunt, effecisse, sed seipsos potius in præsentaneum discrimẽ coniecisse. Sic enim sequitur: Respondens autem spiritus malus dixit: Iesum noui & Paulum scio, uos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, inualuit contra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa. Quid ergo causæ est quo minus exorcistæ illi efficiunt quod per nomen Iesu tentant? num quia ipsi fuerunt increduli? At testatur Christus multos, & si non uere credentes, tamen in nomine suo dæmonia eiecturos, dicit enim: Multi dicent mihi in illo die, Domine, domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præstitimus? ac tum confitebor illis,

Impietas exorcistarũ in abusu nominis Dei.

Quare exorcistæ nõ efficiantur cõpotes noti.

nunquam cognoui uos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. An uero ideo nihil effecerunt, quia Satan maliciam ipsorum odio habuit? At si Satanæ licuisset pro sua libidine agere, certe non restitisset ipsis, sed finxisset se ab homine obsesso discedere, quo maliciam impiorum exorcistarum & magicam artem per nomen Iesu confirmasset. Hoc enim ingenium Satanæ est, ut homines in errores coniiciat, & in erroribus detineat ac confirmet. Si ergo nec incredulitas exorcistarum, nec uoluntas Satanæ in causa sunt, quo minus illi uoti sui compotes facti sint, quid dicemus eiectionem Satanæ impediisse? Certe hoc in causa fuit. Primum, q exorcistæ hoc officium eiiciendi dæmones sine uocatione Dei usurpabant. Deinde q præter incredulitatem suam uoluerint etiam his exorcismis non Euangelion de Iesu Christo, sed magicam suam impietatem confirmare & quæstum suum augere. At miracula, quibus Satan per nomen Iesu eiicitur, ad hoc tantum pertinent, ut confirment Euangelium de Iesu Christo. Quare ne his impietas ipsorum confirmetur, necessario prouidet Christus, ne impostores illi aliquid per suos exorcismos effi ciant, & ne Satan impietatem egrediendo adiuuet. Ac hoc loco uide mihi ingentem potentiam Christi super Satanam. Nam cum Satanæ uoluptati fuisset, discessum fingere quo impios nebulones in sua magia confirmasset, tamen coactus est non solum in obsesso manere, sed etiam Iesum confiteri, Pauli doctrinam approbare, impostores damnare & uim eis inferre. Sic uides Satanam omnino esse sub potestate Christi, ut uelit, nolit, necesse habeat, non pro sua libidine sed pro uoluntate Christi sese gerere. Quid ergo? Christum complectere, quem si fide possideas, iam non est q Satan possit te malis afficere. Iam enim princeps huius mundi, ut Christus ait, iudicatus est. Et maior est qui in uobis q qui in mundo. Deinde & hoc obseruandum uenit, quid his accidat qui sine legittima uocatione Dei, sacrum, uel etiam prophanum negocium tractant. Cum enim hi exorcistæ non essent uocati, nec ad munus Euangelij, nec ad eiiciendos dæmones per nomen Iesu, usurparent tamen priuata temeritate officium eiiciendi dæmones per nomen illud, se ipsos potius dæmonibus uulnerandos ac pene trucidandos obiecerunt, q quod obsessis aliquid utilitatis attulerunt, sic enim seipsos in discrimina coniicere solent, qui non uocati alienas functiones usurpant. Exempla sunt Kore, Datan, Ieroboam rex Israel Thymiama incendens. Similiter Vsia rex Iuda, & alij multi, qui ob hanc causam in scriptura nobis proponuntur, ut aliena fruentes insania, nostræ uocationi seruire, & alienas uocationes alijs relinquere discamus. Porro autem quanto magis prodita est impietas exorcistarum per insultum dæmoniaci, & fugam ipsorum, tanto plus emicuit gloria nominis Christi. Sic enim sequitur: Hoc autē innotuit omnibus Iudæis simul & Græcis qui habitabant Ephesi, & incidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu. Vide obsecro, q industrius artifex Christus sit, ad asserendam gloriam nominis sui. Nunc enim gloria eius promouet, ex eo, q per nomen ipsius dæmones ab Apostolis eiiciuntur: nunc promouet, eo, quod ab exorcistis Iudæis dæmones per nomen eius non eiiciuntur, sed potius exorcistas inuadunt. Sic diuersis rebus potentia nominis Christi asseritur, uidelicet, q Euangelion de Iesu Christo sit potentia Dei ad salutem omni credenti. Nec illa sola miracula antea nominatim recensita in urbe Epheso, & tota regione Asia ædita sunt, uerum etiam alia multa, quæ non sunt nominatim expressa, id quod Lucas his uerbis significat. Multique credentium ueniebant confitentes & adnunciantes facta sua. Quæ sunt illa facta? certe non sunt nisi miracula & uirtutes per nomē Christi æditas. Accedit his miraculum minus quidem supra commemoratis, si externum opus respicias, sed longe omnium maximum, si energiam Euangelij consy-

POTENTIA CHRISTI *super Sathanam.*

consyderes. Multi enim ex eis qui curiosas artes exercuerãt comportatos li- ,,
bros exusserunt coram omnibus, & supputatis precijs illorum repererunt quin- ,,
quaginta millia denariũm. Ita fortiter crescebat sermo Dei & confirmabatur. ,,

Quis hoc miraculum efficacia prædicationis Euangelicæ æditum, satis digne explicare posset? Ephesij magicis artibus mirum immodum dediti erant, & uidebantur id facere hortatu deæ suæ Dianæ. Scribunt enim uerba quædam obscura ænigmatibus simillima, neutiquam cohærẽtia, descripta fuisse in pedibus, zona, & corona Dianæ, quibus si quis uteretur, ac eas descriptas secum gestaret, in omni negocio uictor euaderet. Vnde & prouerbium ortum est, Ephesiæ literæ, de rebus fortunam & fœlicitatem iuuantibus. Occasione igitur harum literarum seu notularum, mirus prouentus factus est profitentium magicas artes in Asia, qui eo plus fidei habebant, quod artes illas prætextu deæ Dianæ exercebant, & quod nonnunquam cooperatione Satanæ aliquid magicis suis artibus efficere uidebantur. Horum (inquit Lucas) multi comportatos libros exusserunt coram omnibus, & supputatis precijs illorum, repererunt quinquaginta millia denariũm, quæ summa, si ad monetam nostram exigas, plusquam quinque millia aureorum Rhenensium ualet. Summa ergo admiratione dignum est, quod non unus sed multi, & non leuiter errantes, sed magicis artibus dediti, quod hominum genus haud facile in ueram uiam reduci solet, nec tales quos resipiscentia paruo constet, sed qui magno suo damno libros comburunt, potentia Euangelij resipiscunt, & dignos pœnitentiæ fructus afferunt. Immane, quanto interuallo Ephesij illi nos post se relinquant. Illi enim una hora dispendium plusq; quinq; milliũ aureorum fecerunt, tantum, ut palam & ingenue fidem suam in Christum testarentur, & magicas suas artes detestarentur. Nos autem uix unius aut alterius florenі iacturam æquo animo toleramus, ut Missas papisticas intermittamus, & confiteamur, non opus Missæ, sed Iesum Christum esse satisfactionem pro nostris peccatis, quandoquidem Missa papistica hac opinione celebrata, ut sit ex opere operato expiatio pro peccatis uiuorum & mortuorum, impietate sua a magicis artibus minime differat, interim tamen nihilominus uideri uolumus nos maxime in Christum credere. Sed habes hic quæ sit ueræ fidei natura. Quanquam enim sola fides absq; bonis operibus iustificet & saluet, tamen uera fides non est sola sine operibus bonis, sed ut bonam arborem bonus fructus sua sponte sequitur, ita bona opera ueram fidem semper comitantur. Nam & Ephesij non sunt propter hoc opus iustificati & saluati, quod libros magicos combusserunt, sed tantum per fidem propter Iesum Christum, attamen fides illa hoc combustionis opus tanquam publicam confessionem secum adduxit, ita ut uere dixerit Iacobus, Fides absq; operibus mortua est. Quare, si experientiam fidei nostræ habere uoluerimus, danda est opera, ut fructus fidei faciamus, non quidem ut his fructibus remissionem peccatorum, hoc est, iusticiam & salutem mereamur, sed ut his uerbo Dei obsequamur, fidem nostram confiteamur, & quod debemus, gloriam Dei pro uirili nostra illustremus, ac proximo benefaciamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Ephesia Diana.

Miraculum resipiscentiæ magorum in Epheso.

Opera esse fidei experimenta.

HOMILIA XCI.

Ametsi multa in diuinis literis uideantur nihil ad nos pertinere, & ociose scripta esse, tamen quia sacra scriptura spiritus sancti opus est, non existimemus quicquam in ea, uel minutissimum a cabiectissimum tam inutile esse, quod dili

genter obseruantibus non suum commodum afferat. Nam cum in rerum natura multa sint condita, quæ & si uideantur in perniciem hominum creata, ut serpentes, rubetæ, & id genus alia, tamen propius consyderata, & in rectum usum collata, non mediocrem utilitatem afferunt: quanto magis ea quæ in scriptura apparent superuacanea aut otiosa, suum habent fructum. Ac si spiritus sanctus qui est author scripturæ, ex nihilo aliquid creat, quomodo non posset e minutijs scripturæ ingentia commoda credentibus conferre? Quare q̃ sequitur, Paulum proposuisse, se in Macedoniam, Achaiam, Hierusalem, & postea Romam profecturum, quanquam ad nos nihil pertinere uidetur, tamen diligenter obseruatum & explicatum, non potest nõ multum nobis prodesse. Sic autem scribit Lucas consequenter: » His expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & » Achaia, ire Hierusalem, dicens, postquam fuero ibi, oportet me & Romam uidere. Missis autem in Macedoniam duobus ex his qui ministrabant sibi, uidelicet, » Timotheo & Erasto, ipse remansit ad tẽpus in Asia. Cur ergo hæc nobis commemorantur? quid utilitatis nobis afferunt? Multum per omnem modum: proponitur enim nobis summa & laboriosissima Pauli diligentia in administrando munere suo Apostolico. Primum, ut uideamus q̃ minime otiosa sit uera fides in Euangelion Iesu Christi, & quanta sit fidei in credentibus efficatia. Deinde, ut & nos exemplo Pauli inuitemur ad seruiendum diligenter ex fide suæ quisq̃ uocationi. Etenim cum peregrinationes, labores, & pericula Pauli propius consyderamus, profecto manifestum redditur, fidem non esse rem tam otiosam & somnolentam, q̃ nos imaginari solemus. Nos enim & si uocationem nostram ignauissime negligamus, genio indulgeamus, ac nullum non genus flagitij impudenter designemus, interim de resipiscentia ne gry quidem cogitantes, fingimus tamen nos credere in Iesum Christum, & de nomine Christiano etiamnum gloriari audemus. Sed quid hoc aliud est q̃ uana sibi somnia somniare? Non em̃ otiosa res est uera fides, nec sinit credentes ignauos esse & turpia flagicia designare. Sed quemadmodum anima hominem ad quæuis uitæ officia impellit, nec unquam in uiuente requiem ducit, ita fides quæ est anima credentis, semper quærit & sollicite inuestigat, ubi opera sua explicet: id quod manifesto Pauli exemplo comprobatur. Is enim credidit in Iesum Christum, q̃ per hunc habeat remissionem peccatorum & uitam ęternam, & certus est q̃ deus mandauerit ei munus Apostolicum. Quid ergo efficit fides in Paulo? eo uirum adigit, ut contemptis omnibus laboribus & periculis ad obsequendum Deo, & agendum ei pro beneficijs suis gratias, quas uis regiones peruagetur, aut ante peruagatas repetat, ac nouas subinde cõquirat, quo uocationi suæ seruiat, & Euangelion de Iesu Christo aut plantet aut ante plantatum in pectoribus credentium irriget. Vnde scribit Lucas, q̃ Paulus nunc proposuerit se rediturum in Macedoniam, ad Philippenses & Thessalonicenses, apud quos prius prædicauit Euangelion, & uaria pericula sustinuit. Deinde in Achaiam, ad Corinthios, ut quos in Christo genuerat, eos etiam in Christo educaret, & quos Deo lucrifecerat, eos etiam in officio Dei retineret. Prudentis enim patrisfamilias est, non solum acquirere bona, sed etiam acquisita conseruare. Non minor est uirtus (inquit ille) q̃ quærere parta tueri. Postea statuit se redire ad Hierusalem, ut & illic fratres confirmet & eleemosynas a Gentibus datas exhibeat. Postremo, ut omnino Gentium Apostolum agat, proponit se etiam ad Romam, caput Gentium profecturum, ut & Romanis donum spirituale imperciatur, quo confirmentur, hoc est, (quemadmodum ipse ad Romanos scribit) ut communem capiat consolationem in Romanis per mutuam ipsorum fidem. Ac ne omnino quicquam diligentiæ in officio suo intermittat, siquidem non erat ei integrum Asiã tam cito derelinquere, præmisit

FIDEI NATVRA.

misit ante se in Macedoniam ministros suos Timotheum & Erastum, nimirum ut illic eleemosynam ad pauperes Hierosolymitanos ferendam colligerent, id quod Epistolæ Pauli ad Philippenses & Corinthios testantur. Habes quanto labore, quantis item periculis, & quanta diligentia Paulus fidem suam declararit & officio suo functus sit. Reliquum nunc est, ut si uoluerimus de fide nostra certificari, non ignauiæ neq; sceleribus nos tradamus, sed suæ quisq; uocationi diligẽter & pie nullo laboris aut periculi respectu seruiat, & officium suum faciat, ne audiat, quod paterfamilias in Euangelio dicit: Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Sed quid interim dum Timotheus & Erastus ad Macedoniam proficiscuntur, & Paulus in Asia moratur in Epheso acciderit, operæ precium est audire. Ortus est autem illo tempore (inquit Lucas) tumultus non exiguus de illa uia. Nam quidam nomine Demetrius, faber argentarius, qui faciebat delubra argentea Dianæ, præstabat artificibus non exiguum quæstum, quibus conuocatis, & ijs qui similium rerum erãt opifices, dixit: Viri, scitis q; ex hoc opificio quæstus nobis est, & uidetis & auditis, q; non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic persuasit & auertit multam turbam, dicens, q; non sint dij qui manibus fiunt. Non solum autem hæc pars nobis in periculum uenit, ne reprobetur, uerum etiam ne Magnæ Dianę templum pro nihilo habeatur, futurumq; sit, ut etiam destruatur maiestas eius quam tota Asia & orbis colit. Priusquam hanc Demetrij orationem explicemus, paucis ostendendum est, quæ Diana, & quale templum eius in Epheso fuerit. Hæc enim lucem aliquam huic loco afferrent. Diana autem credita est a Gentibus dea uenationis aculearum, item nutrix omnium bestiarum ac uiuentium. Vnde & nomen πολύμαστος, hoc est, multimammiam, habet. Et hoc nomine conditum fuit in honorem eius templum in urbe Epheso, quod fuit longe omnium celeberrimum, & toto orbe decantatum, ac inter præcipua orbis miracula recensitum, quemadmodum scriptores Ethnici testantur. Quanquam autem ob admirabilem structuram omnibus ita stupori esset, ut etiam hostes totam alioqui Asiam ferro & igni depopulantes, ei parcerent, tamen nõ potuit incendium effugere. Cur enim non illud hoc loco commemorarem, quando nobis non importunus sermo est de templo Dianæ Ephesiæ, & scire prodest quid non facinoris mortalia pectora cogat, ambitio & glorioſi nominis affectatio? Nam Eroſtratus quidam, uir obscurus, templum illud incẽdit & in cineres redegit, nulla alia causa q; ut nomẽ suum aliquo facinore nobilitaret. Cum enim non posset sibi famã nominis uirtute parare, ad patrandum scelus animum adiecit, ut uel inuitis hominibus nobilis esset. Cui non absimiles sunt equites quidam, qui cum nomen suum honestis factis celebre reddere non possunt, animũ suum ad strenuas compotationes appellunt, aut bellum principibus aut ciuitatibus indicũt, quo putentur aliquid esse. Quid autem nobilitas scelere parta aliud est q; publica infamia immo æterna damnatio? Nam & Cain nobilis est quia fratrem occidit, & Iudas quia Christum prodidit: & Herodes, quia innocentes pueros trucidauit. Quid autem hac nobilitate magis infame & dedecoroſum? Sed redeamus ad templum Ephesium. Hoc cum semel incendio perijsset, iterum ab Ephesijs ac omnibus Asianis maiori sumptu & maiori artificio restauratum est, & quadringentis annis peractum. In eo positum fuit simulachrum Dianæ Vitigineum, quod scriba Ephesius postea dicit e cœlo lapsum fuisse. Sed id falso erat a statuarijs confictum, & uano credulî uulgi rumore sparsum. Quæ cum ita a nobis cognita sunt, facilius quæ hoc loco scribuntur, intelligemus. Eo igitur tempore quo Paulus in Epheso Euangelium prædicabat, erat ciuis quidam Ephesius, nomine Demetrius, artificio faber argentarius. Hic non tam opere fingebat argentea si-

πολύμαστον esse Dianam.

Τὸ ἱερὸν Ephesiæ Dianæ omnium celeberrimum fuisse.

mulachra & idola in templo Dianæ, quàm alijs tenuioribus artificibus præstabat non exiguum quæstum, dum ipse sumptum, illi operam suam exhibebant. Conuocatis igitur illis, preterea etiam alijs similium rerum artificibus, nimirum pictoribus, statuarijs, lapicidis, & id genus alijs, accusat Paulum acriter, nimirum quo accendat ipsos ut Paulum persequantur, aut omnino trucident. Hæc est autem accusatio. Paulus persuadet & auertit multam turbam, non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, dicens, q̃ non sint dij, qui manibus fiunt. Deinde addit in commoda & pericula quæ e prædicatione Pauli imminere uidentur. Primum (inquit) scitis quod ex hoc opificio, uidelicet, fingendorum simulacrorum, & exornandi templi Dianæ nobis quæstus est. Ita q̃ si Paulus in sua prædicatione perrexerit, fame nobis est unà cum liberis & uxoribus nostris pereundum. Deinde ne Demetrius uideatur suam tantum & suorum sociorum causam agere, sed potius publicam religionem curare, addit de Diana. Non solum (inquiens) nobis periculum imminet, ne artificia nostra reprobẽtur, sed etiam ne templum Dianæ contemnatur, & maiestas huius, quam nõ Ephesus tantum, uerumetiam totus orbis pro dea colit, destruatur. Si uos non mouet priuatus quæstus, ut Paulum persequemini, certe maxime omnium mouere uos debet publica religio, quam manibus & pedibus defendere boni cuiusq; uiri interest. Hac oratione Demetrius uult & prudens & pius uideri. Prudentis enim uiri est uictum familiæ suæ parare, & prouidere ne ad famen adigatur. Pij autem hominis est publicam religionem pro sua uocatione tueri. At si Demetrij ingenium excusseris, nihil minus inuenies, quàm ueram prudentiam & pietatem, sed plane seditiosum & impium ingenium. Nam q̃ de defendenda maiestate Dianæ concionatur, non facit zelo religionis suæ, sed zelo quæstus sui & auaricia. Proinde etiamsi uera esset religio Dianæ, ut est falsissima, tamen Demetrius impie eam defenderet, quippe qui non religionis sed quæstus sui causam prætextu religionis ageret. Nec est prudentia, q̃ conspiratione suorum sociorum aduersus Paulum, quæstum suum conseruare studet, sed est insana seditio. Pia enim prudentia & prudens pietas in parando uictu & conseruando quæstu operam dat, primum, ut sciat artificium aut negociationem iustam & uerbo Domini cõsentaneam esse. Deinde ut hoc artificium aut negocium cum nullius iniuria tractetur, sed in charitate erga proximum exerceatur. Vbi autem artificium ex fide & charitate exercetur, ibi non potest fieri quin benedictio Domini sequatur. Proinde, quisquis quæstui pie studere cupit, non hoc agat, ut negociatione aut artificio suo multas opes cum iniuria proximi congreget, sed ut pietati operam det, & paucis contentus sit. Magnus (inquit Paulus) quæstus est pietas cum animo sua sorte contento, quæ ut nobis contingant, precabimur DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Seditiosi imago.

Quomodo sit uictus parandus.

HOMILIA XCII.

AVdiuimus concionem Demetrij plane tribuniciam & seditiosam, audiamus nũc furias & insanias uulgi artificum, adeo q̃ totius pene urbis Ephesiorum. His (inquit) auditis, repleti sunt ira, & exclamauerũt dicentes, Magna Diana Ephesiorum. Qua ergo ratione commoti sunt, ut & irascerentur & exclamarent? num tanto defendendæ publicæ religionis desyderio tenebantur? At qui serio religionem defendit, non agit illud insanis clamoribus & seditiosis uocibus, sed iustis rationibus, pia doctrina, humili confessione, & honesta uitæ conuersatione. Hæ sunt

sunt rationes quibus prudentes & boni uiri religionem suam defendunt. Quod igitur uulgus artificum præimpotenti ira clamat, Magna Diana Ephesiorum (hoc est) defendemus nostram magnam Deam aduersus impijssimos nebulones, periculo etiam uitæ nostræ, non agit serio causam Dianæ aut religionis, sed prætextu religionis agit causam artificij & uentris sui: si quæstus ipsorum non in discrimen uenisset, ne tantillum quidem curæ ad defendēdam religionem adhibuissent. Solent enim alias simplicitatem suam excusare, & dicere se rudiores esse, q̄ ut queant de his magnis rebus disputare, sed relinquere hæc doctis & prudentibus explicanda. Nunc autem quia periculum est ne quæstus artificij pereat & uictus uentris auferatur, ecce omnes uno momento facti sunt doctores, ecclesiastæ, theologi, & sacræ religionis defensores acerrimi. Etenim uulgus artificum, tantum non pro dijs artificia sua adorat, ac plane persuasum habet, fame sibi moriendum esse si artificia sua reijciantur aut abrogentur. Confitentur quidem illi ore suo se uerum Deum colere atq̄ adorare, sed si probe perpenderis, quid sit creaturam aliquam pro Deo colere, inuenies maiorem artificum partem artificia sua pro dijs adorare. Deus enim nobis reputatur, in quod cunq̄ fiduciam nostram ita collocamus, ut propter illud præcepta ueri Dei transgrediamur. Diuitiæ (exempli gratia) auaro sunt deus. Primum, quia cor auari totum est in diuitijs. Deinde, quia auarus mauult proximo imponere aut nocere, q̄ diuitias non acquirere aut non conseruare. Potentia quoq̄ impio magistratui deus fit, dum potentia sua confidit, & ad retinendam potentiam suam legem ueri Dei uiolat. Sic & artificibus sua artificia deus fiunt, dum omnem fiduciam suam in artificium collocant, & ne lucro ac quæstu artificij destituantur, peierant, proximis imponunt, & alios similis artificij calumniantur, prout fieri solet, q̄ figulus odio habeat figulum. Hos autem Ephesios artifices, artificium suum pro deo coluisse, uel hinc manifestum est, q̄ malunt seditionem concitare, & Paulum ac comites eius uulgi manibus diripiēdos obijcere, hoc est, fidefragi & homicidæ esse, q̄ quæstum artificij sui negligere. Cum igitur periclitatur artificium, periclitatur uulgo Deus eorum. Quorum autem Deus periclitatur, his omnia quæ habent in discrimen uocantur, domus, familia, opes, fama, deniq̄ ipsa uita. Hæc enim omnia Deo accepta ferunt. Quare nullo telo cor uulgi grauius sauciatur, quàm si sentiant artificia sua periclitari. Accedit huc q̄ & uulgi Deus uenter sit. Ergo ubi ostenditur uentri esuriendum & fame pereundum esse, ibi tum uulgus nullis habenis retineri potest, quin toto impetu ad defendendum deum suum uentrem feratur. Vnde uidemus Demetrium ualde industrium Catilinam ad concitandam seditionem fuisse, quippe qui concione sua hoc egerat ut uulgo declararet artificia sua periclitari, & uentrem ad famem adigi, prædicatione Euangelij de IESV Christo. Et ne uideretur priuatam causam agere, ac priuatum compendium spectare, prætexit pulicam religionem. Fortassis autem tolerabile esset, si solum Ephesiorum uulgus hac in re peccasset. Nunc uero ualde timendum est, ne furiæ uulgi Ephesij in totum orbem dispersæ sint. Quid enim futurum putas in uulgo, si propter Euangelium & abrogatam Missam papisticam merces artificiorum non permitterentur in extraneis nundinis uenum exponi? portæ urbis aliquandiu clauderentur? urbs obsideretur, & nulla spes omnino quęstus ex artificijs relinqueretur? Vtinam nō audiamus & nos huiuscemodi quendam clamorem: Magna religio Missa papistica. Certe Hieremias propheta tale quippiam a Iudæis suis audiuit. Sermonem (inquiunt) quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te, sed faciemus omne uerbum quod egreditur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri & principes nostri in

Quod uulgus suæ auaritiæ religionē soleat prætexere.

Artificū uulgus quomodo artificia sua pro deo colat

Venter uulgi Deus.

urbibus Iuda & in plateis Hieruſalem, & ſaturati ſumus panibus, & bene no bis erat, malumq; non uidimus. Et alia quæ apud Hieremiam capite quadrageſimo quarto ſequuntur. Iam auari artifices non ſolum prætextu religionis ſuum quæſtum defendũt, ſed etiam ſolent prætextu legum & ordinationum ciuilium alios impedire quo minus in numerum ſuum admittantur, uidelicet, ne multitudine ſimilium artificum quæſtus eorum minuatur. Vt igitur Epheſij clamant Magna Diana Epheſiorum, ita hi clamant, ordinationes ciuiles eſſe ſacroſanctas, non eſſe uiolandas, ne & in magiſtratum & in Deum peccetur. Nunquid autem exiſtimas bonum prætextum impietatem tuam excuſare, aut ſi quid quęſtus e tali impoſtura acquiſiueris a Deo benedictum fore? Nihil minus. Qui enim artificiũ ſuũ pro Deo colit & proximo imponit, ac nomen religionis & publicas leges prætexit, is principio primã tabulam legis diuinæ uiolat q; colit alienũ deum, & q; nomen Dei in uanum uſurpat. Deinde ſecũdam quoq; tabulam præuaricatur, q; proximo ſua furatur, falſa teſtificetur, & quia uictũ ei aufert, quantum in ipſo eſt, uitam ei aufert. Tam impius peccator eſt auarus artifex prætextu religionis & legum ſua compendia impie quærens & proximum ab artificio arcens. Quid autem benedictionis ſperares in huius hominis opibus, qui totam legem Dei uiolat, qui & uerum Deum abnegat & proximo malefacit? Certe huic nihil aliud expectandum eſt q; extremæ maledictiones corporis & animæ. Si nõ audieris, inquit lex, uocem Domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata eius, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus eris ingrediens & egrediens. Cum igitur quęſtus impietate & impoſtura partus, extremam ſecum maledictionem affert, non aliter ab eo q; ab ipſomet Satana cauendum eſt: & ſtudẽdum eſt pietati, quæ, ut Paulus ait, magnus quæſtus eſt cum animo ſua ſorte cõtento. Nunquid autem hi ſoli artifices argentarij apud Epheſios ſeditioſi ſunt, & alij ciues tranquilli manent? nequaquam, ſerpit enim ſeditio perinde ac cancer morbus, & ueluti peſtis proximum corripit, ita ſeditionis furor in obuium quenq; de uulgo permanat. Sic enim ſequitur. Et impleta eſt ciuitas tota confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, correpto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus comitibus Pauli, Paulo autem uolente intrare ad populum, non permiſerunt diſcipuli. Quidam autem & ex Aſiæ primoribus qui erant amici eius, miſerunt ad eum rogantes, ne ſe daret in theatrum. Alij quidem igitur aliud clamabant. Erat enim concio confuſa, & plærique neſciebant qua ex cauſa cõueniſſent. De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu ſilentio poſtulato, uolebat rationem reddere populo, quem ut cognouerunt Iudæum eſſe, uox orta eſt una omnium, ferme ad horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum. Habes hic inſignem hypotypoſim ſeditionis. Ab uno & altero nebulone incipere ſolet ſeditio, deinde permanat in totam uiciniam. Hinc homines exciti cõcurrunt, omnia clamore implent, in eos qui fama tantum accuſati ſunt, fæuiunt, cum tamen maxima ſeditioſorum pars, nullam ſeditionis aut concurſus cauſam uere ſciant. Vide enim q; paruum initium ſeditio Epheſiorum habuerit, & quantum incrementum breui acceperit. Demetrius pauciſſima concionatus erat, auditores eius pauci admodum erant. Ab his tamen ſeditio totam urbem inuadit. Corripiuntur Gaius & Ariſtarchus, a nonnullis fortaſſis artificibus argentarijs, qui uiderant ipſos eſſe comites Pauli. Hos producũt tanq; ſacrilegos, in hos omnem furorẽ ſuum effundunt, etiã hi qui huius rei prorſus ignari erãt. Ibi nemo inueniebatur, qui alterũ uel audiret, uel de cauſa uere edoceret, ſed oĩa erant confuſa, donec Iudæi propellebãt Alexandrũ quendã, & ipſum Iudæum, qui in hoc poſtulabat ſilentium, fortaſſis ut Iudæos

Auarus artifex quantus peccator.

Seditionis imago.

ut Iudæos excusaret,& omnem culpam in Paulum,Gaium,& Aristarchum reiiceret. Et forsitan hic Alexander is est, cuius Paulus meminit in posteriori Epistola ad Timotheum dicens: Alexander faber ærarius multis malis me affecit, reddat illi Dominus iuxta facta ipsius,quem & tu caue. Sed tantum abest, ut is seditionem sedauerit,ut multo plus cõmouerit. Cum enim gentes Iudæum concionaturum uidebant,confestim reputabãt eum, nimirum unius Dei cultorem, Dianam suam reiecturum. Proinde maiori clamore ad duas ferme horas ingeminant, Magna Diana Ephesiorum. Appellant ad ueterem & auitam maiorum suorum religionem. Quid? abijcietur ne dea nostra Diana? quis hoc ferre posset? hæc enim nostra dea tantæ gloriæ, tantæ celebritatis est, ut eam non solum maiores nostri Asiatici coluerint,sed etiam ex omnibus totius orbis partibus religiosi homines huc confluxerint ut eam adorarent,& cultu suo gratiam eius demererentur. Quantæ igitur impietatis esset, authoritatem eius contemptui habere? quanta item supplicia nobis immínerent,si permitteremus numen eius blasphemijs prophanorum hoīum conculcari? profecto citius sanguinem nostrum effundemus, q̃ ut blasphemias in magnam deam Dianam toleremus. Hæc uidetur esse sententia horum uerborum, Magna Diana Ephesiorum. In quibus uides uulgum primo religionem suam comprobare ab antiquitate, putant enim religionem ideo ueram esse,quia auita est & a maioribus tradita, & q̃ multo tempore duraverit. Deinde comprobant religionem a multitudine & potentia cultorũ. Multi & potentes colunt Dianam,est igitur uera dea. At neq̃ tempus neq̃ multitudo neq̃ potentia hominum,possunt ex impietate pietatem,e mendacio ueritatem facere,sed pietas & ueritas ex seipsis pendent, immo si tempus respiciendum est,religio Christiana prima omnium in terris fuit, & durauit hactenus, durabitq̃ usq̃ in finem sæculi. Nam a principio dictum est ad serpentem: Semen mulieris conteret caput tuum. Hæc prima fuit concio de Iesu Christo & de fide in eum, q̃ per ipsum habeamus remissionem peccatorum & liberationem a Satana. Quæ concio deinceps uarie apud patriarchas & prophetas repetita est, donec Iesus Christus in hunc mundum uenit,& quod ante promissum erat,complenit. Attamen hæc religio non ideo uera est, quia diuturna fuit, sed quia a uero Deo edocta est & reuelata. Quid autem dicam de multitudine & potentia errantium? Hæc enim non pariunt errori patrocinium,sed quo plures & potentiores sunt errantes,eo maior & potentior est error, tantum abest, ut propter multitudinem & potentiam fiat ueritas. Proinde sinamus uulgo hominum suos insanos clamores de antiquitate auitæ suæ religionis,& de multitudine ac potentia cultorum,appellemus autem nos ad ipsam ueritatem, quæ uerbo Dei nobis proponitur,ut a uera religione nullo offendiculo deijciamur. Postremo nec illud prætereundum est quod Lucas scribit, Paulum uoluisse intrare ad populum in theatrum,discipulos autem & quosdam primores Asiæ impedijsse eum, quo minus in theatrum se daret. Existimo enim hoc illud esse, cuius meminit Paulus in posteriori ad Corinthios epistola capite primo sic scribens: Non uolumus uos ignorare fratres de afflictione nostra, quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum grauati fuimus supra uires,adeo,ut desperauimus etiam de uita. Quin ipsi in nobis ipsis sententiam mortis acceperamus. Et qui (inquies) hoc accidit? quia Paulus uidebat totã urbem Ephesiorũ in ipsum furere ac insanire, & uolebat intrare in theatrũ,ut populus in se unũ, totum suũ impetum effunderet ac comites suos Caium & Aristarchũ liberos dimitteret. Cur aũt Deus pmisit Paulũ in tantam desperationẽ,non inquã,de salute sua apud Deũ,sed de uita sua corporali uenire? Ne (inquit) confideremus in nobis ipsis, sed in Deo qui ad uitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos. Sed cur eripuit? ut spem fixam

Quod uera religio neq̃ tẽpore neq̃ multitudine neque potentia constet.

habeamus, ꝙ etiam posthac erepturus sit. Habes ex hoc loco quam ob causam Deus nos in extrema pericula conijcit, & postea liberat. Primum, ne cõfidamus nostris uiribus aut uirtutibus. Deinde ut liberatio prioris periculi confirmet fiduciam nostram quam in Deum habere debemus in posterioribus periculis. Sic Dauid pugnaturus cum Goliath, e priori liberatione confirmat mentem suam dicens ad Saulem: Pascebat seruus tuus gregem, & ueniebat leo & ursus & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum & suffocabam interficiebamq; eos, nam & leonem & ursum interfeci ego seruus tuus, erit igitur & Philistæus hic incircũcisus quasi unus ex illis, Deus q me eripuit de manu leonis & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi huius. Discamus igitur exemplo Pauli & Dauidis, in oĩbus afflictionibus, non in nostras dignitates, uirtutes, aut potentiam, sed in solum Deum confidere, & fidem nostram per priores liberationes confirmare, sic enim futurum est ut nunquam in periculis pereamus, sed potenti manu Dei seruemur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA XCIII.



Editionem in Epheso à nebulone quodam nomine Demetrio excitatam audiuimus, nũc audiemus eam per scribam prudenter admodum concionãtem sedatam. Recitabimus ergo primum concionem scribæ, quanquam sint qui uelint Alexandrum hanc orationem habuisse ad populum, at ex uerbis ipsis apparet non esse orationem Iudæi, sed Ethnici. Deinde explicabimus eam pro mediocritate nostra.

Cum sedasset (inquit Lucas) scriba turbam, dixit: Viri Ephesij, quis enim est
» hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ deæ Dianæ,
» & a Ioue dilapsi simulachri? Cum igitur his nemo contradicat, oportet uos se-
» datos esse, & nihil præcipitanter agere. Adduxistis enim homines istos, neq; sa-
» crilegos, neq; contumelioſos in deam uestram. Quod si Demetrius, & qui cum
» eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur,
» & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem de rebus alijs quæritis, in
» legittima cõcione dirimetur. Nam periculum est, ne seditionis hodiernæ rei fia-
» mus, cum nulla subsit causa unde poterimus reddere rationem concursus istius.
» Et cum hæc dixisset dimisit concionem. Principio obseruandum est Lucam non frustra tam diligenter describere orationem scribæ Ephesij, quam diligenter uix aliàs cõciones Pauli commemorauit. Vult enim nobis ob oculos ponere exemplum ciuilis prudentiæ & moderationis, uidelicet, quantos motus ea sæpe componat, quantos tumultus sedet, quantamue turbam pacificet. Nam cũ unus tantum nebulo Demetrius, seditiosa sua concione tantas tragœdias in Epheso excitasset, ut uniuersa prope ciuitas uelut œstro percita concurrerit, ac paulum abfuerit quin in mutuas cædes irruissent, ecce post longum clamorem præsto adest scriba urbis, homo, ut ex uerbis eius apparet, ualde prudens, & moderata sua oratione turbam ita de repente compescit, ut mox quisq; in sua discedat. Vnde Salomon in Ecclesiasto capite nono ait: Melior est sapientia ꝙ arma bellica, cum interim unus nebulo multa bona perdat, sicut pernicioſæ muscæ perdunt suauitatem unguenti. Proinde cum e sacra scriptura docemur, humanam sapientiam esse coram Deo stulticiam, & Deum infatuare sapientiam huius sæculi, nõ ita intelligendum est, ꝙ non sit opera danda ciuili prudentiæ, aut ꝙ nullus sit

usus

usus sapientiæ huius sæculi, & necesse sit, ut unusquisq; Christianus pro more stultorum huius mundi uiuat, sed q̃ ciuilis prudentia intra suos fines continenda, atq; intra legittimos suos terminos usurpanda sit. Est enim illustre donum Dei, non autem in hoc datum, ut debeat esse iudex uerbi & sapientiæ Dei, sed ut ciuilia administret, & ea quæ ad ciuilem uitam pertinent gubernet. Nam quemadmodum longitudo corporis donum quidem Dei est, non autem proprie ad administrandum regnum accommodum, sed ad aliquid ex alto detrahendum, ita prudentia ciuilis, non quidem proprie idonea est in rebus diuinis sine uerbo Dei dijudicandis: sed tamen alium usum habet, nimirum, ut in rebus ciuilibus dominetur, id quod exemplum huius scribæ comprobat, qui prudentia sua magnum tumultum in urbe Epheso sedat. Itaq; ut precandum est pro publica pace ita etiam orandum est, ut Deus talem prudentiam ciuilem magistratibus exhibeat, quo subditos suos in tranquillitate regere queant. Deinde etiam hoc significat Lucas, q̃ & si seditiosorum nebulonum, aut etiam quorumuis impiorum conatus publicam tranquillitatem turbent, aut aliud malum subornent, tamen nihil efficient, nisi q̃ seipsos perdant. Quid enim is Demetrius sua seditione effecit: quanquam totam Ephesum turbauerit, tamen quicquid hoc est tumultus, tandem in suum ipsius caput recidit. Accusatur enim publicæ seditionis, & quãtum conijcere licet, nõ impune tulit q̃ publicam tranquillitatem interturbarit: Quid effecerunt Korah, Dathan & Abyron aduersus Mosen tumultuantes: turbam quidam excitarunt, sed nulli plus q̃ sibi ipsis exitio fuerunt. Quid effecit Absolon sua aduersus Dauidem seditione: expulit quidem ad tempus Dauidem è regno, sed tandem restitutus est Dauid maiori maiestate, & Absolon turpissime pependit. Et ne commemorem tantum impios priuatorum erga magistratus suos conatus, uide etiam impios magistratuum conatus erga priuatos & subditos suos. Nam & hi mala quidem subornant, sed in ipsorum caput redundantia. Quid effecit Saul rex persecutione sua erga Dauidem subditum suum: eiecit quidem eum e regno Israelis, sed tandem Saul occisus est, & Dauid regnum occupauit. Quid dicam de Pharaone erga Israelitas: De Achab erga Naboth: De principibus & pontificibus erga Christum: De Herode erga Iacobum, de qua re supra capite duodecimo scriptũ est. Certe hi omnes seipsos perdiderunt, dum in alios iniqua conati sunt. Pertinent & huc, impij priuatorum conatus erga priuatos, ut Caini erga Abelem, filiorum Iacob erga fratrem suum Ioseph. Et quis posset eiusmodi exempla omnia enumerare: Nimirum impiorum conatibus accidere solet, quod psalmus dicit: Ecce parturit iniusticiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem eius iniquitas ipsius descendet. Proinde qui noluerit propter impietatẽ ab impio suo conatu cessare, deterreatur saltem ab eo propter pœnam impijs decretam. Sed nũc ipsam scribæ orationem audiamus. Viri Ephesij (inquit) quid sibi uult ista seditio atq; uociferatio: profecto non habetis ullam legittimam causam, uel seditionis uel clamoris. Non enim hic scriba insanis clamoribus cõtra uociferationes uulgi absq; ratione reclamat, quemadmodum importuni quidam magistratus sæpe numero solent, sed moderatis rationibus monet uulgum, ut nihil temere agant, ne audiant seditiosi, & puniantur. Et dehortatur eos a præcipitantia, per hoc, q̃ nullas habeant legittimas causas huius tumultus. Audiamus igitur rationes dehortationis. Quis est hominum (inquit) qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse Magnæ deæ Dianæ, & a Ioue dilapsi simulachri? Cum igitur nemo his contradicat, oportet uos sedatos esse & nihil præcipitanter agere. Hæc dicit Scriba, non quia ignorauerit Euãgelion de Iesu Christo in Epheso prædicatum

Ciuilis prudentia quale donum Dei.

Seditiosorũ conatus frustrari.

Psal. VII.

esse, quo certe reiicitur Diana, sed quia Diana nõdum disertis uerbis a Paulo & comitibus eius prophanata fuerat. Hoc enim solum dictum ab ipsis ferebatur, q̃ non sint dij qui manibus fiunt, quẽadmodum antea Demetrius indicauit. Ephesij autem credebant simulachrum Dianæ suæ non esse manibus humanis factũ, sed e cœlo delapsum, id quod nec Scriba dissimulabat. Ac prudẽter quidem pro ratione suæ religionis loquitur, attamen impie sentit q̃ Diana sit magna dea, & q̃ simulachrum eius sit de cœlo lapsum. Etenim qui apud Græcos statuas parabant ut quæstum facerent, mentiebantur eas esse a Ioue missas, & corruptioni minime obnoxias. Vnde hoc quicquid erat simulachri Διοπετὲς, hoc est, a Ioue uolans, uocabant. Porro cum hanc famam in uulgus spargere uolebant, primum quidem statuarios aut interficiebant, aut in exilium eiiciebant, ne illi simulachrũ a se factum dicerent. Deinde autem apud impostores quosdam & Sycophantas prædicabant, simulachrum esse de cœlo delapsum. A quibus postea fama in superstitiosum & credulum uulgus dimanante ueluti publico testimonio recipiebatur, rem ita ut sparsa erat sese habere. Hac impostura decepta est ciuitas Ephesiorum in simulachro Dianæ, quemadmodum aliqui scriptores tradunt. Hac etiam impostura decepit rex Ptolomæus Alexandrinos. Is enim uocauit ad se clam egregios quosdam statuarios, ut simulachrum Dianæ fingerent. Cum autem illi simulachrum absolutissime perfecissent, rex ingentem foueam parauit ac ueluti pauimentum insternens, quo dolus lateret, iussit, ut artifices in eo loco super fouea cœnarent. Qui cum & ob perfectum opus, & ob regium conuiuium magna lætitia afficerentur, ecce subito in foueam corruerũt & mortui sunt. Rex deinceps sparsit simulachrum a cœlo demissum esse, & creditum est, tum propter authoritatem regis, tum propter absolutam simulachri pulchritudinem. Nugabantur & Troiani similiter & Athenienses sua Palladia non manu facta sed e cœlo delapsa. Sed & Numa Pompilius secũdus Romanorum rex, fingebat Ancilia, hoc est, parua scuta non humana sed cœlestia arma esse. Quid autem necesse est impiam Ethnicorum superstitionem, qua simulachra sua obseruarunt, commemorare, quando non minus superstitionis, quod ad imagines attinet, inter Christianos hactenus uidimus. Quædam enim idola habita sunt tanquam quæ nequeant pingi, quædam tanquam non possint in alium locum transferri, & si transferantur, redire tamen sua sponte in pristinum locum, quædam etiam flere uisa sunt, quasi hæc simulachra non sint manu hominum facta, sed e cœlo delapsa. At hæc impietas manifestior est q̃ ut refelli debeat. Nos scimus idolum nihil esse, nec ullum simulachrum aut lapideum aut ligneum, aut ęreum, aut argenteum, aut aureum e cœlo demitti ac delabi. Sed credimus Dominum Deum nostrum expressam imaginem substantiæ suæ, uidelicet, Iesum Christum unigenitum filium Dei ad nos e cœlo misisse. Hanc igitur imaginem semper fide nostra contemplemur, hunc Iesum Christum audiamus, ut credentes in ipsum salutem consequamur. Sed pergamus etiam ad alias rationes explicandas, quibus Scriba ciues Ephesios a seditione ac tumultu dehortatur. Adduxistis, inquit, homines istos (nimirum Gaium & Aristarchum comites Pauli) neq; sacrilegos neq; contumelioſos in deam nostram. Hoc est, neq; hæc iusta & legittima causa est, ut tumultuetis, q̃ Demetrius & qui sunt eiusdem artificij cum eo, produxerint hos homines. Non enim possunt probare q̃ hi sacrilegium commiserint, aut Dianam uestram publica contumelia affecerint. Sed fortassis priuatam quandam causam aduersus eos habent. Q̃ si ita fuerit, conuentus forenses aguntur, & sunt proconsules, illic accusent inuicem. Inconsultum autem est & imprudens ut uulgus ciuium immisceat sese causis priuatorum, quæ ad rem publicam ciuitatis non pertinent. Prouerbio dicitur: Quod te non urit, in hoc ne infles. Nam in alienam

Impietas eorum qui simulachra e cælo delapsa mentiebantur.

Christiani quomodo idolis dementati sint.

Alienas causas non esse attingendas.

alienam litẽ sese immiscere, quid aliud est, q̃ sua sponte sese periculis obijcere, & sibi ipsi malum adsciscere? Qui uero amat pericula, certe peribit in illis. Proinde nihil imprudentius est q̃ alienis causis sibi negocium facere. Postremo addit Scriba aliam rationem quare temerarium sit seditiose aliquid agere. Nam etiamsi publica quædam causa & popularis esset, ac ad omnes & singulos ciues tum publice tum priuatim pertineret, tamen non liceret eam seditioso tumultu persequi. Sed habentur interdum ordinariæ & legittimæ conciones seu congregationes ciuium, ubi si quid publicæ & popularis causæ est dirimi debet. Prudentissime concionatur Scriba. Illegittimis enim concionibus, & seditiosis tumultibus nulla unquam causa dirempta est, sed potius bonæ causæ malæ factæ sunt, & lis litem, contentio contentionẽ, seditio seditionem peperit. Quare si quis causam suam non potest ordinarie & legittime expedire, omnibus modis a seditiosis tumultibus caueat, & Domino Deo nostro causam suam commẽdet, qui cum sit pater orphanorum & iudex uiduarum, nunquam sperãtem in ipsum auxilio & patrocinio suo destituet. Post has autem rationes concludit Scriba orationem suam, & monet, ut siquidem nullam iustam causam inordinarij concursus habeant, nihil præcipitanter agant, sed tranquilli domum redeãt, ne accusentur temerariæ seditionis. Et cum hæc dixisset, ita populũ persuasit, ut mox quisq̃ ad sua reuersus sit. Quanquam autem hæc Ethnicus Scriba perorauerit, tamen quia non puduit Lucam commemorare hanc orationem, nec nos pudeat ex ipsa ea quæ nobis usui esse possunt dicere. Primum, quemadmodum antea ostendimus, uidemus ex hac oratione quanti facienda sit ciuilis prudentia, hac enim Scriba sedat tumultum ciuium Ephesiorum. Deinde discendum est q̃ non debeamus nos alienis causis immiscere, sed nostra curare. Postremo, q̃ debeamus causas nostras, quas uel priuatas uel publicas habemus, legittimis & ordinarijs modis expedire. Sic enim fiet ut placitam & quietam uitam agamus, & honesti uiri audiamus. Hæc autem ciuilis honestas, tametsi a Deo requiratur, & necessario a nobis præstanda sit, tamen non potest nos coram Deo iustificare, aut perpetuam salutem impetrare. Quare huic honestati adijcienda est uera pietas, quæ est fides in Iesum Christum, q̃ propter hunc propicius nobis sit Dominus Deus noster, & remittat peccata nostra gratis. Hac enim fide iustificati propter Christum perpetuam salutem consequemur, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Causas esse ordinarijs modis & nõ tumultu expediendas.

CAPVT XX.

HOMILIA XCIIII.



VO PAVLVS POST SEDATAM seditionem in Epheso profectus sit, nũc uideamus. Sic enim sequitur: Postquam autem cessauit tumultus, uocatis ad se Paulus discipulis, cõplexusq̃ illos, profectus est, ut iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, uenit in Græciam. Vide ubiq̃ Apostoli diligentiam. Non contẽtus est plantasse Ecclesias in Macedonia & Græcia, hoc est, in Philippis, Amphipoli, Apollonia, Thessalonica,

Berrhœa, quæ sunt urbes Macedoniæ, & Athenis, alijsq; Græciæ locis, nisi & eas quas plantauit riget, ac uiuifico Euangelij uerbo in uirore cõseruet. Etenim Ecclesia hortus est & uinea, iuxta illud quod Ezechiel dicit: Terra illa inculta facta est ut hortus uoluptatis. Et Esaias: Vinea Zebaoth domus Israel est. Et idem significat Christus apud Euãgelistas multis similitudinibus de uineis, de sterili arbore fici. Qui autem credunt in Christum, hi sunt arbores aut palmites uitium. Quemadmodum igitur hortus aut uinea nimio æstu ac siccitate perit, nisi post plantationem imbribus rigetur, ita Ecclesia nimijs afflictionum caloribus exaresc it, nisi subinde aqua spiritus sancti, quæ est Euangelion de Iesu Christo, humectetur. Ac Paulus, dum tanta diligentia, & multo (ut Lucas ait) sermone exhortatur Ecclesias ad perseuerantiam in fide, exprimit in se boni ac prudentis patris familias officium. Etenim si paterfamilias quispiam rem suam prudenter administrare uelit, non tam hoc curat ut multas opes conquirat, quàm ut partas conseruet. Auari & imprudentis patris familias est, acquisita negligere, & ad ea quæ non habet acquirenda adspirare. Cum igitur Paulus multas Ecclesias Christo acquisierat, & hæ ubiq; uarijs calamitatibus propter fidem in Christum afficerentur, consultius esse ratus est, ut acquisitas conseruet, quàm his neglectis, ad alias regiones proficiscatur, & nouas Ecclesias acquirat. Iniqui parentes sunt, qui postquam puerum genuerunt non etiam quotidianis quantum licet, alimentis eum fouent. At quàm necessarius est cibus corpori ut in uita conseruetur, tam necessarium est Verbum animo ut in fide constet. Paulus igitur multarum Ecclesiarum per ministerium suum parens, hoc diligentissime cauet, ne quos in Christo genuerat, eos alimentis destitutos marcescere ac deficere sinat. Obserua autem quam mercedem hic mundus Paulo pro sua diligentia & fidelitate reponat. Ac primum quidem multi qui uidebantur inicio amici, magnam ei molestiam exhibent. Scribit enim in posteriori ad Timotheum Epistola capite primo: Nosti hoc, inquiens, q̃ auersati fuerint me omnes qui sunt in Asia. Et ad Corinthios: In periculis inter falsos fratres. Deinde inimici etiam uitæ eius insidiantur. Sequitur enim: Et ibi peractis tribus mensibus cum essent illi structæ insidiæ a Iudæis, soluturo in Syriam habebat in animo, ut reuerteretur per Macedoniam. Ecce Paulus ex omni parte calamitatibus premitur propter diligentem muneris sui administrationem. Amici ab ipso deficiunt, inimici Iudæi cum non possunt eum palam & recto iuris ordine in terra interficere, struunt ei insidias in mari, ut eum clam trucident & in maris profundum demergant. Existimabant enim se tunc tranquillos & beatos fore, si Paulum qui unus in oculis eorum spina erat, trucidassent, & Euangelion plane extinxisse, si modo hunc extinxissent. Sed quid? num etiam si insidiæ eorum processissent uoti sui compotes facti essent? Quid? uoti compotes? nihil minus. Nemo enim unquam tranquillitatem & beatitudinem per iniquitates consecutus est, sed potius extremam miseriam & afflictionem. Et Euangelium sanguine Apostolorum magis irrigatum est, quàm uel suffocatum uel extinctum. Putabat & Cain se tranquillitatem consecuturum, si fratrem suum Abelem interficeret. Sed nunquam magis miser factus est quàm cum fratrem interfecit. Sic filij Iacob existimabant se beatos fore, si modo frater eorum Ioseph ex oculis ipsorum sublatus esset. Sic Saul pollicebatur sibi summam fœlicitatem si modo Dauidem e uita tollere posset. Sic Pharisæi, nescio quas beatitudines sibi somniabant, sublato Christo. Sed hi omnes etiam uotorum suorum in eijciendis & trucidandis quos uolebant compotes facti, tantum abest, ut tranquillitatem consecuti sint, ut nunquam ante maioribus calamitatibus obruti fuerint, quàm cum iniquitas eorum pro uoluntate ipsorum successisset. Nemo igitur speret se ullum bonum per iniquitatem

Paulum exẽplum esse boni patris familiis.

Impios nihil minus quàm uoti compotes fieri subla tis pijs.

quitatem sibi comparaturũ, sed potius discat e uerbo DOMINI iniquitatem esse authorem omnis maledictionis & internitionis. Sed quid? num Paulus ab officio suo cessat, ꝙ tam malignam mercedem mundus ei referat, & insidias uitæ eius struat? Absit. Neminem enim pericula a uocatione Dei auertere debent. Væ mihi, inquit Paulus, si non euangelizauero. Attamen prudenter pericula declinat, ne Deum tentare uideatur, nam cum comperisset sibi non esse tutam nauigationem recta in Syriam, reuertitur ad Macedoniam, & longiori quidem, sed tamen tutiori itinere ad Syriam pergit. Discamus igitur exemplo Pauli, ut suæ quisq; uocationi diligenter seruiamus, & ea fideliter defungamur. Nam etiamsi pericula nos manent, tamen Deus defendit, & quanquam labor & diligentia nostra sæpenumero parum promouent, nos tamen culpa coram hominibus uacabimus & fecimus quod debuimus. Porro autem ut uideamus Deum fidelem esse, nec ullum sinere tentari supra id quod potest, immo facere unà cum tentatione euentum, ut possit sufferri. Quanquam multi amicorum a Paulo deficiunt, & inimici uitæ eius insidientur, tamen deus adiungit ei comites quosdam uiros optimos, quorum contubernio in afflictionibus suis aliquantum recreetur. Comitatus est enim (inquit Lucas) usq; ad Asiam Sopater Berrhœensis, Thessalonicensium uero Aristarchus & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus. Asiani uero Tychicus, (cuius Paulus sæpe in epistolis suis meminit) & Trophimus. Hi cum præcessissent expectarunt nos Troade. Nos uero abnauigauimus post dies azymorum a Philippis, & uenimus ad eos Troadem intra dies quinq;, ubi demorati sumus diebus septem. Non frustra cõmemorat Lucas tam diligenter comitatum Pauli. Primum enim tacite commendat clementiam Dei, ꝙ & si Paulus multos falsos amicos & ueros inimicos habuerit, Deus tamen donauerit eum etiam multis syncerís amicis ac fratribus, ex quorum conuictu nõnullam consolationem in aduersis suis habeat. Deinde significat quanta cura Ecclesiæ Christi Paulum obseruauerint. Videntur enim hi comites suæ quisq; Ecclesiæ nomine & sumptu Paulum comitati esse. Atq; hic mihi uide diuersa hominum iudicia & conatus. Alij iudicabant Paulum tanquam peripsema & catharma, alij autem tractabant eum ueluti angelum Dei. Alij noctes atq; dies uitæ eius insidiantur, alij uero tanquam pretiosissimum unionem custodiunt eum, & obseruant eum tanquam Cæsarem quendam aut Regem. Et unde hæc iudiciorum diuersitas? Ex eo profecto est ꝙ Euangelion, quod Paulus prædicabat, alijs est odor mortis ad mortem, alijs odor uitæ ad uitam. Proinde quibus Euangelium est odor mortis, hi quærunt exitium & mortem Euangelistis: quibus autem est odor uitæ, hi Euangelij adnunciatores tanq; uitæ suæ, non corporalis sed spiritualis & æternæ ministros obseruant. Sed audiamus nunc quid miraculi in Troade contigerit. Vno die sabbathorum cum conuenissent Discipuli ad frangendum panem, uel communem, uel panem cœnæ Dominicæ. Si ergo conuenerunt ad distribuendam & sumendam cœnam Dominicam, non potest ex hoc loco demonstrari ꝙ sumpserint solum corpus Christi in pane, non item sanguinem Christi in uino, id quod Sophistæ quidam impudenter affirmare audent. Sed constat tum ex institutione cœnæ Dominicæ, qua ordinatur ut & panis & uinum, hoc est, corpus & sanguis accipiatur, tum ex phrasi Hebræa, qua nomine panis, & cibus & potus intelligitur, Discipulos in Troade non corpus tantum Christi, sed etiam sanguinem eius sumpsisse. Cum igitur Discipuli conuenissent ad frangendum panem, Paulus differebat eis, profecturus postridie, protraxitq; sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, cum degrauaretur somno profundo, disse

Vocationem esse urgendam.

Diuersa hominũ iudicia erga ministros Ecclesiæ.

Error quorũdam de cœna Domini.

,, rente diu Paulo, magis depressus somno, decidit ex tertio cœnaculo deorsum
,, & sublatus est mortuus. Cum descendisset autem Paulus incubuit super eum
,, & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim eius in ipso est. Cum ascendis-
,, set autem fregisset q; panem, ac degustasset, diu collocutus est usq; ad diluculum,
,, ita demum profectus est. Adduxerunt autem puerum uiuentem, & refocilla-
,, ti sunt non mediocriter. Ex hac narratione primum obseruandum est quid in fractione panis cœnæ Dominicæ agendum sit. Disserebat (inquit) Paulus eis.

Verus usus cœnæ dominicæ.

Ergo disserendum & prædicandum est Euangelion de Iesu Christo. Nam & ipse Christus id mandat dicens: Hoc facite in mei memoriam, hoc est, interprete Paulo, quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnuncietis donec ueniat. Ergo ibi non est rectus usus cœnæ Dominicæ, ubi in angulo quodam Missa a priuato sacrificulo dimurmuratur, ut qui astant, nil nisi gesticulationes, eleuationes & expansiones manuum uident, non autem audiant ullam Euangelij de Iesu Christo uocem, ut nihil interim dicam de impia opinione, qua Missa tanquam opus satisfactorium pro peccatis celebratur. Quod si uero Discipuli in Troade communem panem fregerunt, facile conijci potest, quanta prædicationis Euangelicæ diligentia & maiestate illi cœnam Dominicam tractarunt, qui tanta pietate panem communem sumpserunt. Deinde uide inuictam Pauli pertinaciam in docendo Euangelio, Non enim putat se suo munere defunctum, si interdiu tantum de diuinis scripturis differat, sed protrahit sermonem usq; in mediam noctem. Ac ne tunc quidem defatigatus cessat, sed collocutus est cum discipulis, nimirum de rebus pietatis, usque ad diluculum. Sed quo diutius Paulus pietatem docet, hoc altiori somno opprimitur adolescens quidam in fenestra sedens, nomine Eutychus.

In concionibus diuinis esse uigilandū.

Hic cum somno depressus esset, decidit ex tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Exemplum alta mente reponendum his qui in diuinis concionibus dormitare solent. Quia enim hic adolescens adeo oscitanter, adeo ignauiter sermoni Pauli attendit, ut obdormiscat, iusto Dei iudicio fit, ut collabatur & moriatur. Qui enim non maxima cura & uigilantia Verbum Dei audit, is non solum indicat se nullam suæ ipsius salutis rationem habere, sed etiam summam maiestatem Dei contemnere ac fastidire. Qui autem nullam habet curam salutis suæ, & fastidit diuinam maiestatem, hic certe extremo supplicio dignus est. Proinde in concionibus diuinis uigilandum est, & diligenter animaduertendum, ne somno oppressi, somno mortem mereamur. Sed inquies: Paulus resuscitauit adolescentem mortuum, non igitur uidetur quod in tantum somno suo peccauerit ut mortem meruerit, sed casu id accidit. At minime sentiendum est quod adolescens non peccauerit oscitantia ac somnolentia sua, nec Paulus resuscitatione sua significat adolescentem non peccasse, sed resuscitat eum ut hoc miraculo testetur ac confirmet, prædicationem Euangelij esse prædicationem non mortis sed uitæ, non exitij sed salutis, nec cuiquam afferre interitum, nisi quis sui ipsius interitus propter incredulitatem author sit. Quomodo autem Paulus resuscitat adolescentem? Incubuit super eum, & complexus est eum.

An Pauli incubitu mortuus sit ad uitā reuocatus.

Ergo ne incubitus & complexus Pauli tantæ energiæ fuerunt ut mortuum ad uitam reduxerint? Absit. Non enim incubitus & complexus Pauli id miraculi fecit, sed uirtus & potentia Christi. Cur igitur Paulus incubuit & complexus est adolescentem mortuum? Imitatus est mores Prophetarum Eliæ & Elizæ, quorum uterq; similibus gestibus mortuos ad uitam reuocarunt, quemadmodum de Elia scriptum est in priori Malachim libro capite decimo septimo. De Eliza autem in posteriori Malachim libro capite quarto. Quid autem hoc sibi uult, quod horum Prophetarum mores Paulus nunc in resuscitando adolescente

leſcente uſurpet? non temere id factum eſſe ſentiamus. Etenim Paulus hoc tempore eodem miniſterio in Eccleſia Dei fungebatur, quo illi ſuo tempore inter Iſraëlitas defuncti ſunt. Adhæc eundem Chriſtum palam prædicabat, quem illi futurum prædixerant, & prædictionem æditis miraculis, ac præcipue reſuſcitatione mortuorum confirmauerant. Vt igitur reipſa teſtetur, ac declaret ſe eodem miniſterio fungi, & eundem Chriſtum prædicare quem illi prædixerunt, eoſdem etiam geſtus ac mores in reſuſcitando mortuo imitatur. Proinde cum prædicatio & ueritas Euangelij de Ieſu Chriſto tot modis ac miraculis confirmata & rata facta fuerit, nimirum, quod ſit potentia Dei ad ſalutem omni credenti, agite amiciſſimi, non dormiamus in utramuis aurem, ſed operam demus ut audientes & credentes Euangelio, ſpiritu ſancto donemur, qui nos uigilantes ad conſequendam perpetuam fœlicitatem cõſeruet, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſæcula. Amen.

HOMILIA XCV.

PAulus a Troade, ubi adoleſcentem mortuum ad uitam in noĩe Ieſu CHRITSI reuocauerat, ad alias minoris Aſiæ partes profectus eſt. Progrediamur & nos cũ ipſo, non quidem pedibus corporis, hoc enim nunc nobis minime licet, ſed lectione & auditu, ut peregrinationis eius comites in doctrina pietatis eruditiores euadamus. Nos autem (inquit Lucas) conſcenſa naui, ſoluimus » Aſſon (ciuitatem litoralem infra Troaden) inde excepturi Paulum. Sic enim ordinauerat, ipſe per terram iter facturus. Cum autem » cõueniſſemus Aſſon, recepto eo uenimus in Mytilenem (quæ eſt ciuitas in Leſbo inſula, ꝺbuia ab Aſſo nauigantibus Chium.) Et inde nauigantes ſequenti die » uenimus contra Chium. Poſtridie uero appulimus Samum, & commorati Tro » gyllij, proximo die uenimus Miletum. Propoſuerat enim Paulus præternauiga » re Epheſum, ne tempus tereret in Aſia. Nam poterat a Chio commode appelle » re Epheſum, ſed data opera præternauigauit Epheſum, uidelicet, ne, ut dictum eſt, diutius hæreret in Aſia. Feſtinabat enim ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem pen» tecoſtes ageret Hieroſolymis. Quid ergo ſibi uult Lucas, ꝙ tã diligẽter & ſolli » cite deſcribit peregrinationẽ & nauigationẽ Pauli? quid ad nos, quo Paulus uel pedibus uel nauigio peruenerit? Profecto ut Paulus nõ fruſtra ad illa loca profectus eſt, ita illud minime fruſtra literis mandatum eſt. Proponit enim Scriptura nobis peregrinationem Pauli, ut ſciamus quanto labore, quantis item periculis Euangelion de Ieſu Chriſto prædicauerit. Nam & ipſe Paulus ad Corinthios in poſteriori epiſtola ſcribens, haud quaq; labores & pericula ſua quę ob Euangelion ſuſtinuit, diſſimulat. In laboribus, inquit, copioſius, in uerberibus ſupra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequẽter. Et mox: Noctem & diem in profundo egi, in itineribus, ſæpe in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, & reliqua, quæ in eo loco leguntur. Cum autem de laboribus & periculis Pauli in miniſterio Euangelij certiores reddimur, primum docemur quam fortunam habeat iuſticia ſeu pietas in hoc ſæculo, quod eſt principatus Satanæ. Si enim propter prædicationem Euangelij quæ eſt præcipuus cultus Dei, quẽadmodum poſtea dicet, Apoſtoli maximis diſcriminibus & periculis obruti ſunt, quid cõtinget in minoribus cultibus Dei & operibus iuſticiæ? Certo idipſum eſt quod aliàs Paulus ait: Omnes qui uolũt pie uiuere in Chriſto

Quid expericulis Apoſtolorum docemur.

Iesu, persecutionem patientur. Atq; hæc quidem scriptura nobiscum loquitur, ut cum propter iusticiam uenerint afflictiones, meminerimus quæ sit fortuna iusticiæ in hoc sæculo & non offendamur aduersis ut a iusticia deficiamus. Deinde monemur etiam e periculis & laboribus Pauli quanta cura, quanta sollicitudine margaritum illud Euangelicæ prædicationis custodire ac conseruare debeamus. Quæ enim magno labore & ingenti sudore constant, eo diligentius solent conseruari. At præter redemptionem hominis per Christum nihil maiori labore ac periculis DOMINVM Deum nostrum constat, quàm prædicatio Euangelij. Propter hanc afflicti sunt Prophetæ, propter hanc tribulati sunt Apostoli, propter hanc Paulus uerbera & mortes sustinuit. Quicquid autem prophetæ & Apostoli ac etiam Discipuli Euangelij sustinent, hoc ipse Christus sustinere dicitur. Saule Saule, inquit, quid me persequeris, cum tamen Saulus solum Ecclesiam persequeretur. Proinde magna opera danda est, ut Euangelion cuius ministerium Deum tanto labore constat, fideliter conseruemus. Postremo elucet etiam e Paulo, quanta sit fidei energia, quantaue uirtus sit fides in Iesum Christum. Credidit enim Paulus in Christum, quod ipse sit expiator pro peccatis, quod ipse reddiderit patrem sibi propicium. Hæc fides tanta potentia inuasit Paulum ut maluerit mandato Christi in peragendo ministerio suo obsequi quàm uitam suam retinere. Eo enim deducit uera fides credentem, ut magis uelit mortem quàm aduersus mandatum Dei peccare. Sed de his rebus audiamus ipsum met Paulum apud Ephesios presbyteros cõcionaturum. A Mileto eñ missis Ephesum nuncijs accersiuit presbyteros (seu seniores) Ecclesiæ. Qui cum peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis a primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo uobiscum per omne tempus fuerim, seruiens DOMINO cum omni animi humilitate, cũq; multis lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum, ut nihil suffugerim eorum quæ essent in rem uestram, quando adnunciarem uobis & docerem uos publice ac per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis eam quæ erga Deum est, pœnitentiam ac fidem quæ est erga Dominum nostrum Iesum. Hæc Pauli oratio ad presbyteros Ephesios est exhortatoria. Hortatur enim eos, ut siquidem ipse abiturus, nec unquam eos reuisurus sit, ministerio suo diligenter fungantur, hoc est, puram doctrinam Euangelij seruent, & pseudoapostolos ac falsam doctrinam caueant. Est & admonitio admodum necessaria. Nam statim reuelato Euangelio, falsi apostoli synceram fidei doctrinam prædicatione circuncisionis uiciabant, quemadmodum antea capite decimo quinto scriptum est: Et docebant quod contingeret quidem remissio peccatorum, & uita æterna per fidem in Christum, sed ita, si fidei etiam adderentur circuncisio & alia opera legis, quorum operum merito & dignitate fieret, ut remissio peccatorum & uita æterna per Christum contingeret, adeoq; eiuscemodi docebant, sicut & Sophistæ hactenus de meritis bonorum operum docuerunt. Hi enim Christum ita prædicarunt, ut tamen semper addiderint, tum demum Christum nobis utilem esse, si nostris operibus & uirtutibus ipsum dememereamur. Sed hæc doctrina plane non solum obscurat, sed etiam abnegat Christũ & Euãgelion eius. Vera enim Euangelij doctrina est quod Deus remittit peccata, & largitur uitã æternam, non propter ullum opus aut meritũ aut uirtutem aut dignitatẽ humanam, sed tantũ propter Iesum Christũ per fidem. Vbi igitur docetur q; Deus salutem largiatur propter circuncisionẽ aut ppter merita operũ ibi prorsus tollit̃ authoritas, dignitas, & meritũ Iesu Christi. Quare necessaria fuit hęc Pauli admonitio ad presbyteros Ephesios, ut maneãt in synceritate ueritatis Euãgelicæ, nec patiant̃ eã cõmisceri fermẽto humanę doctrinę. Porro aũt in exordio orõnis suę captat bñuolentiã a

Prædicatio Euangelii quanti facienda.

Doctrina operum quo modo uiciet puram Euangelij doctrinam.

persona

perſona ſua ut fieri ſolet. Primum q̃ eo tempore quo cum ipſis fuerit ſemper ſeruierit DOMINO cum omni animi humilitate, lachrymis, & tentationibus. De qua ergo ſeruitute loquitur hic Paulus? Certe quantum ex argumento orationis eius apparet, loquitur potiſſimum de miniſterio ſuo & prædicatione Euangelij de Ieſu Chriſto. Nam prædicare & audire Euangelion Dei ſunt præcipua ſeruitus, & ſummus externus cultus Dei in Eccleſia. Vnde Paulus ad Romanos ſcribens, prædicationem Euangelij cultum Dei uocat. Teſtis (inquit) eſt mihi Deus, quem colo ſpiritu meo in Euangelio filij ipſius. Et poſtea: Sacrifico Euãgelium Dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis, ſanctificata per ſpiritum ſanctum. Cum autem Paulus dicit ſe ſacrificare Euangelion, uno uerbo explicat quantus cultus Dei ſit prædicatio & auditus Euangelij. Nam ſacrificia in lege inter externos cultus Dei ſummi & præcipui habebantur, & ad ſacrificia ueluti ad ſacram anchoram in quauis rerum fortuna a uulgo pariter atq̃ a principibus apud Iſraëlitas feſtinabatur: quin & quouis die ſolenne ſacrificium matutinum & ueſpertinum celebrabatur. Ac pecudes quidem primum ab offerentibus adducebantur. Deinde Leuitæ eas præparabant. Poſtremo ſacerdotes ſacrificabant ſuo quamuis ritu ac cæremonijs. Hæc autem nihil aliud adumbrãt, niſi & ſacrificium Chriſti pro peccatis noſtris & prædicationem Euangelij de ſacrificio Chriſti, ut quemadmodum pecudis ſanguis ſuper altare & ſuper cornua altaris per circuitum effunditur, ita ſpargendum & prædicandum eſt Euangelion de effuſo ſanguine Chriſti, in omnem orbem terrarum. Proinde cum ſacrificia ſummus legis cultus fuerint, & prædicationem Euangelij adumbrent, conſectaneum eſt, q̃ prædicatio Euangelij ſummus Dei externus cultus in Eccleſia ſit. Ac in hoc quidem cultu auditor ſecum pecudem adducit, hoc eſt, ſeipſum, alius quidem uaccam laſciuientem libidine, alius bouem toruum, animum uidelicet durum & incuruiceruicum, alius hircum ſordibus peccatorum graue olentem, nonnulli & lupos & urſos & ſues & ſerpentes, quæ tamen beſtiæ in lege nõ fuerunt ad ſacrificia aptę. Euangelion autem recipit quicquid offertur. Vnde & ad Petrum dicitur: Quod Deus mundauit tu ne commune dixeris. Poſtquam igitur unuſquiſq̃ ſuam pecudem, hoc eſt, ſeipſum adduxit, tunc Euangelij prædicatio præparat auditorem, qui ſi Euangelium per fidem accipit & credit, q̃ Ieſus Chriſtus mortuus ſit pro peccatis ſuis, quid aliud fit niſi q̃ eiuſmodi auditor per Euãgelium offertur in ſacrificium acceptabile, & ſanctificatur per ſpiritum ſanctum. Vnde quia hic cultus dei prẽcipuus eſt in Eccleſia, ſæpe nos hortatur ſcriptura ut ipſum capeſſamus. In Pſalmo ait Dauid: Redde mihi lætitiã ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Quid pro hoc beneficio reddet Dauid? Sequitur: Docebo iniquos uias tuas & impij ad te conuertentur. Et iterum: Dirupiſti uincula mea. Quid ergo retribuam? Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo, hoc eſt, prædicabo in gratiarum actionem, laudem Domini, & gloriam nominis Dei ubiuis Gentium celebrabo. Itaq̃ danda eſt nobis opera, ut hunc cultum Dei diligenter obſeruemus, quo per prædicationem Euangelij nos ipſi ſacrificia Deo grata efficiamur. Cæterum in priori huius exordij parte exprimit etiam Paulus in ſe quales debeant eſſe miniſtri Euangelij. Cum omni (inquit) animi humilitate, cũq̃ multis lachrymis & tentationibus. Nam miniſtrorum Euangelij intereſt non ut arrogantia intumeſcant, & alios præ ſe faſtidiant, ſed ut cũ omni animi humilitate Euangelion prædicent. Nec prædicare ſufficit, niſi & hoc addant, ut multis lachrymis aut ſuſpirijs pro ſalute Eccleſię precẽt, ac nõ aliter, p Eccleſia q̃ pro ſua ipſorũ ſalute ſolliciti ſint. Et ſi qñ immineant afflictiones, non derelinquendũ eſt miniſterium, ſed eo magis in uocatione Dei pergendũ, id q̃d uides q̃ſuis pios ac ſynceros Apl'os & Epiſcopos p̃ſtitiſſe,

Seruitus Pauli prædicare Euangelion.

Sacrificia legalia.

Miniſtri Eccleſiæ quales debeant eſſe.

Deinde exponit Paulus in exordio ad captandam beneuolentiam, q̃ nihil eos inuide, quod ad doctrinam Euangelij pertinet, cælauerit, sed omnia quæcunq̃ eis necessaria sunt ad salutem adnunciauerit, id q̃ publice & priuatim Iudæis & Græcis. Comprehendit autem breuissimis summam prædicationis suæ, uidelicet, pœnitentiam erga Deum, & fidem quæ est erga Dominum nostrum Iesum Christum. Hic locus diligenter obseruandus est: complectitur enim pauciſſimis uerbis quæ sit summa doctrinæ Christianæ, in qua doctrina consistat Christianismus, & quid nobis ad salutem necessarium sit. Duabus enim partibus constat doctrina Christianismi, prior pars est pœnitentia erga Deum, hæc pars complectitur legem. Oportet igitur scire quæ sit lex Domini, & q̃ debeamus legi Dei obedire, atq̃ ipsi satisfacere. Q̃ si nec satisfecimus, nec satisfacere possumus, agnoscenda sunt peccata nostra, agnoscendum est nos meritos esse perpetuum supplicium ac iuste a Deo damnari. Et hæc est pœnitentia erga Deum, de qua Paulus hic loquitur. Posterior pars, est fides in Iesum Christum. Hæc pars complectitur Euangelion, q̃ Christus pro nostris peccatis satisfecerit, q̃ placauerit nobis patrem, q̃ omnis qui credat in Christum, ita iustus propter Christum coram Deo reputetur, perinde ac si toti legi adamussim satisfecisset. Hanc igitur doctrinam amplectamur, ut lege ad agnitionem peccatorum ducti, & Euangelio remissionem peccatorum ex fide adepti, spiritu sancto donemur, quo ad omne opus bonum præparemur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Partes Christianæ doctrinæ.

HOMILIA XCVI.



Xplicuimus exordiũ oratiõis Pauli ad presbyteros Ephesios. Exordium autẽ sequitur narratio. Quare nũc animad uertamus narrationem. Et nunc ecce ego alligatus spiritu proficiscor Hierosolymam, quæ in ea obuentura sunt mihi ignorans, nisi q̃ spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur dicens, q̃ uincula & afflictiones me manẽt. Verum nihil me mouet, neq̃ uita mea chara est mihi ipsi, ut consumem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Iesu ad testificandum Euangelion gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio q̃ posthac non uidebitis faciem meã uos omnes per quos transiui, prædicans regnum Dei.

Hæc est narratio in qua primũ cum dicit alligatus spiritu proficiscor Hierosolymam, ostendit in seipso q̃ plane non sit positus homo in potestate sui arbitrij, sed totus pendeat a manu Dei. Quanquam enim Paulus corpore erat liber, & boni ac spirituales homines (per hos enim spũs sanctus prophetat) in singulis ciuitatibus dehortarentur eum, non uerbis tantum, sed & lachrymis, quemadmodum postea sequetur, ut derelicta Hierusalem apud ipsos diuersaretur, tamen Paulus ita spiritu suo alligatus erat, ut non potuerit in animũ inducere quo non proficisceretur ad Hierusalẽ, adeo suijpsius animi captiuus erat. Habemus quidem naturalem quandam libertatem externã hoc aut illud faciendi, huc aut illuc proficiscendi, si libet. Item extrinsecus bene ac honeste operandi. At si deus potestatem suam quam in nobis habet exerit ac reuelat, tũc nihil est in homine, nec sensus nec ratio, nec uolũtas, nec aliud quic̃q̃ quod potestati eius resistere queat. Cum igitur hæc sciamus, summa opera dãda est ut uerbo Dñi obsequamur, quo ille potestatem suam nõ iracundam illam & omnia perdentẽ, sed beneuolentẽ & omnia conseruantem in nobis exerceat. Deinde exponit Paulus in seipso quo quisq̃ affectu diuinæ uocationi seruire debeat. Ait enim: Vita mea non est chara mihi

Quatenus sit liberum arbitrium.

mihi ipsi, ut consumem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Iesu Christo ad testificandum Euangelium gratiæ Dei. Vocatio enim Pauli, quam ipse cursum & ministerium appellat, erat officium prædicandi Euangelij gratiæ Dei, hoc est, q̃ Deus gratis remitteret peccata & saluaret homines propter Iesum Christum per fidem. Hoc autem officium demãdatum ipsi erat, non authoribus hominibus, sed authore Iesu Christo, quemadmodum in historia conuersionis Pauli dictum est. Quid ergo dicit Paulus? Vita mea non est chara mihi ipsi. Quid audio? nonne aliàs dicit: Quis unquam odio habet carnem suam? & si uitam suam non habet charam, quomodo ad Timotheum scribens, mandat, ut fiant deprecationes pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis. Quare? ut placitam, inquit, & quietam uitam degamus. Vita igitur chara habenda est. Accedit huc q̃ in decalogo dicitur: Honora parentes ut longo uiuas tempore. Et unicuiq̃ naturaliter insitus est amor uitæ. Naturalia autem desyderia a Deo creata non sunt mala. Et cur odio haberetur donũ Dei? Sed Paulus hic non loquitur de uita sua corporali absolute, hæc enim quia donum Dei est, non est odio habenda, nec temere abijcienda, gratiarum autem actione digna est, sed loquitur de uita sua per comparationem ad ministerium & uocationem suam. Hæc enim si inter se conferantur, tunc ministerium Euangelij a Deo mandatum, multo pretiosius & dignius est, adeoq̃ charius esse debet q̃ ipsa uita corporalis. Nam ut uiuas corporaliter non est necesse. Neque enim uspiam a Deo mandatum est ut diu corporaliter uiuamus. Et per se parum refert siue diu siue non diu uiuas. Sed omnino necesse est ut mandato & uocationi Dei obsequaris. Hoc enim præceptum est ut timeas DOMINVM Deum tuum, & obedias ei omni tempore. Ac plurimum refert ut hoc fiat. Si enim Deo obedieris, saluus eris. Si non obedieris, perpetuo peribis. Vnde & Christus dicit: Ne metuatis ab his qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed metuite magis illum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Et aliàs: Si oculus tuus offendit te, erue eum & proijce abs te, bonum est tibi ut luscus intres in uitam potius, q̃ ut duos oculos habens mittaris in gehennam ignis. Quibus uerbis monemur ut præcepta & obedientiam Dei plus æstimemus, charius habeamus, diligentiusq̃ curemus, q̃ uel corpus uel uitam, uel diuitias, uel aliam quandam uirtutem nostram. Etenim qui impie a diuersus præcepta Dei agit, ut uel uitam retineat, uel diuitias congreget, aut congregatas conseruet, is aliquid quidem suarum rerum aliquandiu retinet, sed se totum perdit. Quid autem est stultius, quid magis insanum ac furiosum, q̃ propter uilem aliquam hominis partem, totum hominem internitione perdere? Qui uero mauult uel uitam corporalem uel diuitias periculo exponere, tantum ut obsequatur diuinæ uocationi, is perdit quidem nonnunquam uitam aut diuitias, sed interim totum hominem seruat ad uitam & diuitias perpetuas consequendas. Proinde discamus exemplo Pauli, ut suam quisq̃ uocationem diuinitus mandatam, atq̃ adeo quæuis Dei præcepta chariora & digniora omnibus nostris rebus ducamus, quo nos ipsos totos æternæ saluti conseruemus. Postremo in ultima narrationis parte subintelligit Paulus propositionem exhortationis & ait: Nunc ecce ego scio, q̃ post hac non uidebitis faciem meam uos omnes (in minori uidelicet Asia) per quos transiui, prædicans regnum Dei. Quid sibi uult his uerbis? nimirum hoc intelligit, q̃ siquidem ipse discessurus sit, nec unquam rediturus, operam dent, ut diligenter suo munere fungantur, & puram Euangelij doctrinam in Ecclesia conseruent. Sit igitur hæc propositio exhortationis, ad quam nunc argumenta quæ in oratione sequuntur referri debent, sic enim dicit Paulus: Quapropter contestor uos hodierno die, q̃ mundus ego sum a sanguine omnium, non enim sub-

Vocatio Pauli.

Collatio uitæ corporalis cum ministerio Verbi.

»
»

» terfugi,quo minus adnunciarim omne consilium Dei uobis. Prima ratio cur Presbyteri Ephesij debeant suo ministerio diligenter fungi,quia,inquit Paulus,
Prima ratio. tota Ecclesię cura iam in uos solos incumbet,& si quid negligatur,nulla prorsus mihi culpa impingi potest. Nam quod ad me attinet,ego dum præsens eram adnunciaui uobis omne consilium Dei,nec ullum periculum fugi quo minus hoc facerem. Quid autem est illud consilium Dei quod Paulus Ephesijs adnunciauit? Idem plane est quod supra paucissimis uerbis indicauit, uidelicet, pœnitentia quæ est erga deum,& fides quę est erga Dominum nostrum Iesum Christum.
Consilium Dei in quibus continetur. Hæ enim duæ partes doctrinæ Christianismi complectuntur omne consilium Dei,nimirum id quod ad salutem nostram nobis cognitu necessarium est:& reuelant omnem uoluntatem eius,nimirum eam quam scire nos oportet ad formandam fidem & opera nostra. Quæ cum omnia a Paulo Ephesijs prædicata sint diligentissime,non ab re testatur palam dicens: Mundus ego sum a sanguine omnium. Si quis inter uos peribit,nulla mea culpa peribit,sed uestra,& a uestris manibus sanguis eius requiretur. Ex hac ratione primum obseruabis internitionem pereuntium in Ecclesia,ignauiæ,socordiæ,negligentiæ aut impietati Ecclesiastarum imputari. Sic enim dicitur ad Ezechielem: Si dicente me ad impium, morte morieris,non adnunciaueris ei,neq; locutus fueris ut auertatur a uia sua
Quod iure Ecclesiastæ peccata populi arguãt. impia & uiuat,ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Quod cum ita se habeat,quid est, q; si quando Ecclesiastæ ex uocatione sua publica peccata & impietatem arguant, calumniaris eos, perinde ac si priuata quadam libidine conuiciandi id faciant? Cur obijcis eis uulgatum illud dictum: Quod te non urit non affles? An existimas peccata publica non eos urere? an non audis sanguinem pereuntium de manibus ipsorum requiri? Necesse igitur habent, nisi uelint ipsis peccatoribus grauius puniri, peccata pro sua uocatione arguere,& nullum in ea re personarum respectum habere,siue potẽs sit qui peccet, siue impotens,siue magistratus siue priuatus. Deinde & hoc obseruabis, q; quemadmodum Paulus in Asia præsens præsenti etiam uocationi diligenter seruiuit,abiens uero,curam in alios reijcit. Ita quisq; debet præsenti suo muneri satisfacere,& futura Deo ac his qui a Deo ordinati sunt curanda relinquere. Hoc præceptum ualde necessarium est,ac præcipue ignauis parentibus obseruandum,qui liberos suos in puericia & adolescentia negligunt, nec erudiunt eos in timore Domini (hoc est) id quod est præsentis uocationis non curant,interim tamen de liberis adhuc in cunis uagientibus ualde solliciti sunt,quid dotis,quid donationis propter nuptias,quid patrimonij eis post se relinquant. Est & superstitiosis quibusdam adnotãdum, qui adhuc in uita existentes,nullam habent curam uel pauperum uel Ecclesiæ,attamen magna sollicitudine in testamentis suis cauent,quid de bonis ipsorum pauperibus distribui, quid cæremoniarum in Ecclesia obseruari debeat. Hæc præposteracura, certe nullo alio loco habenda est q; ignauiæ,socordiæ,aut etiam impietatis. Quare comparemus nos ad exemplũ Pauli, & quod ad manus ꝓpositum est hoc agamus, futura autem in curam Dei commendemus. Sequitur in oratione Pauli: Attendite
» igitur uobis & cuncto gregi,in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos ad re»
» gendum Ecclesiam Dei,quam acquisiuit sanguine suo. Paucissimis uerbis alias duas rationes ponit,quibus monet presbyteros Ephesios,ut suæ functioni dili*Secunda ratio.* genter seruiant. Spiritus sanctus (inquit) posuit uos Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei. Proinde si fueritis ignaui neglectores, non in homines sed in Deũ peccatis, nec hominis sed spiritus sancti mandatum uiolatis. Quis autem impune feret qui contra Deum peccat,& spiritus sancti uocationem negligit? Cæterum hac ratione unusquisq; admonetur, ut diligenter summaq; fide mu-

nus suum

nus suū ad q̄d uocatus est administret. Tametsi.n. legittimæ uocationes, siue ad ciuilia siue ecclesiastica officia p̄ hoies fiant, nimirꝝ, aut per parentes & amicos, aut per magistratus, hæ tñ uocatiōes diuinę uocationes sunt, quippe q̄ Deus sub iecerit nos parentibus ac Magistratibus. Quare nō effugiet supplicium quisquis legittimam suam uocationem ignauiter ac torpide administrat. Alia ratio q̄ presbyteri Ephesij debeant suo munere diligenter fungi, quia Iesus Christus qui est Dominus Deus noster, acquisiuit Ecclesiam, cuius ipsi Episcopi, speculatores, curatores, ecclesiastæ seu ministri sunt, non uili sed incomparabili precio, uidelicet, non auro, non argento, non lapidibus pretiosis, non denique ullis terrenis diuitijs, sed suo ipsius sanguine. Cum igitur Ecclesia tanto precio constitit Christum, profecto merx est ualde pretiosa. Qui ergo fieri potest, ut is leues pœnas daturus sit, qui sua culpa tam pretiosam mercem perdiderit? Hæc ratio non ijs solum qui ecclesiastico munere funguntur, sed etiam omnibus priuatis hominibus obseruanda est, & sæpe ea Paulus utitur, ut admoneat fratrum curam habendam esse: uidemus enim q̄ leui momento alter alterū contemnat & fastidiat, ac ille quidem sibi soli studet, nullam proximi rationem habens, hic proximum insuper naso suspendit adunco, quemadmodum habet prouerbium, ille imponit alteri, hic contumelia quoq̄ afficit, ille alterum execratur, & diris deuouet, hic alio quopiam iniuriæ genere alteri malefacit. Hos omnes monet ista ratio, ut secum reputent, quis sit proximus ille quem malis afficiunt. Primū enim opus Dei est, ad imaginem & similitudinem Dei creatum. Deinde tantæ dignitatis coram Deo reputatus est, ut propter ipsum unigenitus filius Dei descenderit de cœlo in terras, & pro eo sanguinem suum effuderit ac mortem obierit. Vnde & Paulus ad Romanos scribens: Ne cibo tuo, inquit, illū perdas pro quo Christus mortuus est. Et mox: Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificatiōis alius erga alium. Ne cibi causa destruas opus Dei. Itē ad Corinthios: Peribit frater qui infirmus est in tua scientia, propter quem Christus fuit mortuus. Sic autem peccantes in fratres, & uulnerantes illorum cōscientiam infirmam, in Christum peccatis. Audis quanta amplificatione Paulus dignitatem proximi nostri illustret. Opus, inquit, Dei est, & Christus pro illo mortuus est. Addit præterea, q̄ qui in fratrem peccat, in Christum peccat. Quomodo autem impunis euadet qui Christo Domino Deo nostro iniuriam infert? Proinde dilectissimi caueamus ab iniuria fratri inferenda, sed benefaciamus etiam inimicis, ut ad eius, qui solem suum finit oriri super bonos & malos, exemplum nos comparemus in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spū sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Tertia ratio.

Proximo benefaciendum esse.

HOMILIA XCVII.



Equuntur aliæ exhortatoriæ rationes, quibus Paulus Ephesios presbyteros monet, ut in pura & syncera doctrina Euangelij perseuerent, hoc est, ut suo officio fideliter fungantur. Ego enim (inquit) noui hoc, q̄ ingressuri sint post „
discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi, & „
ex uobis ipsis orientur uiri loquentes peruersa, ut abducāt „
discipulos post se. Scriptura uere Ecclesiam Dei gregem „
ouium appellat. Ego sum (inquit Christus) pastor bonus, qui ponit animā suam pro ouibus suis. Et mox: Oues meæ audiunt uocem meam. Et ad Petrum dicitur: Pasce oues meas. Sunt autem multæ rationes, quare Ecclesia grex ouium uocetur, quas nunc non est necesse commemorare. Porro nihil magis aduersum & inimicū ouibus est, quā genus luporum. Inter oues .n. & lupos naturalis est ini-

ECCLESIAM esse gregem ouium.

micicia. Recte igitur hostes Ecclesiæ lupi dicũtur. Vt autem duplex est hostium genus, alterum domesticum & occultum, alterum externum & manifestum, ita & duplex genus luporum Ecclesiam persequitur. Alij enim manifesta tyrannide Ecclesiam opprimere conantur, ut Iudæi, Turcæ & Tyranni, alij pia specie Ecclesiæ insidiantur, ut peruersi doctores & pseudoapostoli. Atq; hi lupi longe omnium perniciosissimi sunt, de quibus & Christus concionatur dicens: Cauete uobis a pseudo prophetis qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Ac de his quidem Paulus, non tam monet presbyteros Ephesios quam prophetat: Noui (inquit) q̃ post discessum meum ingressuri sunt in uos lupi graues non parcentes gregi. Et eo grauiores erunt q̃ non aliunde uenturi sint, sed ex uobis orientur. Manifesti Ecclesiæ persecutores, ut sunt tyranni, facile cauentur. At qui nomine Apostolico sese uenditant, & sub nomine Euangelij parum Euangelica docent, hi non nisi a prudentissimis & spiritualissimis cauentur. Reliquum igitur est, quia pastoris officium est lupos ab ouili abigere & gregem suum custodire, adeoq; certum est lupos in gregem

De quibus lupis Paulus prophetet.

grassaturos, ut uos omni cura synceram doctrinam Euangelij retineatis. Cæterum Paulus de his præcipue lupis prophetat, qui suo quidem tempore sub nomine Euangelij docuerunt & meritum circuncisionis & obseruatiõis legis Mosaicæ, nostro autem tempore sub nomine Euangelij docent merita operum nostrorum. Vna enim illorum hæresis est, qui docent q̃ non solus Christus expiauerit peccata, sed q̃ & nos necesse habeamus uel circuncisione uel alijs operibus peccata expiare ac uitam æternam mereri, ac Christum meruisse tantum primam gratiam, hoc est, talem ut nunc nos per Christum possimus operibus nostris mereri remissionem peccatorum & uitam æternam. Atq; hoc quidem est nomen Christi uerbotenus docere: nihil autem hac doctrina perniciosius in Ecclesia prædicari potest. Nam si quis aperte & rotundo ore diceret: Christus nihil est, nec satisfecit pro peccatis nostris, talem doctorem discipuli mox aduersandum & abominandum scirent. At cum quispiam Christi nomen commendat & inculcat, similiter docens Christum p peccatis nostris mortuum esse, sed addens mortem Christi meruisse hoc tantum, ut nos deinceps possimus & debeamus peccata nostra propriis operibus expiare & pro eis satisfacere, is sub nomine Christi & prætextu pietatis simplices auditores decipit, & Christum conculcat,

Contra merita operum.

ac meram impietatem docet, hoc est, in uestitu ouium rapacissimum lupum agit. Christus enim non meruit tantum primam gratiam, sed omnes gratias meruit, nec ita pro peccatis nostris satisfecit, ut nos queamus deinceps bonis nostris operibus pro peccatis satisfacere, sed ipse solus in totum pro peccatis nostris satisfecit, & nulli nisi gratis, nullo q̃ merito contingit remissio peccatorum propter Christum per fidem. Arbitramur (inquit Paulus) fide iustificari hominem absq; operibus legis. Et ad Ephesios: Gratia seruati estis per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Sed quid de hac re nunc testimonia affero, cum alias multis hoc argumentum tractauerimus, & hãc solam doctrinam Apostoli urgeant, adeoq; hæc sola doctrina Euangelion illud sit, quod de Iesu Christo tota scriptura prædicat? Iam Paulus hac sua de lupis prophecia etiam id significat, quod uulgo dici solet: Quod est optimum, aiunt, rarissime post sequitur. Hoc propheticum uulgi dictum ab experientia profectum est. Et cum in omnibus fere casibus huius sæculi uerum sit, tum maxime

Quare deteriora sequantur post priora.

ueritas eius comprobatur, in publicis ac priuatis ministris, siue ciuilibus siue ecclesiasticis. Nam fere accidere solet q̃ post clementes principes sequantur crudeles, post fideles famulos sequantur infideles, post ueros Apostolos pseudo apostoli, post synceros doctores impij hypocritæ. Et in coniugijs, post tolera-

biles

biles maritos aut uxores succedant intolerabiles. Idq; fit non rerum necessitate, sed nostra ipsorum culpa. Hoc enim ingenio prediti sumus, q; præterita commendemus, futura appetamus, præsentia autem magno contemptu fastidiamus. Et quia fastidimus præsentia ac futura appetimus, fit ut nullas habeamus Deo gratias pro beneficijs suis, nec patienter aduersa toleremus, sed iniquitate ad futura adspiremus. Vbi autem est ingratitudo, impatientia, iniquitas, quid boni ibi sperandum esset? Iusto igitur Dei iudicio fit, q; deteriora sequantur post priora. Sic post discessum Pauli ingressi sunt ad Ephesios lupi graues. Quare? quia præsens adhuc Paulus a maiori auditorum parte fastidiebatur, atque ita contemnebatur, ut necesse habuerit labore manuum suarum sibi uictum quærere, id quod postea commemorabit. Erant enim usque adeo delicati, ut uidebantur Euangelio minime fidem adhibituri, nisi gratis & nullo suo impendio audire liceret. Ergo quoniam uerum Apostolum fastidiebant, ac egere sinebant, coguntur postea ferre pseudoapostolos, & eos multis diuitijs suffarcinare. Romani Petrum & aliquot pios eius successores non solum esurire permiserunt, sed etiam occiderunt eos. Recto igitur iudicio fit, ut nunc cogantur horum successoribus pedes osculari, & omnes opes ad eos conferre, nec interim ullam piam doctrinam, sed tantum bullas & nugas ab ipsis audire. Et ut paulo superiora etiam exempla commemorem, Samuelem & filios eius fastidiebant Israelitæ, sed pro clementissimo principe coguntur postea crudelem & immitem tyrannum Saulem ferre. Regno Salomonis nihil tranquillius, nihil quoq; opulentius. Fuit enim tanta abundantia argenti in Hierusalem quanta & lapidum. Attamen hæc beneficia nulla gratitudine ab Israëlitis agnoscebantur, dicebant enim ad filium eius: Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis. Quid ergo sequitur? Israëlitæ deficientes a familia Dauid, coguntur postea seruire regibus non solum crudelibus, sed etiam impijs, non tam opes quàm animas ipsorum auferentibus. Vides optima rarissime sequi. Quid igitur faciendum est? Præsentia Dei beneficia gratitudine agnoscenda sunt, præsentes calamitates patienter ferendæ sunt, non est iniquitate ad futura conandum, sed in beneficijs quidem gratiæ Deo agendæ, in aduersis autem Deus interpellandus est, ut nos seruet ne in aduersis pereamus, sic enim fiet ut Deus maiora nobis beneficia conferat & ex aduersis liberet, ac meliora nobis q; speraſſemus exhibeat. Sed pgrediamur ad explicandam aliam exhortationis rationem: Propter quod, inquit, uigilate, memores q; per triennium nocte & die non cessauerim cum lachrymis monere unum quenq;. Hæc ratio ab exemplo ducta est, monet enim Paulus Presbyteros, ut sui exempli meminerint, & quemadmodum ipse etiam cum lachrymis, toto triennio singulorum salutem curauerit, ita æquum est, ut illi multo maiori sollicitudine piam doctrinam urgeant quando maiora pericula instent. Hic locus docet sanctos nobis in exemplum bene operandi propositos esse. Cõmendatur enim pietas eorum in scriptura, non ut inuocemus eos in aduersis, sed ut pietatem eorum imitemur. Sed reliquæ adhuc sunt duæ rationes explicandæ. Et nunc commendo uos fratres Deo, & sermoni gratiæ ipsius, qui potens est superstruere, & dare uobis hæreditatem inter sanctificatos omnes. Breuibus duas rationes complectitur, quarum altera est ducta a facili, altera a præmio. Potuissent enim presbyteri dicere, multam a nobis diligentiam requiris, sed quis tantam præstare potest? Respondet Paulus: Commendo uos Deo & sermoni gratiæ eius, hoc est, Euangelio de Iesu Christo. Scio quidem me nimis difficilia a uobis exigere, sed Deus præstabit uobis uires, dabit uobis spiritum sanctum per Euangelion suum, ut quod exigo præstare possitis. Ac uos quidem rigabitis, Deus autem dabit incrementum. Ecclesia enim non humanum opus, sed Dei

Ad quid sancti propositi sint.

ædificatio est. Non destituet autem Deus suam ipsius ædificationem, ne perficiatur, sed quod inchoauit etiam potenter peragit. Cum igitur uos cooperarij eius sitis in superstruenda Ecclesia, sicut illam non relinquit, ita nec uos derelinquet. Altera ratio ducta est a præmio, Potens est (inquit) dare uobis hæreditatem inter sanctificatos omnes. Magnum laborem a uobis exigo, ingentia onera uobis impono. Necesse enim habebitis Euangelion seu noctu seu interdiu prædicare, preces sine intermissione, adeoq; lachrymas pro Ecclesia effundere, magnas afflictiones propter Euangelion ferre, nunc a tyrannis, nunc a pseudoapostolis, nunc a uestris ipsorum auditoribus. Quid ergo mercedis pro tantis laboribus accipietis? Gaudete & exultate, merces nostra copiosa est in cœlis. Ostendit autem Paulus exemplo suo, q; non sit ipsis ulla merces in hoc sæculo speranda, & ait: Argentum & aurum aut uestem nullius concupiui, immo ipsi scitis q; necessitatibus meis & his qui mecum sunt, suppeditauerunt manus hæ. Omnia ostẽdi uobis, quod sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse Verborũ Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatum est dare potius quàm accipere: Hoc est, Magna quidem merces uos manet, sed exemplo meo palam declarauí, non esse ex Euangelio ullam huius sæculi mercedem sperandam. Quanquam licuisset mihi ex Euangelio uictum parare, quemadmodum alij Apostoli faciunt. Et Christus etiam concessit dicens: Dignus est operarius mercede sua. Neq; magnum adeo esset si cum spiritualia seminem, carnalia quædam metam, quando & lex Mosi dicat: Non obligabis os boui trituranti. Et in lege ita sit ordinatum, ut qui sacrario assistunt unà cum sacrario partem accipiant, tamen ego nolui hac prærogatiua uti, sed prædicaui Euangelion gratuito, partim ne cui onerosus essem, partim si accipiendi libertate usus fuissem, infirmis & imperitis exhibuissem ansam calumniandi Euangelion, quasi cauponationem & ad quæstum duntaxat excogitatum, partim quod sciebam a Christo dictum, Beatius esse dare quàm accipere. Vnde igitur parauit Paulus sibi uictum? certe de hæreditatibus & patrimonijs suis nihil uspiam legimus, sed nonnunquam operabatur manibus, fuit enim textor tabernaculorum, quemadmodum capite decimo octauo dictum est, nonnunquam ab alijs accipiebat stipendium quo alijs gratis posset Euangelium prædicare. De labore suo hoc loco dicit: Vos scitis quod necessitatibus meis, & his qui mecum sunt suppeditauerunt manus hæ. Et in posteriori ad Thessalonicenses epistola capite tertio inquit: Non inordinate gessimus nos inter uos, neque gratis panem accepimus a quoquam, sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus ad hoc, ne cui uestrum essemus oneri. De stipendio autem ab alijs accepto in posteriori ad Corinthios epistola capite undecimo ita scribit: Cæteras Ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipendio, quo uobis inseruirem. Et cum apud uos essem & egerem, non onerosus fui cuiquam, nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres qui uenerant a Macedonia. Monet igitur Paulus presbyteros Ephesios in fine pro conclusione orationis suæ, ut exemplo suo non existiment pietatem esse quæstum huius sæculi, nec Euangelion esse cauponationem, nec magnam mercedem ex Euangelio in hoc sæculo sperent, sed respiciant ad cœlestia præmia & ad hæreditatem, quam ipsis Christus ob labores eorum in cœlo inter sanctos parauit. Cæterum ex hoc quod dicit Paulus, potens est uobis dare hæreditatem inter omnes sanctificatos, nemo sic intelligat, quasi significare uelit, presbyteros laboribus suis in Euangelico ministerio mereri remissionem peccatorum & uitam æternam. Nullis enim uel actionibus uel passionibus, nullis uel laboribus uel uirtutibus hæc mereri possumus, sed meruit ea nobis solus Iesus Christus per sanguinem suum, & exhibet nobis ea gratis per fidem in ipsum. Hoc autem

Merces doctorum Euãgelion.

Vnde uictus Paulo fuerit.

An Presbyteris debeatur uita æterna mercedis loco.

autem Paulus significat, q̃ qui propter Christum iam acceperunt remissionem peccatorum per fidem, & spe uitæ æternæ fruuntur, possint alia quædam præmia & specialem quandam hæreditatem inter sanctos mereri, si Euangelico ministerio maximis laboribus præ alijs funguntur, aut alioqui ingentes fidei fructus proferant. Sic enim dicit Christus ad Apostolos: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Et Matthæi decimo nono. Amen dico uobis q̃ uos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Et in priori ad Corinthios epistola capite tertio, Paulus ita inquit: Vnusquisq̃ suam mercedem accipiet iuxta suum laborem. Quæ omnia non intelligenda sunt quasi quis posset labore suo remissionem peccatorum & uitam æternam mereri, hæc gratis absq̃ ullis meritis, tantummodo propter Christum nobis per fidem conferuntur, sed sic, q̃ quis accepta iam per fidem remissione peccatorum, possit labore suo alia præmia siue corporalia siue spiritualia mereri. Vnde & Paulus ad Corinthios scribens ait: Alia gloria solis, alia lunæ, alia stellarum, stella siquidem a stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum, hoc est, omnes quidem stellæ cœlestes sunt, habent tamen inter se discrimen gloriæ, ita omnes in Christum credentes, unum sunt in Christo, eandem habent remissionem peccatorum, eandem uitam æternam, sed tamen ut in corpore aliud membrum alio præstantius est, ita in Ecclesia siue in hac uita, siue post hanc uitam, alter alterum in gloria superat. Cum igitur acceperimus remissionem peccatorum & uitam æternam gratis propter Christum, agite, demus operam, ut multos fructus fidei proferentes, multam quoq̃ mercedem in cœlis consequamur. Sed non est oscitanter consyderanda γνώμη illa, quam Paulus Christo adscribit dicens: Oportet meminisse uerborum Domini Iesu Christi, quoniam ipse dixit: Beatum est dare potius quàm accipere. Hæc sententia non his quidem uerbis in Euangelistis scribitur, sed tamen sensus eius reperitur, ut cum dicitur: Date & dabitur uobis. Item, Filius hoīs nō uenit ut sibi ministretur, sed ut ipse ministret. Hæc quid aliud significant quàm q̃ beatius sit dare q̃ accipere? Etenim, qui alios uel dando uel consolando, uel alio quouis modo iuuat, hic primum declarat liberalitatem animi sui: deinde re ipsa demonstrat, se talia bona possidere, quibus alterum iuuat: non enim posset alterum bonis iuuare nisi ipse ea haberet. Valde autem beatum est, liberalem animum & multa Dei dona habere. Accedit huc q̃ dando dictæ sunt ingentes Dei promissiones. Date, inquit Christus, & dabitur uobis. Item, quicunq̃ ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tantum nomine discipuli, amen dico uobis non perditurus est mercedem suam. Et in prouerbijs Salomonis: Qui inebriat, inebriabitur. Ac iterum: Qui largitur pauperi, fœnerat Deo. Alias præterea multas promissiones habet ipsum dare. Quid igitur eo beatius? Vide mihi saltem ipsum Dominum Deum nostrum, ac filium eius Iesum Christum. Quid enim hi aliud agunt quàm q̃ omnibus dent uitam & halitum, atq̃ adeo gratis conferant omnibus credentibus perpetuam fœlicitatem? Nihil autem a quoq̃ hominum accipiant, nec quisquam hominum aliquid ipsis præstare potest. Vnde & soli ipsi unà cum spiritu sancto beatissimi sunt. Multo igitur honestius, multo beatius, multo fœlicius est dare quàm accipere, quippe q̃ accipere sit mendicantium & egenorum, dare autem diuitum & multa bona possidentium. Quare enitamur & nos ut potius alijs beneficia conferamus, quàm ut ab alijs ea more mendicorum ambiamus. Hæc est oratio Pauli qua hortatur Ephesios presbyteros, ut suum munus fideliter in Euangelio adnunciando administrent, in qua paucis explicuit, quales debeant esse ministri Ecclesiæ, & quas curas, quos labores, quas

Quod multo satius sit dare quàm accipere.

» ſollicitudines requirat ab ipſis Ieſus Chriſtus Eccleſiæ caput. Et cum hæc di-
» xiſſet, poſitis genibus orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus coortus
» eſt omnium, & ruentes in collum Pauli oſculabantur eum, dolentes maxime ob
» ſermonem quem dixerat, ꝙ amplius faciem eius non eſſent uiſuri, & deduce-
» bant eum ad nauim. Vide obſecro quàm contendant inter ſe Paulus & audi-
tores eius qui tunc præſto aderant, charitate. Paulus orat pro ipſis, ipſi autem uiciſſim pro eo orant, adeoꝙ affectum charitatis ſuæ fletu, oſculis, & comitatu declarant. Quo certamine quid in conſpectu Dei iucundius? Ruamus & nos amiciſſimi in collum Pauli, ut tantum Apoſtolum retineamus nobiſcum. Quomodo id inquies fieri poteſt? Si doctrinam eius de Ieſu Chriſto complectamur, ſi Euangelion eius de gratuita remiſſione peccatorum propter Ieſum Chriſtum fide capeſſamus. Hac enim re fiet, ut etiamſi Paulus corpore a nobis diſceſſerit, tamen relinquat poſt ſe non ſolum Euangelion ſuum, ſed ipſum met Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt unà cum patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſæcula. Amen.

CAPVT XXI.

HOMILIA XCVIII.



VM QVAE IN MILETO CVM Epheſijs presbyteris acta ſunt, in præcedenti capite explicatum ſit, nunc Paulum a Mileto ad Syriam abnauigantem proſequamur, non quidem pedibus aut nauigio, ſed commemoratione & expoſitione peregrinationis eius. Sic enim Lucas dicit: Cum autem factum eſſet ut ſoluiſſemus,
» auulſi ab eis, recto curſu uenimus Coum, & ſe-
» quenti die Rhodum, & inde Pataram, & nacti na
» uem quæ traijceret in Phœnicen, ea cõſcenſa ſol-
» uimus. Cum autem cœpiſſet nobis apparere Cyprus, relicta ea ad ſiniſtram, na-
» uigauimus in Syriã, ac uenimus Tyrum. Nam huc nauis exponebat onus: quippe quod Tyrus celebre emporium ſit in Phœnicia. Lucas iterum deſcribit multis uerbis nauigationem Pauli, & quemadmodum ab inſula ad inſulam nauigatum eſt, ita alteram poſt alteram nominatim recenſet, adeoꝙ palam oſtendit Paulum ualde in hac profectione feſtinaſſe, ut pentecoſten ageret Hieroſolymis. Rurſus igitur commendat Paulum, quod nullo maris diſcrimine deterritus fuerit, quo minus miniſterium ſuum a Chriſto commendatum compleuerit. Deinde etiam hoc in Paulo hac deſcriptione toties ſecum admiratur, quod quamuis Paulus ubiꝙ per ſpiritum ſanctum admonitus fuerit, grauia uincula ipſum Hieroſolymis manere, nihilominus tamen ita ad Hieruſalem feſtinat, quaſi illic omnia uoluptatum genera ipſum manerent. Non enim ſolum ſpiritus ſanctus per ciuitates Aſiæ, ſed etiam in ciuitatibus Phœniciæ & Syriæ teſtificabatur, quod Paulum uincula & afflictiones in Hieruſalem manerent. Se-
» quitur em̃: Repertiſq; Diſcipulis, manſimus ibidem (uidelicet in Tyro) die-
» bus ſeptem, qui Paulo dicebant per ſpiritum ne aſcenderet Hieroſolymam. Quod ita intelligendum eſt, Diſcipulos uaticinatos eſſe, Paulum captiuum fore in Hieruſalem. Et hoc uaticinium Spiritus ſancti uaticinium fuit. Poſtea autem more amicorum admonuerunt, ut ſiquidem certum eſſet ꝙ uincula ipſum

Hieroſo-

Hierosolymis manerent, non ascendat ad Hierusalem. Et hęc admonitio amica quidem fuit, sed non ex spiritu sancto. Quare nec Paulus huic admonitioni cessit. Expletis (inquit Lucas) diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus unà cum uxoribus & filijs, donec exissemus ciuitatem, & positis genibus in littore precati sumus. Vide quanto charitatis ardore discipuli Apostolum suum complectuntur: non uiri solum, sed & uxores & liberi deducunt Paulum ad littus. Ergo ne existimas hoc tam facile factu fuisse quàm facile narratu est? Profecto si huius rei circumstantias probe consyderaueris, inuenies quod hic comitatus constiterit discipulos Tyrios magno uitæ & suæ & uxorum & liberorum periculo. Nam & Iudæi & Gentes extremo odio, non solum Euangelium ipsum, sed & professores & confessores persequebantur, præcipue autem in Paulum insaniebant. Hic autem comitatus per ciuitatem Tyrum, quid aliud erat quàm publica Euangelij confessio & testificatio ueritatis doctrinæ Pauli? Proinde quo in periculo Paulus uersabatur, eodem se conijciunt hoc comitatu discipuli Tyrij unà cum uxoribus & liberis. Quid autem efficit illos tam promptos, tam alacres ad obeunda tanta pericula propter Paulum, quę uix propter Romanum imperatorem obijssent? Certe eo adegit ipsos fides in Iesum Christum & charitas erga Apostolum Christi. Nam per Romanum imperatorem habebant quidem tranquillam pacem, & alia huius sæculi bona quæ per Magistratus ciuiles nobis contingunt. At per Paulum habebant Christum. Qui autem Christum habet, is habet & pacem cum Deo & remissionem peccatorum & uitam ac fœlicitatem perpetuam, quæ tanto præstantiora sunt bonis huius sæculi, quanto longius æternitas momentaneum tempus superat. Itaque discipuli Tyrij rationes suas ita subducunt, ut si necesse habeant sæpenumero pro incolumitate & defensione Romani sui imperatoris uitam suam periculo exponere, per quem tantum bonis corporalibus fruuntur, multo magis conueniat, ut pro confessione fidei suæ in Christum & charitatis in Paulum, per cuius ministerium habeant bona spiritualia & æterna, uitam suam & uxorum & liberorum periculo exponant. Sed quid hoc sibi uult quod toties diserte a Luca scribitur Paulum & discipulos orasse positis genibus? Nam & antea cum finita esset exhortatio Pauli ad Ephesios, ait Lucas: Orauit cum omnibus illis positis genibus suis. Quin & de Petro adnotauit supra capite nono, quod positis genibus orauerit. Et quod maximum est, Christum etiam ipsum positis genibus orasse scribit in historia Euangelij sui capite uicesimo secundo. Num hic corporis gestus aliquid facit ad orationem seu ad impetrationem? Genu flexio quidem nihil efficaciæ tribuit orationi, nec propter genuflexionem corporis aliquid a Deo impetratur, attamen hic corporis gestus non est frustraneus. Primum enim est honesta disciplina, qua seniores debent iuniores ad orandum prouocare. Deinde quia declarat in corpore qualis sit fides in mente, admonitio nostra est, ut hoc signo corporis admoneamur, qualis debeat esse fides mentis nostræ in oratione. Etenim quemadmodum nonnunquã ore precamur Dominum, non quia Deus non audiat nisi orationis precationem, sed ut ore sonantes nos ipsos in uehementia & continuatione orationis seruemus, ita genua flectimus, non quia Deus hunc gestum respiciat, sed ut hoc gestu corporis mentẽ nostram in oratione contineamus, ne alio, ut solet, euagetur, & ut in hoc signo depingatur nobis, quid si de coram Deo in oratione agendum sit. Nam sicut qui genua sua flectit erga alterum, submittit sese ei & ambit gratiam eius, ita qui orat Deum, debet sese totum Deo submittere, suam miseriam fateri, nihil suæ dignitati aut uirtuti adscribere, sed omnia gratuitæ misericordiæ Dei accepta ferre, solamque eius clementiam ambire. Hæc qui facit, non tam corpore coram mundo quàm etiam

Flexis genibus quare orandum.

mente coram Deo genua flectit, & hanc genuflexionem respicit Deus. Sic enim ait: Super quem respiciam, nisi super humilem & contritum corde, & tremētem sermones meos? Et in Psalmis: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Proinde ad exemplum Christi & Apostolorum ac prophetarum, ita genua corpore flectamus, ut simul & mens se totam Deo submittat. Sed pergamus ad
» relíqua. Et consalutatis nobis inuicem conscendimus nauim, illi autem redie
» runt ad sua. Nos uero nauigatione explicita a Tyro descendimus Ptolomaidam, & salutatis fratribus mansimus diem unum cum illis. Postridie uero nos
» qui eramus cum Paulo uenimus Cęsaream, & ingressi in domum Philippi Euangelistæ, qui erat unus e septem (uidelicet diaconis) mansimus apud eū. Huic
» autem erāt quatuor filiæ uirgines prophetantes. De Philippo in ordinem Diaconorum electo habes supra capite sexto & octauo. Cæterum, cp Paulum & comites eius hospicio excipit, exemplum est hospitalitatis, quæ ex fide profecta, tanti apud Deum respectus est, ut qui peregrinum nomine Christi excipit, Christum ipsum hospicio excepisse reputetur. Ac per hanc, quemadmodum Apostolus inquit, quidam inscientes exceperunt angelos hospicio. Quod autem commemoratur Philippum habuisse quatuor filias prophetantes. Primum honestas parentis, qua ille filias suas educauit, ex dono filiarum commendatur. Donum enim prophetiæ non solet his puellis contingere quæ in domo paterna potius lasciuam petulantiam, impudicitiam, & impietatem, quàm pietatem ac timorem Domini discunt. Deinde hoc exemplum declarat DOMINVM Deum nostrum non esse respectorem personarum, confert enim dona sua quibuscunq; libet, non uiris tantum, sed & mulieribus adeo cp uirginibus. Ac cum antea sub lege uirginitas adeo contempta esset, ut deploratione digna haberetur, quemadmodum apparet in filia Iephte, ut est in libro Iudicum capite undecimo. Nunc quia filiabus Philippi uirginibus collatum est donum prophetiæ, uirginitas tanto honore affecta est, ut si conferatur coniugio ac uiduitati longe ea inter homines superet. Accedit huc cp quia uirgines reuelato Christo prophetant, certum argumentum est Euangelium de Iesu Christo non solum ad coniuges, sed etiam ad uirgines pertinere. Quid si etiam propter hanc causam commemorantur fuisse prophetantes, cp & Paulo prædixerint fore, ut Hierosolymis comprehenderetur, & uinctus traderetur gentibus. Certe quæ mox de propheta Agabo sequuntur, indicant spiritum prophetiæ de uinculis Pauli ubicp sibi ipsi consensisse. Sic autem sequitur: Et cum permaneremus dies complures, aduenit
» quidam a Iudæa propheta nomine Agabus, is cum uenisset ad nos, tulit cingulum Pauli, & alligans sibi pedes ac manus dixit: Hæc dicit spiritus sanctus, uirum, cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymæ Iudæi, tradentcp in
» manus gentium. Est autem hic Agabus qui etiam per spiritum significauit antea famem magnam futuram in toto orbe terrarum, quæ accidit sub Claudio Cæsare, quemadmodum supra capite undecimo scriptum est. Habes igitur spiritum ubicp conuenire, cp Paulum manēat Hierosolymis uincula & afflictiones. Quid
» ergo ad hæc discipuli & amici eius? Cum audissemus (inquit Lucas) hæc, ro
» gabamus & nos & cæteri, qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam.
Vide in amicis Pauli eundem affectum, adeocp zelum charitatis erga ipsum qui & erat in Petro erga Christum, sed non secundum scientiam. Hic enim, cum cœpisset Iesus ei indicare quod oporteret ipsum abire Hierosolymam, ac multa pati a senioribus & principibus sacerdotum & occidi, abduxit eum & increpauit illum, amico quidem affectu, sed non uere diuino, dicens, propitius tibi sis Domine, nequaquam erit tibi hoc. Sed audit a Christo, Abi post me Satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum. Sic

Exemplum hospitalitatis.

Quare uirginibus donum prophetiæ sit collatum.

Agabi prophetia.

Zelus charitatis sed non ex scientia.

amici

amici Pauli non uerbis solum, sed lachrymis ac fletibus animum Pauli expugnare & exorare conantur, ut non proficiscatur ad Hierusalem. Cum enim certum ipsi exitium illic impendeat, non esse Deum tentandum, non licere ut quis se in præsentaneum periculum temere coniiciat, præterea multas adhuc gentes reliquas esse per Paulum ad Christum conuertendas: adhæc Ecclesias iam plantatas indigere adhuc rigatione, præsertim imminentibus iam non tam externis persecutionibus, quàm internis hæresibus. Proinde seruet se incolumem, si non sibi, certe tot Ecclesijs, nondum uerbo Euangelij aut plantatis, aut non satis rigatis. Nunquid autem Paulus his precibus aut lachrymis mouetur ut non proficiscatur ad Hierusalem? Nihil minus: lachrymis enim horum accenditur potius ad profectionem, quàm q auertatur. Respondit enim & dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solum uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro noie Dñi Iesu. Quid obsecro sibi uult illa pertinatia Pauli, q tot amicorum precibus ac lachrymis non cedat, præsertim nec inhonesta nec Ecclesiæ inutilia postulantibus? Et cum antea passus sit sese per murum in sporta dimitti, quo insidias Iudæorum declinaret: ac in Epheso obsecundatus sit amicis, non permittentibus eum intrare in theatrum. Quid accidit ei quod nunc sese tam durum & inexorabilem amicis exhibeat? Respondeo, Hæc Pauli inhumanitas, non est carnalis pertinatia, sed constans obedientia uoluntatis diuinæ. Nam quod amici petebant, uidebatur quidem honestum & Ecclesiæ utile, sed Spiritus DOMINI alio uocabat Paulum. Quod enim Paulus antea sæpenumero in fugiendis & declinandis periculis sese exorabilem præbuerat, ideo factum est, quia nondum manifeste Verbo Domini cognoscebat uoluntatem eius esse, quod eo tempore ipsi pereundum foret. Vbi autem nescis uoluntatem Dei, ibi si commode & citra impietatem fieri potest, fugere licet. Nunc uero uidet Paulus ex consensu spiritus manifestam uoluntatem Dei, uidelicet, quod Deus omnino uelit ut Hierosolymis uinciatur. Non igitur priuatæ suæ pertinatiæ, sed publicæ Dei uoluntati obsequitur, nec tentat Deum, dum proficiscitur ad Hierusalem, hoc est, ad præsentaneum periculum. Ex uoluntate enim Dei sese periculis obiicere, non est tentare Deum, sed est clementia Dei fidere. Nam quod uidebatur utilius Ecclesiæ, si Paulus sese diutius liberum seruet, carnalis erat cogitatio, quando & ipse ad Philippenses scribens testetur, uincula sua magis ad profectum quàm impedimentum Euangelij cessisse. Scire (inquit) uos uolo fratres, quod quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij euenerunt, ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo in toto prætorio ac cæteris omnibus, utq plures ex fratribus in Domino freti uinculis meis uberius auderent impauide sermonem loqui. Proinde Paulus recte secutus est, non hoc quod amicis, sed quod uoluntati Dei honestum ac utile uidebatur. Vnde & tandem amici sententiæ eius subscribunt. Sequitur enim: Cum uero illi non persuaderetur, acquieuimus dicentes: DOMINI uoluntas fiat. Qua uoce non solum illi significarunt se sententiæ Pauli cedere, sed etiam nos monent ut nihil potius habeamus, q ut posthabita nostra bona, ut uocant, intentione ac prudentibus consilijs, uoluntati Dei nos subiiciamus. Quanquam enim initio non appareat, quomodo id bonum ac utile sit, quod DOMINVS Verbo suo sese uelle declaret, tamen si ex fide obsequimur, & manum Domini expectemus, tantam utilitatem sentiemus, quanta ab initio ne per somnium quidem in mentem nostram uenire potuisset. Quare faceſſat captus humanus, ut captiuam ducamus omnem cogitationem ad obediendum uoluntati DOMINI nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & Spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

An tẽtauerit Paulus Deũ profectus Hierosolymam.

HOMILIA XCIX.



Vdiuimus Paulum non potuisse ab amicis persuaderi quo minus ad Hierusalem, fatalem ipsi locum proficisceretur. Maluit enim pius uir uel cum maximo periculo uoluntati diuinæ obsequi, quàm sine periculo securam aduersus uoluntatem Dei uitam agere. Itaq; nihil moratus, accingit sese destinato itineri & ad Hierusalem, urbem cædibus prophetarum, apostolorum, adeoq; ipsius Iesu Christi iam antea funestam contendit. Postquam autem ad Hierusalem peruenit, non una illic afflictione obruitur. Primum enim accusatus erat adhuc absens coram fratribus, q̃ esset contemptor & osor legis Mosaicæ. Necesse igitur habet seipsum purgare, deinde capitur a Iudæis, ligatur & traditur gentibus occidendus. Audiamus igitur ex ordine quomodo hæc acta sint. Post dies autem istos (inquit Lucas) sublatis sarcinis conscendebamus Hierosolymã: uenerunt aurem unà quidam ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam Cyprium antiquum discipulum. Vide obsecro quanto fidei feruore in Christum, quanta item charitate in Paulum Apostolum Christi affecti fuerint discipuli Euangelij. Erat enim nunc ex consensu spiritus sancti certum & inter discipulos uulgatum, q̃ Paulus esset Hierosolymis capiendus & uinciendus, nec quisquam potuit Paulum persuadere, ut relicta Hierusalem alio proficisceretur, nihilominus tamen non relinquunt eum discipuli, nec deficiunt ab ipso, sed quo magis aduersa fortuna immineat, hoc plures sese ipsi adiungunt & ardentiori affectu eum prosequuntur: nam præter priores comites etiam quidam discipuli Cæsarienses adiungũt sese illis, & Mnason quidam natione Cyprius, ciuis Hierosolymitanus, & multo ante fidem Euangelij professus, obtulit se illos hospicio Hierosolymis excepturum, atq; ita unà profectus est. Quanquam autem hi omnes non erant ignari, si quid Paulo aduersitatis immineat id etiam ad seipsos comites & hospites Pauli (prout fere comites & hospites facinorosorum eadem pœna puniuntur) pertinere, attamen præceptorem & amicum suum in aduersis non derelinquunt. Immane quantum mores huius sæculi ab horum pietate differant. Hæc enim est huius sęculi consuetudo, quod cui arridet prospera fortuna, is multos habeat amicos. Adueniente uero aduersa fortuna, nulli aut pauciſſimi amici constant. In promtu autem causa est cur id fieri soleat. Primum enim qui fœlicitate huius sæculi fruuntur, hi fere in amicos spem suam collocant, & putant amicos esse præsidium suum, citius Deum ipsum quàm amicos derelinquentes. Deinde amici fere diligunt, non ex Verbo DOMINI seu ex fide, quod DOMINVS præceperit proximum diligere, sed potius e suo ipsorum commodo & utilitate. Proinde ubi non amplius affulget spes commodi, ibi & amicicia desinit, & recto Dei iudicio fit, ut qui in fœlicitate spem suam in homines collocauit, in aduersitate confundatur. Quid ergo causæ est quod Discipuli in charitate & amicicia erga Paulum etiam infœlicem & miserum constent, & se propter ipsum in pericula conijciant? Quia nec Paulus in fœlicitate spem suam in amicos sed in Deum collocabat, nec amici Paulum carnali affectu complectebantur, sed quia credebant in Iesum Christum, & is dixerat de Apostolis suis: Qui recipit uos me recipit, qui autem me recipit, recipit eum qui misit me. Tantisper igitur amplectuntur Paulum, dum hoc Verbum durat, durat autem perpetuo. Itaque & amor eorum erga Apostolum CHRISTI siue in hoc sæculo fœlicem siue infœlicem perpetuo durat. Nec de Apostolis solum uerum

Amici quare nõ constent.

rumetiam de quouis dictum est: Diliges proximum tuũ sicut te ipsum. Nullum igitur amicum quantumuis infœlicem deseramus, quin potius quo infœlicior est, eo maiori amore ipsum prosequamur, ut simus filij patris nostri cœlestis, qui tunc maxime nos amore suo complectitur, cum maxime infœlices sumus. Sed pergamus ad ea quæ sequuntur: Et cum uenissemus Hierosolymam libenter ” exceperunt nos fratres. Postero autem die introibat Paulus nobiscum ad Iaco- ” bum, omnes q̃ conuenerunt presbyteri. Quos cum salutasset, narrabat per singu ” la quæ Deus fecisset inter gentes per ministerium ipsius. Libenter (inquit) ” exceperunt nos fratres. Quis enim eos non libenter exciperet, quorum persona excipitur Christus ipse, ac Deus pater omnium. Iacobus autẽ ille quem Paulus inuisit, non est filius Zebedei frater Ioannis. Hic enim ab Herode gladio interfectus est, quemadmodum supra capite duodecimo scribitur, sed cognomento Iustus, dictus frater Domini, ab Apostolis Episcopus Hierosolymitanorum ordinatus. Hunc igitur inuisit Paulus, & cum ad ipsum seniores Ecclesiæ conue- *Iacobus* nissent, narrauit eis quid iam plusquam uiginti annis inter gentes prædicatione *Iustus.* Euangelij effecerit. Ergo ne, inquies, licebit exemplo Pauli egregia sua facta iactare, & de illis coram alijs gloriari? Non narrat Paulus ista, ut suas uirtutes iactet, aliàs enim dicit: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum idoneus ut dicar Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiam Dei. Sed narrat, ut commendet gratiam Dei & misericordiam eius, qua & Gentes in communionem bonorum Euangelij receptæ sunt. Vbi autem commendatur gratia Dei, ibi fides confirmatur, ut & constantior sit, & eo ardentius Deum in aduersis inuocet. Atq; adeo nõ admodum importune narratur Iudæis Christianis quæ Deus Gentibus fecerit per prædicationem Euangelij. Si enim Deus gratia sua Gentes populum absq; Deo & promissionibus Dei complexus est, quanto magis complectitur ipsos Iudæos, Christum agnoscentes, quando hi habeant testamenta & promissiones Dei. Bene igitur confidant: nam etiamsi persecutores pontifices & pharisæi ipsis internitionem minentur, tamen Dominus non derelinquet eos. Cæterum quoniam Paulus non narrauit ista in sui iactantiam, sed in commendationem gratiæ Dei, ideo sequitur: At illi cum audissent, glorificabant Do- ” minum. Non glorificabant, non adorabant Paulum, sed Dominum. Hæc est ” uera obseruatio de sanctorum miraculis, nimirum, ut cum audiamus sanctos siue adhuc uiuos, siue in Domino dormientes, magna miracula ædidisse, non ad- *Sanctos non* fuescamus eos in afflictionibus ueluti Deum quendam inuocare, sed per ipsos *esse inuocan-* assurgere debemus in cognitionem gratiæ & misericordiæ Dei, ut hanc cognos- *dos.* centes & fidem nostram confirmantes, solum ipsum Deum inuocemus, atq; adoremus. Audiamus autem nunc quid afflictionum Paulo in Hierusalem contigerit. Ac primum audit a presbyteris, se inter fratres huius criminis accusatum, q̃ doceat Iudæos inter gentes habitantes, legem Mosi esse malam ac minime obseruandam. Sic enim dixerunt ei: Vides frater quot milia sunt Iudæ- ” orum, qui crediderunt, & omnes studiosi sectatores sunt legis. Audierunt au- ” tem de te q̃ defectionem doceas a Mose, omnes qui inter gentes sunt Iudæos, ” dicens, non debere eos circuncidere filios, neq; secũdum instituta uiuere. Sed ” ut rationem huius accusationis dilucidius intelligamus, agite, commemorabo pauciſſimis summam doctrinæ & rationem conuersationis Pauli, & tunc facile iudicabimus, unde Sycophantæ occasionem sumpserint calumniandi Paulum apud fratres Hierosolymitanos. Docebat enim Paulus, q̃ nulla opera hominis siue secundum legem Mosi, siue secundum leges ciuiles aliarum gentium, siue secundum doctrinam philosophorum facta, quantumcunq; iusta & sancta uiderentur, peccata expiarent & factorem coram Deo iustificarent, sed q̃ remissio

peccatorum & iuſtificatio contingerent per ſolam fidem propter Ieſum Chriſtum. Arbitramur, inquit, fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis. Et quot quot ex operibus legis ſunt, execrationi ſunt obnoxij, hoc eſt, quotquot per opera legis iuſtificationem quærunt, & putant ſe ex operibus legis iuſtificatos, hi nondum habent iuſticiam, ſed ſunt adhuc execrationi obnoxij. Scriptũ eſt enim Iuſtus ex fide uiuet, lex autem non eſt ex fide. Hæc eſt ſumma doctrinę Pauli. Interim tamen ſinebat unumquenq; ritus ſuæ gentis & legis modo per ſe nõ eſſent impij & contra fidem, obſeruare, hac nimirum cõditione, ut nullus iuſtificationem in illis ritibus, ſed in ſolo Ieſu Chriſto per fidem quæreret. Vnde Iudæus in Chriſtum credens, poterat Iudaicos ritus obſeruare, Ethnicus gentiles: non hic loquor de ritu Idololatriæ quæ omnino eſt impia & contra fidem Chriſti, ſed de ritibus externis ac ciuilibus ad politicam uitam pertinentibus. Sic enim docet Paulus. In Chriſto Ieſu non eſt Iudæus neq; Græcus, non eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus ac fœmina. Et iterum: Vbi non eſt Græcus & Iudæus, circunciſio & præputium, Barbarus, Scytha, ſeruus, liber, ſed omnia in omnibus Chriſtus. Et aliàs: In Chriſto Ieſu neq; circunciſio quicquam ualet, neq; præputium, ſed noua creatura. Ac rurſus: Circunciſus aliquis uocatus eſt, ne accerſat præputium. In præputio aliquis uocatus eſt, ne circuncidatur. Circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. Quin & ipſe Paulus de ſe teſtatur ſcribens: Cum liber ſim ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci ut plures lucrifaciam, & factus ſum Iudæis quaſi Iudæus, his qui ſine lege ſunt tanquam ſim ſine lege, factus ſum infirmis quaſi infirmus, omnibus factus ſum omnia, ut omnino aliquos ſeruem. Vides igitur Paulum ita iuſticiam fidei docuiſſe, ut tamẽ unicuiq; genti ſuos ciuiles mores ac ritus relinqueret. Hoc tantum eximiæ cauebat, ne uel Iudæus uel Græcus per obſeruationem operum ſuę legis, aut conſuetudinis iuſticiam quæreret, ſed eam ſolam Chriſto Ieſu acceptã ferret. Quare cum Iudæi poſtularent ab ipſo ut Timotheum circunciderei, non quia neceſſaria eſſet circunciſio ad iuſticiam, ſed tantum propter ueterem Iudæorum morem permiſit ut circũcideretur. Cum uero poſtularent ut Titum quoq; circunciderei tanquam neceſſaria eſſet circunciſio ad iuſtificationem, non permiſit, ſed quoquo modo potuit reſtitit, docens remiſſionem peccatorum & iuſticiam, tantum in Ieſu Chriſto per fidem, non autem in lege per opera haberi. Hinc ad Galatas ſcribens ait: Si circuncidamini, Chriſtus uobis nihil proderit. Et quomodo hoc intelligendum ſit ſequitur: Chriſtus uobis factus eſt ocioſus, quicunq; per legem iuſtificamini, a gratia excidiſtis. Vult enim Paulus non ꝙ ſimpliciter circunciſio euacuet Chriſtum, ſed ꝙ circunciſio hac opinione facta, quia propter eam circunciſus Deum reddat propicium & iuſtificetur, plane ſit impia, & omnem Chriſti gratiam exturbet. Ergo, quoniam Paulus docuit circunciſionem impia opinione (uidelicet, ꝙ iuſtificet) factam, impiam eſſe, immo omnia opera legis, hac opinione facta, ꝙ iuſtificent, eſſe contra deum, ſycophantæ nacti occaſionem calumniandi Paulum, accuſarunt ipſum blaſphemiæ aduerſus legem diuinitus datam, & pro more ſycophantarũ, retulerunt uerba eius truncatim, nimirum, ꝙ Paulus doceret opera legis eſſe impia, non addentes illud quod eſt caput rei, uidelicet, ſi impia opinione fiant. Et hæc calumnia eo magis animum Pauli excruciabat, ꝙ non tantum inter hoſtes Euangelij, ſed etiam inter fratres, & in Chriſtum credentes, iactabatur, qui omnes putabant ſe impietatis a Paulo argui, ꝙ adhuc inter Iudæos, Iudaicos ritus, nulla impietate, ſed tantum pro ciuilibus moribus obſeruabant. Ac ut quicquid id negocij fuerit, magis perſpicue intelligamus, conferenda eſt huc controuerſia noſtra tempeſtate de fide, bonis operibus & cæremonijs eccleſiaſticis exorta. Nam qui Euangeliũ de Ieſu

Politica non iuſtificare.

Chriſto

Christo syncere prędicant, hi docent idem quod Paulus, nullum hominem iustificari, nec bonis suis operibus nec cæremonijs Ecclesiasticis, sed iustificationem seu remissionem peccatorum tantum per fidem proter Iesum Christum contingere, & eum qui bona opera fecerit, aut Missas, alia q̄ id genus cæremonias obseruauerit, hac opinione, q̄ propter illa reddat Deum propitium, satisfaciat pro peccatis suis, mereatur remissionem peccatorum & iusticiam, Christum blasphemia afficere, Christum e maiestate sua exturbare & abnegare. Sed quid faciunt calumniatores? Hoc quod dicitur, opera bona non iustificare hominem, sed potius impia esse, arripiunt, exagitant, clamant, ingeminant, hanc doctrinam esse intolerabilem blasphemiam in Deum & mandata Dei, qui bona opera pręceperit, qui ea exigat. Sed quod additur: Tunc bona opera impia esse, cum impia opinione fiant, hoc prorsus supprimunt calumniatores, de hoc ne gry quidem mussitant. Est enim idem ingenium calumniatoris & aranei. Hic ex optimo flore, tantum uenenum exugit, ille ex optima doctrina, duntaxat id quod pessimum uidetur ad calumniandum elígit. Non enim simpliciter dicitur, bona opera esse impia, sed additur, si hac opinione fiant q̄ iustificent, & mereantur remissionem peccatorum, alioqui enim opera a deo præcepta & bona sunt & necessaria factu, ut testemur fidem nostram, & Domino deo nostro obediamus. Nec simpliciter unquam dictum est, cęremonias Ecclesiasticas, ut missas, cantus, & alios id genus ritus esse per se impios, sed tunc Missam esse uere impiam, si iuxta doctrinam Sophistarum, cō suetudinem sacrificulorum, adeoq̄ iuxta ipsa Canonis Missæ uerba pro sacrificio, quod ex opere operato satisfaciat pro peccatis uiuorum et mortuorum obseruetur, alioqui enim si Missa non pro sacrificio seu expiatione peccatorū ex opere operato, sed pro cōmunione seu cœna Dñica obseruetur, pfecto tantum abest ut contra fidē pugnet, ut potiꝰ fidē manducantiū & bibentium ex illa cœna confirmet. Longū fuerit aliarum quoq̄ cæremoniarum rationē commemorare, & ex ratione Missæ etiam de alijs cæremonijs iudicari potest. Quare ualeant Sycophantæ, nos autem doctrinam Euangelij perfecte obseruemus, uidelicet, q̄ bona opera & cæremonię Ecclesiasticæ tum demum reprehenduntur, cum fiunt contra fidem, hoc est, cum fiunt hac opinione q̄ expient peccata & mereantur iusticiam. Cum autem fundamētum, qui est Iesus Christus positum fuerit, uidelicet, q̄ iustícia nobis per solam fidem propter Iesum Christum contingat, tunc & bona opera ex fide non tam bona q̄ etiam necessaria factu sunt: & cæremoniæ Ecclesiasticæ in suo quęq̄ gradu obseruari debent, nimirum, sacramenta, baptismus & cœna Domini, ut a Christo instituta, reliqui autem ritus, ut prædagogía & tranquillitatis in congregatione Ecclesię conseruatio. Sed reuertamur ad Paulum. Cum enim Iacobus Apostolus & presbyteri Hierosolymitani indicassent ei quo nomine male audiret apud fratres, dant ei consilium quo se a suspicione liberet. Quid est ergo, inquiunt: omnino oportet cōuenire multitudinē. Audient em̄ te uenisse, hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis uiri quatuor uotum habentes super se, his assumptis purifica te cum illis, & impende super illis ut radant capita & scient omnes q̄ quæ de te audierunt nihil sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderūt ex Gentibus nos scripsimus decernentes ne quid huiusmodi obseruent, nisi ut caueant, & ab his quæ sunt immolata simulachris & a sanguine & suffocato & scortatione. De Gentibus ad Christum conuersis nulla erat controuersia, nam ea res antea concilio Apostolorum, quod supra capite decimo quinto describitur, composita fuit, sed de Iudæis ad Christum conuersis. Consulunt igitur presbyteri Paulo, ut adiungat sibi quatuor illos uiros qui circuncisione quidem Iudæi erant, fide aūt Christiani, & uouerant iuxta legem Mosi Numeri capite sexto scriptam, uotum Na-

Quando cæremoniæ & opera reprehendantur.

zaræorum, quod est uotum abstinenciæ, iamq; abstinenciæ eorum dies consummati erant. Ac monent eum, ut unà cum illis iuxta ueterem Iudæorum consuetudinem publice se purificet, & sumptum, in sacrificia & oblationes, in lege Mosi abstinentibus præscriptas, una cum illis impendat, ut iuxta morem, & decretum legis radantur. Dicit enim lex cum dies abstinenciæ complebuntur, adducent eum ad ostium tabernaculi testimonij, & deferet donum suum Domino, agnum agniculum immaculatum. Et Paulo post, tunc radetur caput Abstinenti ante ostium tabernaculi. Cæterum quæ sint huius uoti cæremoniæ ac ritus, & qua de causa diuinitus instituti fuerint, quidue significauerint, supra capite decimo octauo, ubi similiter scribitur Paulum ex uoto rasum fuisse, aliqua ex parte explicatum est, & longum alienumq; esset, ea omnia hoc loco plenius explicare.

» Quare his intermissis, uideamus num Paulus huic consilio obsequatur. Tunc
» (inquit) Paulus assumptis uiris postero die purificatus cum illis, intrauit in tem
» plum annũcians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro uno
» quoq; eorum oblatio. Reipsa præstat Paulus, quod aliàs de se scribit, cum sim li
ber ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, ut plures lucrifaciam, & factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam. Hoc enim in loco sine omni repugnancia aut pertinatia, obsequitur monitis presbyterorum & legis cæremonias, quod ad purificationem abstinentium pertinet, ita exacte obseruat, ut nihil earum rerum omittat, quæ lex definiuit, idq; facit, non clam sed palam, omnibus conspicuus, purificat se publice, ingreditur templum, & ibi publice indicat ac palam testatur, se ea obseruare, quæ ad purificationem & oblationem pertinent, donec omnia rite pro unoquo q; abstinentium fierent. Quantã putas causam calumniandi Paulum ex hoc facto impijs, tam Iudæis q̃ græcis seu gentibus præbitam esse? Nisi enim me animus fallit, Iudæi qui uiderunt Paulum ritus legis obseruare, inter se talia quædam mussitarunt, nunquid errauimus uaticinijs nostris? nonne sæpe numero prædiximus hos homines, qui se Christianos iactant non pietati sed nouitati operam dare? Postq; autem deferbuerit studium nouitatis, tunc eos ad ueterem religionem, quam tamen uehementer execrabantur redituros? En nunc exemplum uel ipsis manibus nostris tangimus. Hic Paulus Christianorum Coryphæus est, & ubiq; legem Mosi diris execrationibus insectatus est, attamen uidemus eum nũc denuo ad obseruationem legis reuerti. Tanta est horum hominum leuitas. Rursus ex altera parte ueri simile est, & impios græcos seu gentiles Paulum execratos esse, q; qui iam multis annis docuerit ritus legis Mosi non esse obseruandos, nunc ipse publice & perfricta fronte obseruet. Quis igitur inconstantiam hominis non detestetur? Quanquam autem Paulum, nimirum, uirum prudentissimum, huiusmodi conuicia impiorum hominum animo suo percepisse, facile conijci potest, tamen potius habuit consilio piorum uirorum obsequi & infirmis placere in bonum ad ædificationem, quam uel sibimet ipsi placere, uel impiorum conuicijs cedere. Quod enim fecit, necim pia opinione nec temere absq; iusta causa fecit, siquidem nec rasus est, nec obtulit sacrificia ad iusticiam sibi parandam per illa opera, sed ut obseruatione operum illorum palam testaretur fratribus suis, opera legis per se non esse impia, & purgaret se illis, q; fidem in Christum non ita docuerit ut damnauerit legem Mosi tanquam per se impiam. Plurimum autem referebat Iudæos ista scire, erant enim illecebræ, quibus Iudæi ad fidem in Christum inuitabantur, & ut Paulus ait, lucrifiebant. Monemur igitur hoc exemplo Pauli, ut seruiamus infirmis in fide, & imbecillitates eorum portemus, sicut & nostras infirmitates portat Dominus noster Iesus Christus, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Purificatio Pauli.

HOMI-

HOMILIA C.



Vid moleſtæ calumniæ Paulo inter fratres in Hieruſalem fatali prophetarum & Apoſtolorum loco contigerit, audiuimus. Audiamus nunc quid ipſi aduerſi ab inimicis & hoſtibus Euãgelij accidat: trahit enim calamitas calamitatem, & afflictio afflictionem, quamdiu in hoc ſęculo, quod appoſite admodum lachrymarum uallem uocãt, uitam agimus. Sic enim a Domino definitum eſt, ut per multas tribulationes in regnum Dei ingrediamur. Quid igitur afflictionis Paulo poſt purgatam ſuſpicionem defectionis a Moſe contigerit attentis obſecro animis cognoſcite.

Dum ſeptem (inquit Lucas) dies (nimirum purificatiõis) iam pene eſſent expleti, hi qui ab Aſia erant Iudæi, cum uidiſſent eum in templo, conturbarunt totum populum, & iniecerunt ei manus clamantes: Viri Iſraëlitæ, ſuccurrite, hic eſt ille homo qui aduerſus populum & legem & locum hũc omnes ubiq; docet, inſuper & Græcos induxit in templum, & prophanauit ſanctum locum hunc. Viderant enim Trophimum Epheſium in ciuitate cum ipſo, quem exiſtimauerunt, q; in templum introduxiſſet Paulus. Quod ſpiritus per ſingulas ciuitates Paulo prædixit, hoc nunc cumulato euenit. Nam impij Iudæi qui in Aſia ac præſertim in Epheſo Paulo negocium exhibuerant, & fortaſſis hac cauſa ad Hieruſalem uenerant, ut & illic Paulum in diſcrimen conijcerent, hi, inquam, Iudæi adoriuntur Paulum in templo, inijciunt in eum uiolentas manus, comprehendunt ipſum, cõturbant totam ciuitatem clamore, & accuſant eum maximorum ſcelerum, uidelicet, q; hæretica aduerſus populum Dei, legem Dei, locum Dei electum, non unum aliquem hominem, ſed omnes, non in uno aliquo angulo terræ, ſed ubiq; doceat, q; q; introductione incircunciſorum contaminauerit ſanctum templum Dei. Principio igitur uide mihi quantæ impudentiæ ſit impietas, pietatis perſuaſione inflata. Hos enim impios Iudęos non deterret ſanctitas loci quo minus in Paulum debacchentur, ſed in ipſo templo manus in eum inijciunt, nec deterret eos publicum periculum, quo minus ſeditionem in tota urbe Hieruſalẽ Romano etiam præſidio firmata concitent, ſed nulla Reipub. ratione habita, totum populum conturbant, maius Dei obſequium rati ſi Paulus trucidetur, q; ſi uel prærogatiua templi inuiolata obſeruetur, uel Reſpublica trãquilla maneat. Atq; hoc illud eſt quod Chriſtus prædixit: Veniet (inquit) tempus, ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo. Vbi autem animus huic perſuaſioni obnoxius eſt, q; exiſtimet ſuam impietatem eſſe pietatem, & ſuũ ſcelus cultum Dei, quis poteſt ibi pudor eſſe, qui a deſignanda impietate & perpetrando ſcelere hominem auocet? Quare cum nihil ſit impudẽtius impietate, demus operam, ut ad conſeruãdum decorum & officium noſtrum abiecta impietate, ueram pietatem complectamur. Deinde obſerua mihi hoc loco & quid ſit lingua calumniatrix & quantorum malorum author, nam hi Iudęi calumniantur Paulũ, q; aduerſus legem, populum Iſraëlem, & ſanctam urbem Hieruſalem gentes docuerit, & q; templum prophanauerit. Acceperunt autem occaſionem harum calumniarum ex eo q; Paulus prædicauit non legem ſed fidem iuſtificare, & q; carnalis Iſrael non ſit uerus Iſraël, ſed ſpiritualis, & q; Deus iam non ſolum in urbe Hieruſalem uelit coli, ſed ubiq; in ſpiritu & ueritate. Hoc autem non eſt neq; contra legem, neq; contra Iſraëlem, nec contra Hieruſalem prædicare. Q; autem calumniati ſint Paulum quia prophanauerit templum ex introductione incircunciſorum, inde adeo uenit q; uiderunt Trophimũ ex ethnico Chriſtianum factũ, cum Paulo non in templo ſed in urbe ambulantem. Atq; his calumnijs contur-

Impudentia impietatis.

bant totam ciuitatem,tribunum & cohortem,qui a Romano imperatore illic ad compescendas seditiones Iudæorum,& ad retinendos Iudæos in officio positi erant,concitant,Paulum electum Dei organon in Romana uincula inijciũt, Romanis præsidibus multam molestiam exhibẽt,Paulum ad quadriennium in uinculis detinent, & tandem efficiunt ut Paulus capite truncetur.Horum omnium malorũ author est calumnia.Igitur calumniari est dicta factaue alterius in pessimam partem,in perniciem eius qui dixit aut fecit,interpretari.Nec est humanum peccatum,sed plane Satanicum,siquidem Satanam ob hanc rem diabolum uocamus,quia διαβολὴ, calumniam significat,& diabolus calumniatorem.Nihil igitur inter diabolum, spiritum illum malum, & hominem calumniatorem interest,nisi ꝙ ille sit malorum author,hic autem authoris minister.De Diabolo autẽ scribitur ꝙ sit mendax & homicida. Quid ergo aliud de calumniatore dicemus ꝙ quod in ordinem mendacium & homicidarum pertineat? Vnde Psalmus de calumniatoribus dicit:Acuerunt linguas suas sicut serpẽtes,uenenum aspidum sub labijs eorum.Quid aliud est uenenũ aspidum ꝙ præsentanea hominis mors? Cum igitur calumniatoris hominis lingua sit uenenum,quid aliud est calumniator ꝙ mortifer serpens? Et iterum:Filij hominum dentes eorum arma & sagittę, & lingua eorũ gladius acutus.Armis certe sagittis & gladijs mors infertur.Mortifera igitur est lingua calumniatoris.Celebre est Ethnici cuiusdam (referunt autem hoc ad Theatidam,ducem Lacedæmoniorum) dictum,qui cum acueret gladium,& rogaretur, num sat esset acutus, grauiter respondit, acutior calumnia.

διαβολὴ quid & quantum peccatũ

Psal. CXIX Orat igitur Psalmus dicens: Domine libera animam meam a labijs iniquis & a lingua dolosa.Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad liguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ & ignis iuniperi. Et Iacobus ait, linguam huiusce modi ab igne gehennæ inflammatam. Quantam igitur afflictionem ignis gehẽnæ affert, tantam uidetur & lingua calumniatoris afferre. Cum igitur calumniator sit Satanæ minister,& eadem sceleralingua sua designet,quæ sicarius gladio, quæ uenefícus ueneno,quæ incẽdarius tęda sulphurea,& eosdem dolores inferat quos infernus igni suo infert,quid reliquum est,nisi ꝙ calumniatorem idem supplicium cum Satana omnibus ꝙ homicidis,sicarijs,uenefícis,& incendiarijs maneat? Q; si horres pœnæ grauitatem,da operam ut & sceleris grauitatem horreas,& abiecta calumnia amicam ueritatem de proximo tuo loquaris. Sed pergamus explicare tumultum a calumniatoribus Pauli in Hierusalem excitatum. Sic eñ scribit Lucas: Cõmotaq; est ciuitas tota,& factus est concursus populi. Et apprehensum Paulum protrahebant e templo,statim ꝙ clausæ sunt fores. Quid ergo? Num hactenus conquieſcit turba? nequaquam,sed parat id in Paulum quod proprie ex calumnia oritur,uidelicet,homicidium. Hoc enim unum agunt impij, ut Paulus trucidetur. Quærentibus autem illis eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis,ꝙ tota conturbata esset Hierosolyma,qui statim assumptis militibus ac centurionibus decurrit ad illos. At illi cum uidissent tribunum ac milites cessauerunt percutere Paulum. Impij enim plus homines ꝙ Deum uerentur, & magis timent magistratum ciuilem,ꝙ creatorem cœli & terræ. Tunc accedens tribunus apprehendit Paulum & iussit eum alligari cathenis duabus, & interrogabat quis nam esset,& quid fecisset? Vide quid faciat præceps ira. Iudæi indignabantur ꝙ audiant suam legem & religionem ueluti prophanam reijci: unde tanta præcipitantia in Paulum inuehuntur, ut priusquam ueritatem rei cognoscant,percutiunt ipsum,ac quærant eum occidere. Tribunus autem indignatur ꝙ tumultus in ea urbe ad quam in officio retinẽdam ipse cum centurionibus & militibus ordinatus erat,excitetur. Tanta igitur crudelitate in eum quem forte putat seditionis authorem grassatur,ut priusquam cognoscat quis sit, aut quid fecerit,

cerit, iubeat apprehendi, & duabus cathenis alligari, scilicet, postea inquisiturus num uinctus, cathenis dignus aut indignus sit. Quæ est autem hæc iudiciorum peruersitas, reum, nondum audita accusatione, supplicio afficere, & post supplicium illatum cognoscere demum num is supplicio dignus sit. Quid his iudicijs iniquius? Huius uero iniquitatis author est impia iræ præcipitantia. Vt enim ira pessimus consultor, ita iniquissimus est iudex.

Iram esse iniquissimum iudicem.

Proinde omnino cauendum est ne quicquã de ullis rebus statuas ira accensus, sed primum omnium iram cohibeto, deinde hoc affectu liber ad res dijudicandas accedito, sic enim potes & prudenter de rebus iudicare & iuste pronunciare. Quanquam autem hic tribunus nimia præcipitantia Paulum alliget, tamen apparet eum multo iustiorem esse impijs Iudæis. Hi enim quærunt ipsum occidere nondum cognita causa, tam sitibunda sanguinis sanctorum est præfracta impietas. Ille autem non mox expedit secures in Paulum, sed reseruat eum ad cognitionem causæ. Postquam enim interrogasset quis esset aut quid fecisset, Alij aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cum uenisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter uiolentiam turbæ, sequebatur enim multitudo populi clamans, tolle eum. Iterum uide tribunum & milites quamuis Ethnicos, æquiores tamen esse in Paulum quàm impios Iudæos. Illi enim Paulum a uiolentia defendunt, & manibus suis portant, quem tamen suspicabantur esse Aegyptium latronem, ut mox sequitur. Hi autem tanto furore in eum debacchantur, ut indignentur eum a militibus defendi, & insano clamore ipsum ad ultimum supplicium sine mora inferendum deposcant. Veritas enim Euangelij non habet uirulentiores hostes quàm impios hypocritas, qui cum non possint ipsum Euangelium extinguere, toto impetu in Euangelij adnunciatorem feruntur, ut saltem illius supplicio animum nonnihil refocillent. Cæterum cum Paulus uideret maximam populi partem sine ulla causæ cognitione in ipsum inuehi, statuit se oratione declaraturum, ut sese res secum habeat, ne iam non uerecundiæ sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacet, & dum criminationes falsas contemnit refutare, uideatur crimen agnoscere. Cum igitur cœpisset induci in castra, dicit tribuno: Licet ne mihi loqui ad te? Aduerte modestiam Pauli, non loquitur cum magistratu nisi ueniam precatus. Et loquitur cum ipso græce, cuius linguæ tribunus gnarus erat. Respondens igitur tribunus dixit: Græce nosti? nonne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum excitasti, & eduxisti in desertum quatuor milia uirorum sicariorum. Ex hoc igitur manifestum est quod Tribunus dum iussit Paulum duabus cathenis uinciri, non Paulo proprie id fecit, sed ei quem Paulum esse putabat, nimirum latroni Aegyptio. Itaq; Paulus non uirulenter inuectus est in tribunum, sed uincula æquo animo non tulit, exemplo suo nos admonens, ut iniurias patienter sustineamus, sic in animum nostrum inducentes, q; aduersarius non nos, sed quos nos esse putauerit, iniuria affecerit. Sed quomodo sese res habuerit cum Aegyptio illo principe Sicariorum & alijs seditionum authoribus, paucis obseruandum est. Etenim Iudæi non tam uaticinijs prophetarum quàm multis alijs argumentis coniectabant, tum tempus illud adesse quo Messias uenire deberet. Et sperabãt Messiam non spiritualis regni principem, sed talem qui ipsos a Romana seruitute liberaret, ac principem huius sæculi ageret, qui totum orbem in suam potestatem redactu rus esset. Interim autem in hac diuturna expectatione uenit uerus Messias, DOMINVS noster Iesus Christus, quem tamen non cognouerunt, sed tanquam hominem turpissimum crucifixerunt. Cum igitur crucifixo uero Messia, nihilominus Messiam suum ardentibus uotis expectarent, factum est, ut quicunq;

Collatio æquitatis Ethnicorum cum iniquitate Iudæorum.

Exemplo Pauli discimus iniurias esse ferendas.

aliqua ſpecie authoritatis ſeſe ad uulgum uenditaret, ſecꝫ Meſſiam liberatorem populi Iſraëlitici iactaret, is tanquam Meſſias a multis reciperetur, atꝫ agnoſceretur, id quod nec ipſe uerus Chriſtus diſſimulat dicens. Ego ueni in nomine patris mei nec recipitis me, ſi alius uenerit nomine ſuo illum recipietis. Et alias, Videte ne quis uos ſeducat, multi enim uenient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, multoſꝫ ſeducent. Horum igitur pſeudochriſtorum unus fuit Theodas magus, alius Iudas Galilæus, alius item Aegyptius quidam de quo ſcribit Ioſephus, quod populari multitudini perſuaſerit ut cum ipſo ad montem Oliuarum aſcenderent, affirmans ſe effecturum, ut muri Hieroſolymitani inſtar murorum urbis Hiericho corruerent, quo pateat eis liber ingreſſus ad liberandum populum Iudæorum a tyrannide Romana. Sed huius ſectatores a præſide Romano partim capti, partim interempti ſunt, ipſe autem Aegyptius cum multis fuga elapſus eſt. Exiſtimabat igitur Tribunus hunc Aegyptium nunc deprehenſum eſſe, unde nihil cunctatus, Paulum ad caſtra deducit, ut illic totam rem cognoſcat. Dicit autem Paulus: Ego ſum homo quidem Iudæus Tarſenſis Ciliciæ non obſcuræ ciuitatis ciuis, rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Non (inquit) is ſum quem tu putas Aegyptius, ſed ſum genere Iudæus, & patria mihi eſt Tarſus, quæ eſt nobilis urbs Ciliciæ. Quare cum non ſolum tu, uerumetiam plurima pars eorum qui adſunt, putant me eſſe Aegyptium illum latronem qui nuper fuga elapſus eſt, obſecro te, permitte mihi ut meam cauſam coram toto populo explicem. Quid autem Paulus ad populum locutus ſit longum eſſet hac hora enarrare. Quapropter hic dicendi finem faciam, ſi prius illud quod a principio docuimus in mentem reuocauerimus, uidelicet, nihil magis diabolicum, nihilꝫ pernicioſius eſſe calumnia. Per hanc enim fit, ut Paulus comprehendatur, per hanc fit ut percutiatur & ad ſupplicium rapiatur, per hanc fit ut præcipitantia iræ, & in Iudæis & in Tribuno rectitudinem iudicij peruertat, per hanc fit, ut omnia mala non tantum Paulo, ſed etiam omnibus bonis accidant, denicꝫ per hanc fit, ut & Reſpublicæ euertantur, & homines ueluti belluæ in mutuam ipſorum cædem graſſentur. Proinde calumniam tanquam Satanam ipſum e noſtro ſermone pellamus, & loquamur ueritatem quiſcꝫ cum proximo ſuo, & talem ſermonem, qui eſt bonus ad ædificationem, prout decet membra DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſæcula. Amen.

Aegyptius quomodo Iudæos ſeduxerit.

CAPVT XXII.

HOMILIA CI.



PAVLVM, DVORVM MAXIME criminum accuſatum aut inſimulatum fuiſſe animaduertimus. Primum a Iudæis, quod doceat omnes uhicꝫ contra legem Moſi, contra populum Iſrael, & cõtra ſanctam urbem Hieruſalem, ac templum eius, & hoc eſt crimen hæreſeos. Deinde a Tribuno, quod ſit latro ille Aegyptius, qui nuper aliquot milia Sicariorum in deſertum eduxerat, & cum ſectatores eius a præſide Romano trucidarentur, ipſe fuga ſibi ſalutem quæſiuerat, & hoc eſt crimẽ ſeditionis. Hæc enim duo crimina doctoribus pietatis ac ueritatis Euangelicæ

Euangelicæ propemodum semper impingi solent. Audiamus igitur nunc oratio-
nem Pauli qua hæc crimina a se depellit & excusat, ostendens se neque Ae-
gyptium illum seditiosum esse, neque hæretica aduersus legem & prophetas
Dei docere. Quanquam autem plæraq; in hac oratione de uocatione Pauli su-
pra descripta sint a Luca capite nono, & postea iterum commemorabuntur ca-
pite uicesimo sexto, tamen non sine causa libuit authori huius libri uocatio-
nem Pauli etiam hoc loco referre, nimirum, ut illa nobis esset maxime omni-
um notissima & altissima mente reposita maneret. Confert enim nobis pluri-
mum utilitatis, tum ad capessendam doctrinam Pauli, tum ad confirmandam
fidem nostram ex ingenti clementia qua Christus persecutorem suum comple-
xus est. Cum igitur Tribunus permisisset Paulo loqui, Paulus stans in gra- »
dibus annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua he- »
braea dicens: Viri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud uos utor, ex- »
cusationem. Cum audissent autem quod hebræa lingua sibi loqueretur, ma- »
gis præstiterunt silentium. Rhetorum doctrina est, quod uerba facturus, de- »
bet præcipue in exordio orationis auditorem sibi conciliare & attentum red-
dere. In hoc autem Pauli exordio multa concurrunt ad reddendos Iudæos
attentos ac beneuolentes. Primum enim Paulus, ut erat cathenatus, locum di-
cendi petit. Insolitum autem est ex cathenis uerba facere. Deinde alloquitur
Iudæos lingua Hebræa, quam omnes intelligebant, & cui maxime omnium
nimirum sanctæ, fauebant. Præterea, tametsi Iudæi ipsum comprehenderant,
percussérant, & mortem intentauerant, tamen tribuit eis solennes titulos, uo-
cat eos fratres & patres. Ciuilitatis autem est, ut etiam in medijs bellis hostis
hosti solennes titulos tribuat. Adhæc his titulis Paulus suam mansuetudinem
declarat, nimirum significans animum suum longe ab ultione & uirulentia ab-
esse. Postremo cum ait, excusationem audite, uno uerbo auditores sibi bene-
uolos reddit, promittens se declaraturum, quod non sit affinis culpæ, cuius ac-
cusatur. Naturaliter enim fauemus reo, excusationem criminum pollicenti.

Principio igitur crimen seditionis depellit a se Paulus & dicit: Ego qui- »
dem sum uir Iudæus natus in Tarso Ciliciæ. Sunt inter uos multi qui existi- »
mant me esse latronem illum Aegyptium nuper fuga elapsum. Itaque ne isti er-
rent, sciant me nequaquam esse Aegyptium, sed Cilicem in Tarso urbe non Ae-
gypti sed Ciliciæ natum. Quantum autem Aegyptus & Cilicia distant, omni-
bus regionum expertis notum est. Et hæc est excusatio seditionis, nunc transit
ad excusationem doctrinæ impiæ seu hæreseos, ubi commemorat primum stu-
dia sua quibus ab adolescentia sua summam operam dedit. Deinde uocationem
suam ad prædicandum Euangelion de Iesu Christo. Cæterum (inquit) edu- »
catus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis (hoc est, fui discipulus Gamalielis, so »
lent enim discipuli ad pedes præceptoris sedere) institutus accurate in patria le- »
ge, sectator Dei, sicut & uos omnes estis hodie, qui hanc uiã persecutus sum usq; »
ad mortem, alligans ac tradens in carceres uiros ac mulieres, sicut & princeps sa »
cerdotum mihi testis est, & totus seniorum ordo, a quibus etiam epistolis ad fra »
tres acceptis, Damascum pergebam adducturus & illos qui illinc essent uinctos »
Hierosolymam ut punirẽtur. Paulus non hoc tantum loco sed etiam aliàs sæ »
penumero commemorare solet studia sua in Iudaismo. Ad Galatas scribens: Au-
distis, inquit, meam conuersationem quondam in Iudaismo, q̃ supra modum
persequebar Ecclesiam Dei ac depopulabar illam, & proficiebam in Iudaismo
supra multos æquales in genere meo, cum uehementer essem studiosus a maio-
ribus meis traditorum institutorum. Et ad Philippenses: Si quisquam alius ui-
detur fiduciam habere in carne, ego magis habeo, circũcisus octauo die, Israel ex

genere, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem phariſæus, iuxta ſtudium perſequens Eccleſiam, iuxta iuſticiam quæ eſt in lege factus irreprehenſibilis. Quid ergo cauſæ eſt ꝙ hæc ſtudia ſua toties inculcat? Multæ ſane cauſæ ſunt. Necꝫ enim ſentiendum eſt Paulum incomparabilis prudẽtiæ uirum unam eandemꝙ rem temere ſubinde repetere. Itaꝫ primum ob hanc rationem ſtudia ſua in Iudaiſmo inculcat, ut ex antitheſi uocationem ſuam ad prædicandum Euangelion Ieſu Chriſti illuſtret ac commendabiliorem reddat, adeoꝙ oſtendat eam non niſi diuina potentia factam eſſe. Etenim Paulus tanta eruditione in patria lege inſtitutus fuit, ut ſcientia & doctrina multos æquales in genere ſuo ſuperauerit. Non igitur inſcitia aut ruditas cauſa eſt cur Euangelion quod quondam perſecutus eſt nunc ſectetur. Adhæc tanta iuſticia in opibus legis excelluit ut ſecundum exquiſitiſſimam phariſæorum ſectam inculpatam, & ab omnibus laudatam uitam duxerit. Non igitur malicia aliqua aduerſus legem perpetrata impulit eum, ut deſerto legis ſtudio ad profeſſionem Euangelij ſe conferret. Fieri enim ſolet ut quibus per ſcelera ſua non licet in aliqua religione uiuere ad ſectandam aliam ſeſe conferant. Tantum autem abfuit Paulus in ſua religione ab externo ſcelere ut ſanctiſſimus haberetur: præterea tanto ardore animi legi ſuæ deuotus atꝙ conſtrictus fuit, ut præ nimio eius zelo omnes Chriſtianos perſequeretur, necꝫ id leuiter ſed grauiſſime, non ad fugam, exilia aut uincula tantum, ſed ad mortem uſꝙ, non uiros ſolum, ſed & mulieres, non in Hieruſalem tantũ ſed etiam in exteris ciuitatibus, in Damaſco & alijs locis, potiuſꝙ uellet omnia uitæ ſuæ diſcrimina ſubire, ac uel trecenties mortem oppetere, ꝙ patrocinium legis ſuæ deſerere. Cum igitur tantus ac tam deuotus legis ſuæ ſectator, ſubito id profiteri cœperit quod antea totis uiribus ſuis perſecutus eſt, profecto manifeſte apparet ipſum nulla humana potentia, ſed plane cœleſti ac diuina uirtute mutatum eſſe. Si autem diuina uirtute mutatus eſt, qui eſt Paulus qui potuerit diuinæ uirtuti repugnare? Deinde etiam hac cauſa commemorat Paulus ſtudia ſua, ut authoritate ſua doceat prædicationem Euangelij non eſſe contrariam legi ac prophetis, ſed potius id implere quod lex requirit & prophetæ uaticinati ſunt. Nam ſi quis hæc doceret non eruditus in lege ac prophetis, nonne audiret, ſtulte quid de rebus tibi ignotis diſſeris? Nunc autem quia Paulus accurate inſtitutus fuit in lege, & profecit ſupra æquales ſuos, interim tamen doceat Euãgelion plane id præſtare quod lex requirit, nempe iuſticiam, quis tam erudito homini fidem non adhiberet? Accedit & alia cauſa quare toties repetat ſua ſtudia in Iudaiſmo, uidelicet, ut ſuo exemplo doceat non continuo rectum eſſe quod nobis rectum uideatur, nec mox impium eſſe quod nobis bona, ut uocant, intẽtione impium uidetur. Vſꝙ adeo enim uidebatur Paulo ſe perſequendo Eccleſiam, iuſte facere, ut exiſtimauerit ſe præcipuum Deo obſequium præſtare, & putauerit ſe tam certum eſſe ꝙ Euangelica prædicatio eſſet ſumma impietas, ut uel morte ſua auſus fuiſſet illud affirmare, attamen longe aliter ſenſit, poſtea diuina reuelatione illuminatus. Quid ergo? noli eſſe in propriis adinuentionibus peruicax aſſertor. Sed audi & aliorum ſententiam, & liber ab affectibus iudica. Poſtquam autem quod rectum & iuſtum eſt inueneris, tunc tẽpus erit quod iuſtum eſt confiteri, etiamſi gladius ceruici immineat. Vt exempli gratia, certi nũc ſumus doctrinam Pauli de Ieſu Chriſto & de iuſticia fidei contra iuſticiam operum eſſe uerã & diuinam doctrinam. Proinde etiãſi fractus illabatur orbis, tñ ueritas huius doctrinæ tenenda atꝙ confitenda eſt. Poſtremo recẽſet ſanctitatem ſuam legalem, non ut doceat in eam confidendum eſſe, ſed potius ut omnes ſuo exemplo horreant ne uel tantillum fiduciæ aut ſpei in eam ſanctitatem collocent. Sic enim ad Philippenſes capite tertio ſcribit: Si quiſquam alius, inquiens, uidetur fiduciam habere

Paulus quare ſtudia ſua in Iudaiſmo toties repetat.

Prima cauſa.

Altera cauſa.

Vltima cauſa

habere in carne, ego magis habeo. Circuncisus octauo die, Israel ex genere, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Pharisæus, iuxta studiũ persequẽs Ecclesiam, iuxta iusticiam quæ est in lege factus irreprehensibilis. Sed quę mihi erant lucra ea arbitratus sum propter Christum damnum esse. Si autem legis iusticia reputanda est damnum (uidelicet si quis in eam ad iustificationem confidat, alioqui enim necessaria est ad pædagogiam, præterea ad declarãdam fidem & obediẽtiam erga Deum) quæ alia iusticia nobis relinqueretur in quã esset confidendum, q̃ iusticia Domini nostri Iesu Christi? Iusticia uero Christi est satisfactio pro iniusticia nostra. Hæc est ergo iusticia nostra, q̃ remittitur nobis iniusticia nostra propter Christum, si tamen in hunc credamus. Habemus causas quare Paulus toties iactat studium & sanctitatem suam in Iudaismo. Nunc audiamus quomodo a Iudaismo ad Christianismum peruenerit. Accidit autem mihi (inquit) iter facienti & appropinquanti Damasco circiter meridiem, ut subito de cœlo circũfulgueret me lux multa, cecidi q̃ in solum, & audiui uocem dicentem mihi, Saul Saul quid me persequeris? Ego uero respondi, quis es Domine? dixitq; ad me: Ego sum Iesus ille Nazarenus quem tu persequeris. Ad conuersionem impij duo maxime necessaria sunt, uidelicet, lex & Euangelion, seu agnitio peccati quæ fit per legem, & fides in remissionem peccatorum quę fit per prædicationem Euangelij de Iesu Christo. Sic enim Paulus de lege dicit: Per legem agnitio peccati. De Euangelio autẽ, fides ex auditu est, auditus autem per Verbum Dei. Hæc igitur ad conuersionem quoq; Pauli concurrunt. Principio enim tanto repentini luminis splendore circumfulguratur, ut excæcetur ac deijciatur in terram, perinde ac si fulmine ictus esset. Deinde audit grauissimam & insustentabilem increpationem. Saul Saul quid me persequeris? Ac postremo reuelatur ei peccatum suum cum dicitur: Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris. Et aliàs additur: Durum est tibi cõtra stimulos calcitrare. Hactenus exercuit Christus in Paulum legis officium, terruit eum, & increpauit ipsum, ac reuelauit ei maximum peccatum suum, q̃ eum persequeretur, qui est salus, iusticia & redemptio nostra. Ac primum mihi hic uide quanta sit potentia Domini Iesu Christi contra aduersarios suos. Etenim Paulus proficiscebatur in Damascum adducturus Christianos uinctos ad Hierusalem, ut illic punirẽtur, & proficiscebatur non solum comitibus stipatus, sed etiam literis ac bullis pontificum armatus. Authoritas autem pontificum erat a Romano imperatore cõfirmata. Quanquam igitur Paulus non habebat circa se exercitum multorum militum aut equitum, tamen erat instructus & munitus, tum pontificia tum imperatoria potestate. Sed quid iuuat ipsum hæc potestas aduersus potestatẽ Iesu Christi? quin profert bullas suas & minatur Christo proscriptiones & bannos, nescio quos, imperiales? Non si præsto adfuissent omnes imperatores & põtifices, unà cum omnibus suis exercitibus quicquam auxilij Paulo aduersus potentiam Christi cõferre potuissent, quo minus ille fuisset exterritus, excæcatus & in humum deiectus, adde etiam in totum extinctus ac damnatus, nisi a Christo rursus Euangelio uiuificatus esset. Quam igitur fortunam consiliorum, conatuum & persecutionũ suarum aduersus Christũ impij sese habituros sperant? Profecto cõtra stimulos (quod Christus ad Paulũ ait) calcitrant, hoc est, persecutione sua seipsos interitione perdent, interim tamen nihil incõmodi Christo inferent. Deinde obseruabis, cũ Christus inquit, quid me persequeris, q̃ quæ mala intuleris Christianis, ea inferas ipsi Christo. Putas aũt te impune laturũ si ipsum Christũ malis afficias? Cæterum, ne quis Paulum, circumfulgurationes & deiectiones, & subitas excæcationes narrantem, uanitatis ac mendacij arguat, citat harum rerum testes comites suos, & ait: Et qui mecum erant, lumen quidem uiderunt & exterriti

Duo esse necessaria ad conuersionem impij.

» sunt,uocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Sed quomodo hoc conuenit cum eo quod Lucas supra capite nono ita scribit: Viri illi qui erãt ei comites itineris,stabant attoniti,audientes quidem uocem,neminem autem uidentes. Quomodo audierunt uocem & non audiuerunt? Hæc,ut uidetur dissonantia,explicatu facilis est,si intelligas comites Pauli audiuisse quidem uocem Pauli respondentis Christo,non autem audiuisse uocem Christi loquentis cum Paulo. Nam ut Christus non est a comitibus Pauli uisus,ita nec auditus est. Itaq; hi comites testes sunt Pauli,q; hæc ipsi ad Damascum proficiscenti contigerint. Cæterum quod Paulo per externum miraculum accidit,hoc nunc subinde in cuiusq; impij conuersione per prædicationem legis euenire,non tantum solet,uerumetiam necesse est. Nemo enim ad desyderium remissionis peccatorum adspirat,nisi peccata sua agnoscat,nemo ad misericordiam Dei per Christum exhibitam appellat,nisi sentiat grauitatem iræ Dei. Discamus igitur amicissimi ex lege Domini impietatem peccatorum nostrorum,discamus ex uerbo & operibus Dei magnitudinem indignationis diuinæ aduersus peccata,ut ad consequendam remissionem peccatorum magno animi ardore contendamus,per Iesum Christum Dominum nostrum,qui est unà cum patre & Spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CII.



Absoluimus priorem partem pœnitentiæ seu conuersionis Pauli,uidelicet,q; cœlesti fulgure territus,atq; in peccati sui agnitionem ductus sit. Hæc enim est prior pars ad ueram pœnitentiam,& exordium ad consequendam iustificationem,quæ est remissio peccatorum per Iesum Christum. Nunc precibus uestris adiuti,explicabimus posteriorem partem,quæ est summum pœnitentiæ caput,nimirum,fidem in Iesum Christum ex auditu Euangelij,authore spiritu sancto conceptam. Atq; hæc pars ad absolutam iustificationem maxime omnium necessaria est,propterea q; prior illa quæ est agnitio peccatorum,præcedere quidem debet fidem Euangelij: sola autem existens nec habens sequentem fidem,adigit hominem in tantam desperationem,ut perpetuæ damnationi obnoxius fiat. Sic Cain agnouit peccatum suum & trepidauit,sed quia non secuta est in ipso fides,desperauit,& in peccatis suis mortuus est. Sic Saul,sic Iudas agnouerunt peccata sua,sed quia non habuerunt sequentem fidem,in barathro desperationis suffocati sunt. At Paulus in agnitione quidem peccati similis illis factus est,sensit em̃ magnitudinem peccati sui,sensit grauitatem iræ Dei,& non aliter affectus fuit,quàm si perpetuo damnatus esset. In hoc autem illis dissimilis est q; ipse addit fidem,& per fidem saluti restitutus est. Quomodo ergo istud factum sit persequemur,sic enim pergit Paulus in oratione sua: Dicebam autem,quid faciam Domine? Hic iam incipit catastrophe conuersionis,quid faciam (inquit) Domine. Pauciſsima uerba,sed multa significantia. Quid faciam Domine? quo me uertam? Sentio nunc & magnitudinem & multitudinem peccati mei,uideo omnia opera mea,quibus putaui me tibi summum obsequium præstare,esse prorsus impia,nec me tam operibus male feciſse q; in peccatis cõceptum & natũ esse. Video legem esse spiritualem,me autẽ carnalem,uenundatũ sub peccatum. Sentio iram tuam esse grauissimam,nec mihi aliud q; perpetuam damnationem imminere. Quid igit̃ faciã quo pro peccatis meis satisfaciã,iram tuã placare queã,& damnationẽ effugiã? Si legẽ respexero,uideo me nõ posse ei satisfacere iuxta eũ modum

In pœnitẽtia eciam fidem requiri.

» » »

modum quem lex requirit, si te respexero, nihil præter horribilẽ iram & indignationem uideo, quo ergo me uertam, ut hunc inferni ignem in me nunc accensum extinguam? Atq; hoc est, de profundis afflictionibus ad DOMINVM clamare. Nõ enim possunt homini maiores afflictiões aut grauiores tribulationes accidere. In hoc enim certamine agitur summa perpetuæ aut damnationis aut salutis. In hac monomachia fit, ut aut uictor Satan perpetuo hominem seruitio & tyrannide sua premat, aut uictus cogatur ipse uictori succumbere & ad cõspectum eius contremiscere. Nullum autem reliquum est auxilium in tãtis afflictionibus q̃ clamare ad DOMINVM. Sic Hiob, sic Dauid, sic Ionas, sic Hiskia clamauerũt ad DOMINVM & liberati sunt. Sic Christus clamat: Deus meus, ut quid me dereliquisti, & clamat ut eo clamore tantos inferni ignes in nobis extinguat, & noster clamor ad cœlum penetret. Sic & hoc loco Paulus clamat & audit responsum ac seruatur. Sequitur enim: DOMINVS autẽ dixit mihi, » Surge ac uade in Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ ordinata sunt » tibi ut facias. Et cum non uiderem præ gloria luminis illius, per manum deductus a comitibus qui erant mecum, ueni Damascum. Eo q̃ idoneus fuisset Paulus ad deridendum & subsannandum, cum sic cæcus a comitibus in Damascum duceretur. Quid uideo? tu ne es ille orbis domitor & cœli expugnator, qui huc missus es ad uinciendos Christianos, & ducendos ad Hierusalem? qui ergo factum est, q̃ tu nunc cæcitate uinctus in hanc urbem duceris? quid aduersi tibi tantis authoritatibus suffarcinato, in itinere contingit? cur non obuertisti ei qui te in terram deiecit & excæcauit, bullas tuas pontificias? cur non interminatus es ei proscriptiones & lapidationes? fortassis territus abscessisset. Sed hoc est iudicii quod persecutoribus Christi accidere solet, uidelicet, ut cum alios perdere uolunt seipsos perdant, & cum alios ad exitium rapiunt, seipsos in exitium conijciant. Ac maxime optandum esset, ut sicut oportet omnes persecutores Christi Paulo in ruina similes fieri, ita saltem aliqua ipsorum pars similes ei fierent in resipiscentia. Nam Paulus deiectus quidem est in terram, sed ut ad cœlum resurgeret, excæcatus est, sed ut illuminaret totum orbem Euangelio, ductus est a comitibus, sed ut multos doctrina sua ad perpetuam fœlicitatem duceret. Cum enim ad Damascum ueniisset, erat ibi, quemadmodum aliàs scribitur, tribus diebus nec uidens nec comedens nec bibens. Ac quando DOMINVS dicat: Vade in Damascum, ibi dicetur tibi de omnibus quæ ordinata sunt tibi ut facias. Et Paulus ad Galatas scribat, Euangelium quod prędicatum est a me non esse secundum hominem, neq; enim ego ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Et mox: Vbi Deo, qui segregauerat me ab utero matris meæ & uocauit per gratiam suam, in hoc, ut reuelaret filium suum per me, uisum est ut prædicarem ipsum inter Gentes, continuo non cõtuli cum carne & sanguine. Manifestum est ex his, q̃ quanquam Paulus in illis tribus diebus nihil rerum terrenarum uiderit, tamen uidit res cœlestes, & audiuit ac didicit ex ore ipsius Domini nostri Iesu Christi Euãgelium quod postea prædicauit. Quid ergo? num Paulus hac reuelatione contentus, mox surgit & accingit sese ad prædicandũ Euangelium, a nullo alio prædicationem Euangelij audiens, nec accipiens baptismũ? Minime, nam missus est ad eum Ananias, qui & prædicauit ei Euangelium, & restituit ei uisum ac baptizauit ipsum. Sic enim ait: Ananias autẽ quidam uir » pius, secundum legem, testimonio probatus omnium illic habitantium Iudæo- » rum, ueniens ad me & astans, dixit mihi: Saul frater recipe uisum, & ego eadem » hora recepto uisu uidi illum. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præparauit » te ut cognosceres uoluntatem suam, & uideres id quod iustum est, & audires uo- » cem ex ore eius, quia eris testis illi apud omnes homines, eorũ quæ uidisti & au- »

,, dísti. Et nunc quid contaris? Exurge & bapízare & ablue peccata tua ínuocato
,, nomine DOMINI. Quid audio? Paulus ille audiẽs in cœlo ex ore Iesu Chri
sti Euangelion, recepit uísum & baptísma irterra ab homine Anania? an Chri-
Paulus quare sit baptizatus ab Anania stus qui Paulum docuit sua ipsius uoce Euangelium in cœlo, non potuit ipsum illic etiam baptizare ac uisum ei restituere? Potuit quidem, sed iustissimis causis noluit. Primum enim Ananias uir pius ad Paulum mittitur, ut sicut Paulus habebat comites suos testes circumfulgurationis & deiectionis in humum, ita haberet etiã testem reuelationis & illuminationis & resurrectionis suæ per Christũ. Vnde & Ananias summe commendatur, ꝙ sit pius, ꝙ sit testimonio omnium Iudæorum illic habitantiũ probatus. Oportet enim testem bonæ famæ esse, ut testimonio eius fides adhibeatur. Deinde uult Christus, ut Paulus ab Anania doceatur & baptizetur, quo externum ministerium Euangelij & sacramentorũ commendatius reddatur. Instituit enim illud Christus ꝙ debeat esse potentia dei ad salutem omni credenti, & ut sit ministerium spiritus ad sanctificationem. Si aũt Paulus post reuelationem non fuisset baptizatus, ac per Ananiam in uia Domini edoctus, periculum fuisset ne ministerium externum Euãgelij & sacramentorum negligeretur, & occasio præbita esset uanis hõibus, qui contempto uerbo Domini, reuelationes, nescio quas, spirituum iactassent, quales his temporibus multi sunt, qui iudicant externum uerbum & sacramenta esse inutilia, sed expectant impressiones (sic enim uocant) celestes. Proinde quo manifestum fieret, externum ministerium Euangelij & sacramentorum ad salutem necessariũ esse, baptisatur Paulus post reuelationem. Nam si post tam eximiam reuelationem adhuc necessarius est baptismus ad abluenda peccata, quid nobis nulla reuelatione illuminatis necessarium esset? Itaq; confirmantur simul & ministerium Euãgelij & reuelatio Pauli. Siquidem hoc Paulo reuelatum est, quod tam ipse ꝙ alij apostoli de Iesu Christo prędicauerunt, nec opus habemus ulla alia reuelatione, de qua re etiam supra capite nono disseruimus. Cæterum ꝙ Ananias ait, baptizare & ablue peccata tua, explicat quid sit baptismus, uidelicet, lauacrum regenerationis quo abluuntur sordes peccati. Ergo ne inquis, tantillum aquæ purificat animam? Certe purificat, non quia simpliciter aqua est, sed quia uerbo DOMINI ad hoc ordinata, & promissione Dei sanctificata est ut per eam exhibeatur, & a baptizato, per fidem recipiatur remissio peccatorum. Dicit enim Christus, prędicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit (uidelicet) Euangelium & baptizatus fuerit saluus erit. Et Paulus ad Ephesios scribens, Christus (inquit) exposuit se pro ecclesia ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquę per uerbum. Etenim baptismus Euangelio seu uerbo Dei de Iesu Christo, tanq; uasculo quodam continetur. Non enim excauatus ille lapis, aut peluis e qua aqua ad baptisandum accipitur, sed Euangelium de Iesu Christo, & uerbum DOMINI quo aqua ad baptismum sanctificata est, pro uero baptisterio, quod uocant, reputandum est: ubi autem est Euangelium & uerbum DOMINI ibi fides requiritur. Itaq;, ut baptismus prosit, fide accipiendus est, unde & Ananias addit, ínuocato nomine DOMINI, quasi diceret, ut baptismus abluat tibi peccata tua, ínuoca nomen DOMINI. Porro ínuocatio non potest fieri sine fide. Crede igitur Euangelio, quod ex ore ipsius Christi accepisti & baptizare, sic enim consequeris omnium peccatorum tuorum remissionem. Quo ergo se uertit Paulus, postquã baptizatus est? Longum fuisset Paulo in hac concione totam historiam cõmemorare. Quod igitur ipse hoc loco intermisit, nos paucissimis ex aljs scripturæ locis complebimus. Vbi Deo, inquit ad Galatas, uisum est, ut prædicarem ipsum inter Gentes, continuo non contuli cum carne & sanguine, sed cum per dies aliquot Damasci manerem (quemadmodum supra capite

Quatenus iustificet baptismus.

pite nono scriptum est) prædicaui in Synagoga Christum, q̃ is esset filius Dei, & confundebam Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans q̃ is esset Christus. Postquam autem a Damasco primum abirem, non redij Hierosolymam ad eos qui ante me fuerant Apostoli, sed abij in Arabiam, ac denuo reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres cum discipuli dimisissent me nocte per murum in sporta propter insidias Iudæorum, redij Hierosolymam, ut uiderem Petrum, & mansi apud illum dies quindecim. Nũc ergo in hac concione sequitur quid Paulo Hierosolymis contigerit. Factum est autem (inquit) cum reuersus essem Hierosolymam, & orarem in templo ut raperer extra me, & uidetem eum dicentem mihi: Festina & exi uelociter Hierosolymis, quoniam non recipiẽt testimonium tuum de me. Et ego dixi, DOMINE, ipsi sciunt q̃ ego pertrahebam in carcerem & cędebam in singulis synagogis eos qui credebant in te. Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego quo q̃ assistebam & assentiebar morti illius, & custodiebam uestimẽta interficientium illum. Et dixit ad me: Vade quoniam ego ad gentes procul mittam te. Vides Paulum non semel tantum diuinis reuelationibus illuminatum fuisse. In hac autem uisione qua Paulus diuino mandato cogitur Hierusalem relinquere & ad gentes proficisci, docemur diuina & humana consilia longissimo interuallo distare, & difficillimum esse humanam rationem uoluntati Dei captiuam reddere, nam præcipiebat deus Paulo ut relinqueret Hierusalem, nec ibi prædicaret Euangelium. Et additur causa, quia (inquit) non recipient testimonium tuum de me. At uero Paulo lõge aliud consultum uidebatur. Immo, inquit, rationem habeo qua uideor mihi certus esse q̃ sint recepturi prædicationem meam de te, sciunt enim omnes q̃ antea non frigi de persecutus sim Euangelion, sed extrema tyrãnide in eos qui credebant Euangelio, usq̃ adeo grassatus fuerim ut non cõtentus eos in Synagogis cędere, etiam in mortem pertraxerim, & cum Stephanus testis tuus lapidaretur, quo magis me participem interfectionis eius tanquam obsequij diuini redderem, custodiui uestimenta trucidantium eum. Cum ergo audierint me Euangelion illud quod nuper uirulentissime persequebar, constantissime nunc profiteri & asseuerare, multo magis mihi q̃ alijs Apostolis credituri sunt. Nullum enim testimonium tantum ponderis habet quãtum illud quod ueritati tribuit hostis ueritatis, & nulla rei alicuius commẽdatio maiorem authoritatem habet q̃ quæ ab illius rei aduersario proficiscitur. Proinde consultius est ut Hierosolymis Euangelium prædicem q̃ ut ad alias regiones me conferam. Et hoc est Pauli consilium pro sua opinione sapientissimum, & audeteriam illud diuino consilio præponere, sed Deus ex diametro ab ipso dissentit. Quare cogit eum ut relinquat Hierusalem. Vade, hoc ego præcipio, utcunq̃ aliud tibi uideatur, quoniam procul mittam te ad gentes inter quas prædicatio tua maius incrementum habebit q̃ inter Iudæos Hierosolymitanos. Obsequitur ergo Paulus, sed inuitus, ac puto eum tunc maxime id sensisse quod ad Romanos scribens: Optarim, inquit, ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem. Monemur igitur hoc exẽplo, ut & si nostræ rationes uideantur nobis multo prudẽtiores & æquiores q̃ diuina consilia, tamen abnegatis omnibus cogitationibus & opinionibus nostræ prudentiæ, debemus nos uoluntati diuinæ captiuos tradere. Quis enim errare possit qui summæ sapientiæ obsequitur? Quis a recto declinare queat, qui uiam summæ iusticiæ ingreditur. An non oramus in quotidianis precibus, fiat uoluntas tua? Quæ est igitur illa prudentia q̃ precemur quidem ac optemus ut uoluntas Dei fiat. Cum autem ille uolũtatem suam per nos efficere conetur, nos manibus & pedibus reluctemur. Rursus, quæ est illa iniquitas q̃ oremus fiat uoluntas tua, & cum DOMINVS quicquam aduersi nobis cõtra uoluntatẽ im-

miserit,exempli gratia,ægritudinem corporis, direptionem bonorũ, exilium, infamiam,& id genus alia, conqueramur & clamemus nos non exaudiri a Domino, Dominum habere surdas aures ad preces nostras, nec respicere calamitates nostras? At si rem probe perpenderimus, nos ipsi potius accusatione digni sumus,qui nostræ rationi usq; adeo tenaciter inhæremus,ut nihil nobis utile,commodum & adiumentum in bonum iudicemus,nisi quod ita nobis uideatur, nec quicquam aliud uelimus,nisi quod ita nobis iudicetur. Sed hoc quid aliud est q̃ seipsum pro deo suo adorare, & uerum Deum conculcare? Proinde ne tanti sceleris rei fiamus, agite dum amicissimi, abnegemus nostram uanam prudentiam, & tradamus nos in obsequium Domini Dei nostri, cuius unigenitus filius Iesus Christus, quo nos seruaret, suam quoq; uoluntatem abnegauit, & patri suo obediuit, dicens, nõ mea uoluntas sed tua fiat, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CIII.

EXplicuimus orationem Pauli, qua recepit se excusaturum, q̃ nec aduersus populum Israël, nec aduersus legem & templum quicquam docuerit, quemadmodum calumniatores accusauerant eum, sed impeditus insano clamore & tumultu Iudæorum,non potuit orationem suam usq; ad finem deducere,& coactus est illa quæ erant apologiæ suæ capita omittere. Iudæi enim audiebant eum usq; ad hoc
» uerbum (quod dixerat, ad Gentes procul mittam te) atq; sublatis uocibus dice
» bant,tolle de terra hominem istiusmodi,non enim fas est eum uiuere. Videamus igitur nos quæ Paulus erat orationi suæ additurus, ut cognoscamus quo illa longa narratio de duabus reuelationibus,priori prope Damascum,posteriori in templo Hierosolymitano facta, spectet. Facile autem tum ex accusatione, tum e narratione Pauli conijci potest,quid ipse hoc in loco adhuc dicturus erat, nimirum id quod postea in ea oratione addit,quam habet coram rege Agrippa. Sic enim post narratam uocationem suam diuinitus reuelatam ait. Vnde rex A-
Cap. XXVI grippa non fui obediens cœlesti uisioni,sed his qui sunt Damasci primũ & Hierosolymis, & per omnem regionem Iudææ. Deinde & Gentibus adnunciabam ut pœnitentiam agerent & conuerterentur ad Deũ,opera facientes digna his qui resipuissent. Ac mox. Auxilium Dei nactus,usq; in hodiernum diem sto testificans tum paruo tum magno,nihil aliud dicens q̃ ea quæ Prophetæ prædixerant futura esse,& Moses,an passurus fuerit Christus,an primus ex resurrectiõe mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus. Hactenus in oratione ad Agrippam habita. Non solum autem ex his apparet, sed etiã ratio huius negocij postulat,q̃ Paulus tale quid in hac oratione quam habuit stans in gradibus additurus erat,uidelicet,se nihil cõtra Deum egisse,sed uisionibus & reuelationibus diuinis obediuisse,nec quicq̃ cõtra Israëlem, legẽ ac templum prædicasse,sed id adnunciasse,quod longe ante tum prophetæ tum Mose prædixerant. Prædixerunt autem q̃ Messias esset passurus & resurrecturus a mortuis,nec solũ Iudæis, uerumetiam gentibus salutem allaturus. Q; igitur diuinitus ad prædicandum gentibus de Messia missus sit,non esse contra Iudæos,sed quia oraculis prophetarum prædictum sit,gentes Messiam recepturas esse,Iudæis potius honori cedere,q̃ gentes talem Messiam agnoscant,qui & Iudæis promissus & e Iudæis natus sit. Huiusmodi quædam proculdubio adhuc dicturus erat Paulus. Sed uide insaniam Iudæorum. Quamprimum nominasset Paulus gentes, tum uero renouatus

uatus est Iudæis omnis dolor, quo ex uocatione Gentium affecti erant, & uociferantur quanta maxima uoce possunt, Tolle hominem istiusmodi de terra, non enim phas est eum uiuere. Et ut plane cognoscas eos non simpliciter insanire, sed totos furore Satanico correptos esse, proijciunt uestimenta sua, & puluerem iactant in aërem. Quo tumultu quid potest dici magis furiosum? diceres omnes inferni Satanas solutos, hunc populum inuasisse. Sed hoc est quod DOMInus per Mosen ait: Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Iudæi enim reputabant sese populum Dei, & beneficijs diuinis dignos, & censebant nullum ad communionem rerum cœlestium admittendum esse, nisi circuncisum, & obseruantem legem Mosi. Nam & gentes admittebant, sed circuncisas & ad Iudaismum conuersas. Cum ergo uiderent q̃ prędicatione Euangelij gentes adhuc in præputio & Rep. gentili manentes, in populum Dei eligerentur, ac de iusticia & salute nullis operum meritis gloriarentur, hoc animum eorum ita exulcerauit, ut nec nomen Gentium potuerint æquo animo ferre. Ac qualis affectus eo tempore erga Gentes Christum agnoscentes fuerit, facile obseruari potest ex affectu quem hoc tempore hypocritæ erga peccatores, Euangelion de Iesu Christo confitentes, gerunt. Idem enim prorsus negocium, eadem plane causa & tunc tractata fuit & nunc tractatur. Nam quemadmodum Apostoli abiecta meritorum fiducia, docebant iusticiam & salutem contingere tantum propter Iesum Christum per fidem, & recipiebant sine respectu uel circuncisionis uel præputij in communionem beneficiorum Christi, omnes quotquot prædicationi Euangelij fidem adhibebant, sanctificantes & consecrantes eos per baptismum in populum Dei & hæreditatem bonorum Dei, etiamsi nec circuncisione nec alijs operibus legis, aut meritis operum prædíti essent, ita hoc tempore prædicatur e doctrina Apostolica, quod nemo nisi propter Iesum Christum per fidem iustificetur, nec ulla hominum opera tanti momenti sint ut queant satisfacere pro peccatis & placare patrem cœlestem. Atque ita absque ullis operum meritis promittitur peccatoribus iusticia & salus, modo uere credant in Iesum Christum. Quid ergo ad hanc doctrinam hypocritæ? Quid? inquiunt, nos ieiunauimus, eleemosynas dedimus, multas preces effudimus, longe & sæpe ad diuorum sepulchra peregrinati sumus. Breuiter, multa bona opera fecimus, illi autem perditissimam uitam duxerunt, quæ ergo hæc esset æquitas q̃ per solam fidem in Christum absq; operibus consequerentur remissionem peccatorum, & haberent propitium Deum? Q; si uero Euangelij doctrina ipsis ob oculos ponitur, qua soli fidei propter Christum tribuitur iusticia, tum uero ita exacerbantur, & in tantam indignationem impelluntur, ut etiam ipsum Euangelij & Christi nomen fastidiant, ac summo odio persequantur. Haud secus etiam Iudæi afficiebantur ad nomen Gentium, si quando dicebatur Christum ad Gentes quoq; in præpucio manentes pertinere. Sed qualiscunque sit affectus uel Iudæorum uel hypocritarum, certe non est alia salutis uia, nec alia in extremis periculis consolatio reliqua, quàm q̃ remissio peccatorum contingat nobis gratis per fidem propter solum Iesum Christum: nequaquam autem propter merita operum nostrorum. Nam qua alia re fiduciam iusticiæ ac salutis concipiat, non iam dico nequissimus peccator, sed iustissimus sanctus? Num fidat bonis suis operibus? Sed scriptum est: In conspectu tuo non iustificatur omnis uiuens. Et Paulus ait: Maledictus omnis qui est ex operibus legis. Rursus inquit scriptura: Omnis homo mendax. Esto sane, homines non inueniunt quod arguant in operibus iusti. Aliud autem est Dei iudicium, hic enim scrutatur corda ac renes, & in scrutando inuenit q̃ cor ho-

minis natura sua prauum sit, & omnibus scelerum generibus impletum. Proin
de, uertat sese sanctus quispiam quocunq; uelit, si uult iusticiam & salutem co-
ram Deo habere, necesse habet, abiecta operũ suorum fiducia, per solam fidem
propter Iesum Christum, non propter merita sua, iusticiam & salutem sibi para-
re. Atq; hanc uiam omnes quotquot unquam salutem consecuti sunt, ambula-
uerunt, quam & ambulabunt quotquot unquã salutem consequentur. Sed de
» hac re alias sæpe diximus. Explicabimus igitur ea quæ hic sequuntur: Vocife
» rantibus autem eis & proiicientibus uestimenta, & puluerem iactantibus in aë-
» rem, iussit tribunus induci eum in castra, & imperauit eum flagris examinari, ut
» sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Nihil prorsus uel ciuilis æqui
Ministros Ecclesiæ etiã ciuili æquitate priuari tatis erga Paulum obseruatur, tam a Iudæis quàm a tribuno. Iudæi condemnant
Paulum priusquam summam causæ audiuissent. Tribunus iussit Paulum fla-
gris examinari ac torqueri, cum tamen nullam idoneam ac sufficientem suspicio
nem alicuius sceleris a Paulo perpetrati habere posset. At iusticia ciuilis requirit
ut reum audias, & tum demum audita causa iudices. Requirit præterea ut a
tormentis non incipias, nec ad tormenta uenias, nisi reus tam manifestis argu-
mentis perpetrati sceleris conuictus sit, ut sola eius confessio deesse uideatur.
Quo autem argumento, qua suspicione manifestum est q̃ Paulus flagicium ali-
quod designauerit? num accusatione aut insana uociferatione Iudæorum? Sed
si accusasse sufficit, quis erit innocens? Si insanus aduersariorum clamor, ido-
nea suspicio perpetrati sceleris est, quid opus iudicijs? clament saltem accusato
res, & statim reus conuictus erit. Non est autem nouum q̃ nulla nec ciuilis iusti-
ciæ forma erga professores ueritatis ac doctrinæ ueræ pietatis obseruetur. Iam
inde ab initio in prophetis, & postea in ipso Iesu Christo Domino nostro ius ci-
uile uiolatum est. Quare nõ est mirum, si & in Apostolis Christi uioletur. Nam
ut alia benedictionis genera, ita & hoc iusticię ciuilis bonum, quod potissimum
propter bonos diuinitus institutum est, magis indignis q̃ dignis, & plus impijs
q̃ pijs contingere solet. Sed interim Christus eos beatos pronunciat qui esuri-
unt & sitiunt iusticiam, qui cupiunt ut causa ipsorum iuxta leges ciuiles & publi
cam iusticiam iudicetur, non tamen possunt uoti sui compotes fieri, sed oppri-
muntur iniuste, quoniam (inquit) ipsi saturabuntur. Cæterum ut ad Paulum re
deamus, cum in ipso publicum ius, quod ad quæstionem & torturam attinet, uio
laretur, aliud quærit ciuilis iuris diuerticulum, si forte per illud queat impetra-
re, ut non condemnetur, nisi causa cognita. Cum enim astrinxissent eum loris
» dixit astanti sibi centurioni Paulus: Num hominem Romanum, & indemna-
» tum licet uobis flagellare? Vt apud Philippenses, ita & hoc loco profitetur
» Paulus sese ciuem Romanum esse, non q̃ Romæ natus sit, aut illic parentes ha-
Prærogatiua Ciuũ Rom. beat, sed q̃ a parentibus suis, quemadmodum postea sequitur, ius & prærога-
tiuam ciuium Romanorum hæreditario iure acceperit. Hanc enim prærogati-
uam etiam exteris authoritate principum aut senatus datam fuisse, passim apud
scriptores rerum Romanarum extat. Præter alias autem prærogatiuæ huius par
tes etiãhęc una fuit quę lege Valeria & lege Porcia explicata est. Lex. n. Valeria
uetat eos ciues qui prouocassent uirgis cędi, securi q̃ necari. Et lex Porcia graui
pœna sanxit, si quis uerberasset necassetue ciuem Romanum. Quam prærogati-
uam, puto postea per imperatores in clericos, quos uocant, aut sacris initiatos
translatam fuisse. Vt cunq; hoc sit, certe quales multo iam tempore habiti sunt cle
rici, sacrosancti uidelicet & inuiolati, nec quisquam ausus fuit, ut ipsi loquun-
tur, suadente diabolo uiolentas manus in sacris iniciatos injcere: tales olim
ubiuis gentium in ultimis terris, etiam inter barbaros habiti sunt, hi quibus ius
ciuium Romanorum datum fuit. Hanc igitur prærogatiuam Paulus nunc pro-
ducit,

ducit profecto non hac causa quod prætextu prærogatiuæ aliquid iniqui postu
let. Sic enim scelerati homines ad designanda impune flagicia concessis præro
gatiuis abuti solent, sed ut hoc prætextu impetret, id quod iustum & legitti
mum est, nimirum ne condemnetur ac flagelletur, priusquam causa eius cogni
ta fuerit. Nec Paulus prærogatiuæ prætextu quicquam Christiano indignum
facit. Si enim magistratus ciuilis est ordinatio diuina, sicut uere est, profecto eti
am leges, priuilegia, & prærogatiuæ ciuiles sunt ordinationes diuinæ. Si autem
sunt diuinæ ordinationes, cur non liceret Christiano ipsis uti? Vtitur Christia
nus sole, utitur cibo, utitur alijs bonis Dei creaturis, ijsq; non impie utitur, cur
igitur non liceret ei absq; peccato ordinationibus ciuilibus, quæ & ipsę bonæ
Dei creaturæ sunt uti? Sed quid commodi hæc prærogatiua Paulo attulit au
diamus. Sequitur: Quo audito, Centurio accessit ad Tribunum, & nuncia- »
uit ei dicens: Quid facturus es? hic enim homo Romanus est. Accedens au- »
tem Tribunus dixit illi: Dic mihi, num tu Romanus es? At ille dixit: Etiam: »
Et rñdit Tribunus, ego multa summa ciuitatem istã cõparaui (hoc est) multam »
pecuniam insumpsi, quam partim aulicis largitus sum, partim ad Scribas & Fi
scum principis contuli, donec impetrauerim ius Romanæ ciuitatis, quomodo
igitur uerisimile est quod tu qui plane egenus ac propemodum mendicus uide-
ris, tantæ nobilitatis prærogatiuam impetraueris? At Paulus ait: Ego uero & »
natus sum (hoc est) hanc prærogatiuam & dignitatem nulla pecunia emi, sed »
acquisiui eam natiuitate, & iure hæreditario a parentibus meis. Clarior autem
habetur qui nascitur ciuis Romanus, quàm qui pecunia comparat. Protinus »
ergo discesserunt ab illo qui eum fuerant examinaturi. Tribunus quoq; timuit »
postquam resciuit quod Romanus esset, & quod uinxisset eum. Postero autem »
die uolens certum scire qua ex causa accusaretur a Iudæis, soluit eum a uincu- »
lis, & iussit principes sacerdotum conuenire, totumq; concilium, ac deductum »
Paulum sistebat coram illis. Habes nunc ad quid Paulo profuerit quod ad ius »
Romanæ ciuitatis appellauerit. Nam & a quæstione, tortura ac uinculis libe-
ratur, & cognitio causæ eius ad concilium defertur. Nec hoc incogitanter præ-
tereundum est quod dicit Lucas, Tribunum timuisse. Quam igitur ob causam
timuit? num quia tantopere trepidabat ad fulmen imperatoris Romani, quod
in Paulo uiolauerit prærogatiuam ab imperatore datam? at quod fecit, igno-
rans Paulum esse Romanum ciuem, fecit: & eiusmodi ignorantia facilem excu
sationem habet. Præterea patebant aliæ excusationis uiæ, potuisset enim dice-
re, hunc esse hominem aduersus imperatorem seditiosum, & aduersus religio-
nem deorũ impium. Quæ autem esset æquitas in hoc imperatoris prærogatiuam
obseruare, qui imperatori internitionem moliretur, & publicam religionem
subuerteret? His fortassis aut alijs rationibus potuisset Tribunus factum suum
excusare, etiamsi non solum uinxisset sed etiam trucidasset Paulum. Nihilomi
nus tamen non mediocriter timet quod Paulum uinxerit. Num igitur timet uin
dictam a Paulo? Sed quid mali expectandum esset Tribuno multis militibus cir
cumuallato ab homine priuato & nulla potentia prædito? Deus igitur est qui ti
morem incutit Tribuno, ut hoc supplicio temerariam & iniquam eius præcipi-
tantiam qua Paulum nondum cognita causa, & uinxit & flagris examinari ius-
sit, puniat. Quo exemplo omnes Magistratus monentur, ut discant se non im
pune laturos, si quid iniurię precipiti iudicio subdito suo intulerint. Tametsi. n.
non liceat subdito seipsum uindicare, & malum malo, iniuriam iniuria compen
sare: est tamen Deus in cœlo qui iniurias a magistratibus illatas alto animo re-
ponit, qui clamores miserorum exaudit, qui nullam iniquitatem impunitam re-
linquit. Et is primum tam potens est ut queat uno, ut ita dicam, anhelitu, omnem

huius mundi potentiam subuertere, deinde habet uaria suppliciorũ genera, quibus tyrannos affligere solet. Nunc enim suffocat eos aquis ut Pharaonem, nũc perdit eos igni ut Simri regem Israël, nunc suo ipsorum gladio ut Saulem, nunc seditionibus populi, ut multos imperatorum Romanorum, nunc uermibus ut Herodem, nunc prælijs ut Ahabum, nunc perpetuo & horribili timore, ut Dionysium Syracusanum, nunc alijs suppliciorum generibus. Denicq; quod est longe omnium grauissimum, sempiterna damnatione & igni inextinguibili. Faciat igitur magistratus iudicium & iusticiam, & iudicet pauperes in æquitate, ut supplicium effugiens, sempiternum gaudium assequatur, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

CAPVT XXIII.

HOMILIA CIIII.

DIXIMVS NVPER DE PRAEROgatiua Pauli, & de iure ciuitatis Romanæ, quæ & si neminem faciant Deo acceptiorem, & coram ipso iustiorem aut nobiliorem, ad hoc tamẽ prosunt Paulo, q̃ per ea impetrat, ut ipse nihil contra ius iniqui patiatur, & tandem species aliqua iusti & legitimi iudicij ad cognoscendam causam eius instituatur. Tribunus enim soluit Paulum a uinculis, & iussit conuenire principes sacerdotum, & totum concilium, ut siquidem Paulus uidebatur non flagicium aliquod ciuile designasse, sed controuersiam de religione excitasse, a religionis suæ principibus causa eius cognoscatur & iudicetur. Quanquam enim nondum omnia legittime fiant, propterea quod in hoc iudicio ijdem sint accusatores, testes & iudices, hoc tamen legittimum est, & hæc est iusticia ciuilis, quod Tribunus non uiolat prærogatiuam Pauli, nec permittit ut Paulus inordinata seditione opprimatur, sed quia ipse Iudaicæ religionis ignarus est, causam religionis ad concilium eorum, qui religionis antistites sunt, referat. Cum igitur Paulus coram illis constitisset, intentis oculis in concilium, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum coram Deo usque in hodiernum diem. Quod dicit hanc habet sentẽtiam. Ego nullius mali facinoris mihi conscius sum, propter quod meruerim inter uos uincula & captiuitatem. Nam quod usq; in hodiernum diem egi, omni bona conscientia coram Deo egi, nec quisquam est qui me alicuius criminis accusare queat. Quid hoc inquies? quomodo gloriatur Paulus se omni bona conscientia cõuersatum esse usq; in hodiernũ diem, q̃ fortassis tolerabile esset si diceret corã hoĩbus, põt. n. hõ corã hoĩbus irreprehensibilis uiuere, nunc aũt addit, coram Deo. Et quis tantæ impudẽtiæ est, qui audeat gloriari se coram Deo mundum esse? nõne alias Paulus de se ipse dicit: Iesus Christus uenit ut peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum? Nam quæ scelera aduersus Deum perpetrauerit ante conuersionem suam, nec ipse dissimulat, ubiq; prædicans se sanctos coëgisse ad blasphemiam nominis Christi, & eos morti tradidisse. Nũ autem hæc bona conscientia coram Deo fieri possunt? Ac post conuersionem suam dicit: Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, uenditus sub peccatum. Et iterum: Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati quæ est in

Gloriandum esse de iustici a uocationis, & non priua ta iusticia

est in membris meis. Qui autem captiuus est legi peccati, quomodo gloriabitur cor suum mundum esse? Vt ad ista respondeamus, obseruandum est, q̃ Paulus in hac apologia qua se innocentem profitetur, non loquatur de corrupta sua natura & de priuatis suis uicijs, quibus nemo in conspectu Dei caret, & quæ habebat cum omnibus hominibus communia, propter hæc enim nemo eum accusauit. Sed loquitur de officio & ministerio suo publico, uidelicet, de prædicatione Euangelij, propter quam potissimum a Iudæis accusatus fuit. Probe enim nouit Paulus q̃ non sit ex operibus suis iustus coram Deo, q̃ etiamsi aliquid boni operetur, peccatum tamen in carne latens bonum opus contaminet, ut non sit syncerum in conspectu Dei, & q̃ omnia sua opera, si exacte iudicentur iuxta spiritum legis, sint coram Deo peccata. Sed interim hoc quoq̃ ex uerbo Dei nouit q̃ ministerium suum quo Euangelion de Iesu Christo prædicauit sanctum sit, q̃ Euangelion uerissimum sit, quod officium huius ministerij sit diuinum, & Deo optime placeat, quippe q̃ ipsemet Deus istud instituit, & ad hoc administrandum Paulum uocauit. Itaq̃ Paulus gloriatur non se sua iusticia coram Deo iustum & innocentem esse, sed gloriatur se bene conscium esse q̃ hoc ministerium quo usq̃ in hodiernum diem functus sit Deo placeat, Deo acceptum, & coram Deo sanctum sit, nec ullum suppliciũ propter illud coram hominibus meruisse. Vnde & in posteriori epistola ad Timotheum capite primo scribens: Gratiam, inquit, habeo Deo cui seruio a maioribus cum pura conscientia. Vbi Paulus loquitur de publica religione. Nam Iudæorum religio quam Paulus a maioribus acceperat uera religio erat, & uerum Deum docebat. Similiter & Euangelij religio uera est religio, nimirum quæ a Prophetis adnunciata atq̃ promissa fuit. Seruit igitur Paulus Deo pura conscientia, quia scit se ueram religionem sectari, & uocationem suam sanctam esse, etiamsi ipse interdum ut infirmus lapsus sit. Quemadmodum enim qui in recta uia ambulat, quamuis uel claudicet, uel labatur, tamen gloriari potest, uiam suam rectam esse. Ita qui sectatur ueram religionem, & habet iustum ministerium, & si ipse nonnunquam ex infirmitate peccet, tamen licebit ei gloriari, q̃ religio eius uera sit, & ministerium sanctum ac uocatio diuina. Sic gloriatur Dauid aduersus calumnias Simei. Dicebat enim Simei q̃ Dauid esset uir sanguinum, & parasset regnum sibi non uocatione diuina, sed impia sanguinis effusione. Ait igitur Dauid in Psalmo: Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis: Et mox: Iudica me Domine secundum iusticiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Hic Dauid non loquitur de priuata sua iusticia & innocentia. Nouit enim se peccatorem, sed de iustitia uocatiõis suæ ad regnum. Fuit enim diuinitus ad regnum uocatus, & ipsa regni sui administratio sancta fuit coram Deo, etiamsi nonnunquam in ea peccauerit. Sic gloriatur de iusticia sua rex Hiskia: Obsecro, inquiens, Domine, memento, quoniam ambulauerim coram te in ueritate et corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Iactat rex non priuatam operum suorum iusticiã, sed publicam officij sui iusticiam. Abrogauerat enim publicas impietates in Iuda, & restaurauerat uerum cultum Dei secũdum legem. Quidam uero calumniabantur eum, q̃ ideo ei aduersa nunc per hostes nunc per morbos acciderent, quia ueteres Dei cultus dissipasset, & apparet ipsum eo tempore quo Esaias mortem ei denunciabat, de hac re grauiter in conscientia sua tentatum fuisse. Proinde deuicta per Verbum Dei tentatione in hanc uocem prorumpit: DOMINE, scio me in abrogandis impietatibus & restaurando cultu diuino ueritatem legis tuæ sectatum esse, & hoc egisse publico meo officio, quod Verbum tuum requirebat, memineris itaque huius, non meæ sed tuæ ipsius iusticiæ, & auferas a me mortem, ne si hoc morbo peream, impij dicant, me ideo extinctum

q̃ ueteres cultus, quos ipsi uocant diuinos, lex autem tua impios, abrogauerim. Sed & unumquenq̃ nostrum certum esse oportet de officio, ministerio, statu & uocatione sua, q̃ diuina sit & Deo placeat, ut queamus gloriari, nos quidem q̃ ad opera uirium nostrarum attinet coram Deo peccatores esse, attamen ipsum officium & uocationem sanctam esse, & liceat nobis uere cum Paulo dicere: Nihil mihi conscius sum, at in hoc non sum iustificatus. Sed audiamus nunc quo-
» modo Pauli Apologia a concilio excepta sit. Sequitur: Princeps autem sacer-
» dotum Ananias præcepit astantibus sibi ut percuterẽt os eius. Nimirum hæc erat in impio pontifice modestia & iusticia cognoscendæ causæ in concilio. Credo autem impium & ambitiosum hypocritam male habuisse, primum q̃ Paulus nulla ampli honoris præfatione, nec ambitioso titulo concilium alloqueretur. Deinde q̃ tam libere innocentiam suam profiteretur, qua libertate nõ tam se excusaret quàm totum concilium accusaret tanquam ipsum falso calumniarentur, & mendaciter hæreseos ac impietatis ipsum arguerent. Sed audi quid adhæc
» Paulus: Tunc dixit Paulus ad eum: Percussurus est te Deus paries dealbate,
» & tu sedes iudicans me secundũ legem, & cõtra legem iubes me percuti? Quid ergo illud est q̃ Paulus uocat pontificem τοῖχον λελευκωμένον, parietem dealbatum? Apparet uulgari Iudaici sermonis phrasi hypocritas dictos fuisse parietes dealbatos, & sepulchra dealbata. Vnde & Christus apud Matthæum capite uicesimo ter-

Paries dealbatus.

tio: Væ uobis, inquit, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum omnicq̃ spurcicia. Sic & uos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione. Et hoc loco Paulus uocat pontificem parietem dealbatum, q̃ quemadmodum parietes foris apparent albi, aut uarijs iucundarum historiarum picturis exornati, intus autem nihil sunt nisi calx, arena, & lutum. Ita hic pontifex foris uidebatur uir honestus & pontificio munere dignus, intus autem nihil habebat pontifice dignum. Obstrepet igitur hoc in loco quispiam, Nonne, inquiens, scriptum est, Benedicite maledicentibus uos, orate pro ijs qui lædunt & infectantur uos? Et rursus: Quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram? Cur ergo Paulus percussori usq̃ adeo non obuertit alteram maxillam, ut etiam male ei precetur, & contumelioso noīe eum appellet? percutiet te Deus (inquit) paries dealbate? Nihil quidē absurde esset, etiamsi sentiremus Paulum hoc loco impatientius tulisse alapam, & mandatum DOMINI uiolasse, quippe q̃ alias clamet legem quidem spiritualem, se autem carnalem esse, uenditum sub peccatum, & probe sciat se nullam aliam iusticiam habere, q̃ remissionem iniusticiæ suæ. At quia, quod hic fit, tale opus est quod in Apostolo non est conuicium sed officium, non maledicentia sed prophetia, non retaliatio iniuriæ sed zelus Dei: & Paulus unus e summis Apostolis fuit, ideo sentiemus eum hic minime peccasse, sed pro uocatione officij sui egisse. Apostoli enim est peccata hominum arguere & pœnam peccatorum denunciare. Ministri Dei est sententiam Dei super impios latam indicare. Prophetæ est futura supplicia manifestare, si forte impij conuertantur & uiuant. Cum igitur Paulus pontifici Ananiæ, & peccatum suum indicet cum ait, paries dealbate, tu sedes iudicans me secundum legem, & contra legem iubes me percuti, & supplicium peccati denunciet cum dicit, percussurus est te Deus, non quærit uindictam, sed uocationi suæ seruit, non conuicijs insectatur, sed authoritate Apostolica fungitur. Nam quod dicitur, Benedicite maledicentibus uos, & quicquid est huiusmodi legum, ad priuatos tantum homines, & ad priuatos hominum affectus pertinet. Proinde quatenus Apostoli sunt homines priuati, necesse habent & ipsi his legibus obedire, quatenus aũt sunt publici Dei ministri

& Apostolico munere funguntur, necesse habent uocationem suam sequi, quæ requirit, ut quo Apostoli ad remissionem peccatorum homines uocẽt, prius peccata ostendant, arguant, & pœnam eorum adnuncient. Ac Pauli factum in hunc ordinem deputãdum est, in quo est maledictio Nohæ super filium suum Cham, adhæc maledictio prophetæ Elizæ super pueros ipsum subsannantes, præterea maledictiones omnium prophetarum aduersus impios. Deniq; supplicia legitimi magistratus, qui etiamsi lex sit, non occidas, tamen pro uocatione officij sui sontes occidit. Sicut autem nemo citra legittimam uocationem exemplum magistratus in occidendis hominibus imitari debet, ita non licet nobis sine iusta ac diuina uocatione personalia sanctorum opera imitari, nisi idem uerbum & eandem uocationem habeamus quam illi habuerunt: quod enim in uocato est iustum obsequium, hoc in non uocato est iniusta temeritas & impia præsumptio, de qua re alias sæpe diximus. Et qui astabant dixerunt: Summo sacerdoti Dei maledicis? Etiam hi iudicant uerba Pauli, non iuxta ministerium eius, sed iuxta sonum literarum. Quia enim uerba sonant ac si essent hominis priuati conuicia, ideo sentiunt Paulum peccare. Sed respondet Paulus: Nesciebam fratres q̃ pontifex esset, scriptũ est enim, Principi populi tui non maledices. Hæc non sunt ita intelligenda, quasi Paulus uere nescierit hunc esse pontificem, & significet sese ex ignorantia peccasse. Quomodo enim uerisimile est hunc pontificem, in consilio primatem locum occupantem, Paulo fuisse ignotum? Nec ulla esset peccati excusatio, q̃ non nouisset pontificem, quando nec ulli priuato homini maledicendum est. Sed uerba ista hanc habent sententiam, Scio quidem scriptum esse in Exodo capite uicesimo primo: Principi populi tui non maledices. Sed hoc scriptum est priuatis, non Apostolis. Scriptum est uulgo hominum, non publicis diuinæ legis ministris aut prophetis. Horum enim interest omnium hominum siue regum siue pontificum peccata arguere. Et cum arguunt, non conuiciantur, sed sententiam DOMINI ex uocatione pronunciãt. Ad hæc scriptũ est, nõ quia hac prærogatiua liceat principibus siue regibus siue pontificibus inique agere, contra leges innocentem opprimere, & pro libidine sua omnia administrare, sed ut hac lege admoneantur, ut si bene uelint a populo suo audire, Rempub. iuste administrent, & iusticiam legis obseruent, quo nullam maledicendi ansam populo præbeant. In hoc autem pontifice nihil apparet põtifice dignum. Sedet in loco legis, & præcipit contra legem, ut percutiatur is qui necdum satis auditus, nec conuictus, nec condemnatus est. Non igitur uideo cur mihi non liceat eum pro meritis suis tractare, & ostendere quod pontificio munere indignus sit. Hæc responsio Pauli alta mente reponenda est magistratibus, ut cum exigant a suis debitum uel honorem uel uectigal, prius semetipsos excutiant, num illis officij sui uectigal persoluerint. Est enim inter magistratum & populum, mutuum commertium. Tibi debet populus censum, debet obsequium, debet honorem, fatemur, sed tu uicissim debes populo bonum ac uigilantem magistratum. Si tu non agis iustum magistratum, qua fronte audes a populo exigere ut iustos subditos agant: & si tu prior non exoluis populo quod debes, quæ est impudentia a populo exigere quod debent? Scimus non esse resistendum legittimis magistratibus, sed scimus etiam diuinitus mandatum esse, ut Magistratus functionem suam legittime administret. Iam nec Magistratibus solum, sed & priuatis quibusque obseruandum est hoc uerbum Pauli. Fatemur, debet proximus proximo dilectionem, debet beneficentiam, debet & honorem. Honore, inquit Paulus, alius alium præcedentes. Sed quod tu a proximo tuo postulas, cur idem non prior præstas? Quæ est hæc insolentia, quod exigas ut manibus & pedibus tibi a proximo benefiat,

An maledicãt ministri Ecclesiæ cũ peccata arguunt.

& tu nondum uel minimo digitulo aliquid beneficij ad proximum tuum contu
listi? Haud inepte hominem fistulæ comparant, in quam si inflaueris suauem so
num, reddit suauem, si iniucundum, reddit & iniucundum, & omnino talem so
num reddit qualem inflaueris, ita existimato proximum tuum quasi fistulam
esse, si uolueris ab eo aliquid beneficij recipere, fac prius in eum beneficia confe
ras, sin male feceris ei, quid expectabis nisi ut malefacta reddat? Malum qui-
dem est malefacta malefactis compensare, & qui id sceleris perpetrat, non impu
ne feret, at tu qui prior malefeceris non habes quod de proximo iniuriam feren-
te conqueraris, par pari retulit. Proinde quo maiora ab alijs beneficia postulas,
hoc impensius da operam ut tu prior alijs benefacias. Sic enim fiet, ut etiamsi ho
mines beneficijs tuis non respondeant, habes tamen copiosam mercedem apud
patrem tuum cœlestem, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cũ
eodem patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CV.



VM Paulus prætextu prærogatiuæ suæ impetrasset, ut cau
sa eius legittime cognosceretur, & Tribunus concilium
summorum sacerdotum coegisset, nondum tamen potest ei
contingere legittima cognitio. Nam qui in concilio sede-
bant, hi erant & accusatores & testes & iudices, id quod est
cõtra omnes legittimas iudiciorum ordinationes. Ad hæc
cum Paulus suam innocentiam libere assereret, præcipie-
bat summus pontifex, ut qui astabant, percuterent eum in os nondum nec satis
auditum, nec conuictum nec condemnatum. Cum igitur in legittima congrega-
tione omnia illegittime agerentur, excogitat Paulus consilium quo hos iudices
» inter se turbet, & hac occasione ab iniquo eorum iudicio liberetur. Sciens au-
» tem Paulus q̃ una pars esset Saducæorum & altera Pharisæorum, exclamauit in
» concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi, de spe & resurrectio-
» ne mortuorum ego iudicor. Et cum hoc dixisset, facta est dissensio inter Phari-
» sæos & Saducæos, & dissecta est multitudo. Nam Saducæi quidem dicunt non
» esse resurrectionem, nec̃ angelum, nec̃ spiritum. Pharisæi autem utrac̃ con-
» fitentur. Primum igitur obserua prudentiam Pauli, qua istud concilium præ-
ter leges causam eius tractans, disturbet. Cum enim concilium e Pharisæis & Sa
ducæis constaret, exclamauit id quod res erat, se esse Pharisæum & Pharisæi fi-
Pauli pru dentia. lium, & ob id præcipue accusari, q̃ resurrectionem mortuorum doceat, quo do
gmate Pharisæi a Saducæis longe latec̃ dissideant. Itac̃ si uelint de ipso pro-
nunciare, necesse sit, ut aut Saducæi tanquam publici aduersarij e concilio abe-
ant, aut Pharisæi unà cum ipso condemnentur. Hoc exemplo Pauli docemur
q̃ liceat nobis contra suspectum iudicem ciuilibus ordinationibus uti, uidelicet aut translatione, seu exceptione, aut alijs legittimis modis, a iure ciuili con-
cessis. Sunt enim iura ciuilia ordinationes Dei, Christianus autem potest uti or
dinationibus Dei. Potest igitur & ciuilium iurium ordinationibus uti. Et hic
usus tunc pius est, cum is qui utitur pietatem sectatur, hoc est, cum nihil aduer-
sus proximum, quo cum in iudicio contendit ex inuidia conatur, non calumnia
tur, non mentitur, non dat falsum testimonium, non peierat, nihil dolo malo a-
git, non defendit cognitam iniusticiam, sed tantum rectam causæ iusticiam in-
quirit. Rara hæc est auis in publicis iudicijs. Quare uix fieri potest, quin inter
partes in iudicio contendentes, non multa utrinque peccentur. Sed de publi-
cis iudicijs mox plura, nunc quæ hic nobis proponuntur explicabimus. Itac̃
& illud

& illud hoc loco obseruandum uenit q̃ ea sit sors doctrinę Christianę seu Euangelij, ut cum alioqui omnes sectæ inter se maxime dissideant, in hoc tamen uno conueniant q̃ aduersus Euangelium grassentur. Saducæi enim & Pharisæi & odijs & dogmatibus inter se extreme dissidebant, nihilominus tamen concordes sunt ad extinguendum lumen Euangelij. Sic Herodes & Pilatus hostes infensissimi, in opprimendo Christo amici fiunt. Sic hac tempestate, cum antea inter aliquot principes & Episcopos nunquam conuenisset, tamen nunc ad persequendum Euangelion conuenit. Sed quid dicit Psalmus? Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tũc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Cæterum, ut quod hic de Saducæis & Pharisæis dicitur, significantius percipiamus, paulo pluribus harum sectarum rationem, quantum nostro instituto satis est explicabimus. Fuerunt enim apud Iudæos tres publicæ sectæ, aut ut nos loquimur, tres Monachorum ordines. Et hæ sectæ non institutæ fuerũt iam inde ab initio legis latæ, neq; enim Mose instituit eas, neq; sacra scriptura eas approbat, quãuis quædam aliquorum dogmata agnoscebat, sed ortæ sunt inter Iudæos tempore Machabeorum. Cum enim eo tempore principes & summi põtifices amicicias cum externis Ethnicorum regibus quærerent, ut eorum præsidio magistratum gentis suæ, aut adipiscerentur, aut adeptum tutius possiderent, & hac cura occupati religionem negligerent, ortæ sunt sectæ & hæreses in Iudaica religione, quemadmodum & inter Christianos Monachorum ordines tunc cœperunt cum pontifices & sacerdotes rerum ciuilium cura a munere docendi Euangelij abstraherentur. Nomina autem sectarum Iudaicarũ fuerunt Pharisæi, Saducæi & Essæi. Pharisæos quidã deducunt a פרש pharesch, quod est exposuit aut explanauit, quidam a פרס phares, quod est separauit. Fuerunt enim pharisæi præ alijs doctrina legis excellentes, & ritibus quibusdam ab alijs differebant. Hi quanquam multa superstitiosa & impia dogmata profitebantur, tamen de religione longe melius alijs sentiebant. Docebant enim animas hominum esse immortales, mortuos resurrecturos, esse uitam post hanc uitam, in qua bonos fœlicitas, malos supplicium maneret. Item Messiam uenturum & aduentum eius præcessurum Eliam, quemadmodum apud Matthæum capite decimo septimo & uicesimo secundo obseruatur. Saducæi autem nomen suum habent a צדיק Zadik, hoc est, iustus. Et hic mihi uide quàm inique in hoc sæculo comparatum sit, ut hi qui a iusticia alienissimi sunt, soli tamen fere nomen iustorum obtinent. Saducæi enim uocantur, si interpreteris, iusti seu iustificati. Erant autem longe omnium impijssimi. Nam docebant Deum non curare res humanas, animas hominum esse mortales, sed unà cum corporibus interire, legem datam esse tantum in hunc usum, ut in hoc sæculo tranquillam uitam agamus. Sentiebant neq; angelum neq; spiritum esse. Huius farinæ homines nunquam desunt in mundo, qui sentiant Deum non curare humana, animas hominum cum corpore interire, & hanc solam esse fœlicitatem in hoc sæculo belle uiuere. Quicquid autem dicitur de futura uita, de angelis bonis aut malis, putant esse nugas. At hoc genere hominum nihil est magis impium. Non enim sola sacra scriptura tradit curam Dei pro creaturis suis, & immortalitatem animæ, ac bonorum & malorum remunerationes in futuro sæculo, sed idem quoque testatur naturalis ratio in ijs hominibus, in quibus non fuit prorsus obscurata. Sic enim senserunt multi sapientissimorum philosophorum inter Ethnicos, & hinc etiam illa doctorum hominum dicta ueniunt, Iouis omnia plena. Item, Est deus in nobis agitante calescimus illo. Hinc etiam ueniunt illa, Campus Elysius, Phlegethon, Cocytus, Styx, & alia poëticorum nominum portenta, quæ & si non omnino ita se habent, quemad-

Iudæorum sectæ quot.

Pharisæi.

Saducæi.

modum illi fingunt, tamen his non obscure significarunt, ipsam naturalem hominis rationem sentire, & post hanc uitam maneat bonos præmiũ, malos autem supplicium: & hæc de Saducæis. Tertium genus Essæorum dicitur, hi nomen suum habent ab עשה Assa, quod est fecit, quasi dicas factores. Cum enim hi uiderent alias sectas uerbis quidem multum de iustícia gloriari, cæterum factis nihil præstare, iustíciam ipsam non uanis uerborum ampullis, sed sanctissimis ut sibi uidebant operibus pficere studebant, oĩa habebant cõia, nõ ducebant uxores, nõ habebant seruos, sacrificia cũ populo nõ celebrabãt, & existimauerint se cõmercio uulgi contaminari, dicas spũm Essorũ anabaptistas, qui hoc sæculo passim uagant, inuasisse, & illis omnia sint cõmunia, & præ oĩbus alijs sanctitatem sibi uendicant, a cuius tamen ueritate alienissimi sunt. Sed si qs plura de Essæis alijsq; sectarum generibus apud Iudæos scire uoluerit, legat Iosephum, qui de his sectis copiose scripsit, quæ enim nos commemorauimus sufficiunt ad præsentis loci expositionem, quare nunc ad ptopositum reuertemur. Cum enim Paulus uideret senatum concilij partim ex pharisæis partim ex Saducæis nimirum hominibus in dogmatibus religionis longe lateq; inter se dissidentibus constare, exclamat, & se pharisaici dogmatis esse de resurrectione mortuorum, ac propter hoc dogma in iudicium pertractum esse. Quid ergo fit? cũ Paulus hæc dixisset, mox
» fit dissensio inter phariseos & Saduceos, & dissecta est multitudo in partes. Fa
» ctus est autem clamor magnus, & cum surrexissent scribæ de factione pharisæo
» rum, depugnabant dicentes, nihil mali inuenimus in homine isto. Quod si spiri-
» tus locutus est ei aut angelus, ne repugnemus Deo. Vide quantũ seditionis ex una Pauli uoce opportunissimo ad disturbandum impium concilium loco dicta, inter impios oriatur. Ac Saducæi quidem condemnant Paulum, pharisæi autem absoluunt, non iudicio ueritatis, sed studio suarum partium. Tametsi enim iustum est & innocentem uirum absoluant, tamen hoc faciunt carnali & iniusto affectu, uidelicet, odio Saducæorum & fauore suæ partis. Iudex autem non solum peccat cum iniustam fert sententiam, sed etiam cum iustam sententiam fert iniquo affectu, iudicium enim Dei est non hominum. Necesse igitur est ut sententiæ ferantur, non carnali sed diuino affectu, uictore omnium carnalium affectuum. Nos uero monemur ex hac seditione ut nõ formidemus impiorum concordiam, fœdus, & conspirationem aduersus ueritatem Verbi Dei. Consensus enim impiorum non potest esse diuturnus, & fœdera contra Dominum haud quaquam constare possunt, quippe & tam infirma sint, ut uel una unius hominis uoce, uel sonitu folij uolantis, uel si quid est hoc inanius, interrumpi ac dissipari queant. Consilium meum, inquit Dominus, non impiorum, stabit, & omnis uoluntas mea, non uolũtas impiorum fiet. Et in Iobe dicitur: Dominus dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant, & apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Rursus in psalmo: Dominus dissipat consilia Gentium, reprobat cogitationes populotũ & consilia principum. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Cæterum, quanta dissentione concilium Pharisæorum & Saducæorum dissipatum sit, & q̃ diligenter Domi
» nus suos defendat ex ijs quæ sequũtur manifestum est. Sic enim ait Lucas: Et
» cũ magna seditio coorta esset, ueritus tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis,
» iussit milites descendere & rapere eum de medio eorum ac deducere eum in ca-
» stra. Hic mihi obserua quanto plus iusticiæ præstet tribunus ethnicus q̃ hypocritæ Iudæi, sese populum Dei gloriantes. Hi enim cupiunt Paulum extinctum nondum auditum, ille autem seruat eum ad cognitionem causæ. Hi hoc unum agunt, ut uioletur in Paulo priuilegium libertatis quod habebat ex iure Romanæ

Essæi.

Consensum impiorum pijs non esse formidandũ.

manæ ciuitatis, ille autem sancte priuilegium istud obseruat. Hi Paulum non legittimo concilio cõdemnatum ad mortem postulant, ille cogit conciliũ ut causa rei legittime cognoscatur. Hi inter se dissidentes, Paulum necdũ satis auditum, neq; iusto ordine condemnatum discerpere conãtur, ille aũt eripit eum e uiolentis aduersariorũ manibus. Quanto igitur iustior est Ethnicus, adde etiam Tribunus militum q̃ hypocritæ Iudæi? Non iam loquor de iustitia diuina quæ corã Deo ad perpetuam salutem ualet, qua & Tribunus & impij Iudæi carebant. Sed de iustitia ciuili, quæ & si non ualet coram Deo ad consequendam perpetuam salutem, tamen ualet coram eo ad consequenda præmia quædam huius ſeculi. Propter hanc enim solet Deus largiri honores, opes, potestates, sanitatem corporis, & alia huius sæculi dona, id quod Deus in hoc tribuno declarauit. Quia enim fuit uir ciuiliter iustus, concessit ei Deus honorem Tribunatus & multas alias dignitates in hoc mundo. Quare si quem æterna dona non inuitant ad sectandam ueram iustitiam, inuitent eum saltem corporalia huius sæculi dona, ut iustitiam ciuilem sectetur, quanq̃ qui uere pius fuerit, nõ hoc aget, ut in hoc mũdo præstans habeatur, sed ut uoluntati diuinæ obsequatur, quæ nõ solum iustitiã corã Deo sed etiam iustitiam coram mũdo seueriſſime requirit. Porro in tantis afflictionibus quæ Paulo cumulatim accidũt, nõ obdormiscit Dñs Deus noster. Sequenti enim nocte assistens ei Dñs ait: Bono aĩo esto Paule, ut enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. Ex hac diuina cõsolatione apparet Paulũ propter tribulationes subinde grauius incũbentes, uehementer tentatum & afflictũ fuisse. Primum enim captus fuit, deinde ad tormẽta raptus, hinc ad conciliũ productus. Adhæc palam in faciem percussus. Postremo tanto Iudæorum odio petitus, ut parum abesset quin discerperetur. Quem non mouerent tantæ simul irruentes afflictiones? quem non sollicitarent ad has cogitationes, q̃ aut Deus non esset, aut humanas tribulationes nõ respiceret, non curaret? cui item non iniicerent uarios scrupulos, & nõ in conscientiam penetrarent, tu ne solus sapies? tu ne solus beaberis? an hic populus Dei sanctus reiicietur, totũ concilium tibi aduersatur ac in te grassatur, & tu speras te adhuc bonam causam habere? Hæc certe homini huiuscemodi tribulationibus afflicto in mentem uenire solent. At uide mihi summam Dei clementiam. Hic enim confidentes & inuocantes eum, in necessitatibus nunq̃ derelinquit, unde & Paulo præsto adest & consolatur eum, q̃ & si Iudæi rumpantur, tñ non sint ipsum interfecturi. Sed sicut prædicauerit Euangelion in metropoli Iudæorũ quæ est Hierusalem, ita & prædicaturus sit Euangelion in metropoli totius orbis, uidelicet, Roma, urbe longe omniũ clariſſima. Hoc igitur exemplo confirmemus fidem nostram. Primum q̃ Deus respiciat & curet res humanas, etiamsi uideatur longe aliud agere. Deinde q̃ nõ despiciat cor contritũ & humiliatũ, sed quo quis afflictior est, & in afflictione Deum ex fide perseuerantius inuocet, eo præsentiori auxilio aderit Deus per Christum filium suum Dominum nostrum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CVI.



Vid post consolationem Paulo acciderit, nunc uestris additi precibus explicabimus. Facto enim die, collegerunt se quidam ex Iudæis & deuouerunt se dicẽtes, neq; esuros se neq; bibituros donec occiderent Paulum. Erant autem plures q̃ quadraginta (uiri) qui hanc coniurationem fecerant, qui accesserunt ad principes sacerdotũ & seniores populi,

„ & dixerunt eis: deuotione deuouimus nos ipsos nihil gustaturos, donec occi-
„ damus Paulum. Nunc ergo uos significate tribuno & concilio, ut cras producat
„ illum ad uos, tãq; aliquid certius cognituros de eo. Nos uero priusq; appropin-
„ quet parati sumus interficere illum. Quid hoc inquies? priori nocte apparuit DOMINVS Paulo & iussit eum bono animo esse, ac promisit ei liberationẽ de manibus Iudæorum, mox autem permittit ut clandestinæ insidiæ in Paulum ita struantur, ut appareat illum minime mortem euasurum? Quomodo hæc conueniunt cum consolatione & promissis Dei? Profecto minime dissentiunt. DOMINVS enim Deus noster, non ita suos consolatur, nec ita eis salutem promittit, ut nihil post hac aduersi in hoc sæculo sustinere ac nihil periculorum subire debeant, sed pocius ut ad maiores tribulationes sufferendas eos consolationibus & promissionibus præparet. In hũc enim usum positi sunt serui Dei, ut uelut aurũ igni probatur, ita ipsi uarijs subinde afflictionibus exerceantur. Sic Dauid ex una cruce liberatus, continuo grauiori subijcitur. Sic Christũ præhorrore mortis sanguineas guttas sudantem, cõsolat angelus, sed ea consolatione præparat ipsum ad maiora certamina. Quare non est mirum, q; & in Paulo, post cõsolationem diuinitus acceptam, sequantur multo graviores & periculosiores tentationes, quàm uere unq; antea. Audi enim obsecro facinus crudelissimum, quod Iudæi aduersus Paulum conantur. Nam cum non queant ipsum legittime occidere, struunt ei clandestinas insidias ut eũ uiolenter trucident. Etẽ plusq; q̃draginta uiri deuouẽt sese diris, anathematizãt se ipsos, ac extrema maledictione obnoxios reddunt, si quicquã commedant aut bibant, nisi prius Paulum obtruncassent, & quo id expeditius perpetrare queant, subornant pontifices, ut a tribuno impetrent quo Paulus iterum ad concilium producatur, & sic in itinere trucidetur. Quid immanius, quid atrocius, quàm te diris deuouere, si quicq; cõmedas & bibas, priusq; hominem innocentem interficias? Quid item magis insanum, quid magis temerarium, quàm ad euentum in manu tua minime positũ omnem humanum cibum tua ipsius deuotione tibi negare? Vide eñ quàm multa inter os & offam, quemadmodũ prouerbio dicitur, cadere possint, ut etiam si in manu tua habeas Paulum, non tamẽ queas ipsum occidere. Quid enim facias, si Tribunus ipsum fortiori manu tibi e manu tua extorqueat? quid si ipse Paulus subita morte interiret, aut diuina uirtute subtractus a conspectu tuo euaneseeret? quid si manus tua exaresceret? aut saltem febricula afficereris, ut non posses e domo tua egredi? nihil igitẽ perpetuo esurus aut bibiturus esses? Vide quãtum insanias. Quid ergo accidit tibi q; oblitus, nõ iam dico, uerbi Dei, sed cõmunis sensus a humanæ rationis, in tam abominandam conspirationem consentias? profecto in tam nefandam temeritatem conijcit hos latrones, aut extrema impietas, qua impij putant Deum non respicere, nec curare humana. Dicunt enim ut prophera inquit, quis uidet nos, & quis nouerit nos? Et iterũ. Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne uideat in finem, aut pertinax odium specie pietatis ac zeli diuini uelatum. Ait enim Christus, uenier tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo, aut impium studium placendi pontificibus & sacerdotibus. At quacunq; tandem causa illi hanc temerariam deuotionem & latrocinium susceperint, certe non simpliciter peccant, sed uno conatu uniuersam legem Dei, tam eam quæ requirit timorem Dei, quàm eam quæ requirit dilectionem proximi, preuaricantur, ac uere sese anathematizant, & perpetuis maledictionibus obnoxios reddunt. Quid ergo fit? num euentus conatui impiorum respondet? Nequaq;. Dixerat enim DOMINVS. Vt testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. Non autem consilium impiorum, sed consilium DOMINI stat. Et Salomon ait: Non est sapientia, non est

pruden-

prudentia, non est consilium aduersus DOMINVM. Videamus igitur quomodo horum impiorum latronum conatus cadat & confundatur. Cum audisset filius sororis Pauli insidias, uenit & intrauit in castra, nunciauitq; Paulo. Accersito autem Paulus ad se uno ex Centurionibus ait: Adolescentem hūc abduc ad Tribunum, habet enim quod renunciet illi. Et ille quidem assumens eum duxit ad Tribunum & ait: Vinctus Paulus accersitum me rogauit, ut hūc adolescentem perducerem ad te, habentem aliquid quod loquatur tibi. Apprehensa autem Tribunus manu illius secessit cum eo seorsum, & percontatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? Ille autem dixit: Iudæi conspirarunt ut rogarent te, uti crastino die educeres Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo, tu uero ne morem gesseris illis, insidiantur enim ei ex eis uiri plures quadraginta, qui seipsos deuouerunt, ne uel edant uel bibant donec interficiant eum, & nunc parati sunt expectantes ut promittas. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcepitq; ei ne cui effucias, inquiens, q̄ hæc indicaueris mihi. Primum omnium hic mihi consydera, q̄ occulta impiorum consilia & insidiæ minime maneant abscondita, sed dat Deus euentum ut prodantur & deprehendantur, quale est q̄ & hæ insidiæ Iudæorum manifestæ fiant. Quid igitur clam impia facinora moliris? quid scelera occulte meditaris? sperans te ea impune cōmissurum quia lates? At est Deus in cœlo qui omnia aspicit, qui & omnia reuelat, nec quicquam scelerum quantumcunq; abscondite perpetratorum impunitum sinit, nisi id per Iesum Christum expiatum fuerit. Deinde obserua quanta diligentia DOMINVS Paulum suum custodiat, quanta cura pro salute eius uigilet, quantam etiam dignitatem in medijs uinculis ei conferat. Hæc enim omnia DOMINI opera sunt, q̄ insidiæ Iudæorum ad nepotem Pauli emanent, q̄ nepos ad Paulum eas defert, q̄ Centurio mandatum Pauli, quamuis captiui, exequatur tamen, ueluti mandatum domini sui, q̄ Tribunus clementer & remotis arbitris adolescentem audiat, & prohibeat ei ne cui effuciat. Hæc omnia, inquam, DOMINI opera fiunt, ut significetur q̄ pro eius salute omnes creaturæ sollicitæ sint, de cuius salute DOMINVS Deus noster sollicitus est. Pro ijs autem maxime omnium sollicitus est, qui Verbum eius fide accipiunt. Proinde simus nos solliciti, ut fidem habeamus, tunc & Deum pro nobis sollicitum habebimus. Sed hic fortassis scrupulus alicui injicietur, qui fiat, q̄ cum Paulus habuerit promissionem Dei se incolumem Romam uenturum, mittat tamen nepotem suum adolescentem ad Tribunum, indicaturum ei insidias Iudæorum, & petiturum auxilium eius: Quid? timet ne a Iudæis occidatur, cum certum Verbum Dei habeat, q̄ non sit ab ipsis occidendus? Ac requirit quidem Deus, ut etiamsi certas habeas promissiones suas, non tamen ipsum temerario impetu tentes, sed propositis rebus utaris. Hoc autem uetat ne ad consequendum promissum re aliqua iniqua aut impia utaris. Iam cum Paulus imploret auxilium Tribuni, quid hoc aliud est q̄ quod petat, ut Tribunus gladio suo se ab aduersarijs suis uindicet. Vbi autem auxilium gladij imploratur, ibi etiamsi aduersariorum cædes non semper consequatur, tamen res ipsa in aduersariorum cædem ordinata est. Quid ergo dicemus? Ex eo quod Christus apud Matthæum capite quinto ait: Audistis quod dictum fuerit, oculum pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico uobis, ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram: & ei qui te uelit in ius trahere ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Ex hoc, inquam, uidetur quod Christiano non liceat implorare auxilium Magistratus rogati. Quid igitur est quod Paulus imploret auxilium Magistratus armati? An non & ipse Paulus ad Corinthios scribens: Iam quidem

An Christiano liceat Magistratus opē implorare.

omnino, inquit, delictum in uobis quod lites habetis inter uos inuicem? Si do cet iniquum esse ut Christianus publici iudicis auxilium in controuersia aduer sus proximum imploret, cur ipse implorat auxilium Tribuni contra suos aduer sarios? Vt ad hæc respondeam: Obseruandum est, quod cum Christus dicat: Ne resistatis malo. Et Paulus: Delictum est inter uos quod lites habeatis, non uetant iudicio iuxta ciuilium legum ordinationem contendere. Etenim magi stratus & leges ciuiles sunt ordinationes Dei, quomodo igitur non liceret Chri stiano Domini Dei sui ordinationibus uti? Et Magistratus, inquit Paulus, mi nister Dei est, tibi cui? certe Christiano (ad hos enim loquitur) in laudem ac bo num. Si ergo Christianus utens auxilio Magistratus & legum ciuilium, pecca ret, Magistratus potius ei ordinatus esset in dedecus & in malum quàm in lau dem & bonum. Quin & Christus ipse apud Pontificem Caiapham stans, & ala pa percussus ad publicum iudicium prouocat: Si male, inquiens, locutus sum, testificare de malo. Itaq; nec Christus nec Paulus tollunt usum publicorum iu diciorum & aliarum ordinationum ciuilium. Sed Christus cum dicit: Ne resi statis malo, reijcit falsam expositionem huius legis: Dentem pro dente, oculum pro oculo. Hanc enim legem sic interpretabantur, quod quia dicit lex, Den tem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede exiges, liceat unicuiq; iniurias sibi illatas priuatim uindicare, & si priuatus aliquid mali intulerit, liceat referre. si Magistratus inique de rebus nostris iudicauerit liceat uindicare, ut par pari referatur, & eadem mensura alijs remetiamur, qua alij nobis metiuntur. Hic autem est falsus huius legis intellectus: pertinet enim ea lex non ad priuatos homines, sed ad Magistratus, ut sceleratos & falsos testes pro mensura delicti sui puniant, priuatis autem minime licet seipsos uindi care, & pro suo arbitrio in iniurijs par pari referre. Hoc enim est quod dicit Chri stus: Ne resistatis malo, hoc est, nemo seipsum priuata temeritate, uindicet, nec ullus iniuria affectus siue priuatim extra iudicium, siue publice in iudicio iniu riam referat. Porro autem auxilium iudicis aduersus iniuriam proximi iuxta leges ciuiles implorare per se non est, nec seipsum uindicare, nec iniuriam refer re, sed est legittima Dei ordinatione uti & ius persequi. Proinde Christus non prohibuit auxilium iudicis implorare. Nam si quis hoc uerbum, Ne resistatis malo, ita intelligat, quod plane omnia mala ita ferenda sunt, ut nullo modo li ceat ea excutere, uide obsecro quid consectaneum sit? Neq; enim licebit Magi stratui pro ratione suæ uocationis resistere furibus & latronibus, non licebit pa trifamilias pro sua uocatione resistere sceleribus familiæ, non licebit Ecclesia stæ pro ratione sui officij resistere impietatibus eorum, qui uidentur esse de Ec clesia, non licebit lupos uel alias malas bestias nobis mala inferentes abigere, nõ licebit ut aliquid ridiculi addam, pediculos de capite nostro abijcere, id quod & si auditu ridiculum est, testantur tamen Eremitarum legendæ (quas uocant) Ere mitam quendam adeo superstitiosum fuisse, ut pediculos a se minime abiecerit, sed permiserit ut carnem eius deuorarent, illud Euangelicum allegans, Ne resi statis malo. Verum hoc non fuit Euangelicum, sed plane phantasticum. Postre mo si ita peruerse, dictum istud. Ne resistatis malo, intelligas, nulli hominum licebit precibus suis resistere malo, nec dicere ad patrem nostrum qui est in celis, libera nos a malo. Quæ autem esset hæc rerum omnium inuersio? quæ iniqui tas? Quare dictum Christi ita intelligas q priuatam ultionem & iniuriæ retali ationem, nõ autem legittimum publicorum iudiciorum usum prohibeat. Et hęc pars legis de nõ referenda iniuria non fertur nunc recens Christianis, sed in uni uersum omnibus antea per Mosen lata fuit, quam q Pharisæi suis eam, traditi onibus obscurauerint. Cæterum quod Paulus scribit: Iam quidem omnino de

lictum

lictum in uobis est, ꝙ lites habetis inter uos inuicem, non sentit ipsam forensem disceptationem per se peccatum esse, quandoquidem concedat eam coram arbitris, sed sentit eam litigationem argumentū esse multorum uiciorum, quæ inter Corinthios existant: nec dicit legum ordinationes esse peccata, sed reprehendit ea delicta, quæ frequenter in usu harum ciuilium ordinationum perpetrari solent. Qui enim in iudicijs litigant, hi solent inuidere, calumniari, conuiciari, mentiri, falsa testimonia dicere, pessima quæuis aduersus proximum commemorare, & exaggerare, iudicia corrūpere, & iniustam causam iustissimam contendere. Hæc sunt delicta, quæ faciunt contentionem forensem malam. Depone autem hæc uicia & inquire simpliciter ac candide iusticiam aut iniusticiam causæ tuæ, tunc licebit tibi bona conscientia hac ciuili ordinatione uti. Puris enim omnia sunt pura. Proinde cum liceat Christiano uti ciuilibus ordinationibus, non iniuste facit Paulus, ꝙ implorat auxilium magistratus armati contra aduersarios suos, qui tamen quod ad affectum suum attinebat, pro persecutoribus suis non solum orabat, uerumetiam anathema esse a Christo optabat, modo ipsi salutem consequerentur. Et hoc est uere Christianum pectus, quod ita iure ciuili utitur, ut tamen nulli iniuriam inferat, sed magis bona pro malis referat. Quod ut & nos faciamus, largiat obsecro nobis Iesus Christus DOMINVS noster, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula amen.

HOMILIA CVII.

QVas insidias Iudæi aduersus Paulum moliti sunt audiuimus. Nunc audiamus quomodo Paulus ab his insidijs diuina clementia seruatus est. Postquam enim tribunus ex nepote Pauli cognouit Iudæorum conatus. Accersitis duobus quibusdam Centurionibus dixit, parate milites ducentos, ut eant Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos a tercia hora noctis, & iumenta præbete, ut impositum Paulum saluum perducant ad Felicem præsidem scriptis literis in hanc formam. Claudius Lysias, optimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum a Iudæis, cum eum iam interfecturi essent, superueniens cum exercitu eripui, ubi cognoui, quod Romanus est, uolensq; scire causam quam obijciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, necq; crimen ullum habere dignum morte aut uinculis. Cum autem ad me perlatum esset de insidijs quas parauerant illi, misi eum ad te denuncians & accusatoribus, ut si quid aduersus eum habent, dicant apud te, uale. Si quis rerum diuinarum imperitus aut incredulus fuerit, & legat hoc quanta prudentia Claudius tribunus ordinarit ut Paulus clam & noctu multis militibus & equitibus comitatus ac munitus ex insidijs Iudæorum seruetur, & saluus ad præsidem Felicem perducatur, protinus exclamabit, quid tu affirmas Paulum diuina clementia seruatum quando res ipsa manifeste indicat eum pocius seruatum esse prudentia Tribuni & potentia militum atq; equitum? Profecto Paulus necesse habuisset diu expectare legionem Angelorum de cœlo, quorum auxilio a Iudæis tutus fuisset, nisi tribunus hic strenuum uirum egisset. Hæ sunt impiorum uoces, qui decepti externa rerum larua non uident abscondítum opus Dei. Nos igitur qui uerbo Domini eruditi sumus, quod nec unus passerculus in terram sine patre nostro cadat, & quod omnes capitis nostri pili numerati sint, sentiamus, quod & si tribunus multa prudenter agit, & potenti militum ac equitum manu Paulum ad Felicem mittit, hæc tamen omnia

ſola prudentia & potentia Dei adminiſtrantur. Nam quod DOMINVS ſolus ſuos in ipſum confidentes non uiribus humanarum uirtutum, ſed uiribus cœleſtibus ac angelicis ſeruet, multis adeo miraculis adprobauit. Cum patriarcha Iacob rediret e Meſopotamia ad patriam ſuam, & ſciret fratrem ſuum Eſau ipſi infenſiſſimum eſſe, nullum hominem habebat qui ipſum & familiam eius inermem a uiolentia fratris tutaretur. Quid igitur fit? ut manifeſtaretur pios a ſolo Deo defendi, fuerunt Iacob in itinere angeli Dei obuiam, ita ut ipſe Iacob exclamaret: Caſtra Dei hæc ſunt. Vide & mihi patriarcham Lothum. Hic cum habitaret in Sodomis, & a ciuibus ſuis ad mortem quæreretur, ab angelis ereptus fuit, & ciues cæcitate percuſſi, fores domus inuenire nequierunt. Quid dicam de propheta Eliza? qui cum eſſet derelictus ab hominibus, cœleſti circundabatur exercitu. Scriptum enim eſt: Aperi oculos pueri huius ut uideat quia plures nobiſcum ſunt quàm cum illis. Et uidit totum montem curribus & equitibus plenum. Vnde in Pſalmo dicitur: Immittet angelos DOMINI in circuitu timentium eum & eripiet eos. Et iterum: Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Quin & Chriſtus ad Petrum dicit: An non putas q̃ poſſum iam rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus q̃ duodecim legiones angelorum. Ex his tum miraculis, tum teſtimonijs ſcripturæ habes, q̃ DOMINVS Deus noſter confidentes in ipſum, qui ſoli coram eo iuſti reputantur, ſuo ſolius auxilio, hoc eſt, præſidio angelorum ſuorum ſeruet ac defendat. Hæc enim eſt uera miraculorum ratio, q̃ ſemel aut iterum manifeſte reuelent ea, quæ Deus ſemper abſcondite operatur. Nonne cibamur & fouemur pane? ſed quod Deus ſemper nos ſub pane abſcondite cibet ac foueat, reuelatum eſt miraculis in Moſe & Chriſto, quorum uterq̃ quadraginta diebus & noctibus abſq̃ cibo & potu diuinitus nutritus eſt. Nonne a morbis uarijs medicaminibus liberamur? Sed quod Deus ſemper ſub larua medicaminum agit, hoc miraculis palam fecit dum multi per Chriſtum & Apoſtolos uerbo tantum ſanati ſunt. Sic & his miraculis quibus reuelatum eſt angelos circũdare ueluti exercitum iuſtos, comprobatur, quod quandocunq̃ ſeruatur iuſtus, ſola diuina potentia & clementia ſeruetur. Proinde abſit a nobis hæc impietas, ut ſentiamus Paulum hoc loco non diuina potentia, ſed tantum humana prudentia ſeruatum eſſe. Neq̃ enim id ſolum quod ſeruatur ab inſidijs Iudæorum, potentia Dei eſt, ſed etiam id quod Tribunus tanta ſollicitudine pro ſalute Pauli affectus eſt, & quod hoc Tribuni conſilium ad Iudæos non emanet, & quod Paulus comitatu equitum & peditum ſaluus ad Felicem perducitur, hæc inquam omnia fiunt potenti beneuolentia Dei in Paulum. Etenim niſi Deus Tribuni animum in hanc curam inclinaſſet, putas ne quod Ethnicus tantum ſollicitudinis in uirum ab omnibus derelictum & inuiſum impendiſſet? Exiſtimas ne niſi deus hoc Tribuni conſilium de auehendo Paulo contexiſſet, quod non emanaſſet ad Iudæos? quando iam inter uiros pene quingentos qui futuri erant comites Pauli, ſparſum erat & inſidiæ Iudæorum paulo pluribus quadraginta tantum cognitæ erant, emanauerunt tamen ad Tribunum. Sed nec hoc abſq̃ potentia Dei factum eſt, quod Paulus his comitibus tutus eſt perductus ad Felicem, quando, niſi Deus Paulum ſeruaſſet, in hoc comitatu aliquis inuentus eſſet, qui pecunia a Iudæis corruptus Paulum clam interfeciſſet, aut totus comitatus a maiori Iudæorum multitudine trucidari potuiſſet. Quocunq̃ igitur reſpicias, certe reperies Paulum ſola diuina potentia & clementia ſub horum militum & equitũ larua ſeruatum ac defenſum fuiſſe. Vis ergo et tu in aduerſis tuis a Deo ſic potenter & clementer defendi? age, imitare exemplum Pauli, qui ponebat ſibi ob oculos fidei ſuæ Verbum promiſſionis diuinæ, quod Deus uelit

Iuſtos ſola diuina potentia ſeruari.

ipſum

ipsum incolumem ad Romam perducere, quemadmodum supra demõstratum est, & huic uerbo fidem adhibebat, etiamsi uidebat totum concilium Iudæorum in perniciem ipsius conspirasse. Proinde capesse & tu uerbum promissionis diuinæ, & fide concepta ac ea perseueranter conseruata, præsentissimum auxilium & defensionem Dei senties. Cæterum Paulus non solum diuina clementia per Tribunum ab insidijs Iudæorum seruatur, sed etiam ab omnibus criminibus per eum excusatur, sitq; uir Ethnicus innocentiæ Pauli testis. Sic enim scribit Claudius in Epistola quam de causa Pauli ad Præsidem Felicem mittit. Volens, inquit, scire quam ob causam accusarent illum Iudæi, deduxi eum in concilium eorum, quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimen. Honestum hoc est testimonium, quale etiam antea contigerat Iesu Christo a Pilato & Centurione. Ac monemur nos his exemplis, si uere pietati operam dederimus, non metuamus calumnias & falsas accusationes. Deus enim in tantum non sinit innocentiam nostram latere, ut si omnes alij tacuerint, inimicos certe nostros, & eos de quibus ne tantillum quidem beneuolentiæ sperabamus, excitabit, qui de innocentia nostra testimonium laturi sunt. Sed agite nunc audiamus quàm saluus perductus sit Paulus ad Felicem. Milites uero, inquit, iuxta quod sibi iniũctum erat, receptum Paulum, duxerunt eum per noctem Antipatridem. Postero autem die dimissis equitibus, ut cum eo irent, reuersi sunt in castra. Qui cum uenissent Cæsaream ac tradidissent epistolam præsidi statuerunt coram eo & Paulum. Cum legisset autem præses & interrogasset ex qua prouincia esset, & cognouisset quod ex Cilicia. Audiam te (inquit) cum accusatores quoq; tui aduenerint, iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum. Quis fuerit is Felix ad quem perducitur Paulus, fortassis non est superuacaneum hoc loco obseruare. Tradunt igitur Scriptores hunc Felicem fuisse libertum Claudij Cæsaris, sed quem Cæsar tanta beneuolentia complexus sit, ut ipsum cohortibus & alis prouinciæq; Iudææ præponeret. Et commemoratur unus ex his libertis, quibus Cæsar adeo se addixerat, ut non principem sed ministrum egerit. Iam & ad tantam amplitudinem eum peruenisse scribunt, ut factus sit trium reginarum maritus, quarum una fuit Drusilla filia regis Agrippæ, cuius postea mentio fiet. Hæc primum desponsata fuit filio regis Comagenensis. Deinde nupta est Aziazo regi Amazonum. Sed cum pauco tempore post nuptias cum hoc marito uixisset, blandicijs & promissis a Felice persuasa, dereliquit uirum suum & nupsit Felici. Nec hoc tantum scelus designauit in Iudæa Felix, inflatus nimirum rerum fœlicitate, & Cæsaris fauore, sed alia quoque crimina aduersus Iudæos commisit, propter quæ Iudæi ipsum coram Nerone Claudij successore accusarunt. Attamen quantumcunq; alioqui sceleratus fuerit, tamen hoc loco uirtus quædam ciuilis in eo commemoratur. Dicit enim ad Paulum: Audiam te cum accusatores quoque tui aduenerint, hoc est, non condemnabo te inauditum, nec altera tantum parte audita iudicabo, sed audio simul ambas partes. Vides sceleratum Ethnicum hanc uirtutem præstare, ut liberum sese utrique parti seruet, quãto magis a Christianis requiritur, non solum iudicibus, sed omnibus quoq; priuatis, ne quenquam inauditum condemnent. Immane autem quãtum ab hac uirtute, nos qui Christiano nomine censemur, absumus. Omnia enim plena sunt inter nos oblocutionibus, detractionibus, conuicijs & maledictis, quæ hinc adeo proueniunt, quod ea quæ uanissimus quisq; nebulo, aut compotor aliquis de uiris quantuncunq; honestis sparsit, tanq; oracula arripiamus & nondum nec auditos, nec conuictos apud nos metipsos condemnemus. Quid hoc scele-

Suetonius

Ioseph.

re potest esse inter Christianos turpius? quid supplicio dignius? Vult Christus, ut iustitia Christianorum abundet plusq; scribarum & Pharisæorum, quod si non fiat, pronunciat nos non posse ingredi in regnum celorum, quanto magis a regno cœlorum excludimur, si nec eam uirtutem præstemus quam uidemus hoc loco hominem Ethnicum præstitisse? De uerbo ocioso reddenda erit Deo ratio, & tu putas te impune laturum, tot calumnias quas de innocentibus, aut falsis inauditis subinde spargis? Cum homines ante diluuium turrim Babylonicam ex impia arrogãtia ædificarent, DOMINVS Deus noster quamq; omnia in conspectu suo præsentissima habeat, tamen noluit eos condemnare nisi prius descenderet ac uideret turrim quam ædificabant filij Adam. Rursus, cum Zodomitæ grauissime peccarent, ita ut fama scelerum usq; ad cœlum pertingeret, non tamen credidit DOMINVS famæ, sed dixit, descendã & uidebo, utrũ clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint an non, & tu tantę impudentiæ es, ut audeas ad incertissimę famæ rumusculum de proximo tuo iudicare, necid solum, sed & condemnare. An nescis, quid Christus omnibus suis discipulis dicat. Nolite condemnare, ne condemnemini. Quo em̃ iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis, & qua mensura metimini, ea mecientur uobis alij? Et charitas non cogitat malum de proximo, etiamsi audiat, non cogaudet de iniusticia nec spargit eam in uulgus, sed intercedit pro eius remissione apud Deum. Ne igitur, tu ipse iudicio diuino condemneris, da operam, ut proximum tuum charitate cõplectaris per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula amen.

CAPVT XXIIII.

HOMILIA CVIII



TERVM INSTANT CALVMNIA
tores, iterum urgent homicidæ ut sanguis innocentis effundatur, ac tanto ardore sanguinem Pauli sitiunt, ut qui ante in concilio fuerant iniquissimi iudices, nunc coram Præside Felice fiant mendacissimi accusatores. Post quinq; enim dies descendit princeps Sacerdotum Ananias cum senioribus, & Tertullo quodam Oratore, qui adierunt Præsidem contra Paulum. Vide obsecro, ut nihil plane intentatum relinquunt impij illi nebulones quo Paulum opprimant. Nam principio quidem egerant rem suam uiolentia, quando Paulum e templo traxerant & occidere parauerant. Deinde cum hoc non successisset, adoriuntur eum specie legitimi concilij ac iudicij. Sed cum nec sic mentis suæ compotes fierent, coniurationibus, astu & insidijs in uitam Pauli inhiant. Cum uero & insidiæ detegerentur, & Paulus seruaretur, conantur tandem authoritate & eloquentia impetrare, quod tot ante consilijs efficere non potuerunt. Nam ut & festinatione grauitas causæ demonstraretur, mox post quinque dies, quàm Paulus ad Felicem missus erat, descendit ad Cæsaream. Quis? ipsemet princeps Sacerdotum Ananias, uidelicet, ut præsenti sua authoritate & dignitate, moueret præsidem ad opprimendum Paulum. Et quo Pontificis authoritas maiorem rationem apud Præsidem haberet, descendit non solus, sed cum Senioribus, cum uenerando senatu Hierosolymitano.

Iam

Iam quo & hæc plus commendaretur, adducunt etiam secum oratorem nomine Tertullum, nimirum, ut authoritati adderent eloquentiam, & uel tandem his armis Paulum opprimerent. Audiamus igitur orationem Tertulli, qua nomine totius gentis Iudaicæ Paulum accusat. Et citato Paulo (inquit Lucas) cœpit accusare Tertullus dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa recte gerantur in populo hoc per tuam prouidentiam, & semper & ubiq; suscipimus id optime Felix cum omni gratiarum actione. Hoc est proœmium orationis Tertulli, in quo primum captat beneuolentiam a persona præsidis, dum commendat eum a recta & prudenti administratione præfecturæ suæ. Quanquam autem Felix multa crudeliter & tyrannicõs in Iudea gesserit. Etenim cum admoneretur a pontifice Ionathan, ut daret operam pietati & clementiæ, impatiens admonitionis, subornat latrones qui clam absconditis gladijs, ipsum in urbe Hierusalem interficerent. Cunq; mors eius inulta maneret, Sicarij sumpta audacia ex impunitate quos, deinceps uolebant, trucidabant, non in ipsa urbe solum, sed etiam in templo. Ad quas cædes conniuebat Felix. Cæsareæ quoque missis militibus suis, multorum diuitum domos expilauerat, alia q; plura scelera designauerat, propter quæ & Romæ tandem a Iudæis coram Nerone accusatus fuit. Hæc (inquam) & alia, & si ingentem Iudaicam crudeliter commiserit, tamen proœmium Tertulli, in quo Felix commendatur a prudenti administratione prouinciæ suæ, nec omnino falsum nec ineptum est. Nam ut maxime ad Sicariorum cædes in urbe Hierusalem & uicinia eius conniueret, tamen multas alioqui seditiones Magorum & pseudoprophetarum, seducentium populum Iudaicum prudenter opprimebat. De qua re plura in Iosepho rerum Iudaicarum scriptore commemorantur. Adhæc quoties oratores huius sæculi principes laudant, non semper illud hoc consilio faciunt q; significent principes ijs uirtutibus quibus eos commendant præditos esse, sed ut improbis uirtutis imaginem proponant, qua sub laudandi prætextu admoneantur & emendentur. Nec est ocioſum cohortandi genus, si magistratui magna ex parte ea iam decora tribuas ad quæ prouocas. Nam si crudelem commendaueris a clementia non ne, nisi plane sensus communis expers fuerit, eo ipso intelliget sibi uerecunde admodum exprobrati crudelitatem & admoneri ad clementiam? Si inuiolento & rapaci laudas moderationem & benignitatem, nonne eo ipso sentit se ad has uirtutes uocari? Proinde haud inepte pro sæculi huius more commendat Tertullus iusticiam & prudentiam Felicis in administrando principatu suo. Proponit enim in eo imaginem officij boni magistratus. Siquidem boni magistratus interest curare, ut publicus regionis status in tranquillitate & pace constet. Hoc autem fieri non potest nisi mali puniantur & boni defendantur. Vnde & Paulus Romanis de magistratu scribens. Dei, inquit, minister est, tibi in bonum. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est ultor ad iram, ei qui quod malum est fecerit. Deinde captat Tertullus beneuolentiam etiam a suis ipsorum personis. Cum dicit suscipimus id semper & ubiq; cum omni gratiarum actione. Et explicat his uerbis officium subditorum. Nam cum Magistratus sit ordinatio diuina, qua Deus nobis pacem & omnia bona pacis tribuit, requiritur, ut pro tanto beneficio grati simus, & Deo pro Magistratibus gratias agamus, ac salutem ipsorum Deo commendemus. Sunt enim immensa bona quæ nobis etiam per iniquos & impios Magistratus contingunt: & præstat habere crudelissimum tyrannum quàm nullum Magistratum, id quod uerum esse docent populares seditiones & bella intestina. Quin & exemplum sub hoc Felice in Hierusalem exhibitum idem comprobat. Is enim conniuebat ad scelera Sicariorum, hoc est, non agebat Magistratum in Hierusalem,

non defendebat bonos, nec cohercebat malos. Quid ergo factum est? Sicariꝰ clara luce in media urbe, immo & in ipso templo homines trucidabant, & cum Iudæi festis diebus pro solenni more ad Hierusalem conuenirent, necesse habebant etiam ab amicissimis sibi cauere, sic uidelicet alter in alterum grassabantur, quia qui magistratum gerebat, non agebat magistratum. Proinde qualiscunque magistratus contigerit, gratiæ Deo ex fide agendæ sunt. Sic enim fiet ut etiamsi magistratus iniquus sit, cedat tamen nobis diuina prudentia in bonum.

» Procœmium sequitur transitus ad accusationem unà cum ipsa accusatione. Sed
» ne diutius te detineam, oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate, nacti ẽm
» sumus uirum hunc pestiferum, & concitantem seditionem omnibus Iudæis in
» uniuerso orbe, & authorem sectæ Nazarenorum, qui etiam templum propha-
» nare conatus est. Hic mihi, obsecro te, uide, cꝫ inique sit in hoc mundo compa
ratum. Pontifex Ananias, sacerdotes & pharisæi authores sunt sua impietate omnium malorum quæ super gentem Iudæorum euenerunt. Paulus autem & alij Apostoli ministri erant perpetuæ salutis, & authores erant cꝫ Iudæa non statim post occisum Christum deuastaretur, uidelicet, ut haberent interim spacium prædicandi Euangelij, & dilatandi regni Christi: attamen audis Paulum hoc loco tanquam omnium malorum authorem accusari. Nacti, inquiunt, sumus hũc uirum pestiferum (hoc est) tam sceleratum, ut propter ipsum tota regio ueluti peste quadam contaminetur ac inficiatur. Quis non dicat cœlum terræ misceri & omnia inuerti? Qui sunt salutis ministri, audiunt omnium malorum authores. Qui uero sunt malorum authores, hi audiunt pene saluatores & liberatores. Necꝫ hoc dissimulauit ipse Paulus ad Corinthios ita scribens. Facti sumus uelut peripsema & pericatharmata, hoc est, piacula huius mundi. Sunt autem catharmata seu piacula, quæ solebant solui pro immani scelere, quo tota rerum natura polluí, unde agros sterilescere, segetes corrumpi, turbari res publicas, deuastari regiones credebatur. Hoc igitur uocabulo significat Paulus se tales haberi, ut existiment homines per ipsos totam rerum naturam contaminari, nec mundum posse subsistere, nisi ipsis extinctis, cum interim hi qui sua impietate omnis internitionis authores sunt, habeantur pro columnis huius sæculi. Quid ergo? num quia Deus hunc inuersum rerum cursum nõ mutat, approbat? Minime, sed connìuet usqꝫ ad suum tempus: primum, ut hac longanimitate impios ad pœnitentiam inuitet. Deinde ut pios aduersis exerceat. Postremo ut significet se pijs longe meliorem fœlicitatem parasse cꝫ eam quæ est huius sęculi. Proinde nemo offendatur hac rerum iniquitate, sed potius confirmet fidem suam, cꝫ eo amplior gloria ipsi parata sit, quo turpiori ignominia in hoc sæculo notatur. Q, uero in accusatione sua addunt Paulum concitare seditionem inter Iudæos, & esse authorem sectæ Nazarenorum, ac conatum esse prophanare templum, ad hæc quantum satis est respondebit Paulus in sua apologia, quæ mox sequitur. Nos igitur his intermissis, uideamus quibus testibus hi suam accusationem confir-

Iniquitas mũdi erga ministros euãgelij

» ment. Sic autem ait Tertullus. Quem & apprehensum, uoluimus secundum
» legem nostram iudicare, sed superueniens Tribunus Lysias cum magna ui, eri-
» puit eum e manibus nostris, iubens accusatores eius ad te uenire, ex quo pote-
» ris ipse inquisitione facta, de omnibus istis cognoscere de quibus nos accusa-
» mus eum. Quid potest dici impudentius? Tribunum testem criminum Pauli producunt, qui ante fuerat innocentiæ eius testis. Sed huic impudentiæ aliam iniquitatem addunt.
» Nam adduxerunt secum Iudæos quosdam honestate uenerabiles, qui adiecerunt, dicentes ita se habere. Atque ita simi-
» les habent labra lactucas. Quales sunt accusatores, tales sunt & testes, nimirum impij, impudentes, mendaces, homicidæ, & si quid est his sceleratius.

Quid

Quid obsecro his testibus in mentem uenit, q affirmant Paulum conatum esse prophanare templum, cum cõpererint eum in templo purificatum, hoc est, obseruatione cæremoniarum Iudaicarum templum sanctificantem, pocius quam prophanantem. Sed inuidia extorquet hoc falsum testimonium. Atq tolerabile esset, ut tale scelus tantum in hac gente perpetratum fuisset. Nunc uero, o tempora o mores. Cõsuetudo dicẽdi ex inuidia & odio falsa testimonia aduersus proximum, usq adeo uulgata est, ut prope modum ob consuetudinem non reputetur ab hominibus in peccatum. Ergo ne frustra dicit DOMINVS in lege sua, nõ dicas falsum testimonium aduersus proximum tuum: Scilicet lex DOMINI sermo est ardelionis. Sed audi quid addat spiritus sanctus. Maledictus, inquit, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit, & dicet omnis populus amen. Quid autem est maledictum esse? Profecto nihil aliud est, q & corpore & anima ita dãnatum esse, ut nec in hoc seculo nec in futuro, quicq felicitatis habeas. Nam ut intelligas, q seuere DOMINVS in eos animaduertere uelit, qui falsa dicunt testimonia aduersus proximum, testificatus est, tan q signo quodam, hac corporali pœna, quã in lege Mosi, falso testi irrogat, sic inquiens, cum Iudices inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manũ pro manu, pedem pro pede exiges. Hoc corporale supplicium, pronũciat spiritus sanctus in iudicio humano aduersus falsum testem, nõ quia hoc supplicio tantum scelus satis expietur, sed ut tantum signo quodã declaret, quãta seueritate DOMINVS in suo ipsius iudicio hoc scelus uindicaturus sit. Etenim si Ananias & Sapphira, quorum supra facta est mẽtio, aduersus seipsos tantum mentientes, dicuntur mẽtiri spiritui sancto & repentina morte perierũt, quid nõ horrendi supplicij hos manet, qui aduersus proximũ mentiũtur: Quare amicissimi, deposito mendacio testificemini quisq de proximo ueritatem, ut & uos habeatis testimoniũ in cœlis, q sitis ab omnibus uestris peccatis purgati ac sanctificati per Iesum Christum DOMINVM nostrum qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula. AMEN.

HOMILIA CIX.

Rœbuit Felix attentas aures accusatoribus Pauli, ac testibus eorum, nunc præbet quo q, pro ut ratio iusticiæ postulat, benignas aures apologiæ Pauli. Respondet autem Paulus, cum annuisset ipsi præses ut diceret. Aequiore animo pro meipso causam dico, cum sciam te multis iã annis iudicem fuisse genti huic. Hoc est apologiæ procœmium, in quo Paulus captat beneuolẽtiã a persona iudicis, quem commendat a prudentia ac rerum experientia. Cum enim multis annis fuerit præses ac Iudex rerum Iudaicarum, uerisimile est, q collegerit tot annis magnam peritiam consuetudinum & quæstionum Iudaicarũ. Multo enim tutius est causam agere apud iudicem rerum peritum, quàm imperitum, quippe q imperitus facile fallatur. Proinde haud immerito gratulatur sibi Paulus, q nactus sit peritum iudicem. Cæterum cum commendet peritiam in iudice, explicat etiam quod sit iudicis officium, nimirum, q debeat esse gnarus earũ rerum quæ in iudicium ueniunt, & in personis quidem cæcus esse, in rerum aũt cognitiõe oculatissimus. Sed dices, an non Paulus probe sciebat hũc Felicẽ esse alienarum nuptiarum prophanatorem, & tyrannum, quid igitur sibi uult hæc adulatio, q apostol⁹ ueritatis obtegit scelera iudicis, & tm uirtutũ eius meminit?

Cur non pocius tali proœmio utitur. Impijſſime adulter, & crudeliſſime tyrãne, audiuiſti æquis auribus accuſatores, audi nunc apologiam meam. Sed quis tale proœmium in reo, quam uis apoſtolo probaret? Nam aliud eſt officium rei corã iudice ſtantis, aliud apoſtoli auditorẽ docentis. Officium enim rei eſt, animũ iudicis ſibi conciliare, non contumelioſis cõuicijs irritare. Siquidẽ uulgare eſt prouerbium. Stultus eſt qui cum uelit aues capere, fuſtes inter eas proijciat. Sic enim pocius abigit, q̃ captat aues. Multo ſtultior eſt, qui cum beneuolum iudicem habere deſideret, uirulentis conuicijs eum laceſſit. Paulus autem citatus eſt hoc loco ad Felicem, non ut apoſtolus ad auditorem, ſed ut reus ad iudicem. Quare q̃ beneuolentiam iudicis captet a pericia eius, nõ eſt adulatio ſed prudentia & officium, quod reus præſtare debet. Cum autem poſtea Felix priuatim ad ſe uocat Paulum, ut audiat ab ipſo fidem in Ieſum Chriſtum, ibi tum Paulus, quia non ut reus ad iudicem, ſed ut apoſtolus ad auditorem uocabatur, uere agit apoſtolũ, & diſputatione ſua de caſtitate & inceſtorum, quales erant Felix & uxor eius Druſilla, ſupplicijs, tantum terrorem Felici iniijcit, ut præ ſtupore non potuerit ei amplius aures prębere, ſed de hac re poſtea. Nunc poſt proœmium audiamus

» narrationem, & defenſionem. Potes enim cognoſcere, q̃ non plus ſunt, quam
» duodecim dies, ex quo aſcendi adorare in Hieruſalem, & neq̃ in templo inuene
» runt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neq̃ in Syna
» gogis, neq̃ in ciuitate, neq̃ probare poſſunt tibi de quibus nũc me accuſant.

Hæc eſt primi criminis Paulo obiecti depulſio. Accuſatus enim fuit, q̃ ſit uirpeſtifer, & concitans ſedicionẽ omnibus Iudæis in uniuerſo orbe. Hoc igitur crimen negat Paulus. Aſcendi (inquiens) in Hieruſalem non ad concitandam ſedicionẽ, ſed ad adorandum Deum. Q̃ enim non aſcenderim ſedicionis cauſa, hinc cognoſcibile eſt quia non inuenerunt me, neq̃ in templo cum aliquo diſputantem, aut concurſum turbæ facientem, neq̃ in Synagogis, neq̃ in ulla alia parte urbis Hieruſalem, neq̃ poſſunt teſtimonijs probare hæc crimina quorum me accuſant. Hic iterum Paulo obijci poſſet. Quid tu tam ſollicite accuſationẽ aduerſariorum reuellis, & oſtendis eos mendaces: an neſcis a Chriſto tuo dictum eſſe. Ne reſiſtatis malo. Sed quiſquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram: an non & tu ipſe Corinthios tuos docuiſti. Cur non pocius iniuriam patimini? Cur non pocius damnum accipitis, uidelicet, quam ut ſuſtineatis ſub iniuſtis & infidelibus iudicari? Nonne totidem uerbis tibi reſponderi poſſet, cur tu non pocius pateris, ut habearis peſtifer & ſedicioſus quã ut mendacium in accuſatores regeras, & ſub infideli Felice iudiceris? De hac re non nihil ſupra diximus, quando id explicabamus, q̃ Paulus propter inſidias Iudæorum, petebat auxilium magiſtratus armati, ſed & nunc pauca de hoc loco: Ne reſiſtatis malo, dicemus, ut eo manifeſtius fiat, quid ſibi Chriſtus hoc dicto uelit. Hoc enim ſimpliciter ita intellígendum eſt, q̃ nulli priuata ſua temeritate & cupiditate, abſq̃ uocatione Dei liceat malo reſiſtere. Sed quæcunq̃ mala nobis acciderint, æquo animo ferẽda ſunt: ubi uero accedit uocatio Dei, ad reſiſtendum malis, ibi non ſolum licet, ſed etiam neceſſe eſt, malo reſiſtere. Vocatio enim Dei pertinet ad primum pręceptum. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde, & illi ſoli ſeruies. Non reſiſtere autem malo pertinet ad alia pręcepta, uidelicet: non occidas, uel non fureris. Primum uero pręceptum, eſt metrũ & regula omnium aliorum pręceptorum in decalogo. Quare, etiamſi aliquid in poſterioribus pręceptis prohibitum eſt, & diuerſum a Deo poſtea mandatur, tunc ceſſe habemus iuxta primum pręceptum Deo obedire. Nonne mandatũ eſt, ne occidas: ac cum Deus pręciperet Iſraelitis, ut Cananæos occiderent, neceſſe erat, ut uocationi Dei obedirent. Sic unicuiuis mandatum eſt, ne reſiſtat malo: ſed ſi

Quatenus reſiſtendum malo.

certa

certa uocatio Dei aliud iusserit obediendum est. Videamus igitur aliquot certas uocationes Dei quibus præcipitur unicuiq; uocato, pro ratione suæ uocationis malo resistere. Magistratus est qui certo iure Rempub. administrat. Quatenus igitur magistratus est priuatus homo, non licet ei uindictam exercere & malo resistere, sed quatenus habet uocationem Dei & officium, q; debeat malos punire, certe requiritur ab eo ut malis resistat. Similiter Ecclesiastes est qui uerbum Dei Ecclesiæ adnunciat. Huic autem ut priuatæ personæ nõ licet crimina hominum traducere, sed ut uocato ad munus Ecclesiasticum non solum licet, sed etiam necesse est impietatem hominum arguere, hoc est, pro ratione suę uocationis malo resistere. Quid dicam de patrefamilias? qui & ipse iuxta priuatam suam personam non debet uindictam exercere, sed quia est paterfamilias, uocatur a Deo ut familiæ suæ mala pro ratione & modo suæ uocationis haud quaquam toleret, sed uindicet ac puniat. Ab his nunc descendemus ad explicãdam rationem accusatoris & accusati coram iudicis. Ac primum de accusato. Hic quidem quod ad priuatam suam personã attinet, nõ debet accusationi resistere, sed eam æquo animo ferre. Sed quia iubetur a Magistratu aut legibus causam suam agere, habet uocationem Dei, q; debeat mendacia aduersariorum refellere & ueritatem testari. Recte igitur Paulus & ex uocatione Dei ait, q; iussus a iudice dicere, mendacia eorum qui ipsum accusarunt confutet. Sed quid sentíes de accusatore, qui non uocatus a iudice, sed sua sponte & suo ptearbitrio iudicem appellat & proximum accusat, nunquid is uidetur sine uocatione Dei malo resistere? De hac re diserte loquẽdum est. Nam si alicui tale malum a proximo inferatur, propter quod tota uel uita uel fama uel substantia non periclitatur, certe pium est tam leue malum proximo condonare, nec ob tam cõtemnendam iniuriolam ipsum in ius uocare. Huc enim pertinet quod Paulus ad Corinthios scribit: Cur, inquiẽs, non potius iniuriam patimini? Cur non potius damnum accipitis? Nam si quis præter necessitatem proximũ coram iudice accuset, primum declarat animum suũ longe a charitate & patientia abesse. Deinde inciuile quoq; est iudicem aut magistratum ob rem non necessariam molestia afficere. At si tale malum inferat propter quod tota uel uita uel fama uel substantia periclitatur, tunc licebit ex uocatione Dei mala inferentem accusare, & iudicis auxilium implorare. Magistratus enim & iudicia sunt bona dei creatura, in hoc ordinata, ut boni defendantur & mali coërceantur. Qui uero in periculis negligit iustas ordinationes Dei, nec utitur eis cũ id commode liceat & tuto possit, is tentat Deum. Lex aũt est: DOMINVM Deum tuũ non tentabis. Et ne tentetur, uocat nos ad utendas ordinationes suas nobis propositas. Aliud est, si nulla ordinatio nobis diuinitus proposita est, qua pie & cõmode uti liceat, tũc enim pericula in fide capessenda sunt, & omnia tum facienda tum patienda sunt, ne quid impie cõtra Deum faciamus. Cum igitur ordinarius magistratus nobis propositus est, & talis alicui iniuria a proximo inferatur, quæ minatur ipsi discrimen omnium rerum suarum uel uitæ uel famæ uel facultatum, profecto licebit bona conscientia ex uocatione Dei ne uidelicet Deus tentetur, iudicia & auxilia ordinarij magistratus aduersus iniuriam proximi implorare. Vnde cũ supra Paulus resciisset insidias Iudæorum quanq; non iussus fuerat a Tribuno eas indicare, tamẽ indicauit eas. Quod quid aliud fuit q; insidiatores accusare, & auxiliũ magistratus petere? idq; fecit Paulus bona conscientia, quippe qui in periculo uitæ suę debuit legittimis Dei ordinationibus ad prohibendam uiolentiam insidiantiũ uti. Ex his habes quomodo intelligendũ sit illud quod Christus dicit: Ne resistatis malo, uidelicet, q; sine certa uocatione Dei non sit malis resistendum. Q; si uero aliò uocauerit Deus, & officiũ resistendi mandauerit, tũc uocationi Dei obsequendũ est. Atq; hæc di

Quomodo liceat malo resistere.

Accusato quid faciendum.

Quatenus sit accusandum.

cta nobis sint, non ad præbendam licentiam contentiosis hominibus, qui so lent de asini, ut aiunt tumbra, aut si quid est hac uanius, proximos suos in ius uo care, nec ad aperiendam fenestram inuidis qui sub prætextu legittimi iuris uin dictam persequuntur, sed ad docendam conscientiam eorum, qui aut ex officio debent malis resistere, aut uera rerum suarum necessitate coguntur iudicio con tendere, & magistratus opem implorare, nimirum, ut hi sciant se in legittima uo catione Dei uersari, & audeant ac possint in ea auxilium Dei ex fide inuocare. His explicatis audiamus nunc quomodo Paulus ad hoc respondet quod accusa
» » tus est, esse princeps sectæ Nazarenorum. Confiteor autem (inquit) hoc tibi
» » q̃ secundum uiam quam dicunt hæresim, sic seruio patrio Deo, ut credam omni-
» » bus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi
» » expectant, resurrectionem fore mortuorum, iustorum & iniquorum. Fatetur Paulus se esse de uia Nazarenorum, hoc est, Christianorum, quam, inquit, hære sim aut sectam uocant. Ac diffinit eam ut ex definitione manifestũ reddat Chri stianismũ non esse impiam hæresim, sed ueram religionem. Quid ergo est Chri stianismus? Quantum ex uerbis Pauli hoc loco colligitur, Christianismus est cultus Dei patrij, uidelicet, Dei Abraam Isaac & Iacob, ac religio credens om-
Christianismus quid sit. nibus promissionibus quæ in lege & prophetis scriptæ sunt, spem habens ad De um, q̃ mortuos tam pios q̃ impios resuscitaturus sit, illos quidem ad uitam æter nam, hos autem ad interitum sempiternum. Patriarchis enim promissum est, q̃ omnes gentes sint benedicendæ in semine Abrahæ. Et prophetæ docuerunt q̃ Christus sit satisfacturus pro peccatis, & scelera hominum sua passione expiatu rus, ac iusticiã nostrã nõ esse merita operũ, sed remissionẽ peccatorũ. Hic aũt cul tus & hæc religio non est hæresis, sed uera pietas. Igitur Christianismus uera & & patria religio est, & qui Christianismum sectatur eandem fidem habet quam patriarchæ habuerunt, & quam Mose & prophetæ descripserunt. Eodem plane accusationis genere accusantur hi qui hoc tempore Euangelion de uera iustifi catione propter Christum aduersus Papisticas impietates prædicant. Caput em & summa religionis papistarũ est, q̃ Deus respiciat opera nostra, & propter me rita operum nostrorum fiat nobis propitius, remittatq̃ propter illa nobis pecca ta nostra & tribuat uitam sempiternam. Caput autem & summa religiõis quam Euangelion de Iesu Christo requirit, est, q̃ in iustificatione Deus non respiciat opera nostra, sed Iesum Christum, & propter illum fiat propitius his qui credũt in eum, ac remittat eis propter hunc solum peccata eorum, & largiatur eis pro pter hunc gratis sine ullo meritorum respectu uitam æternam. Qui ergo hanc doctrinam aduersus impietatem hypocritarum prædicant, audiunt sciſmatici, au diunt hæretici, audiunt hostes catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Definienda igitur est uia huius doctrinæ & religionis, ut cognoscamus num sit schisma aut hæresis. Nam doctrina quæ docet q̃ gratis habeamus remissionem peccatorum propter Christum, est doctrina omnium prophetarum & Apostolorum, quem admodum antea sæpe demonstrauimus: prophetarum autem & Apostolorum doctrina non est hæresis aut schisma, sed est doctrina Ecclesiæ catholicæ. Ergo qui docent eam non sunt hæretici aduersus Ecclesiam catholicam, sed sunt fide les ministri Ecclesiæ catholicæ. Sed de his non est nunc locus plura differendi.
» Quare id quod in defensione Pauli reliquũ est explicabimus. In hoc (inquit)
» & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere erga Deum & homines sem
» per. Hoc est, Quandoquidem ueram & patriam religionem in uia Christia nismi sector, do etiam operam, ut in ea religione tam puram conscientiã habeam & tam inculpatam uitam agam, ut neq̃ coram Deo neq̃ coram hominibus ullius criminis accusari queam. Sed quæ est hæc, inquies, gloriatio? quis potest esse si-

ne

ne crimine coram Deo, quis potest dicere purum est cor meum, munda est conscientia mea? Esto, uiuat quis irreprehensibiliter coram mundo, quomodo potest quis in peccatis conceptus & natus coram Deo esse irreprehensibilis. Vtrespondeam, obseruandum est, q̃ Paulus hic non loquitur de sua ipsius natura, aut de puritate suæ ipsius iusticiæ. Probe enim nouit se in peccatis conceptum & natum esse, & non esse bonum in carne sua, ac necesse habere unà cum tota Ecclesia orare: Dimitte nobis debita nostra. Sed loquitur de ratione fidei in Christum, & de ministerio suo. Et in his habet conscientiam puram coram Deo, & hominibus. Nouit enim fidem in Christum esse rectam ac diuinam fidem & cum ipse in Christum credat, quod propter eum habeat remissionem peccatorum & placatum patrem in cœlis, habet quoque propter Christum conscientiam puram, & a peccatis liberatam coram Deo. Deinde nouit ministerium suum quod est adnunciatio Euangelij esse uocationem Dei, in qua ita se gessit ut nemo potuerit eum socordiæ, inuidentiæ aut mendacij arguere. Habuit præterea & hoc officium, ut inter gentes colligat eleemosynas, & pauperibus Ecclesiæ in Iudæam mittat, quemadmodum ad Galatas capite secundo scribitur. Quo simili ter officio ita defunctus est, ut nemo potuerit eum uel negligentiæ uel furti accusare. In quo, inquit, & diligens fui ut hoc ipsum facerem. Et rursus: Declinantes hoc ne quis nos carpat in hac exuberantia quæ administratur a nobis, procurantes honesta non tantum coram Deo sed etiam coram hominibus. Siue igitur respicias fidem in Christum, Paulus habuit puram conscientiã coram Deo, quia credidit sibi peccata per Christum remissa esse. Siue respicias ministerium Euangelij prædicandi & eleemosynæ colligendæ, habuit Paulus puram conscientiam coram hominibus, quia nec Euangelium mendaciter prædicauit, nec eleemosynas indiligenter collegit, nec quicquam furto abstulit. Quo exemplo moneamur ut eisdem rebus conscientiam puram nobis paremus, quo & in iudicio Dei & in iudicio hominum irreprehẽsibiles inueniamur. Quomodo uero Paulus illud defendit, quod ei de prophanatiõe templi obiectum est? Audi: Post annos autem plures eleemosynas facturus genti meæ & oblationes ueni. Tum inuenerunt me purificatum in templo, non cum turba neq̃ cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi quos oportebat apud te præsto esse & accusare si quid haberent aduersum me, aut hi ipsi dicant, num quod inuenerint in me crimen, cum starem in concilio. An de una hac solum uoce accusor qua clamaui inter eos stans, q̃ de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a uobis? Quod Paulus dicit hanc habet sententiam. Nego me templum prophanasse, nego item me ullum tumultum excitasse, sed ego quidem templum sanctificaui, alij autem seditione & tumultu quem excitarunt, prophanarunt. Nam cum post plures annos, quàm cœpissem religionem Christianam sectari, ad Hierusalẽ uenissem, & asportassem pauperibus religionis meæ eleemosynas inter gentes collectas, ingressus sum templum, ut solennibus cæremonijs iuxta legem purificarer. Hoc certe, uidelicet, cæremonias legis obseruare est sanctificare templum non prophanare. Cum ergo in templo prorsus sine turba sine tumultu uersarer, iniecerunt in me manus uiolentas Iudæi quidam Asiatici, & tunc ortus est tumultus. Quæ autem est hæc iniquitas, q̃ ego uiolentiam passus, tanquam uiolentiæ & tumultus author accuser, cur quod Asiatici peccarunt ego plecti debeam? Et si omnino ego aliquid supplicio dignum tunc commisi, cur illi ipsi Iudæi Asiatici nunc in hoc iudicio non adsunt? cur non accusant me, & crimen quod in me arguunt, non idoneis testimonijs probant? sed utcunq̃ sit, aut Asiatici illi citentur, & conuincant me alicuius criminis, aut hi ipsi qui nunc adsunt pontifex & seniores indicent, si quid in me criminis tunc inuenerint, cum a Tribuno Lysia ad

Quomodo quis sit purus coram Deo.

concilium eorum constitutus essem. Profecto nihil aliud producere possunt q̃ hanc solam uocem qua clamaui inter ipsos, Pharisæus sum, de spe & resurrectione ego iudicer, ob quam uocem ipsimet inter se Pharisæi & Zaducæi tumultum excitarunt. Sed cur ego alienam seditionem præstarem? quid ad me quod ipsi inter se tumultus excitauerint? ego ueritatẽ publice confessus sum ut debui. Non igitur ego, sed illi qui ob confessionem ueritatis seditionem mouerũt supplicio digni sunt. Hæc est Apologia Pauli, in qua hæc nobis obseruanda uenisunt. Primum, q̃ captatio beneuolẽtiæ a persona iudicis, etiam alioqui reprehensibilis, non sit turpis adulatio, sed officium & decorum, quod a reo requiritur, iuxta illud: Cui timorem timorem, cui honorem honorem. Deinde q̃ liceat bona conscientia ordinatione legittimorum iudiciorum uti, hoc est, coram iudicijs publicis causas agere, accusare (si id necessitas postulauerit) & respondere. Ad hæc, q̃ conscientia pura reddatur coram Deo quidem per fidem in Christum, coram hominibus autem per diligentem legittimę suæ uocationis functionem. Postremo cum Paulus dicat: Veni eleemosznas & oblationes genti meæ facturus, significat eleemosynas, hoc est, opera misericordiæ quæ proximis exhibentur, esse in conspectu Dei oblationes & sacrificia. Et si propius consyderaueris, ea opera fide profecta, superant omnia sacrificia. Dicit enim Christus: Ite & discite quid sit illud, Misericordiam uolo & non sacrificium. Et Paulus ad Philippenses scribens: Recepi (inquit) omnia & abundo, expletus sum posteaquam accepi ab Epaphradito, quæ a uobis missa fuerant, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam, gratamq̃ Deo. Demus igitur operam, amicissimi, ut & nos talia sacrificia Deo exhibeamus, quo habentes fidei nostræ testimonium, perpetuam fœlicitatem consequamur, per Iesum Christum Dominũ nostrum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Eleemosynæ quale sacrificium.

HOMILIA CX.



Magna uirtus in Præside Felice fuit, q̃ non mox ut accusationem aduersus Paulum audiuit, reum præcipiti sententia condemnauerit, sed ut accusatoribus ita & reo benignas aures præbuerit. Attamen maior uidetur illa uirtus, quam
» nunc explicabimus. Cum enim hæc audisset Felix, distu
» lit illos, certissime sciens de uia hac dicens: Cum Tribunus
» Lysias descenderit, audiam causam uestram, iussitq̃ Centu
» rioni custodire Paulum, ut haberet requiem, nec quenquam de suis prohiberet
» ministrare ei. Vides Felicem non simplicis tantum sed duplicis uirtutis specimen in hoc loco exhibere. Nam iusticiæ esse uidetur, q̃ cum accusatores Pauli Tribunum ut testem produxerint (dicebant enim: Ex quo poteris ipse inquisitione facta de omnibus istis cognoscere de quibus nos accusamus eum) Felix sententiam non tulerit donec testem quoq; audierit. Cum enim requiritur a iudice ut utranq̃ partem audiat, non de ipsis tantum litigatoribus sed etiam de testibus eorum intelligendum est. Humanitatis autem & clementiæ est q̃ præcipit Centurioni ut Paulum humaniter ipse tractet, & neminem ex amicis eius humaniter eum tractare prohibeat. Hæ certe uirtutes tanto digniores commendatione existimantur, quanto minus ab homine Ethnico expectantur. Quid ergo? num pronunciabimus Felicem uere id esse quod dicitur, quia tantis uirtutibus præditus est? sed mane, nondum rationem earum uirtutum explicuimus. Nam si eas paulo diligentius in Felice excusserimus, & ad ueritatis βάσανον exegerimus, inueniemus eas quidem speciem quandam uirtutum in oculis homi-

num

num habere, sed coram Deo esse spurcissima & sordidissima uicia. Nam quod hoc loco Felix egit, non ratione iusticiæ aut humanitatis, sed partim ratione captandi fauoris apud Iudæos, partim ratione uenandæ pecuniæ a Paulo egit. Non enim necesse habuit Lysiæ testimoniũ expectare, e cuius literis iam cognouerat rem gestam & innocentiam Pauli. Sic enim Lysias de Paulo scripserat, Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorũ, nullum dignum morte aut uinculis habẽtem crimen. Sed quẽ Felix mox absoluere & poterat & debebat, eũ tamen relinquit uinctum: & exhibebat Paulo humanitatẽ, quia sperabat se ab ipo pecuniam accepturũ, quemadmodũ Lucas postea aperte testabitur. Quæ est aũt hæc iusticia, innocentẽ in uinculis detinere, ut fauorẽ populi adipiscaris: quæ est hæc humanitas, innocentẽ in uinculis paulo clementius tractare, ut eũ expiles? profecto nihil hic uirtutis est, sed oĩa plena sunt fœdissima ambitione & crudelissima auaricia ac impostura. Nimirũ eiuscemodi solẽt esse uirtutes Ethnicorũ, quæ habeant quidem speciem quandam uirtutũ, sed intus plenæ sunt spurcissimis uicijs, & eo turpiores sunt quo honestiori uirtutis nomine sese uenditãt. Iam fine uirtutibus Ethnicorũ nihil ambitionis aut aliorũ uiciorum ineſſe, quia tamẽ non habẽt fidem Euangelij de benedicto semine Abrahæ, aut Iesu Christo Dño nostro, carent eo, quod est summũ oĩum uirtutum, iusticiæ & fœlicitatis: id autẽ est, remissio peccatorũ propter Iesum Christũ. Proinde nulla uirtus Ethnicorũ tam eximia est, ut quis propter eam perpetuã fœlicitatem consequatur. Vbi aũt est remissio peccatorũ per fidem, ibi iam opera alioqui contẽptissima, clarissimæ fiunt uirtutes. An nõ Christus dicit: Quicũq; ad bibendũ dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tantũ nomine discipuli, amen dico uobis, nõ perditurus est mercedẽ suam? Ex quo dicto intelligis dare poculũ aquæ frigidæ optimã uirtutem fieri, si ex fide in Christum fiat? Apud Marcum turba mittit æs in gazophylacium, mulier autem quædam uidua duo tantũ minuta mittebat, pronunciat tamen Christus q̃ plus miserit in gazophylacium q̃ omnes diuites, quia hęc inquit, totã substantiam suam misit, quod nõ potuisset fieri nisi ex fide misisset. Apud Matthæum accepit mulier alabastrum unguenti precioſi & effudit super caput Iesu recumbentis. Quod quanq̃ uidetur opus uile, tamen pro tanta uirtute a Christo reputatur, ut perpetuæ memoriæ cõmendetur, Vbicũq; inquit, prędicatum fuerit hoc Euangeliũ in toto mundo, hoc quoq; quod hæc fecit narrabitur in memoriam ipsius. Tanta enim uirtus est fides in Iesum Christũ, q̃ ea reddat omnia opera ex ipsa proficiscentia, summas & clarissimas uirtutes. Contra, ubi fides abest, ibi clarissimæ uirtutes summa fiunt in conspectu Dei uicia. Proinde demus operam ut habeamus per fidem remissionem peccatorum nostrorum, quafiet, ut nullum tam uile opus ex fide faciamus, quod nõ pro eximia uirtute in cõspectu Dei computetur. Post aliquot autẽ dies cum aduenisset Felix cũ Drusilla uxore sua quę erat Iudæa, accersiuit Paulum & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum. Non erit superuacaneum, si hoc loco demõstremus quæ fuerit hæc Drusilla, de qua & supra mentionẽ fecimus. Hæc enim Drusilla fuit filia regis Agrippæ. Ac primo quidẽ desponsata est filio Antiochi regis Comagensis, cui nomen erat Epiphanes. Deinde cum Epiphanes nollet eam in uxorem ducere q̃ abominaretur religionem Iudæorum, nupsit Aziazo regi Amazorũ. Sed hæ nuptiæ clariores fuerunt q̃ fœliciores. Postq̃ eẽ Felix præfecturam Iudææ suscepisset ac uideret Drusillam omnes pene mulieres pulchritudine sua longe superantem, amore eius accẽsus, blandicijs magnificisq̃ promissis eam interpellauit, ut relicto legittimo suo marito Aziazo, ad se diuerteret. Quibus illa persuasa, Felici sese iunxit, & tanquam legittima uxor ipsum secuta est. Cum igitur Paulus ad Felicem missus esset, desyderauit Drusilla hũc uirum qui in omnium

Ethnicorum uirtutes sine fide nihil esse

DRVSILLA

ore esset, uidere & audire, ac muliebri curiositate impetrauit a Felice ut Paulus uocaretur, ad prædicandam coram se religionem fidei in Christum. Hic ergo Paulus uocatur iam non ut reus ad iudicem, sed ut Apostolus ad Discipulos. Quare non multum beneuolentiæ nunc a persona iudicis captat, sed ueritatem simpliciter adnunciat ac plane ea prædicat, quæ iustum erat ut a curiosis adulteris & tyrannis audirentur. Prædicat enim eis fidem in Christum, & ut mox sequitur, disputat de iusticia, temperantia, & de iudicio futuro. Non existimes autem hanc prædicationem tam ieiunam fuisse, q̃ paucis uerbis hic indicatur. Lucas enim summatim tantum perstringit de quibus rebus tractauerit Paulus in hac sua concione coram Felice & Drusilla habita. Sed quantum e paucis illis uerbis animaduerti potest, primum quidem concionatus est q̃ nulla bona opera Iudæorum & nullæ uirtutes Ethnicorum possint hominem iustum coram Deo facere, propterea q̃ & si Iudæi ex lege operentur, non tamen queant satisfacere legi, siquidem lex spiritualis est, Iudæi autem carnales: Ethnicorum uero uirtutes summis uicijs contaminatæ sint. Sed ueram iusticiam coram Deo ex eo contingere, q̃ credamus Christum passione sua nostram iniusticiam expiasse, & pro peccatis nostris satisfeciſſe. Deinde autem hanc fidem in Christū non posse sine bonis operibus & fructibus esse, sed efficere ut unusquisq̃ diuinæ suæ uocationi seruiat, ut si quis magistratum gerat, hunc docet spiritus fidei, ut non condat iniquas leges, ut non opprimat in iudicio pauperes, ut non diripiat uiduas & pupillos, sed ut officium suum in iustitia & iudicio diligenter administret. Præterea docet spiritus fidei unumquemuis castitatem & continentiam, uidelicet, ut nullus iungat se cum scorto, nec alterius uxorem clam uiciet aut rapiet, sed aut continenter in cœlibatu uiuat, aut uxorem lege permissam ducat. Postremo concionatus est etiam Paulus de iudicio extremo, nimirum, q̃ Deus statuerit diem in quo per Christum iudicaturus sit omnem orbem terrarum in iusticia, ac resipiscentibus quidem per fidem daturum perpetuam fœlicitatem: non resipiscentibus autem, tyrannis, adulteris, raptoribus, alijsq̃ flagitiosis, horribiles & perpetuos cruciatus illaturum. Atq̃ hæc est summa eius concionis, quam Paulus coram Felice & Drusilla habuit, in qua uides tyrannidem, adulteria & raptus Felicis haud obscure perstringi. Ideo sequitur: Disputante autem illo de iusticia & castitate & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: In præsentia abi, cæterum oportunitatem nactus accersam te, simul & illud sperans fore, ut pecunia sibi daretur a Paulo ut solueret ipsum, propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo. Sæpenumero ostendimus ad ueram resipiscentiam & iusticiam duo necessaria esse. Alterum est terror ex agnitione peccati. Alterum fides in Euangelion de Iesu Christo, seu remissione peccatorum propter Christum. Felix autem terretur quidem ex prædicatione Pauli, qua & peccata & supplicia peccati ipsi ostenduntur, non tamen resipiscit, quia post agnitionem peccatorum non addit fidem. Fortassis & ideo terretur, ne ex hac prædicatione Drusilla ad castitatem conuertatur, & se relicto ad legittimum suum maritum redeat. Iubet igitur tacere Paulum & abire, simulans sibi iam non esse ocium audiendi: Exemplo autem suo indicat, quod impij non queant ferre prædicationem Verbi Dei, nolunt enim nec peccata sua argui, nec cupiditates suas derelinquere, & putant se oculos ac iudicium Dei effugere, si modo oculos & iudicia hominum effugiant. Quid autem hac opinione stultius, quid uanius, scilicet, qui finxit oculos non uidet? Qui corripit Gentes non arguet? Et Propheta ait: Non erit fuga eis, & qui fugerit ex eis non non saluabitur. Si descenderint usq̃ ad infernum, inde manus mea educet eos. Si ascen-

Summa concionis Pauli corã Felice.

Si ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos. Et si abscondíti fuerint in uertice Carmeli, inde scrutans auferam eos. Et si celauerit se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio & occidet eos. Cæterum quanquam Felix repellendo a se Paulum summam suam impietatem declaret, tamen hoc uirtutis est quod Paulum, & si ingrata sibi prædicantem, non persequitur, non minatur ei mortem, quam multi tyranni Ecclesiasticis suis, a quibus propter scelera reprehenduntur, inferre solent. Sed pergit eum humaniter tractare, & frequenter accersens ipsum, loquebatur cum eo. Hanc tamen clementiæ uirtutem iterum sordidat, dum non studio cognoscendæ ueritatis, nec amore innnocentiæ Pauli, sed desyderio emungendæ pecuniæ a Paulo. Sperabat enim (inquit Lucas) fore, ut pecunia sibi daretur a Paulo ut solueret ipsum. Cur ergo, inquies, Paulus non utitur hac occasione ut liberetur? Nam si aliàs implorauit auxilium armati Magistratus aduersus uiolentiam latronum, quemadmodum supra ostendimus, cur non & pecuniam exposuit ut a uiolentis & iniquis uinculis eripiatur, præsertim cum præses pecuniam quærat, & non difficile fuisset Paulo, quamuis multam pecuniæ summam inter discipulos suos colligere? qui si oculos suos effossos dedissent ei, quemadmodum ad Galatas scriptum est, quanto magis nummos suos ad liberandum ipsum contulissent? At Paulus noluit hac uia ad sui liberationem contendere. Nam in lege ad iudicem dicitur: Non accipias munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant uerba iustorum. Si autem non licet iudici munera accipere, nec licebit reo dare iudici munera, nisi forte liceat gladium furioso quo se interficiat, aut uenenum desperato quo se tollat, subministrare. Munera, inquis, non licet dare ad peruertendum iudicium, sed quid impediret munera dare iudici non ad iustificandam iniquitatem, sed ad iustificandam æquitatem, & ad liberandum innocentem, hoc est, ad inuitandum iudicem quo suum officium iuste faciat? Si enim hoc licet a iudice precibus petere, cur idem non licebit petere muneribus? At Paulus ad Thessalonicenses scribens: Ab omni (inquit) specie mala abstinete. Et si enim iudici munera dare ad iustificandam æquitatem per se non sit iniquum, habet tamen pessimam speciem, uidelicet, quod his muneribus corrumpatur iudex ad peruertendum iudicium. Cauet igitur Paulus in hoc negocio non solum, ne quid per se mali, sed etiam ne quid quod malam speciem habet, agat. Sed quanto iustior est Paulus, tanto iniustior est præses, quod non nisi acceptis muneribus & numerata pecunia innocentem a uinculis soluere uelit. Magistratibus enim dantur uectigalia & tributa, propter hanc causam, ut innocentes defendant, & malos puniant. Itaque si non defendant innocentes, nisi muneribus deliniti, certe officij sui desertores sunt, & a prædatoribus nihil differunt. Vide autem mihi quam iniquitatem Felix huic adijciat. Cum enim uidebat se spe sua frustrari, nec ullam pecuniam a Paulo acciperet, toto biennio innocentem captiuum detinet, & relicto Paulo, ab aduersariorum parte gratiam ambit. Sic enim sequitur: Biennio autem expleto accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum uinctum. Ecquid Felix tantopere Iudæorum fauorem ambiuit? quid a Iudæis beneficij expectauit? profecto non mediocre, non enim ignorabat q̃ inique, q̃ tyrannicõs prouinciam Iudæam administrasset: & iam imperator Nero successerat Claudio Cæsari, cui Neroni non tam acceptus erat quàm antea fuerat imperatori Claudio. Proinde formidat, ne si accusetur apud Neronem a Iudæis tyrannidos, non im

Iudici nec danda nec accipienda esse munera ut liberetur innocens.

pune ferat, sperauit se uinculis Pauli Iudæorum animos ita sibi deuincturum ut nullam accusationem aduersus ipsum instituerent. Sed quod sperauit non adse cutus est, nam & e principatu suo deiectus est, & a Iudæis coram Nerone accusa tus est, & pœnas quoq; tyrannidis suæ dedisset, nisi preces fratris sui Pallantis plus potuissent apud Neronem q̃ flagicia eius, quemadmodum testatur histo ria antiquitatum Iudaicarum. Memorabile exemplum, quo docemur iniquita tem non posse alia iniquitate expiari, iniquissimum enim erat q̃ Felix Iudæam tyrannice administrauerat, hanc autem iniquitatem uoluit alia iniquitate expia re, uidelicet uinculis innocentis Pauli. At res longe aliter cadit. Sic filij Iacob oc cultabant scelus suum quod in Ioseph perpetrauerant mendacio. Sic Dauid te gebat adulterium suum homicidio. Sed quia his nihil profuit Satanam Satana occultare, fruamur nos aliena insania, & discamus non addere iniquitatem iniquitati, sed perpetratam iniquitatem resipiscentia expiare. Sic enim fiet, ut Deus peccati nostri nunquam amplius recordetur, propter Iesum Christum Domi num nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sęcula. Amen.

Iniquitatem iniquitate nõ esse tegendã,

CAPVT XXV.

HOMILIA CXI.

EXPLICVIMVS QVID DE PAVlo actum sit coram pręside Felice, nunc tractabimus causam eius coram præside Portio Festo. Fuit autem hic Festus tertius pręses Iudęæ ante deuastatio nem Hierusalem. Festum enim sequitur Albinus, Albinum Florus. Sub Floro autem rebellarunt Iudæi contra Romanos, ac postea a Vespasiano expugnati, & policia & regione exuti sunt, atq; usq; ad hoc tempus uagantur in toto orbe terrarum exules tam corpore miseri q̃ animo cæci, & a Deo prorsus reiecti, dignas luentes pœnas q̃ Prophetas & Apostolos ac pręcipue Dominum prophetarum & Apostolorũ Iesum Christum impiissime persecuti sint & interfecerint. Nam quanto odio aduersus Christum flagrarint, maxime omnium in Paulo Christi Apostolo declarauerunt, in cuius necem cum multa iniqua sub Felice conati sint, nunc sub Festo iniquiora conant̃. Festus ergo susceptа prouincia post triduum ascendit Hierosolymã ab urbe Cæsarea, significaueruntq; illi principes sacerdotum ac primores Iudæorum de Paulo, & rogabant eum postulantes fauorem aduersus eum, ut accerseret eum Hierosolymam, insidias tendentes ut interficerent eum in uia. Festus autem respondit seruandum esse Paulũ in Cæsarea, se aũt maturius eo profecturũ esse: primarij ergo inter uos, unà inquit, descendant, accusaturi eũ, si cubi reus est. Hic mihi primũ uide q̃ plane irreconciliabili odio Iudæi Paulũ persecuti sint. Etenim alioq; odia diuturnitate temporis frigescere, & miseriis odiosi exaciari solent. At horum odium aduersus Paulum & tempore crescit, & misera captiuitate Pauli multo plus accendit̃, nec ullam requiem ducit, nisi Paulum prorsus ad internitionẽ perdiderit. Nam q̃ primũ Festus Hierosolymã ueniisset, ciues illic in sui fidem & obedientiam recepturus, pontifices & principes Iudæorũ, negocium aduersus Paulũ ita urgẽt, quasi regio nõ posset incolumis cõsistere nisi Paulus interficeret̃, ac postulant, ut ad Hierusalem uocet̃ & ipsis tradatur, quo eũ iuxta legem ipsoq; iudicẽt, hoc uidelicet agentes ut in uia eum interficerent. Atq; hic iterum uita Pauli in sum

mo

mo discrimine uersatur, nihil enim uidebatur impedire posse quo minus Festus petitioni pontificum obsequeretur. Primum enim Festus erat innocentiæ Pauli ignarus, qui autem rerum ignarus est facile mouetur authoritate summorum uirorum ut innocentem perdat, nimirum in animum suum inducens, tot uiros maxima authoritate & sanctitate claros nihil mendacijs & impostoris agere. Deinde hæ primæ preces erant pontificum & principum Iudæorum apud nouum præsidem Festum, quas inciuile erat aspernari, & argumentum inclementiæ, tantillis precibus tot clarissimorum uirorum non obsequi. Postremo Paulus aberat in Cæsarea, ut non potuerit præsidem de causa docere, & contemptior quoq; uidebatur, quam ut eius nomine nouus præses sese inuidiæ Iudæorum exponeret. Quod igitur attinet ad humanum iudicium, omnia pene conueniunt, ut Paulus tradatur Iudæis & interficiatur. Sed est Deus in cœlo qui excubat pro salute sperantium in eum, & defendit etiamnum nescientes. Paulus enim non erat horum consiliorum conscius, quæ aduersus ipsum Hierosolymis coram præside agitabantur, attamen ita a DOMINO custoditur, ut occasione horum consiliorum tandem ad Romam perueniat iuxta promissionem DOMINI. Festus enim non obsequitur precibus Iudæorum, sed reijcit cognitionem causæ ad Cæsaream, & respondet eis, sicut postea coram Agrippa commemorat. Non est Romanis consuetudo ob gratiam donare aliquem hominem ut pereat, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi de crimine. Quis autem hanc iusticiæ uirtutem in præside Ethnico satis digne explicare potest? Et quis Christianorum audiens hominem Ethnicum tãta iusticia in officio suo functum non rubore afficitur? Sunt enim inter Christianos tam magistratus quàm priuatos, qui ad aucupandam gratiam pontificum & principum, non solum abiectos homines supplicijs afficiunt, sed etiam uerum Deum & ueram fidei in Christum religionem abnegant, quanto iustior est Festus, qui &si sciebat pontificum & principum in Iudæa inuidiam sibi plurimum incommodi apud Cæsarem afferre posse, noluit tamen in gratiam eorum, reum nondum publice conuictum, morti obijcere. Surget igitur in iudicio cum generatione nostra & condemnabit eam, q ipse Ethnicus tantam uirtutem præstiterit, cuius plures nostrum uix umbram sectati simus. Porro autem &si Festus fuerit idololatra, DOMINVS tamen Deus noster operatus est in eo hanc uirtutem ciuilis iusticiæ maxime propter Paulum, ut is ab infidijs Iudæorum seruaretur. Hoc igitur exemplo uoluit DOMINVS significare, primum, q cor regis (quemadmodum Salomon ait) in manu Dei est, sicut flumina aquarum, quorsum uolet inclinabit. Deinde q cõfundendo odia aduersariorꝝ mirabiliter seruet confidentes in ipsum. Itaq; si operam dederimus, ut propicium habeamus Deum, id quod fit per fidem in Iesum Christum, tum dabit & ipse operam, ut habeamus clemẽtes & iustos principes, & ab insidijs impiorum liberemur. Commoratus autem Festus inter eos dies non amplius q̃ decem, descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci. Qui cum productus esset, circumsteterunt eum Iudæi qui ab Hierosolymis descenderant, multas graues causas obijcientes quas non poterant probare, Paulo rationem reddente, q neq; in legem Iudæorum, neq; in templum, neq; in Cæsarem quicquam peccaui. Paulus alibi requirit in Episcopo ut sit ἀνέγκλητος, hoc est, irreprehensibilis seu inaccusabilis. Cur igitur quod in Episcopo requirit in se Apostolo non primum præstat, ac ita uitam egit, ut plane nulli accusationi obnoxius sit? Vides enim ipsum hoc loco multorum & grauissimorum criminum accusari. At non est intelligendum quod Paulus requirat talem Episcopum aut Apostolum, qui a nullo unquam accusetur. Quis enim hoc præstare

Episcopum debere esse ἀνέγκλητον.

posset? ac si accusatio sufficeret, quis innocens inueniretur? Ne Christus quidem reprehensione & accusatione hominum caruit, qui tamen peccatum non fecit, nec fuit inuentus dolus in ore eius, quomodo ergo alij multis peccatis sordidati hæc effugerent? Itaq; non requirit Paulus ut Episcopus non reprehendatur aut accusetur, sed ut nullius criminis uere accusari possit: accusationes enim cauere non possumus, at cauere possumus crimina, ne quis nos uere accusare queat. Vnde quanq; ipse nunc accusetur multorum criminum, tamen ea non poterant accusatores probare, q; ita sese gesserat, ut nullum crimen ei uere impingi potuerit. Sed esto q; nec in legem nec in templum Iudæorum peccauerit, quomodo id defendi potest, q; dicit se non peccasse in Cæsarem? An non Nero, qui tunc Cæsarem agebat, impius erat idololatra? Paulus autem docebat fidem in Christum, quæ ex diametro cum idololatria pugnat, quomodo igitur Paulus nõ peccauerat in Cæsarem, cum tamen prædicando fidem in Christum impiam religionem Cæsaris arguerat & condemnauerat? Vt ad hæc respondeamus, obseruandum est aliud esse publicam maiestatem Cæsaris, aliud priuatam personam Cæsaris. Ad publicam Cæsaris maiestatem pertinent leges ciuiles, obedientia subditorum in legibus ciuilibus, exhibitio honoris, tributorum, censuum, exactionum, & id genus alia. Igitur qui ordinationem legum ciuilium calumniatur & uetat Cæsari dari honorem, tributa, census & exactiones, sed docet potius ei uiolenter resistendum esse, is uere in maiestatem Cæsaris peccare dicitur. Ad priuatam autem Cæsaris personam pertinet, si quid citra legittimam maiestatis suæ uocationem contra leges naturæ, contra suas ipsius leges ciuiles, aut contra ueram religionem senserit, egerit aut constituerit. Si igitur Apostolus aut Ecclesiastes authoritate ministerij sui arguat in Cæsare impietatem & tyrannidem, & doceat subditos eam ita ferendam esse, ut tamen non peccent aduersus Deum, is non peccat contra maiestatem Cæsaris, sed uocationi suæ seruit. Sic non peccauit Nathan aduersus regiam maiestatem, q; arguerit regem Dauidem ob adulterium & homicidium. Sic nõ peccauit contra regiam maiestatem Elias q; reprehenderit in rege Achab impietatem Baaliticam, & tyrannidem eius erga Naboth Iesraëlitam. Sic non peccauit Ioannes Baptista q; in rege Herode arguerit adulterium. Sic nec; Paulus peccauit aduersus imperatoriam maiestatem, q; docuerit ueram religionem, nimirum fidẽ in Christum, & damnauerit impiam idololatriam, quam tamen Cæsar eo tempore sectabatur & sectandam probabat. Nihil igitur habebant Iudæi quod probabiliter potuerint Paulo obijcere. Quid ergo? an nunc dimittitur liber? nequaquam. Sed Festus uolens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Quãtum ex his Festi uerbis & postea e responso Pauli animaduerti potest, præses corruptus uel pecunijs uel fauore Iudæorum, uoluit causam Pauli ad Hierusalem reijcere, ut is in itinere ex insidijs Iudæorum trucidaretur, ac ipse excusationem haberet, quasi se inscio & nolente id factum esset. Sed quid hoc præsidis consilio iniustius ac iniquius? Nam innocentem insidiatoribus mactandum obijcere nihil differt ab eo, quod est innocentem iniqua sententia ad mortem condemnare. Hoc igitur exemplo uides, quod quamuis impij nonnunquam dono Dei uirtutes quasdam possideant, tamen nacta oportunitate redeunt ad ingenium suum, hoc est, impietatem, quam in carne sua natura gestant. Ac profecto, quantum Festus antea ciuilis iusticiæ erga Paulum ostentauit, tantũ nunc iniusticiæ prætextu iuris apud Hierusalẽ in causa Pauli dicendi aduersus ipsum meditatur, id q; opere cõpleuisset, nisi iterũ Deus confidenti in ipsum præsto adesset ac mirabiliter seruaret. Dixit.n. Paulus, ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari. Iudæos non lęsi, sicut tu melius nosti: si enim læsi, aut

Aliud esse priuatã personam, aliud publicam magistratus.

aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori, si uero nihil est eorum quorum hi me accusant, nemo potest me illis donare, Ad Cæsarem prouoco. Ergo Festus in speciem tantum obuertit se causam Pauli in Hierusalem iudicaturum, reuera autem uoluit ipsum insidiatoribus mactandum obijcere: Certe hoc uoluit, alioqui Paulus non dixisset: Nemo potest me illis donare. Appellat igitur & a Iudæis & a præside Festo ad Cæsarem. Exemplum obseruandum quo rursus comprobatur, Christiano licere ex fide uti politicis ordinationib⁹ & implorare auxilium iudicis, non solum in respondendo, sed etiam in accusando, quemadmodum supra pluribus ostensum est. Nam si licet ab inferiori iudice ad superiorem appellare, licebit etiam aduersarium coram iudice accusare. Appellatio enim facit e reo actorem, & ex accusato accusatorem, ac continet in se quiddam seuerius ꝙm simplex accusatio. In hac enim aduersarius tantum accusatur, in illa autē non solum accusatur aduersarius, sed etiam iudex iniquæ sententiæ arguitur. Itaq; si licet appellare, ut hoc Pauli exemplo probatur, multo magis licet accusare: absit iniquitas animi, qua omnia quantumcunq; per se honesta ac licita, iniqua redduntur. Tūc Festus cū concilio (hoc est senatu prudentum uirorum quos pro more principum penes se habebat) locutus, respōdit, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Redit Festus ad uirtutem iusticiæ ciuilis, & defert, pro ut iustū erat, appellationi ciuis Romani. Sed quia paulo ante natiua ingenij iniquitas in Festo emicuit, qua uoluit Paulum Iudæis mactādum donare, ideo sentiendū est Dominum Deum nostrum potenti sua manu animum Festi ad præstādam Paulo hanc iusticiam inclinasse, ut promissioni Dei satisfieret qua ad Paulum dictū est: Vt testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romę testificari. Quis igitur promissionibus diuinis non crederet: quis Deum mendacij argueret: Vt enim promissiones eius promoueant, necesse habent iniusti iusticiam pręter sententiam animi ipsorum facere. Vt ueritas Verbi eius constet, coguntur impij contra suam ipsorum uolūtatem pios adiuuare. Proinde quanꝙ Satan multa aduersa conetur, cōsistendum tamen est in promissionibus Dei, qui cum multo potentior sit Satana, efficiet quoꝙ ut omnes fidem Verbo eius adhibentes, perpetuo seruentur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

Quod licet appellare.

HOMILIA CXII.

QVod Paulus de Apostolis ad Corinthios scribens, spectaculum, inquit, facti sumus mundo, angelis & hoibus, hoc maxime omnium de seipso uere dictum esse nunc palam uidemus. Nam cum ad Hierosolymam redijsset, captus est in templo, & factus est cōcursus totius populi, mox raptus est a Tribuno Lysia in castra, a Lysia productus est in frequentissimum cōcilium Iudæorum. Concilio habito, missus ad Præsidem Felicem, coram quo egit causam suam contra aduersarios Iudæos. A Præside Felice uinctus relinquitur & traditur successori eius Portio Festo, coram quo similiter agit causam suam apud publicum tribunal Cæsareæ. Nunc autem producitur ad agendam causam suam coram rege Agrippa. Posthæc mittit Romam ad Cæsarem, ut & illic suam causam agat. Factus igitur est Paulus theatrum ac spectaculum, non paucis tantum hominibus, sed angelis & toti mundo. Alij enim in his actionibus concurrerunt ad uidendum Paulum ex inuidia, uidelicet, ut eum spectarent, qui sua ipsorum opinione non dignus esset ut terra eum ferat. Alij ex curiositate, ut eum uiderent qui in toto terrarum orbe clari no

minis esset,alij ex amore,ut amicicia suam erga ipsum in periculis declararēt,alij ex fide ut audirent ipsum agentem causam ueræ religionis,& aut ad fidem conuerterentur,aut in fide confirmarentur. Non est autem q̄ quis existimet Dominum Deum nostrum temere & absq; consilio passum esse,ut Paulus electum suū organon,perinde ac homo,aut stultissimus aut sceleratissimus,per oculos totius mundi traduceretur.Sed priusquā hoc consiliū Dei explicemus,audiamus qua
" occasione corā rege Agrippa productus sit. Cum dies aliquot (inquit Lucas)
" transacti essent,Agrippa rex & Berenice descenderunt Cæsaream salutaturi Festum. Hic rex Agrippa fuit filius Herodis Agrippæ,eius uidelicet qui Apo-
AGRIPPA stolum Iacobum gladio occidit,de quo supra capite duodecimo scriptū est.Hūc Agrippam Claudius tanto fauore prosecutus est,ut ei aliquot principatus in Syria & Idumęa & aliquot ciuitates in Iudęa donaret.Huius tempore Hierusalem a Tito Vespasiano deuastata est.Ac fuit uir magnæ prudentię,cuius consilijs si Iudæi obediuissent,non incidissent in tantam calamitatē deuastationis suæ.Be-
BERO- renice autem siue Beronice (nam utrunq; dicitur) cuius hic fit mentio,fuit so-
NICE. ror Agrippæ,primum nupta Herodi patruo suo,deinde cū aliquandiu permansisset uidua,& suspicionem daret q̄ cōsuetudinem stupri cum fratre suo Agrippa haberet,nupsit Polemoni regi Lyciæ,de quibus multa in antiquitatibus Iudaicis,quæ nunc non est locus commemorandi. Cum igitur Festus uenisset in prouinciam,uenerunt Agrippa & soror eius ad Cæsaream ut salutarent eum,& amicitiam propter uicinitatem cum ipso contraherent.Qua re Agrippa non mediocris modestiæ specimen exhibet.Quamuis enim ipse rex esset,longe maiestate sua superior præside Festo,in tantum tamen sese demittit,ut unà cum sorore
Exemplū modestiæ sua,& ipsa regina,præsidem Festum honoris & salutationis gratia uisitet. Hæc profecto modestiæ uirtus necessaria est,tam magistratibus q̄ priuatis hominibus. Nam ubi fastus est,ibi est & aliorum contemptus,cōtemptum sequitur contumelia,contumelias excipiunt contentiones,dissidia,bella,hæc autem sequitur internitio.Contra ubi modestia est,ibi exhibentur mutua officia charitatis. Mutua autem officia excitant & conseruant mutuū amorem. Vbi mutuus est amor,& concordia,ibi alter alterius ope quantum inter homines licet firmus constat. Sequamur igitur uirtutem modestiæ,& alter alterum quamuis minorem honore ac officijs præueniamus,ut concordiā & tranquillitatem conseruemus. Cū
" autem Agrippa & Beronice plures dies ibi morarentur,Festus regi indicauit
" de Paulo dicens: Vir quidam est relictus a Felice uinctus,de quo cum essem Hie-
" rosolymis,adierunt me principes sacerdotum & seniores Iudæorum,postulan-
" tes aduersus illum sententiam. Quibus respondi: q̄ nō est Romanis cōsuetudo
" donare aliquem hominem ut perdatur,priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores,locumq; accipiat defendendi crimina quę ei obijciuntur.Cum
" ergo huc conuenissent sine ulla dilatione,sequenti die sedens pro tribunali,iussi
" adduci uirum. De quo cum stetissent accusatores,nihil eorum obijciebant de
" quibus ego suspicabar. Quæstiones uero quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum,& de quodam Iesu defuncto,quem affirmabat Paulus uiuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione,dicebam,uellet ne ire Hierosolymam & ibi iudicari de istis. Paulo autem prouocante ad Augusti cognitionem,iussi seruari eum donec mittam eum ad Cæsarem. Hac narratione indi-
Iudicem quid deceat aut non cat Festus regi Agrippæ causam Pauli,ac narrat quidem quid iudici iuste faciendum sit,reticet autem quid ipse aliqua ex parte iniuste in hoc negocio fecerit. Nam quod ait: non esse consuetudinem Romanis donare aliquem hominem ut perdatur,nisi legittime fuerit de crimine conuictus,iustissima est consuetudo,non tam cōmuni sensu q̄ oībus legibus approbata. Deinde q̄ ait,se causam

Pauli

Pauli ad pontifices & ſacerdotes Hieroſolymitanos reiecisse, propterea ꝙ non fuerit cauſa de ciuilibus rebus, ſed de religione, ſeu, ut ipſe Ethnico more dicit, ſuperſtitione Iudæorum, ſe uero earum rerum quæ ad religionem Iudaicam ſpectant, ignarum eſſe, hæc, inquam, iuſte quidem narrat, ſed tamen falſo. Nam iuſtum eſt, ut iudex cauſę ignarus, cognitionem eius cauſę ad doctiores & peritiores reiiciat. At Feſtus non ob hanc potiſſimum rationem reiecerat cauſam Pauli ad cognitionem pontificum Hieroſolymitanorum, ꝙ non erat gnarus rerum Iudaicarum, ſed quia ut ſupra Lucas indicauit, uoluit gratiam præſtare Iudæis, quo Paulus ipſo conniuente, ex inſidijs periret. Hoc uero nō eſt legittimum iudicem agere, ſed latrocinium iuuare. Cæterum quoniam Feſtus in hac narratione imperatorem Neronem, cuius tępore hæc acta ſunt, Auguſtum & Cæſarem uocat, paucis indicandum eſt, unde imperatores Romani ſic dicti ſunt, quando uſus horum cognominum etiam noſtro tempore durat. Ac Cęſar quidem ab initio non fuit nomen dignitatis aut magiſtratus, ſed cognomen familię Iuliorum, quod quidam deducunt a cæſo matris uentre, quia quidam Iuliorum ſic natus ſit, & hinc toti familiæ nomen Cæſaris dederit. Alij autem melius deducunt a cæſarie, ꝙ quidam in familia Iuliorum tam uenuſtam cæſariem habuerit, ut hinc toti familiæ cognomen Cæſaris datum ſit. Primus autem monarcha Romanorum fuit ex hac familia Iuliorū, & dictus eſt Iulius Cæſar. Ab hoc omnes poſtea Romanorum Monarchæ dicti ſunt Cæſares, quaſi ut in imperio, ſic quoq; in familia Iulio Cæſari ſuccederent. Cognomen autem Auguſti dedit Senatus Romanus Octauio Secundo Romanorum monarchæ propter proſperam & diuinam eius fortunam ac fœlicitatem. Deducitur enim Auguſtus, non ab augendo imperio, ut uulgus ſentit, ſed ab augurio, quod ſignificat proſperum diuini fauoris ſignum, ut ſit Auguſtus, quaſi a Deo benedictus, cui Deus faueat, & fauoris eius manifeſta ſigna dederit. Ab hoc igitur Octauij Secundi Romanorum monarchę cognomine, omnes deinceps Romanorum Imperatores dicti ſunt Auguſti. Aptiſſime autem ſummus magiſtratus Auguſtus appellatur, ut hoc cognomine admoneamur magiſtratum eſſe ordinationem & donum dei, ac Deum fauere magiſtratibus. Proinde ſubditi ſciant, non tantū propter iram, ſed propter conſcientiam magiſtratibus obediendum eſſe. Magiſtratus agnoſcat ſe diuinæ uocationi ſeruire, ac propterea debere ſe quæ ſui ſunt officij confidenter capeſſere, & Deum in periculis ſuis inuocare, certiſſima ſpe concepta, ꝙ Deus non ſit ipſos in uocatione ſua derelicturus. His obiter explicatis, pergamus nunc ad reliqua. Agrippa autē dixit ad Feſtum: Volebam & ipſe hominem audire. Cras (inquit) audies eum. Altera autem die cum ueniſſet Agrippa & Berenice, cum magno apparatu, & introijſſent in auditorium cum Tribunis & uiris primarijs ciuitatis, iubente Feſto adductus eſt Paulus, & dixit Feſtus: Agrippa rex, & omnes qui ſimul adeſtis nobiſcum uiri, uidetis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Hieroſolymis, petentes & acclamantes, non oportet eum uiuere amplius. Ego uero nihil dignum morte comperi eum admiſiſſe. Ipſo autem prouocante ad Auguſtum decreui mittere. De quo quid certum ſcribam Domino, non habeo: propter quod produxi eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut exploratione facta habeam quid ſcribam. Abſurdum enim mihi uidetur mittere uinctum & cauſam eius non ſignificare. Priuſquam alia explicemus, hoc uidetur non eſſe negligendum, ꝙ Feſtus in hac ſua oratiuncula imperatorem Neronem ſimpliciter uocat dominū, de quo quid certum (inquit) ſcribam domino, uidelicet Cæſari Neroni, non habeo. Non, inquit, inuictiſſimæ Cęſareæ maieſtati, ſed ſimpliciter, domino. Quāquam autem ſummus magiſtratus ſummis etiam epithetis honorandus ſit, & in ſolennibus magiſtratuū titulis re-

Imperatores quare dicantur Cæſares.

Auguſti cognomen unde.

gio nobis noſtro tẽpore lex eſſe debeat, tamẽ ex hoc animaduertimus, q̃ eo tempore quo monarchę potẽtiores fuerũt, eo minus magnificẽtiora & arrogantiora epitheta habuerint. Et quod magis admireris, dñi quo q̃ epitheton Neronis tpe adhuc nouum fuit. Nam ut Cæſarum hiſtoriæ teſtantur, Octauius Auguſtus quem ſupra diximus ſecundũ fuiſſe Romanorum monarcham, domini appellationem, ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Ac cum ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet a Mimo, O dominum æquum & bonum, & uniuerſi quaſi de ipſo dictum exultantes comprobaſſent, ſtatim manu uultuq̃ indecoras adulationes repreſſit. Et in ſequẽti die grauiſſime corripuit edicto, dominumq̃ ſe poſt hac appellari nec a liberis quidem aut nepotibus ſuis uel ſerio uel ioco paſſus eſt, atq̃ huiuſmodi blãditias etiam inter ipſos prohibuit. Tiberius quoq̃ Cæſar huius Octauij ſucceſſor, dominus a quodam appellatus, denunciauit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret. Hæc non ideo commemorauimus, q̃ nos non debeamus magiſtratus noſtros honoribus ac ſolennibus titulis alloqui, quos ſcimus, quoquomodo licet, uenerandos eſſe, ſed ut oſtendamus uaniſſimũ eſſe pro celebrioribus titulis ac epithetis digladiari (id quod ambitioſi faciunt) quæ tamen primi & ſummi Romani orbis monarchæ, iiq̃ Ethnici quo potentiores fuerunt, eo magis ita faſtidierunt, ut ea pro contumeliis duxerint, & publicis edictis uetuerint. Quæ cum ita ſe habeant, reliquum eſt, ut uideamus nunc quo tamen cõſilio Dominus Deus noſter permiſerit, ut organon ſuum electum Paulus perinde ac homo omnium aut ſtultiſſimus aut nocentiſſimus, per omnium oculos traduceretur, uidelicet, a templo ad Tribunum Lyſiam, a Lyſia ad concilium pontificum, a concilio ad Felicem, a Felice ad Feſtum, a Feſto ad regem Agrippam, poſtremo a rege Agrippa ad Cæſarem Neronem. Huius autem diuini conſilij ratio in promptu eſt. Nam Iudæi dabant impijs ſuis ſtudijs operam ut Paulus haberetur & damnaretur tanquã ſceleratiſſimus, ac Euangelion quod prædicabat prorſus extingueretur. Hoc erat Iudæorum cõſilium, propter quod & Paulus toties ab altero magiſtratu ad alterum traductus fuit. Sed obſerua q̃ ex diametro conſilium eorum inuertatur; nam quo plus illi Paulum accuſant, eo clariora innocentiæ ſuæ teſtimonia a præſidibus adipiſcitur. Ac Lyſias quidem de Paulo ſcribit, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimen comperi. Felix autem iuſſit Centurioni, ut ſineret eum tanquam innocentem relaxari, & ne quem ex illius familiaribus uetaret ſubminiſtrare ei aut adire eum. Nunc Feſtus ad Agrippam ait: Ego cõperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Poſtea rex Agrippa inquit, nihil morte aut uinculis dignum facit iſte homo. Et dimitti poterat ſi non appellaſſet Cæſarem. Quibus teſtimonijs quid potuiſſet Paulo celebrius ac ſplendidius contigiſſe? Deinde, quo magis conantur Iudæi in Paulo extinguere prædicationem Euangelij, eo latius ſpargitur Euangelion de Ieſu Chriſto. Nam niſi Iudæi Paulum tam atrociter perſecuti fuiſſent, fortaſſis in paucis tantum Synagogis, apud paucos auditores prædicaſſet Paulus Euangelion. Nunc autem quia impetum faciunt in eum, & cupiunt ipſum morti tradere, nanciſcitur occaſionem prædicandi Euangelij de Ieſu Chriſto in tam auguſtis auditorijs, ad quæ alioqui uix ei aditus patuiſſet. Primum in exercitu Romani præſidij, quod ad Hieruſalem excubabat. Deinde in frequentiſſimo concilio, ad hæc coram præſidibus Felice & Feſto in publicis auditorijs, ubi maxima ſemper hominum multitudo aderat, præterea coram rege Agrippa, ſorore eius, multis tribunis & principibus, qui maximo hominum concurſu ad audiendum Paulum in publicum auditorium conuenerunt. Poſtremo in urbe totius orbis domina Roma & in aula Cæſaris. Sic enim ipſe Paulus ad Philippenſes ſcribens: Scire (inquit) uos uolo fratres, q̃ quæ mihi acciderũt, magis ad profectum

Domini appellatio quatenus improbata ſit.

Ratio quare Paulus tot uicibus fortunæ a Deo obiectus.

ctum Euangelij euenerunt, ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo in toto prætorio ac cæteris omnibus, ut & plures ex fratribus in DOMINO freti uinculis meis uberius auderent impauide sermonem loqui. Hoc igitur exemplo uoluit DOMINVS manifestare, quod desyderia peccatorum pereant, quod consilia impiorum confundantur, quod impij & quæ impietate sua impedire conantur adiuuent, & quæ conantur adiuuare impediant, quod consilia DOMINI, uelint nolint impij promoueant. Sic quondam filij Iacob in fratre suo Ioseph, sic Saul in Dauide, sic pharisæi in Christo adiuuerunt impietatibus suis, quod se impedituros moliebantur. Sic nostra tempestate principes quidam & pontifices euocauerunt Clementissimum Cæsarem Carolum ex Hispania & Italia ad Germaniam, ut aduentu eius prædicatio Euangelij opprimeretur. Sed hoc istorum consilium ita inuersum est, ut cum antea noluerint prædicationem Euangelij in paucis templis ferre, necesse habuerint in aduentu Cæsaris, confessionem Euangelij publice coram omnibus statibus Romani imperij ita tolerare, ut ab eo loco postea in totum orbem terrarum diuulgata sit, & adhuc hodie subinde magis ac magis diuulgetur. Tam inuersum exitum habent consilia impiorum. Quod de publicis negocijs dicitur, hoc etiam ad usum priuatorum negociorum transferendum est. Si artifex quispiam manuarius exercet artificium suum pie & sine impostura, ac alius quidam impius artifex studet calumnijs, nugis & imposturis suis, ut illius commodum impediat, suum autem adiuuet, quid faciendum est pio artifici? non est malum malo reddendum, nec est de profectu artificij sui desperandum, sed pergendum est in uocatione, & ex hoc loco fides eius confirmanda est, uidelicet, ut certissime confidat calumnias & imposturas aduersariorum artificum potius ipsi adiumento fore in bonum quàm in damnum, & quanto magis illi impedimento sunt ad artificium commode exercendum, tanto plus DOMINVM auxilio fore ad optima quæuis artificij commoda paranda. Qui enim malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem DOMINVM hæreditabunt terram, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula.

Inuerti consilia impiorum

CAPVT XXVI.

HOMILIA CXIII.



DDVXIMVS PAVLVM IN PVblicum auditorium maxima hominum frequentia impletum, & statuimus eum coram rege Agrippa, sorore eius Berenice, præside Festo, Tribunis & multis uiris principibus, qui magno apparatu ad audiendum Paulum conuenerant. Paulus igitur nactus opportunissimam occasionem nomen Iesu Christi, coram rege & principibus prædicandi, pulcherrimam habuit orationem, in qua ingenti libertate & animi alacritate de resurrectione mortuorum quæ fit per Iesum Christum, potissimum disserit. Et quia resurrectio mortuorum fidei nostræ scopus est (Si enim, inquit Paulus, resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit, si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra) ideo audiamus hanc Pauli concionem attentis animis, ut per eam fide nostra confirmati, ad id

» quod expectamus, nos in tempore præparemus. Agrippa igitur ad Paulum
» ait, permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu pro se dice
» bat. Quid ergo uult sibi Paulus q̃ dicturus apologiam, manum suam exten-
dit? Certe his manuum gestibus declarat magnam animi sui alacritatem, signi
ficans uidelicet, q̃ cordi suo nihil dulcius, nihil acceptius, nihil delectabilius ac
cidere potuerit, quàm q̃ liceat ipsi in tam frequentissimo auditorio, coram rege
& regina, coram tot tribunis & principibus nomen DOMINI sui Iesu Chri
sti glorificare, ac nobilitare. Mirum autem est qui potuerit Paulus hac in re tam
ingenti animi uoluptate affici, cum tamen adhuc uinctus fuerit, & necesse habue
rit coram uiris potentissimis & amplissimis orationem habere. An non uincula
animum captiui deijciunt? an non maiestas tot clarissimorum uirorum orato-
rem perterret? Sed tam læta libertate afficit Paulum fides, quæ adhibetur pro-
missionibus diuinis. Habebat enim Paulus generalem promissionem omnibus
Apostolis datam. Inijcient (inquit Christus) uobis manus suas, & persequen-
tur, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum. Habete igitur fixum
in cordibus uestris non esse præmeditandum defensionem. Nam ipse dabo uo-
bis os & sapientiam cui non poterunt contradicere, nec̃ resistere omnes qui ad
uersantur uobis. Deinde habebat Paulus & specialem promissionem. De ipso
enim dicit Christus ad Ananiam: Organon mihi electum est iste, ut portet no-
men meum coram Gentibus & regibus ac filijs Israel. His igitur promissioni-
bus Paulus animatus, multo maiori uoluptate coram rege uinctus Christum
prædicat, quam si interim licuisset ipsi libere in Paradiso palari. Est autem hoc
exemplum obseruandum, ut hinc discamus, quantæ efficaciæ sit Verbum DO-
MINI fide acceptum, quantaue uoluptate, gaudio, alacritate & fortitudine
animum credentis in maximis etiam periculis afficiat. Porro autem Paulus ala-
critatem animi sui non modo extenta manu, sed etiam procœmio, immo in tota
» oratione declarat dicens: Beatum me esse duco, Rex Agrippa, cum apud te ra
» tionem reddere hodie contigit, de omnibus, propter quæ accusor a Iudæis, ma-
» xime cum scias omnes consuetudines & quæstiones quæ apud Iudæos sunt, pro
» pter quod obsecro patienter me audias. Hoc est exordium orationis Pauli, in
quo pro more captat beneuolentiam a persona regis, quem commendat a peritia
& notitia religionis Iudaicæ, ad quam hæc controuersia pertinebat. Magni au
tem refert ut innocenti talis iudex contingat, qui causam aut optime noverit,
aut facillime queat discere, alioqui frustra disertus est, qui dicit apud iudicem
nõ intelligentẽ negocium de quo agitur. Ait igitur Paulus, se fortunatum esse,
q̃ talis ipsi iudex contigerit, qui religionis Iudaicæ & rerum recens gestarum de
Iesu Christo gnarus sit. Subindicat quoq̃ hoc procœmio, doctrinam Christia-
næ religionis tantæ ueritatis esse, ut & si non habeat iudicem credentem & sua-
rum partium, sed habeat tantum iudicem uirum prudentem, rerum non igna-
rum, & studio partium non excæcatum, aduersarios tamen uincat. Post exor
» dium sequitur narratio: Et quidem uitam meam a iuuentute, quæ ab initio
» fuit in gente mea in Hierosolymis, nouerunt omnes Iudæi qui me prius noue-
» runt, si uelint testimonium perhibere, q̃ secundum sectam nostræ religionis di-
» ligentissime cõstitutus uixi Pharisæus. Hæc est narratio, in qua Paulus cõme
moratione anteactæ uitæ suæ indicat, q̃ neq̃ seditionis, neq̃ temeritatis, neq̃ de
fectionis a uera religione uerisimiliter accusari queat. Non enim est probabile
q̃ qui ab ineunte ætate honestam & tranquillam & piam uitam duxit, repenti-
na temeritate in diuersum mutetur, ac seditionibus & impietati studeat. Nar-
» rationi iungitur propositio seu status orationis. Et nunc propter spem pro-
» missionis, quæ ad patres nostros a Deo facta est, sto iudicio subiectus, in quam

duodecim

duodecim tribus nostræ instanter nocte ac die seruientes sperant se peruentu »
ros, de qua spe accusor a Iudæis Rex. Vt rationem huius status cognoscamus, »
obseruandum est e superiori oratione Festi, & epilogo huius orationis, quod Iu
dæi potissimum disceptauerint aduersus Paulum de resurrectione Iesu Christi.
Hunc enim uoluerunt Iudæi esse ita a morte absorptum, ut amplius non uiuat.
Paulus autem contendebat ipsum a morte resuscitatum esse. Festus enim inquit,
habebant quæstiones quasdam aduersus eum de Iesu quodam defuncto, quem
affirmabat Paulus uiuere. Et in epilogo ait Paulus: Nihil aliud dicens quàm ea
quæ prophetæ locuti sunt futura esse, & Mose, quod passurus fuerit Christus,
quod primus ex resurrectione mortuorum lumen adnunciaturus fuerit popu-
lo & gentibus. Iam ex resurrectione Christi pendet iustitia & resurrectio om-
nium piorum ad uitam æternam. Recte igitur & prudenter Paulus dicit hunc
esse statum accusationis aduersus ipsum, quod prædicet resurrectionem mor-
tuorum, quæ tamen promissa est patribus, & quam sperant omnes tribus Israëli
tarum. Dissimulabant quidem Iudæi hunc esse controuersiæ statum, & interim
crepabant seditiones, hæreses, & defectiones a uera religione, ac negabant hunc
hominem Iesum, qui Hierosolymis turpiter crucifixus fuerat a mortuis resur-
rexisse. Attamen si explices hãc negationem, inuenies in ea totam mortuorum
resurrectionem abnegatam esse. Sic nostra tempestate impij hypocritæ dissi-
mulant uerum statum controuersiæ, quam habent aduersus eos qui Euange-
lium de Iesu Christo pure adnunciant, uidelicet, quod remissio peccatorum, iu
stitia & uita æterna contingat nobis, tantum propter Iesum Christum, si in eum
credamus. Obijciunt autem nescio quas hæreses, schismata, seditiones, licen-
tiam carnis, & id genus alia. Attamen si causam probe perpendas, hoc negant
hypocritæ, quod prophetæ & Apostoli de iustificatione docuerunt, & paren-
tes nostri nobis pueris in symbolo fidei tradiderunt, scilicet, quod Christus pas-
sus sit propter peccata nostra, & satisfecerit passione sua pro peccatis nostris.
De qua re cum aliàs sæpe disseruimus, nunc ad orationem Pauli reuertemur. Iu
dæi negant Iesum resurrexisse a mortuis, & per hoc negant mortuorum resur-
rectionem. Paulus affirmat, & hoc est caput controuersiæ. Probat igitur Pau-
lus Iesum resurrexisse & dicit: Quid incredibile iudicatur apud uos, si Deus »
mortuos suscitet? Hoc est primum argumentum quod Iesus resurrexerit, du »
ctum a potentia Dei. Deus est omnipotẽs, potuit igitur Iesum a mortuis resusci-
tare. Si enim potuit e nihilo totum mundum creare, si quotidie e paruo gra- *Argumenta*
no & semine ingentem arborem, & multos fructus creat, quomodo non posset *resurrectio*
mortuum in uitam reducere? Sed hoc argumentum nondum huic causæ satis- *nis Christi.*
facit, nisi etiam probetur deum opere compleuisse quod omnipotentia sua face-
re potest. Pergit igitur Paulus & probat DOMINVM Deum in Iesu ope
re perfecisse quod uiribus suis potuit facere. Ac dicit: Et ego quidem æstima »
ueram me aduersus nomen Iesu Nazareni multa contraria agere, quod & feci »
Hierosolymis. Et multos sanctorum ego carceribus inclusi, a principibus sacer »
dotum potestate accepta, & cum occiderentur tuli sententiam. Et per omnes sy »
nagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare, insigniter insa- »
niens in eos, persequebar usq; in externas ciuitates. At dum irem Damascum »
cum potestate & mandato principum sacerdotum, die media in uia uidi, rex, lu »
men clarius splendore solis, circumfulsisse me, & eos qui mecum unà erant. Cun »
que omnes nos cecidimus in terram, audiui uocem loquentem ad me Hebrai- »
ca lingua, Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos »
calcitrare. Ego autem dixi, Quis es DOMINE? DOMINVS autem »
dixit: Ego sum IESVS Nazarenus quem tu persequeris. Sed exurge & »

» sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum &
» testem eorum quæ uidisti, & eorum quæ ostendam tibi, eripiens te de populo
» & Gentibus in quas nunc ego mitto te ut aperiantur oculi eorum, ut conuer-
» tantur a tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad DEVM, ut accipiant re-
» missionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me.

Hoc est principale argumentum, quo Paulus probat IESVM a mortuis resurrexisse, & uiuere nunc in gloria & maiestate DEI. Quo etiam argumento usus est ad Corinthios scribens, & dicit: Postremo uelut abortiuo uisus est & mihi. Quod autem ad Corinthios paucis perstringit, hoc loco pluribus explicat: Cum, inquit, ad Damascum proficiscerer, primum die media deiecit me & comites meos Iesus ad terram, ita ut meis uiribus non poteram amplius surgere. Deinde sua ipsius uoce allocutus est & increpauit me. Adhæc ipsemet indicauit se nomine suo, quod sit Iesus Nazarenus quem ego persequebar. Præterea mandauit mihi ut Euangelion de ipso inter Iudæos & Gentes prædicarem. Postremo pollicitus est se ex impiorum manibus me seruaturum. Quid autem hæc aliud sunt quàm ipsissima opera, non dico hominis simpliciter uiuentis, sed hominis diuina potestate regnantis? Viuit igitur IESVS, & ita uiuit ut etiam cum Deo regnet. Non ociosum autem est quod narrat fæuiciam & persecutionem suam in Christianos. Hoc enim signo confirmat Iesum sibi uere apparuisse. Quomodo enim natura possibile esset quod uirulentissimus & peruicacissimus persecutor Euangelij de Iesu Christo, tam subito in diuersum ita mutetur, ut mox Euangelion de Iesu tanta constantia prædicet, quanta ante peruicacia persecutus sit, nisi idem ille Iesus Christus diuina potentia eum mutasset? Reliquum igitur est Iesum Christum uere a mortuis resurrexisse, & cum Deo regnare. Cæterum non uere est alius locus qui dilucidius explicet quid sit prædicatio Euangelij, & quod officium eius, quàm hic, ubi Paulus dicit se missum esse, ut aperiantur oculi Iudæorum & Gentium. Quod enim dicitur, ego mitto te ut aperiantur oculi populorum, ut conuertantur a tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me, hoc summatim ita dici potuisset: Ego mitto te ad prædicandum Euangelion de me Iesu Christo. Euangelion enim potentia Dei est, primum, qua aperiantur oculi hominum. Sunt enim homines natura sua ita cæci animo, ut non queant uidere uoluntatem Dei in afflictionibus & morte. Existimant enim Deum uelle ipsos in aduersis & in morte perdere. Euangelion autem docet quod habeamus propicium patrem in cœlis propter Iesum Christum, qui optimum erga nos animum gerat in aduersis & morte, uidelicet, ut ex his nos liberet & uitam donet. Euangelion igitur aperit oculos hominum ad perspiciendam uoluntatem Dei erga se. Deinde, est potentia qua conuertuntur homines a tenebris ad lucem. Tenebræ autem sunt infœlicitates, lux fœlicitas. Euangelij igitur prædicatio conuertit homines ab infœlicitatibus ad fœlicitates, a maledictionibus ad benedictiones. Ad hæc potentia est qua conuertuntur homines a potestate Satanæ ad Deum. Præterea qua accipiunt homines remissionem peccatorum. Postremo potentia est, qua accipiunt homines sortem seu hæreditatem æternæ benedictionis, quæ præparata est omnibus Sanctis Dei. Quomodo autem hæc ex prædicatione Euangelij accipienda sunt? num manibus? num ore? num sinu corporis? Nequaquam, sed fide, Per fidem, inquit, quæ est in me. Cum igitur Euangelion sit organon tantorum bonorum Dei, agite amicissimi, adhibeamus ei firmam fidem, & collocemus omnem fiduciam nostram in IESVM CHRISTVM, qui nobis Euangelio prædicatur, ut ueram & perpetuam

Alterum argumentum resurrectionis Christi.

petuam salutem consequamur, per eundem Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CXIIII.



VÆ in oratione Pauli ad Regem Agrippam sequuntur, nunc uestris precibus adiuti explicabimus. Duobus enim argumentis confirmauit Paulus Iesum Christum a mortuis resurrexisse, & nunc uiuere in gloria Dei. Priori, quod Deus sit omnipotens, cur igitur non posset mortuum resuscitare? Posteriori, q̃ Iesus nõ solum apparuerit ipsi uiuus, sed etiam multa potestate ipsum ab impio suo conatu retraxerit, & officium prædicandi Euangelij demandauerit. Audiamus igitur nunc epilogum seu cõclusionem orationis. Vnde Rex Agrippa nõ fui incredulus cœlesti uisioni, sed his qui sunt Damasci primũ & Hierosolymis, & in omni regione Iudææ & gentibus annunciabam, ut pœnitẽtiam agerent & conuertantur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Hac ex causa me Iudæi cum essem in templo comprehenderunt, & conati sunt interficere. Auxilio autem adiutus Dei usq; in hodiernum diem sto testificans paruo & magno, nihil aliud dicens q̃ ea quæ prophetæ locuti sunt futura esse & Mose, q̃ passurus fuerit Christus, q̃ primus ex resurrectione mortuorum lumen annũciaturus fuerit populo & gentibus. Hic est epilogus in quo Paulus repetit & inculcat, quod sit caput accusationis propter quam raptus fuerat a Iudæis ut interficeretur, & auxilio Dei huc usq; liberatus ad publica iudicia trahatur. Et habet hanc sentẽtiam, Non possunt Iudæi me accusare uel seditionis uel hæreseos uel defectiõis a religione Mosaica. Sed hæc est præcipua causa quare me conentur interficere, & hactenus semper accusauerint, q̃ ad obsequendum cœlestibus uisionibus & mandato Dei neglexerim mandata summorum pontificum, & prædicauerim tam inter Iudæos q̃ gentes resipiscentiam a peccatis, & admonuerim quosuis ut faciant fructus dignos pœnitẽtiæ. Breuiter, q̃ adnunciauerim omnibus hominibus sine ullo personarum respectu, tam sapientibus q̃ insipientibus, tam magistratibus q̃ infimatibus, tam nobilibus q̃ ignobilibus, ea quæ prophetæ & Mose prædixerunt de Messia, q̃ sit passurus mortem, q̃ sit e morte resurrecturus, & omnibus in ipsum credentibus salutem & uitam allaturus. Nunquid uero hoc reprehensione, accusatione aut supplicio dignum est, q̃ quis magis obsequitur Deo q̃ hominibus? q̃ quis populum ad pœnitentiam & ad faciendabona opera hortatur? q̃ quis Mosen & prophetas explicat, & honorem Messiæ de quo prophetæ & Mose scripserunt illustrat? Profecto hæc laude & præmio digna sunt. Quare iniquissime a Iudæis accusor. Cæterum ex hoc epilogo Pauli nobis obseruandum est, primum, q̃ si mandata hominum & Dei non conueniant, magis obediendum sit Deo q̃ hominibus. Non hoc dico, si conueniant, tunc enim Deo obeditur si hominibus obediatur. Magistratus præcipit, ne des operã ebrietati, execrationibus & adulterijs. Hoc idem præcipit Deus: parentes mandant, ut hoc uel illud opus ciuile facias ipsisq; inseruias, hoc idem mandat Deus. Dominus ciuilis iubet seruum agrum colere, hoc idem iubet Deus. Proinde cum hominum & Dei mãdata conueniunt, tunc mandata hominum iam non sunt hominum sed Dei, ideo q̃ ipsis ut Dei mandatis obediendum est. Si uero inter se pugnent, & contraria mandent, tunc magis Deo obediendum est q̃ hominibus. Sic pugnabant inter se præcepta pontificum & Dei, quæ Paulo dabantur. Pontifices mandauerant ut persequeretur Christianos, Deus mandauerat ut prædicaret Christum. Potius igitur

Quando magis Deo obediendum q̃ hominibus.

Deo ꝙ pontificibus obsequendum erat. Magis enim is timendus est qui potest corpus & animam in gehennam conijcere, quàm qui tantum corpus potest occidere. Hic ad tempus tantum corpus torquet, & animæ nihil detrimenti afferre potest, immo salutem eius tortura corporis propter nomen Dei adiuuat. Ille autem inobedientes torquet perpetuo, & corpore & anima, magis: igitur Deo ꝙ hominibus obediendum est. Deinde obserua Euangelion de Iesu Christo pertinere ad omnes sine ullo personarum respectu. Adnunciabam, inquit, his qui sunt Damasci primum, & Hierosolymis, & in omni regione Iudææ & Gentibus. Ac mox: Testificans paruo & magno. Est autem hoc cognitu necessarium, ad confortandam imbecillitatem fidei nostræ. Qui enim in hoc mundo abiecti sunt & inglorij, nihil ꝙ dignitatis & meritorum habent, hi audientes magnificas promissiones Euangelij, existimant eas propter humilitatem ipsorum nihil ad se pertinere. Atqui Christus dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Neminem excipit, omnes uenite, siue parui siue magni, siue iuuenes siue senes, siue digni siue indigni, siue nobiles siue ignobiles. Et Petrus: In ueritate, inquit, comperi, ꝙ Deus non sit respector personarum. Ac Paulus: In Christo Iesu non est Græcus & Iudæus, circuncisio & præpucium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia in omnibus Christus. Præterea adnotandum est Euangelion de Iesu Christo ita prædicare fidem ut etiam bona opera requirat ex fide: prædicat enim pœnitentiam. Porro pœnitentia primum quidem requirit agnitionem peccati, deinde fidem, uidelicet, ut credamus peccatum nobis propter Christum esse remissum, & Deum nobis placatum. Postremo necessario etiam requirit bona fidei opera, non ut iustificent & pro peccatis satisfaciant: accipimus enim remissionem peccatorum per fidem, sed ut testificentur fidem, ut sint exercitia fidei, quibus legi diuinæ obeditur. Proinde quemadmodum hi impie hallucinantur, qui bona opera ex fide hac opinione exigunt, quod sint satisfactio pro peccatis, & quod placent iram Dei, ita fœdissime aberrant, qui cum audiant solam fidem ex Euangelio commendari & illustrari, existimant piaculum esse bona opera iuxta legem DOMINI facere, quasi uero bona opera hominum ideo reijcerentur, quia simpliciter non sint facienda, ac non potius quia necessario quidem facienda sunt, sed non cum hac opinione quod iustificent, quod expient peccata, quod mereantur uitam æternam. Postremo significat etiam hoc Paulus in suo epilogo, quod Euangelion de Iesu Christo non sit prædicatio ab hominibus nouiter inuenta & excogitata, sed longe ante per Mosen & prophetas prædicata. Vnde Paulus ad Romanos scribens: Segregatus, inquit, in Euangelion Dei quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. Et Christus discipulis suis post resurrectionem apparens: Necesse (inquit) erat ut implerentur omnia quæ scripta sunt in Lege Mosi, & prophetis & psalmis de me. Cum igitur & nos prædicamus solum Iesum Christum esse satisfactionem pro peccatis, & non opera aut merita hominum, non prædicamus nouam religionem, quemadmodum impij hypocritæ nos accusant, sed prædicamus eam religionē & fidem quæ tradita est a patriarchis, scripta a Mose & prophetis, & prędicata & reuelata ab Apostolis. Et hæc quidem de oratione Pauli ad Agrippam, nunc & ea quæ sequuntur perstringemus: Hæc loquente & rationem reddente, Festus magna uoce dixit, in
,, sanis Paule, multæ teliteræ ad insaniam conuertunt. Hoc illud est quod aliàs
,, Paulus scribit: Nos, inquiens, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidē offendiculum, Græcis uero scandalum. Quid. n. corā humana ratiōe stultius ꝙ asseuerare eum qui turpissimo mortis genere extinctus est, non solū uiuere, sed etiam in cœlo & terra regnare, & omnes credētes in ipsum iustificare, in omnibus

Quod Euangelium ad omnes pertineat.

Necessario requirit fidei opera.

bus afflictionibus eos seruare, & ipsos ad fruendam perpetuam fœlicitatem a mortuis resuscitare, hæc enim sunt officia Christi? Sed addit Paulus, Isdem uocatis Iudæis pariter & græcis, Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam. Habes præterea hoc loco exemplum in Festo, quod impij semper habent, quod prædicatoribus Verbi Dei obijciant, ac per hãc suam incredulitatem excusent. Si doctus est qui prædicat Verbum DOMINI dicitur insanire. Sic insanus uocatur propheta qui ungit Iehu in regem Israel. Sic insanit Pharisæis Iohannes Baptista. Sic insanit hoc loco Paulus Festo. Si indoctus est, dicunt, in peccatis natus es totus & tu doces nos? Si iuuenis, unde homini inquiunt, adolescentulo hæc? Si senex, desipit, aiunt, & delirat. Quid ergo erit? quia impij nec saltant cum canitur tuba, nec plangunt cum canuntur lugubria, id eis accidet quod Christus dixit: Tolerabilius erit Sodomis in iudicio, quàm impijs Verbum DOMINI audientibus & contemnentibus. Et Paulus, non insanio, inquit, optime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Vide summã Pauli modestiam & æquanimitatem, uocabatur a Festo insanus, non tamen regerit maledictum, sed insuper honore Festum afficit, optime inquit Feste. Sed quomodo optimus erat qui erat impius Ethnicus, præterea in Paulum electum organon Dei maledicus? Quid? adulatur ne Paulus præsidi? Absit. Non enim respicit in hoc epitetho ad religionem & pietatem, qua Festus prorsus expers erat, sed ad uirtutes & dignitates ciuiles, quibus Festus præditus erat. Et decebat Paulum reum, ut iudicem & magistratum suum reuerenter appellaret, ne si fe irreuerentem erga magistratum suum gessisset, iudicaretur ex moribus Apostoli, Euangelion non approbare magistratum, quemadmodum Euangelion male a quibusdam audiebat. Prouocat autem Paulus ad testimonium regis Agrippæ dicens: Scit enim de his rex, apud quem & libere loquor. Latere enim eum nihil horum arbitror, nec enim in angulo quicquam horum gestum est. Nunquid ergo rex sciebat Christum apparuisse Paulo, & præcepisse ei, ut Euangelion Iudæis & Gentibus prædicaret? Non de hac re uocat Paulus regem in testimonium, sed de rebus gestis in tota hac religionis controuersia, quarum rerum Festus, nimirum, qui iam primum e Roma ad Iudæam uenerat, prorsus ignarus erat. Rex autem sciebat Iesum aliquot annis in Iudæa uersatum esse, & a Iudæis crucifixum, postea Apostolos eius resurrectionem ipsius a mortuis adnunciasse. Sciebat præterea Apostolos Iesu non hoc egisse ut dicerent se nouam religionem contra Mosen & prophetas prædicare, sed ueterem a patriarchis obseruatam, & a prophetis prædicatam restaurare ac confirmare. Hæc & si non ab omnibus credebantur, tamen ita acta esse in Iudea palam notum erat. Igitur Paulus non poterat rerum gestarum gnaris uideri insanire, sed uidebatur potius de rebus uulgo notis sobrie loqui. Vnde & sermonem uertit ad regem dicens.

Impij quid prædicatoribus Verbi soleant obijcere.

Credis Rex Agrippa prophetis? Hoc ideo quærit, ut omnibus auditoribus manifestum reddat, religionem Christianam non esse diuersam religionem a prophetarum oraculis, sed plane eam ipsam quam prophetæ adnunciauerunt. Non expectato autem responso Agrippæ, respondet ipse sibi, Scio, inquiens, quod credis. Profitebatur enim Agrippa Iudaismum, cuius est prophetarum oracula uera sentire. Quid ergo sibi uult Paulus hoc responso? Certe hoc uult significare, & necessario consequitur eum, qui uere sentit oracula prophetarum esse uera ac diuina, sentire quoq; prædicationem Euangelij de Iesu Christo ueram ac diuinam esse. De Christo enim prophetæ uaticinati sunt, quod sit passurus, & sit a mortuis resurrecturus, & credentes in ipsum sint iusticiam & salutem consecuturi. Agrippa autem ad Paulum ait, modica ex parte persuades mihi ut Christianus fiam. Siue Agrippa hæc ludibrio siue serio dixerit, certe

»» Paulus maxime serio respondet dicens: Opto apud Deum, non modo mo
»» dica ex parte, uerum & magna, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt
»» hodie fieri tales qualis & ego sum, exceptis uinculis his. Quàm uehemens autem hæc optio Pauli, non solum pro his auditoribus, uerumetiam pro omnibus Iudæis fuerit, testatur ipse ad Romanos scribens: Optarim, inquit, ego ipse anathema esse a Christo, pro fratribus meis cognatis meis secundum carnem. Sed quid hoc est? In hoc auditorio adest rex Agrippa, adest regina, adest præses, adsunt multi principes & duces. His tamen omnibus audet sese Paulus præponere, & præ se miseros reputare. Optat enim ut fiant qualis ipse est, quod profecto non optaret, nisi sentiret illos multo miseriores esse quàm ipse sit. Quid ergo? regna, principatus, & ducatus miseria ne sunt? & homo abiectus præstat regibus, principibus, ac ducibus? Profecto hic locus probe adnotandus est. Significat enim Paulus, ꝙ qui credit in Christum, talem habeat fœlicitatem quæ superet omnes opes & dignitates huius sæculi. Nam qui habet Christum per fidem, is habet & possidet Deum patrem. Porro cui Deus pater est, is & hæres bonorum Dei est. Qui autem hæres Dei est, quid ei deesse posset? Si Christum affert ad paupertatem, inuenit diuitias. Si ad ignominiam, inuenit dignitates. Si ad peccata, inuenit iusticiam. Si ad mortem, inuenit uitam. Breuiter, quocunꝙ feras Christum, nihil nisi uera bona reperies. Christus enim ipse est thesaurus omnium bonorum Dei. Hoc igitur possesso, thesaurus est quicquid arripueris. Qui autem a Christo alienus est, hunc neꝙ regna, neꝙ principatus, neꝙ ducatus, neꝙ diuitiæ, neꝙ dignitates, tranquillum, fœlicem ac beatum reddere queunt. Sed quo quis in hoc sæculo absꝙ Christo clarior est, eo maiora eum supplicia manent. Optimo igitur iure præponit sese Paulus in Christum credens, regibus & principibus absꝙ Christo uiuentibus: nec iniuste facturus si se præponeret, nedum æqualem iudicaret, regibus ac principibus etiam in Christum credentibus. Primum enim ministerium Euangelij quo Paulus ex reuelatione diuina functus est, superat omnia ciuilia ministeria, officia & dignitates. Deinde Paulus nihil quarumcunꝙ desyderabilium rerum minus, summis regibus & monarchis possidebat. Si spectas maiestatem, habebat Paulus maiorem inter suos auditores, quàm reges inter suos subditos. Si opes, audimus a Paulo, nihil habentes & omnia possidentes. Omnia (inquit) possidentes, qualem uocem a nullo unquam monarcha audiuimus. Si dignitates, si aulas, si glorias respicis, tanto artificio Paulus præditus erat, ut sciuerit sibi e summis contumelijs ampliſſimas dignitates, e tetris carceribus iucundiſſimas aulas, ex infamia clariſſimam gloriam efficere. Hoc autem fit per fidem in Iesum Christum. Quare comparemus nos ad exemplum Pauli, ut amplectentes Iesum Christum, fœlicitate omnes reges & principes superemus. Quid uero hic sibi uult Paulus quod excipit uincula sua. Dicit enim exceptis uinculis his? An non beati sunt qui persecutionem & uincula patiuntur propter Christum? Nonne & Paulus alias de uinculis suis gloriatur, & commemorat ea inscriptione titulorum seu epithetorum suorum, significans se uincula propter Christum in laude deputare? Ad Philemonem enim scribens, Paulus, inquit, uinctus Christi Iesu. Et ad Ephesios: Hortor, ait, uos ego uinctus in Domino. Sed quod Paulus nunc excipiat uincula sua tanquam ignominiosa, in promptu causa erit, si statum auditorum suorum consyderes. Hi enim quibus cum hic loquitur, aut sunt Iudæi aut Ethnici, Euangelio nullam fidem adhibentes, & horum iudicio uincula siue propter CHRISTVM, siue propter aliam causam abominabilia sunt. Accommodat igitur optionem suam ad illorum iudicium, ne uideatur ipsis fœda & abominanda imprecari. In oculis autem Dei & in iudicio piorum,

Quod fides in Christum omnes dignitates huius mundi superet.

piorum hominum uincula propter Christum honestissima sunt, & qui propter Christum uinciuntur, hi beati pronũciantur, non ꝙ uincula cuiquam hominum siue pio siue impio imprecanda sint, sed ꝙ Dominus hac promissione consolatur uinctos, ut animũ suum non despondeant in uinculis, sed de clementia Dei optime confidant, certi ꝙ uincula alioqui abominãda, futura sint ipsis adiumento in bonum. Cæterum cũ Paulus finem dicendi fecisset, exurrexit rex & præ ses & Berenice, & qui assidebãt eis, & cum secessissent loquebantur ad inuicem dicentes, ꝙ nihil morte aut uinculis dignum fecerit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si nõ prouocasset ad Cæsarem. Iterum pronunciatur Paulus innocens, idꝙ non ab hominibus sordidioris notæ, sed a rege & principibus. Quid ergo Iudæi falsis suis accusationibus & calumnijs aliud effecerunt, cũ ꝙ innocentiam & gloriam Pauli magis illustrarint? Non igitur timendæ sunt calumniæ, sed timendus est Dominus Deus noster, & danda est opera innocentiæ. Sic enim fiet, ut quicquid calumniarum inuidi aduersus nos intentauerint in maximam nominis nostri gloriam cessurum sit per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

CAPVT. XXVII.

HOMILIA CXV.

HACTENVS DESCRIPSIT LVCAS PEricula Pauli, quæ postquam Hierosolymis captus est, subijt sub prꝛsidibus Iudææ. Nũc describit pericula eius quæ acciderunt ipsi in mari, nauiganti ad Cæsarem Romanum, ad quem antea prouocauerat. Ait ergo: Vt autem decretum est (nimirum a rege Agrippa & præside Festo) ut nauigaremus in Italiam (Fuit enim Lucas qui hæc scripsit individuus comes Pauli, & harum rerum αὐτόπτης, unà quoꝙ cum Paulo Romã profectus est) tradiderunt & Paulum & quosdam alios uinctos Centurioni nomine Iulio, cohortis Augustæ. Primũ omnium ex eo ꝙ uincti a Cæsarea ad Romam missi sint, apparet Romanos ordinationem legum suarum & publici iuris grauissime administrasse, & a prꝛsidibus ac regibus Romano imperio subiectis seuerissime exegisse. Quid enim & rex Agrippa & præses Festus tam longa & periculosa nauigatione, qualis est a Cæsarea ad Romam, tanto quoꝙ impendio & sumptu, tum captiuorum tum militum captiuos custodientium, uinctos Romam misissent, nisi seueritas administrãdi publici iuris id extorsisset? Atꝙ hæc est non minima causa propter quam fines imperij Romani tantum dilatati sint, quantum olim dilatatos fuisse historiæ testantur. Non enim armis, non potentia gladij, sed potissimum grauitate & seueritate administrandarum publicarum legum non solum conseruatur, uerum etiam dilatatur imperium, & regna parantur quidem armis, sed seuera æquitatis administratione retinentur. Nebucadnezar, quamuis impius, iuste tamen bellauit contra Tyrum, & seueriter iuxta publicas leges in eos animaduertit. Proinde pollicetur ipsi Dominus per Ezechielem dilatationem imperij sui dicens. Nebucadnezar rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, & merces non est ei reddita. Ac mox. Ecce ego dedi ei terrã Aegypti pro eo ꝙ laborauerit mihi, ait Dominus Deus. Sic Cyro regi Persarum, ꝙ Iudæos durissime sub imperio Babylo

Romanum imperium quibus rebus auctum sit.

nio tractatos ac iam satis afflictos, clemẽter ad suam patriam remiserit, promittit Deus & regna & thesauros, dicẽs per Esaiam: Subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum uertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ac mox: Dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorũ, ut scias quia ego Dominus, qui uoco nomẽ tuum Deus Israel propter seruum meum Iacob & Israel electum meum. Habes seueritatem magistratuum erga sontes, & clementiam eorum erga insontes, hoc est, administrationem publicæ iusticiæ, causam esse propter quam diuina ordinatione fines imperij proferãtur. Contra uero neglectus publicæ iusticiæ, certissima internitionis imperiorum causa est. Si iudicia (inquit Dñs) mea non seruaueritis, disperdam terram uestram, & stupebunt inimici uestri. Et Esaias: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij, iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argẽtum tuum uersum est in scoriam, uinum tuum mixtum est aqua, principes tui infideles socij furũ, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad eos. Sed audi quid sequitur: Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel, Heu ego consolabor super hostibus meis, & uindicabo de inimicis meis. Quæ cũ ita se habeant, danda est magistratibus opera, ut si cupiant fines imperij sui conseruare & dilatare, non inducant in animum se id feliciter tyrannide, uiolentia & impostur is posse, sed tum demum id fœliciter consequentur, si iusticiam seueritate & clementia administrent. Deinde cũ dicitur Paulum traditum esse Centurioni unà cum alijs uinctis, obseruandum est in Paulo quæ sit sors sanctorum in hoc sæculo. Alij enim uincti, aut erãt homicidæ, aut seditiosi, aut sicarij, aut alio scelere nobiles. Paulus autẽ erat innocentissimus, & habebat innocentiæ suæ testimoniũ a regibus & principibus, nihilominus tamen unà cum publice sceleratis computatur. Ecce hanc sortem habent sancti in hoc sæculo, qꝙ licet sint ab omni crimine quod in humanum iudicium cadit alieni, tamen inter sceleratos habentur sceleratissimi. Sic Christus ipse crucifixus est medius inter duos latrones, quemadmodũ & propheta antea de ipso prædixerat: Cum sceleratis (inquit) deputatus est. Quod igitur in capite Christo factum, non mirum est si & in membris fiat. Sed sicut hæc ignominia capiti Christo in maximam gloriam cessit, ita quoꝙ membra eius eo honoratiores coram Deo fiunt, quo ignominiosius in mundo tractantur. Ascendentes autem
» nauem Adramyttenam (ab Adramyttide insula Lycię sic dictam. Fortassis quia
» in ea naui merces ex Adramyttide aduehebãtur, quemadmodum nos uocamus
» naues Francofordianas, quæ ad illud emporium merces conuehũt, & ab eo mer
» ces auehunt) nauigaturi circa Asiæ loca soluimus, perseuerante nobiscum Ari
» starcho Macedone Thessalonicẽsi. Hic mihi uide exemplum quo Deus comprobat fidelitatem suam, qꝙ non sinat credentes in ipsum tentari supra id quod possint, sed faciat unà cum tentatione euentum quo queãt sufferre. Nam Paulus imponebatur uinctus in nauim unà cum sceleratis, & tantis periculis obijciebatur, ut iam uideretur omni humana consolatione destitutus, quippe qui necesse habebat in naui sub custodibus militibus & cum sceleratis uitam agere. Quæ autem posset inter hos ulla animi refocillatio in tantis mœroribus contingere? At uide bonitatem Domini. Hic enim adiungit Paulo in hac nauigatione comites individuos, Lucam & Aristarchum, ut horum conuictu aliquantũ solacij in suis afflictionibus habeat. Fuit autem hic Aristarchus uir ualde pius, qui & multa cũ Paulo aduersa propter nomen Christi passus est. In capite huius libri undeuicesimo ita de hoc Aristarcho scribitur. Impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Et mox capite uicesimo: Comitatus est eum usqꝙ ad Asiam Sopater

Neglectus publicæ iusticiæ quantũ malũ

Sors sanctorum in hoc sæculo.

Exemplum fidelitatis Domini erga suos.

Sopater Berrhœensis. Thessalonicēsium uero Aristarchus. Et Paulus ad Colossenses scribens: Salutat, inquit, uos Aristarchus cōcaptiuus meus. Porro autem Deus non solum hac in parte beneuolentiam suam erga Paulum declarauit q̄ adiunxerit ei solacij causa comites amicos, sed etiam q̄ reddiderit ei Centurionem amicum. Sic enim sequitur: Sequenti autē die appulimus Sidonem. Humane aūt tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire & se curare. Si Centurio permisit Paulum liberum amicos suos inuisere, cur Paulus postea ab amicis curatus rediit ad uincula? cur nacta opportunitate non fugit? cur data occasione non permisit ut amici clam eum per murum in sporta submitterent, quem admodum in Damasco fecerant? Non enim est (inquis) tentandus Deus, sed utendum est propositis opportunitatibus. Recte dicis, non esse tentādum Deū, nec esse negligendas datas occasiones, sed ita demum ne interim quicquam iniuste aduersus Deum designes, & uerbum eius non uioles. Si enim occasio eiusmodi est, quæ per uerbum Domini licet, omnino arripienda est. Si autē per uerbum Domini non licet, repudianda est & sequenda uocatio Domini quocunq̄ periculo. Nunc ergo uide mihi num licuisset hoc in loco Paulo fugere. Etenim si fugisset, nonne coniecisset sua fuga Centurionem in periculum, & anima Centurionis ignaui custodis, pro anima Pauli fugitiui requisita esset? Iniquissimum autem est sua commoda alterius incommodo quærere, id quod lex in naturæ ingenio scripta explicat. Quod tibi non uis fieri alteri ne feceris. Et hanc legis partem uiderunt etiam Ethnici: Si duo (inquiunt) naufragi in una tabula sint, quæ ambos simul ferre non possit, qui bonus uir est, is cessurus est eam alteri, & potius aquis se committet, q̄ ut alterum deturbando sibi salutem querat. Commendāt quo q̄ historiæ gentium Caium Plotinum a iustitia, quod cum esset Romę a Triumuiris proscriptus, & serui eius ad prodendum dominum latitantem torquerentur, maluerit in medium procedere & iugulum suum gladijs militum obijcere, q̄ sustinere, ut fideles serui sui amplius cruciarentur. Ita q̄ si hæc iustitiæ pars Ethnicis non solum cognita, uerumetiam aliquatenus obseruata est, quanto magis necesse habebat Paulus eam obseruare, cuius quoq̄ exemplo omnes Christiani admonētur, ne proximi damno sua lucra & alterius incommoda sua commoda sectentur. Sed audiamus nūc uarios casus nauigationis Pauli. Et inde cum soluissemus, nauigauimus propter Cyprum ad leuam, propterea q̄ essent uenti contrarij (alioqui enim commisissemus nos spacioso mari) & nauigantes pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ, uenimus Myram, quæ est in Lycia, & inueniens Centurio nauem Alexandrinam nauigātem in Italiam, transposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, & uix cōtra Cnidum perrexissemus, prohibente nos uento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem. Et uix iuxta nauigantes uenimus in locum quendam qui uocatur Boniportus, cui uicina erat ciuitas Lasæa. Quid ad nos, inquies, ubi Paulus appulerit, & quā maris partem emensus sit? Certe q̄ Lucas nauigationem Pauli tam diligenter describit, nec superuacaneum nec inutile cognitu est. Commemorat enim nauigationem Pauli, ut quemadmodum antea descripsit pericula, quæ sustinuit Paulus in terra, ita & nunc describat pericula quæ sustinuit in mari. Cum autem legimus Paulum uaria eaq̄ maxima pericula in mari subijsse, in mentem nobis ueniat q̄ dispar sit sors & piorum & impiorum in hoc sæculo. Nam sacrilegi, ut impius Dionysius gloriabatur, secundos uentos & prosperas nauigationes habent. Paulus autem omni genere pietatis præditus, & comites eius aduersos uentos & periculosissimam nauigationem ferre coguntur, qua re quid iniquius, quid iniustius dici potest? Sed ad hæc Deus ideo conniuet, ut impij fœlicitate huius sæculi infœliciores in futuro reddantur. Proponuntur autem hi casus nobis in scriptura,

Occasio uitandi periculi quatenus probetur.

C. Plotini iustitia.

ne fœlicitate impiorũ offendamur, & a uera pietate deficiamus, sed potius ut exemplo piorum constantes ad conseruandam pietatem in maximis etiam aduersis perduremus. Accedit huc, q̃ & ob illam causam Lucas pericula Pauli in mari tam diligenter recẽset, quia hac commemoratione uult significare q̃ probe constet promissio Dei, nec ullis queat discriminibus, quantumuis magnis, mendax reddi. Dictum enim erat diuinitus ad Paulum: Vt testificatus es de me Hierosolymis, sit te oportet & Romæ testificari. Vide autem quantis periculis Paulus obijciatur in mari, ita ut morti uicinus esset, & promissio Dei uideretur mendacissima. Nunc enim aduersis uentis huc illuc iactatur, nunc inediam multorum dierum in naui sustinet, nunc naufragium patitur, ut e mare enatare cogatur. Breuiter, quoties procella in mari imminet, toties mors Paulo ob oculos ponitur. Inter tanta tamen pericula incolumis seruatur & ad Romam peruenit, ut cõstet ueritas promissionis dei. Quare hoc exemplo discamus, nulla aduersa tanta esse, ut possint efficere, quo promissio Dei fallat. Si autem non fallit, nihil reliquum est, nisi ut excussa omni dubitatione, firmam fidem ei adhibeamus, ac perpetuam fœlicitatem cõsequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CXVI.

IMposuimus Paulum in nauem Alexandrinam, & circumueximus eum usq; ad locum in insula Creta, qui uocabatur pulchri portus. Videamus igitur nunc, siquidem hoc nobis citra periculum licet, quanto discrimine, q̃ periculoso naufragio reliquum maris emetiatur. Multo aũt tempore (inquit Lucas) peracto, & cum iam non esset tuta nauigatio, eo q̃ ieiunium iam præteriisset, admonebat eos Paulus dicens: Viri, uideo q̃ cum iniuria & multo damno non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarũ, incipit esse nauigatio. Principio requiri solet hoc loco, de quo ieiunio hic fiat mentio cum Lucas dicit, eo q̃ iam præteriisset ieiunium. Certe manifestum est q̃ non possit intelligi de ieiunio quadragesimali, quod nondũ eo tempore institutum erat. Sunt igitur qui intelligunt de ieiunio Iudaico, alij uero quia uident Centurioni & nautis nihil rei fuisse cum Iudaico ieiunio, sentiunt hunc locum ita reddendum esse, cum iam esset periculosa nauigatio, ob id quoq; q̃ iam ultra tempus sustinuissent inediam, uidelicet, quia propter mœsticiam, qua in aduersa nauigatione afficiebantur, non sumpserant cibum. Sed qui hoc de Iudaico ieiunio intelligunt, melius mihi sentire uidẽtur. Lucas enim scriptor horum Actorum, non respicit ad religionem Centurionis & nautarum, sed ad suam, hoc est, Iudaicam religionem, & iuxta ritus huius religiõis tempus cõputat. Nautæ enim quærebant portum idoneum ad hyemandum, quod indicat hyemem iam in propinquo fuisse. Ieiunium autem Iudaicum, quod uocant festũ expiationis, obseruatur septimo mense, decima die mensis. Sic enim scriptum est in Leuitico capite decimosexto: Mense septimo, decima die mensis affligetis animas uestras religione perpetua. In hac die expiatio erit uestri atq; mundatio, ab omnibus peccatis uestris coram Deo mundabimini. Hoc autem tempus fere autumni tempus est ac initium hyemis. Commode igitur Lucas ieiunij Iudaici meminit, ut significet nauigationem ideo periculosam fuisse quia iam instaret hyems. Cæterum ut hoc obiter adijciam, ieiunium istud non fuit in lege Mosi institutum, ut iudæi ex hoc opere operato, ut uocant, pro peccatis satisfacerent, ac scelera sua coram iudicio Dei expiarent. Sed ut hoc opere publice testarentur

» » » » »

IEIVNII IVDAICI RATIO.

ſtarentur ſua peccata, ac confiterentur, ſe ob peccata ſua dolere. Ieiunio enim & abſtinentia cibi indicatur mœror animi, & in luctu nullus cibus ſuauis eſt. Atq; hactenus profuit hoc ieiunium, uidelicet, ad teſtandum luctum animi propter peccata. Lugere autem & affligi propter peccata, nondum eſt ſatisfactio & expiatio peccatorum coram Deo, alioqui etiam impij qui propter peccata affligun tur, pro peccatis ſuis ſatisfacerent, & Iudas ſe ſuſpendendo peccata ſua reſti expiaſſet. Sed requiritur ut poſt luctum & terrores addas fidem, & credas q; propter ſemen Abrahæ, hoc eſt, propter Chriſtum habeas remiſſionem peccatorum. Solus enim Ieſus Chriſtus eſt ſatisfactio pro peccatis & iuſtificatio noſtra. Per ſolam igitur fidem in Ieſum CHRISTVM contigit nobis remiſſio peccatorum & iuſticia coram Deo. Sed de his alias ſæpe. Redeamus igitur ad nauigationem Pauli. Cum enim propter inſtantem hyemem periculoſa eſſet nauigatio, admonet Paulus Centurionem & eos qui in naui erant, ut non amplius nauigarent, ſed ut ad portum appellerent & in Creta hybernarent. Nam periculum eſt, inquit, ſi ultra nauigemus, ne non ſolum onera & nauem, ſed etiam uitam noſtram naufragio amittamus. Quid audio? times ne Paule ne marinis fluctibus obruaris? at ubi eſt fides tua in promiſſionem Dei, oportet te Romæ de me teſtificari? Sed abſit ut arguamus hoc loco Paulum impietatis aut imprudentiæ. Q; enim admonet Centurionem & nautas ut in Creta hybernent, non eſt timida incredulitas, ſed prudẽtia fidei. Etenim Paulus uſu didicerat, quod eſſet ingenium maris & uentorum hyberno tempore. Ter (inquit) naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in periculis fluminum, periculis in mari. Experientia igitur cognouerat, nauigationem hybernis menſibus minime tutam eſſe. Fides autem in promiſſionem Dei non debet eſſe temeraria ſed prudens, & tum demum ſe manifeſtis periculis obijcere, cum non pateat pius ad tutiora receptus. Vbi uero ob oculos ponitur nõ iniuſta ratio deuitandi pericula, ibi certe occaſio diuinitus oblata non eſt negligenda. Ita q; Paulus hortatur ad hybernandum in Creta, non eſt timor mortis aut incredulitas, ſed potius pia eſt prouidentia, ne & ipſe & hi qui ſimul nauigant manifeſtis periculis ſeſe temere exponant. Iam & philoſophi docuerunt temere ſine cauſa ſeſe manifeſtis periculis offerre non eſſe fortis & conſtantis animi, ſed potius hominis inſani & dementis, ac beluis magis quàm hominibus congruens. Hoc autem magnanimum uirum decet, ante pericula quidem caute & prudenter de rebus conſultare, in periculis autem fortiter conſtare. Proinde, ſi Paulum etiam ad Ethnicorum doctrinam exigas, multo fortior & magnanimior eſt omnibus reliquis in naui, propterea quod hi quidem initio audaciſſimi & magniloquentiſſimi ſint, priuſquam appareat naufragium. Sed poſtea ubi res uiros poſtulat, ibi plane animum deſpondent. Ille autem ante naufragium caute & prudenter de fugiendis periculis admonet, poſt uero in naufragio longe omnium confidentiſſimus eſt, id quod ſequentia indicabunt. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat quàm his quæ a Paulo dicebantur. Quanquam enim Centurio magna beneuolẽtia Paulum ut probum uirum complectebatur, tamen exiſtimat naucleros plus experientiæ habere in rebus nauticis quàm Paulum, & reſpicit non cauſas cõſilij quas commemorauit Paulus, ſed perſonas conſultantium. Hoc autem non eſt prudentia, ſed cæcutientia. Tametſi enim in dubijs periti rerum conſulendi & audiendi ſunt, conſilium tamen eorum non æſtimandum a perſonæ ipſorum authoritate, ſed ab ipſis cauſis, a rationibus, quibus ad dandum tale uel tale conſilium mouentur. Et interim non eſt obliuioni tradendum prouerbium uulgo iactatum: Sæpe etiam eſt olitor ualde opportuna locutus. Sicut enim in rebus Eccleſiaſticis accidere ſolet, ut ſapientes ſtulti fiant, ita & in rebus ciuilibus pruden

Quatenus pericula ſint deuitanda.

,,
,,

Cõſilia ab ipſis cauſſis et non autoritate perſonæ æſtimanda.

tes interdum delirant. Neq; id temere fit, sed diuina dispensatione. His enim exemplis Deus nos admonet, ut sentiamus benedictionem rerum non ab humana prudentia, sed a diuina liberalitate proficisci, & ut assuescamus non humana industria (ea enim & in Ecclesiasticis & in ciuilibus rebus sæpe errare solet) sed diuina misericordia confidere. Proinde in rebus dubijs consulendi quidem sunt sapientes, ne contemnẽdo dona Dei, Deum ipsum contemnamus & tentemus: sed tamen id quod optimis rationibus comprobatum est, siue id a rerum perito, siue imperito dictum sit sectandum est. Sequitur autem: Et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plærisq; uisum est soluere inde, si quo modo possent ad Phœnicem, qui est portus Cretæ uersus Aphricum & Chorum (sunt autem hi uenti occidentales) applicare, ut ibi hybernarent. Aspirante autem austro (qui est uẽtus meridionalis) rati se propositi compotes fore, cũ soluissent uersus Asson, legebant Cretam. Quid ergo? num quia spirabat secundus uentus, nautæ prudentius Paulo de nauigatione consultarunt? at nautæ sententiam suam non ex futuris periculis, sed ex præsenti euentu aliquatenus fœlici concipiunt. Stultissimum autem est e præsenti euentu exitum rei æstimare. Habẽt enim prosperrima initia plærunq; infœlicissimas fines, & contra, infœlicissima initia sæpe prosperrimos fines habere solent, id quod etiã huius loci exemplo probatur. Non multo enim post (inquit Lucas) coortus est contra nauem uentus Typhonicus, qui uocatur Euroaquilo. Numeratur autẽ is uentus inter repentinos flatus, & dicitur præcipua nauigantium pestis, non antennas modo, uerum ipsa nauigia contorta frangens. Cunq; arrepta esset nauis & non posset resistere uento, fere bamur permissa naue flatibus: in insulam autem quandam decurrentes quæ uocatur Clauda, uix potuimus obtinere scapham, quam sustulerunt & usi adiutorijs alligauerũt naui (uel ut alij interpretati sunt, subcingentes nauem) timentes ne in Syrtim (quæ est locus arenosus in Aphrico littore) & submisso uase (uide licet ad retardandum impetum nauis) sic ferebamur. Valida autem nobis tempestate iactatis, sequẽti die iactum fecerunt, & tertia die proprijs nostris manibus armamenta nauis abiecimus. Neq; autem sole neq; syderibus apparentibus per plures dies & cum grauis tempestas esset, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Hic mihi uide maximam tempestatẽ & extremum periculum, in quod temeritas nautarum coniecit Paulum & alios simul nauigantes. Hic nunc uidet Centurio quid sit non causas consiliorum sed personas consultantium respicere. Attamen quod temeritate commissum est, prudentia resarcire conantur. Proiecerunt enim & onera & armamenta nauis in mare, quo mare subleuarent, maluerunt q; omnia sua bona in mari perdere, q̃ his seruatis uitam amittere. Vtinam & nos in sectanda pietate hanc prudentiam nautarum imitaremur. Quid enim uita nostra in hoc sæculo aliud est q̃ quod nauigatio in mari. Nam qui in mari nauigant, aduersis tempestatibus nunc huc nunc illuc ita iactantur, ut semper ob oculos positam mortem habeant, & quæ possident in naui, oneri sint, non usui, & impedimento, non commodo. Quare necesse habent ea, si uelint seruari, in mare proijcere. Sic qui in hoc sæculo uiuimus, tantis subinde periculis nunc huc nunc illuc impellimur, ut toties fere nobis mori uideamur, quoties discrimen aliquod subimus. Et in tantis aduersitatibus, quæ alioqui in hoc sæculo commoda apparent, ut diuitiæ, honores, gloria, sanitas, potentia, & id genus alia, ea nobis nonnunquam salutem nostram maxime omnium remorantur. Quid ergo faciendum est? omnino abijciendum quicquid salutem nostram impedit. Si manus tua uel pes tuus (inquit Christus) obstaculo est tibi, abscide eum & proijce abs te, bonum est tibi ad uitam ingredi claudum, aut mutilum potius, quàm duas manus uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.

Vita humana nauigationi comparata.

Sed

Sed quomodo, inquies, abijciam diuitias & alias huius sæculi beatitudines, ne ueram beatitudinem amittam? Nõ hoc sentiendum est q̃ necesse habeas eas abijcere ciuiliter, aut externe. Sed hoc est plane necessarium, ut abijcias eas in animo tuo non confidas eis, non colloces in eas tuam fœlicitatem. Vtaris autem ipsis iuxta uocationem Dei. Quod si uero acciderit, ut aut uocatio Dei deserenda est, aut diuitiæ relinquendæ sunt, tunc necesse habes si saluus esse uelis diuitias potius, etiam ciuiliter & externe relinquere, quàm uocationem Dei deserere. Qui uero ita sua reliquerit, audi qua compensatione ea recepturus sit. Omnis, inquit Christus, qui reliquerit domos aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sorcietur hæreditatem, ad quam nos perducat DOMINVS noster Iesus Christus, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen. *Diuitiæ quomodo abijciantur.*

HOMILIA CXVII.

Dixit Lucas tantam exortam esse tempestatem in mari, ut his qui in naui erant, omnis spes salutis auferretur. Audiamus igitur quomodo in his periculis sese gesserit Paulus.

Et cum multa (inquit) inedia esset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit: Viri, mihi oportuit auscultare, & non soluere a Creta lucriq; facere iniuriam hanc & iacturam. Et nũc adhortor ut bono animo sitis, amissio enim nullius animæ erit ex uobis præter nauis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego, & cui seruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari oportet te sisti, & ecce, donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum, propter quod bono animo estote uiri. Credo enim Deo, q̃ sic erit quemadmodum dictum est mihi. Ad insulam autem quandam oportet nos applicare. Ex hac oratione Pauli obseruandum est, primum q̃ Paulus unà cum alijs maximo timore propter tempestatem correptus fuerit. Quia enim dicit, angelum ei astitisse, & ipsum cõsolatum esse, ne timeat, satis ingenue fatetur, non minus ipsi quàm alijs spem salutis ablatam fuisse. Dicitur enim Deus adiutor in necessitatibus & tribulationibus. Cum igitur Deus hoc loco Paulum apparitione & consolatione sua misso angelo adiuuerit, manifestum est Paulum in magna afflictione animi sui extitisse. Cum em̃ haberet ob oculos tempestatem periculosissimam, & multis diebus mortem miser unà cum alijs semper expectaret, quid aliud ei Caro quæ semper repugnat spiritui, suggessisset, quàm promissionem DOMINI qua dictum erat, oportet te Romæ de me testificari, falsissimam & mendacissimam esse? adeoq; Deum esse merum impostorem & ueteratorem, qui uerbis multa promittat, re autem ipsa nihil præstet. Si enim in hac promissione fallat, quomodo non in alijs quoque, in quibus pollicetur remissionem peccatorum & uitam æternam, falleret. Qui semel, aiunt, malus, semper præsumitur malus. Quis igitur tali Deo crederet aut seruiret? Has certe aut non dissimiles blasphemias carnem in Paulo meditatam esse, ex eo uerbo conijci potest quod angelus dicit, Ne timeas: non enim mortem solum timuit, sed ne si moriatur, promissio Dei mendax inueniatur. Si autem Deus mendax est, ubi est remissio peccatorum? ubi uita æterna? quæ si mendacia sunt, quid relinquitur nisi perpetua mors & sempiterna damnatio? Quid ergo facit Paulus in tanta mortis & damnationis formidine? Alij quidem in tam horrendis periculis comprehensi, aliud facere solent. Ethnicus Castorem & Pollucem, qui credebantur esse Dij maris, aut Neptu- *Carnis fugge stus in pericu lis.*

num inuocat. Iudæus uouet se multa holocausta oblaturum si saluus euadat. Hypocrita Christianus uouet peregrinationem ad Diuam Virginem cum cæreolo si enatauerit incolumis. Alius nihil agit nisi quod miseram suam fortunam iteratis questibus deploret. Alius audet etiamnum cum deo expostulare, & crudelitatem eius accusare. Quid multa? omnes, qui tantis periculis obruti, uera fide in DOMINVM carent, animum suum prorsus despondent, ac de salute sua desperant. Quid ergo Paulus agit? non cõsentit in blasphemias, quas caro propter aduersam tempestatem suggerebat, non ad extremum de salute sua desperat, nec inuocat sanctos quosdam patriarchas, Abrahamum aut Mosen, nec ullam uouet peregrinationem ad templum Hierosolymitanum, aut ad montem Synai, sed recta petit ad cœlum, ac inuocat DOMINVM Deum suum, Cuius sum, inquit, & cui seruio. Et quanto magis caro propter præsentia pericula ad desperationem sollicitabat, tanto magis instabat spiritu & oratione, uidelicet, nullam esse tempestatem tam grandem, quæ possit promissionem DOMINI falsam reddere. Cœlum & terra transibunt, Verba DOMINI non transibunt. Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur dicit miserator tuus DOMINVS. Huc quoque facit exemplum Ionæ, quod uerisimile est Paulo in his periculis occurrisse. De Iona enim ordinatum erat diuinitus, ut ad Niniuen proficisceretur, & illic Verbum DOMINI adnunciaret. Quod cum ille detractaret & in naui fugeret, proiectus est in mare, & absorptus a ceto. Quod ergo ordinatum erat a Deo, impediebatur? nequaquam, coactus enim fuit cetus Ionam euomere saluum, ut ministerio ad quod destinatus erat defungeretur. Si hoc Ionæ uocationem Dei fugienti contigit, quid contingeret Paulo uocationem DEI sectanti? His igitur, aut non dissimilibus confirmatus Paulus in fide, orabat DOMINVM ut etiam nunc promissionem suam impleret, ac se seruaret. Itaq; mittit DOMINVS angelum suum per quem consolatur Paulum. Ac primum quidem reuelat ipsi quod sit incolumis euasurus & Cæsari sistendus. Deinde quod propter ipsum omnes alij qui in naui existunt, seruandi sint. Postremo quod in insulam quandam eijciendi sint, & nauis tantum peritura sit. Hæc omnia ex oratione Pauli manifesta sunt, in qua profecto multa obseruanda ueniunt. Principio, quod DOMINVS præsto adest Paulo in summa afflictione, & adiuuat eum consolatione, significat, DOMINVM Deum nostrum eo præsentiorem suis laborantibus adesse, quo maior est aduersa tempestas & uehementior laborantium oratio. Deinde quod Paulus uisam reuelationem & acceptam consolationem non reticet, sed palam enarrat, monet nos, ut quæ dona nobis Deus clementer contulit, ea alijs quoque candide communicemus. Vnde in posteriori ad Corinthios epistola capite primo scribens, ita ait: Benedictus Deus, & pater DOMINI nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra, in hoc ut possimus consolari eos qui sunt in quauis afflictione, per consolationem qua nos ipsos consolatur Deus. Quod de consolatione nobis impartita diximus, idem intelligendum est de diuitijs, sapientia, fortitudine, potentia, & alijs donis Dei, quæ certe non ideo nobis conferuntur, ut nos soli illis fruamur, sed ut his etiam proximis nostris subueniamus. Iam neque hoc negligẽter consyderandum est, quod Paulus in principio orationis suæ obiurgat quidem eos quorum culpa in tantam tempestatem deuenissent, sed obiurgat eos paucissimis, & modestissime. Postea autem pluribus eos consolatur, & euadendi modum ostendit. Hoc exemplo

In periculis quid pij faciant.

IONAE *exemplũ.*

Dona Dei alijs esse communicanda.

plo docet Paulus modestiam. Sunt enim morosi quidam & odiosi homines qui ante pericula nullam prudentem rationem in consultando afferre queunt, & in periculis nihil minus norunt quàm docere, quid in præsentia faciendum sit, ac quomodo periculum uitari possit: hoc tantum sciunt, cum res male euenerit, superiora consilia reprehendere, idq; molestissime inculcare, ac tum demum sapiunt cum accepta est clades. Atqui nihil facilius est quàm obiurgare & præterita insectari. Hoc autem demum prudentis & boni consultoris est, ante quidem pericula præuidere, & cauere, in periculis autem rationem aut perferendi aut euadendi periculi demonstrare. Igitur qui non est hoc prudentiæ dono prædi- *Boni consultoris proprium*
tus, is quoq; non sit molestus sua obiurgatione, ne calamitatem calamitati, miseriam miseriæ adijciat. Cæterum quod Paulo donantur omnes qui sunt in naui (erant autem ducenti septuaginta sex) & seruantur propter Paulum incolumes, idem quoq; alias sæpe scriptura indicat, quod multi etiam mali propter unum pium hominem in periculis seruati sunt. Propter Nohe seruatur familia eius in diluuio. Propter Loth seruantur ciues Zoar ab incendio. Propter Mosen seruantur Israëlitæ. Propter Rahab liberatur familia & cognatio eius in Iericho. Propter Samuelem liberantur Israëlitæ a Philistinis. Quid ergo his exemplis sibi uult DOMINVS Deus noster? num ut sancti in DOMINO dormientes ut dij colantur, & in periculis tanquam auerruncatores malorum & liberatores more hypocritarum inuocentur? Nequaquam. Exempla enim quæ commemorauimus de sanctis qui eo tempore adhuc uitam in hoc sæculo degebant, non de ijs qui in DOMINO obdormierant, intelligenda sunt. Dices ergo: Si sancti adhuc in carne existentes potuerunt quosdam liberare, quomodo id non poterunt iam cum Christo regnantes? Si autem id possunt, cur non deberent inuocari? Sed ut maxime uerum sit, sanctos qui cum Christo in cœlis uiuunt, pro nobis orare, ut & angeli orant, attamen id quod solius Dei est, non est sanctis tribuendum. Solus autem Deus est auxiliator in necessitate, & solus Deus iuxta primum præceptum decalogi inuocandus est. Igitur sancti non sunt tanquam auxiliatores inuocandi. Sed iterum ais: Non inuocamus sanctos ut Deum, sed sub Deo. At DOMINVS Deus noster Deus zelotes est, nec ferre potest, ut uel minima pars maiestatis suæ ipsi detrahatur & creaturæ tribuatur. Aut totus hominem derelinquit, aut sine riuali uult coli. Rursus audio: Licet sanctos adhuc uiuentes rogare ut DOMINVM pro nobis orent, cur non liceret & mortuos inuocare? Sed audi tu uicissim. Rogare uiuentes ut pro nobis Deum orent, non est uiuentes inuocare, sed monere & exhortari, ut id faciant, quod alioqui facere ex officio Christiani hominis debent. Itaq; si existimas sanctos cum Christo regnantes in cœlis, tam torpidos tam ignauos esse, ut egeant tua admonitione, quid reliquum est, nisi ut & ipsos officij sui admoneas? Absit autem, ut talia de sanctis cogitemus. Ac non impium quidem esse censeo sine superstitione optare, ut Petrus aut Paulus pro nobis oret, nullo tamen nec præcepto nec exemplo scripturæ nobis demandatum est, ut publicas sanctorum litanias & inuocationes instituamus, multo minus concessum est ut ipsos in periculis tanquam seruatores imploremus, & uota eis nuncupemus. Quanquam enim interdum alius propter alium seruatur, tamen is propter quem alius seruatur, non est ob hanc causam diuino honore afficiendus. Sed est ut organon DEI pro sua ratione uenerandus. An non sæpenumero DOMINVS DEVS noster nutrit ignauum parentem propter multitudinem liberorum eius, quos DEVS non uult ut fame pereant? Ergo ne præcipiemus huic parenti, ut procumbat in genua, *An sanctitatis quã seruatores sint inuocandi.*

& inuocet liberos suos tanquam seruatores? Minime, hoc enim esset docere idololatriam, sed monendus est parens, ut agnoscat diuinam clementiam, ab ignauia cesset, & liberos suos in timore DOMINI iuxta suam uocationem educet, hic enim est honor, quo liberi a parentibus afficiendi sunt. Nonne milites sæpe prudentia ducis sui a præsentaneis insidijs hostium seruantur? Ergo ne iustum erit ut milites ducem pro deo adorent, templa ei statuant, & in nomine eius sacrificent, quemadmodum Ethnici fecerunt? Nequaquam, sed monendi sunt, ut ducem suum pro sua ratione uenerentur, hoc est, ut bene de ipso sentiant, ut uirtutes eius commendent, ac imitentur, ut præceptis eius in milicia obediant, & ipsum omni ciuili honore afficiant. Hæc est ueneratio quæ prudenti & strenuo duci a militibus debetur. Sic & si quidam propter sanctos adhuc uiuentes in periculis seruentur, tamen sancti demortui non sunt propterea ut seruatores inuocandi. Tota enim salus & liberatio clementiæ DOMINI Dei nostri accepta ferenda est. Sancti autem si adhuc uiuant, omni ciuili honore tractandi sunt, & Verbo Dei quod prædicant obediẽdum est. Si autem in DOMINO obdormiant, bene de ipsis sentiendum est, reuerenter de eis loquendum est, doctrina Dei quam uiuentes docuerunt, capessenda est, uirtutes eorum commendandæ & imitandæ sunt. Hic enim est legittimus honor qui sanctis conuenit, & quem illi agnoscunt, abominantes alioqui eos qui ipsos superstitiose & impie colunt. Sed nolumus nunc copiosam disputationem de inuocatione & ueneratione sanctorum instituere. Quare ad Paulum redeamus, & uideamus quid sibi uelit Deus hoc exemplo, quod propter Paulum omnes eos qui in naui erant seruarit. Ac paulo ante diximus, Deum non seruasse ipsos ut significet, sanctos tanquam seruatores inuocandos esse. Ergo ne seruauit eos propter Paulum, ut declaret Paulum superare omnes alios Christianos iusticia & sanctitate? Neq; hæc causa dicenda est. Quod enim ad iusticiam & sanctitatem coram Deo attinet, ea una est & eadem omnium piorum. Non enim est alia iusticia coram Deo quàm remissio peccatorum propter Christum, & solus Christus est sanctitas credentium in ipsum. Sicut ergo unus & idem est Christus, & remissio peccatorum propter Christum, ita una & eadem est iusticia & sanctitas omnium piorum coram Deo. Nec habet Paulus maiorem iusticiam, hoc est, remissionem peccatorum, quam quiuis in Christum credens. Habet quidem maiora dona, eruditionem, eloquentiam, prudentiam, exactam scripturarum cognitionem, sed sicut non habet maiorem Christum, ita non habet maiorem iusticiam aut sanctitatem. Proinde alias causas inquiramus, ob quas Deus nauigantes propter Paulum seruauit. Ac primum quidem ideo factum est, ut confirmaretur ministerium & prædicatio Pauli. Prædicauit autem Paulus non sanctos, sed unum solum Deum adorandum esse, & hunc misisse filium suum unigenitum Iesum Christum, propter quem credentibus in ipsum ita placatus sit, ut quicunq; in nomine eius ipsum inuocauerit, saluus fiat. Hac igitur donatione, qua Deus nauigãtes propter Paulum liberauit, admonemur in solum Deum confidendum esse in omnibus aduersis nostris, & probatur nobis quod efficax sit inuocatio Dei quæ fit per nomen Iesu Christi. Deinde factum est ut hoc exemplo discamus immensam Dei misericordiam & clementiam qua inuocatus plus solet præstare, quàm aut petere aut cogitare queamus. Paulus enim in tam aduersa tempestate uix ausus est optare, ut saltem comites sui Lucas & Aristarchus unà cum ipso seruarentur. Sed ecce pollicetur ei DOMINVS, se propter ipsum etiam milites & nautas ac reliquos omnes in naui existentes seruaturum. Cum igitur tanta sit clementia DEI, in ipsum solum confidamus, & ipsum solum in omnibus aduersis inuocemus.

Causæ quare tot uiri cum Paulo seruati sint.

Postremo

Postremo admonemur etiam ex hoc loco, q̄ debeamus nō tantum pro fratribus nostris & bonis, sed etiam pro omnibus alijs hominibus, quamuis malis orare. Tametsi enim oratio piorum impijs fide carentibus & non resipiscentibus ad perpetuam salutem nihil conferat, hactenus tamen ualet, ut mali oratione piorum in periculo aliquo corporali seruentur, & seruati ueniant ad cognitionem Dei & resipiscant. Fide autem resipiscentes & in fide perseuerantes, perpetuam quoq; salutem consequuntur. Hæc præcipue sunt obseruāda in oratione Pauli. Nunc autem breuibus perstringemus ea quæ sequuntur. Sed posteaquā quarta decima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria (hoc est, mari Adriatico) circa mediam noctem suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionē. Qui & submittentes bolidem (quæ est massa plumbea, qua funiculo alligata nautæ profunditatem maris scrutantur) inuenerunt passus uiginti, & pusillum inde digressi inuenerunt passus quindecim. Timentes autem ne in aspera loca incíderent, de puppi mittentes anchoras quatuor optabant diem fieri. Nautæ uero quærentes fugere naui religarunt scapham, ut in mare demitterent sub prætextu quasi a prora anchoras extensuri. Hic iam uides quales sint hi qui ab initio sunt temere confidentes. Nam cum Paulus dissuaderet nauigationem hoc anni tempore, nautæ optimam nauigationem Centurioni pollicebantur, & nescio quas glorias de peritia nauigandi præ captiuo illo Iudæo iactabāt. Nunc autem in periculis comprehensi, longe omnium timidissimi & desperatissimi sunt. Ac primum impij sunt coram Deo, non enim credunt uerbo e uisione Dei Paulo reuelatæ. Deinde ualde iniurij sunt in nauigantes. Cum enim sperant se posse incolumes in scapha ad littus euadere, neglecta aliorum salute, ipsi sibi consulunt, & quos in hoc periculum temeritate sua coniecerūt, eos in periculo perfidia sua derelinquere uolunt. Qua malicia quid potest dici iniquius? Attamen per Paulum effectum est, ne potuerint impiū suum consilium exequi. Dixit enim Paulus Centurioni & militibus: Nisi hi in naui manserint, uos seruari non potestis. Tunc absciderunt milites funes scaphæ & siuerunt eam perire. Quid audio inquies? Paulus dicit: Nisi nautæ in naui manserint, Centurio & milites seruari non possunt. Ergo ne promissio Dei uana erit si fugiant nautæ, & ueritas promissionis Dei pendebit ab impijs nautis? Absit, ut sentiamus Dominum Deum nostrum tam infirmum & fragile fundamētum suarum promissionum ponere. Nam promissiones Dei non pendent ab humanis firmamentis, operibus & authoritatibus, sed ab ipsa diuina misericordia & ueritate, quæ firma & stabilia sunt, etiamsi omnes homines sint mendaces. Q; autem Paulus ita hoc loco dicit, non iam respicit ad constantem diuinæ promissionis ueritatem, sed ad externum rerum ordinem. Iuxta hunc enim impossibile uidebatur, ut si nautæ fugerent, ipsi nauigandi imperiti, & nescientes quomodo, aut ad quem locum nauis commode diligenda esset, incolumes euaderent. Monemur autem hoc loco, ut quamuis habeamus promissiones Dei, tamen ad res promissas consequendas nō abijciamus temere neq; negligamus iusta & utilia organa diuinitus nobis proposita, sed his quidem utamur quoad licet, solis autem diuinis promissionibus confidamus. Sic enim certo potiemur rebus promissis, per Dñm nostrū Iesum Christum, qui est unà cū patre & spiritu sancto Deus laudādus in sæcula. Amē.

Iusta media seruāda esse.

HOMILIA CXVIII.

QVę tandē sit catastrophe h⁹ tā piculosæ nauigatiōis, & tā aduersæ tēpestatis qua nauis Paulū uehēs in Adriatico mari cōcutit, nūc uideam⁹. Nā donec illucesceret (stabāt. n. in mari Adriati

» co,& fixis anchoris expectabãt diẽ fieri) Paulus uniuersos adhortabatur ut su
» merent cibum dicens: Dies hic decimus quartus est, ex quo ieiuni permanetis
» nihil cibi sumentes. Ideo adhortor uos ut sumatis cibum, id enim ad salutem ue-
» stram pertinet. Nemo enim uestrum ne pilum quidem de capite amittet. In
hac exhortatione Paulus principio, quamuis aliud agens, significat tamen tan
tam fuisse magnitudinem periculi in hac nauigatione, ut nihil fere horribilius
dici queat. Dicit enim, nauigantes usq; ad decimum quartum diem ieiunos per
mansisse, uidelicet, non requirentes cibum, quod quouis momento mortem
expectarent. Iam qui rerum naturæ gnari sunt, hi scribunt, inediam post septi-
mum diem homini lætalem esse, plærosq; tamen ultra undecimum tantum du-
rasse. In hoc autem loco audis nauigantes ultra tredecimum diem inediam su-
stinuisse, non tamen fuisse ipsis lætale. Siue igitur ita intelligas, ut stato qui-
dem tempore, sicut ante periculum consueuerãt, nihil simul comederint, unus-
quisq; autem per se quantum per mœrorem & laborem licuit, paulum cibi sum
pserit, siue intelligas tanta ipsos mortis formidine his diebus comprehensos
fuisse, ut quia semper mortem expectarint, cibum omnino sumere neglexerint,
(sic enim affectus affectum superare solet) certe hæc res declarat animos eo-
rum ob tam aduersam tempestatem tantum non emortuos fuisse. Nam qui ex-
tremis supplicijs afficiuntur, & uident mortem iam sibi ob oculos positam, ni-
hilominus tamen cibum & potum appetere solent. At hi tot diebus de cibo su-
mendo plane nihil, aut quàm minimum cogitant. Necesse igitur est animos eo-
rum plusquam mortis horrore ita concussos fuisse, ut hic affectus alios natura-
les affectus prorsus superarit. In tanta autem calamitate Paulus monet eos ma-
gna alacritate, ut uel tandem cibum sumant, & animos eorum recreent, ne eua-
dentes tempestatem inedia pereant, siquidem nullum ipsorum ne pilum qui-
dem ex naufragio amissurum, sed omnes incolumes euasuros esse. Habes hic
in Paulo quæ sit natura fidei, & quæ eius opera. Paulus enim nihil aliud uide-
Natura fidei bat per quod sibi salutem promittere posset, præterquàm Verbum & promis-
sionem Dei, uidelicet, quod sistendus esset Cæsari, & quod Deus donasset ipsi
omnes simul nauigantes. Si enim respiciebat in mare, tempestas maxima erat.
Si in nauim, ea erat iam omnibus fere præsidijs destituta, & non poterat diu-
tius in tantis procellis perdurare. Si ad littus, nox erat: & quamuis æstimabant
nautæ se regionem uidere, tamen hoc incertum erat. Si ad comites & socios na
uigationis, omnes animum suum desponderant. Solum Verbum DOMI-
NI salutem promittebat. Igitur auertit Paulus oculos ab omnibus illis aduer-
sis, & intendit eos in solum Verbum DOMINI certa persuasione concepta
quod is qui promiserat, idem & potens esset (nam se id uelle uerbis iam signifi-
cauerat) præstare. Quid ergo animi ex Verbo DOMINI concipit? Quid?
certe non alium animum quàm si iam liberatus terram pede contingeret. Et
hanc animi securitatem declarat etiamnum uerbis, uultu & factis. Summa enim
alacritate monet socios suos ad sumendum cibum, magna animi confidentia
repetit eis promissionem salutis quam prius eis prædicauerat. Adhæc exemplo
quoq; suo exhortatur ipsos non tam ad cibum quàm animum resumendum.

» Cum enim hæc dixisset, accepto pane gratias egit coram omnibus, & fran-
» gens edere cœpit. Quid ergo est quod Paulum tam alacrem, tam securum sa
lutis fecit? certe nihil aliud quàm Verbum DOMINI, & fides quæ est per
Vsus uerbi Dei. illud. Discamus igitur hoc exemplo ut in aduersis non defigamus oculos in
præsentem rerum faciem, & in sensum aduersitatis, sed in Verbum DO-
MINI, quo nobis salus promittitur. Per hoc enim redditur animus noster
ita tranquillus & alacer, ut non aliter nos geramus, quàm si ipsam salutem

& liberationem iam manu contingeremus. Sed nec illud negligenter prætereundum est, q̃ Paulus acceptum panem non edit nisi actis gratijs. Primum enim hac re iterum alacritatem animi sui declarat: deinde docet nos exemplo suo quid ante sumptionẽ cibi semper facere debeamus. Quod. n. Paulus fecit, hoc etiam ante eum Christus fecit, cuius exemplum Paulus hic imitatur. Si uero Paulus uir tam sanctus, & Christus qui est ipsa sanctitas nostra, non sumpserunt cibum, nisi gratijs Deo actis pro cibo exhibito, quid obsecro non oporteret nos prophanos homines facere? Etenim cibus donum Dei est, quem homines nec labore nec dignitate sua in iudicio Dei merentur. Necessarium igitur est ut pro eo gratias agamus DOMINO deo nostro. Ad hæc non sufficit, si cibus nobis propositus fuerit, nisi etiam diuinitus benedicatur & incrementum suum accipiat, alioqui idem continget nobis quod in propheta dicitur: Comedes & non saturaberis. Per orationem autem & gratiarumactionem benedicitur cibus. Sic eñ scribit Apostolus in priori ad Timotheum epistola capite quarto: Deus creauit cibos ad sumendum (quomodo? ut sues? nequaquam, sed) cum gratiarumactio ne fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, q̃ quicquid creauit Deus bonum sit & nihil reijciendum, si cum gratiarumactione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei ac prædicationem. Itaq̃ nec offa nec holus satis uncta aut sal sa sunt, si tantum externo butyro aut sale condita fuerint, sed necessarium est ut etiam oratione Dominica condiantur. Hoc enim est cœleste illud condimẽtum, quo cibus alioqui uilissimus, homini tamen pio sapidissimus redditur. Accedit huc, q̃ etiam si nunc uentrem cibo placauerimus, tamen paulo post iterum instat, ut improbus creditor, & sæpius die appellat, ita ut in præsentia semel cibo saturati, semper tamen postea cibo egeamus. Gratiarum autem actio nõ tantum pro præsentibus cibis agit gratias, sed etiam in futurum cibos honeste ac uerecunde postulat. Necessaria igitur est gratiarum actio coram Deo, non tantum quia dedit nobis pręsentes cibos, sed etiam ut in futurum nobis eos liberaliter largiatur. Sed redeamus ad nauigantes. Et omnes rursus trãquillis animis facti sumpserunt cibum. Eramus autẽ uniuersi in naui ducenti sex & septuaginta. Saciati autem cibo, nauem alleuiabant & frumentũ in mare eijciebant. Verbis & exemplo Pauli omnes alacres & magnanimi reddebantur. Vides igitur quantum bonum sit habere in periculis comitem magni & fortis animi. Et si comes facũdus in uia pro uehiculo est, quantam putas commoditatem in periculis affert comes intrepidus & consolatione plenus? Docet quoq̃ hic locus modestiam. Nam cũ Paulus initio hanc nauim conscenderet, uidebatur nihil adiumẽti nauigantibus allaturus, sed potius is esset propter quem ipsi periculis marinis obijcerentur, & cum esset uinctus, egeret potius consolatione in aduersis, q̃ ut ipse alios consolaretur. Nunc autem uidemus eum tanto usui esse, ut non solum propter eum reliqui conseruentur, quod increduli non sentiebant, sed etiam magna spe & consolatione animi implentur, quod certe omnes reipsa experiebantur. Quare nemo, quantumuis inutilis uideatur, contemnendus est. Siue enim quis corpore debilis, siue captiuus, siue pauper, siue inglorius fuerit, DOMINVS tamen Deus noster ita res suas administrat, ut qui coram mundo uideatur prorsum incommodus, ab ipso tamen fiat aptissimum quo suis adiuuandi organon. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum uero quendam conspyderabant habentem littus, ad quod cogitabant si possent applicare nauem. Et cũ anchoras sustulissent, cõmittebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum. Et leuato artemone (est autem id ueligenus quod a suspendendo nomen habet) secundum auræ flatum tendebant ad littus. Et cum incidissemus in locum Dithalassum (hoc est, bimarem in mari prominentem, & quẽ mare utrinq̃ alluit) impe

Quod cibus sit cũ gratiarumactione sumendus.

" gerunt nauem. Et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis uero soluebatur ui fluctuũ. Hoc est naufragium illud quod hactenus tam aduersa tempestas minata est. Quid ergo? num sicut nauis ita & nauigantes pereunt? Absit. Omnes enim ut postea scribitur, incolumes ad terram euaserunt, sed interim in naui maior pene tempestas aduersus Paulum & reliquos uinctos oriebatur ꝙ in mari. Militum enim consilium fuit ut uinctos occiderent, ne quis cum ena tasset, effugeret. Quid hoc consilio crudelius & magis impium dici potest: Omnes qui nauigant in hac naui seruantur propter Paulum, & erant prius per Paulum animis suis ualde recreati, pro hoc autem beneficio milites cędem ei repone re conãtur: quid hac re iniquius? Sed hæc est huius sæculi gratitudo, ut quo plura beneficia hominibus huius sæculi conferas, eo atrociora maleficia illi rependant. Ergo non est proximis benefaciendum? absit. Hæc enim huius sæculi ingratitudo non ponitur nobis ob oculos, ut ingratis malefaciamus, sed ut discentes & cognoscentes hanc solẽnem sæculi consuetudinem componamus nos ad eam patienter tolerandam, & uocationem Dei propter ipsam miníme deserendam. Etsi enim mundus ingratus est, immo indignus, cui benefiat, tamen Dominus Deus noster dignus est cui obsequamur, & tam gratus est, ut nec poculum aquæ frigidæ sitienti exhibitum obliuioni traditurus sit. Quanquam autem hic iterum Paulus de uita sua periclitetur, tamen quia Verbum DOMINI nõ potest esse mendax, subornat DOMINVS euentum, quo Paulus in uita conseruetur. Centurio enim uolens seruare Paulum, prohibuit fieri, iussitq; ut hi qui natare possent conijcerent se in mare primi & tranarent ad terram, reliquos autẽ iussit partim in tabulis ferri, partim in fragmentis nauis. Et sic factum est ut omnes euaderent ad terram incolumes. Habes nunc tantam esse ueritatem uerbi ac promissionis Dei, ut nulla tempestas maris, nullum consilium impiorum, nullus aduersus casus tam potẽs sit qui possit eam labefactare. Ex huius igitur naufragij historia cõfirmemus fidem nostram in omnibus aduersis tempestatibus. Hoc enim sæculum mare est, status & conditiones uitę nostræ nauis sunt. In hac autem naui nunc his nunc illis periculorum procellis iactamur. Quid igitur? num patietur nos DOMINVS submergi? nequaquam, promisit omnibus inuocantibus ipsum in ueritate portum salutis. Præterea DOMINVS deus noster tantæ est potentiæ & clemẽtię ut queat ac uelit ultra omnia quæ petimus aut cogitamus cumulate facere. Sed diceres, sperarem quidem salutem in tempestatibus huius sæculi, si mecum semper tam sanctus uir in periculis esset, qualis fuit Paulus. Quid conquereris? an non habes etiam nunc præsens id quod in Paulo fuit præstantissimum? Quid enim? nonne Euangelion quod Paulus de Iesu Christo prædicauit multo præstantius est ipsa persona Pauli? & Verbum Dei quod mandato diuino adnunciauit, multo nobilius est corpore eius? Habes autem Euangelion quod Paulus adnunciauit, uidelicet, ꝙ Iesus Christus uenit in hunc mundũ ut peccatores saluos faceret. Et Iesus Christus dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Ac rursus: Si deus pro nobis quis contra nos? qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest ut non & cum eodem omnia nobis donet? Sed quis recensebit omnia quæ Paulus de Iesu Christo prædicauit & scripsit? Hæc igitur cum habeas, multo plura & præstantiora habes ꝙ si sola Pauli persona præsto adesset. Sed quid præsentiam Pauli desyderas? an nõ habes eum uere præsentem, quem & Paulus habuit auxiliatorem, nimirum DOMINVM nostrũ Iesum Christum? Certe si credis in ipsum, præsentissimus est. Dicit enim: Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus. Cum igitur tam potentem & clementem auxiliatorem

Ingratitudo huius mundi.

xiliatorem præsentem habeas, da operam, ut magno animo afflictiones feras, certa persuasione concepta, ꝙ qui liberationem promisit, is etiam potens sit eam præstare per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

CAPVT XXVIII.

HOMILIA CXIX.



VAE POST NAVFRAGIVM ACTA sunt in insula Melite, nunc uestris adiuti precibus, explicabimus. Et cũ euasissent, cognouerũt quod Melite (ea est inter Epirum & Italiam spectans, Sicíliam ad Septentrionem, quam nũc uulgo Maltam uocant) insula uocabatur. Barbari uero præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra reficiebant nos oẽs propter præsentẽ imbrem & frigus. Primum oĩum commẽdanda nobis uenit humanitas & hospitalitas Melitensium. Quanquam enim hi qui e naufragio euaserunt, partim erãt milites, partim uincti, omnes certe ignoti, egeni, & naufragio maris omnibus suis opibus quas in naui habuerant, destituti, quæ hominum genera tum odiosa, tum contemptibília, præsertim exteris nationibus esse solent. Nihilominus tamen a Barbaris minime barbare, sed humanissime excipiuntur & tractantur. Et cum alij miseros & calamitosos propter miseriam contemnunt ac fastidiunt, & miseriam miseriæ addunt, Melitenses hos naufragos propter miseriam fauore prosequũtur, & quibus possunt officijs benefaciunt, tantum abest, ut miseriam miseria accumulent. Igitur tametsi fuerint barbari natione, & Ethnici ac idololatræ religione, tamen exemplo suo docent nos, quomodo tractare debeamus miseros & calamitosos. Primum enim in miseria existentes non sunt noua miseria afficiendi, hoc est, non sunt durís uerbis & cõtumelioſis conuicijs excipiendi. Vos nebulones estis ab adolescentia, uos stulti, cur hoc tẽpore mare estis ingressi: Vel, uos homicidæ & latrones, recte agitur uobiscum & pro merito uestro, nimirum huiusmodi fortassis conuicijs alij excepissent naufragos. Sed Melitenses ab omnibus conuicijs abstinent. Est autem grauissimum peccatum misero insultare, & in tempore miseriæ nouas miserias, exprobrationibus & contumelijs addere, quo peccato in tantum irascitur DOMINVS ut propter illud totas regiones deuastationi tradat. Vnde DOMINVS per Ezechielem ad Moab dicit, pro eo ꝙ plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu super terram Israel, idcirco ecce ego extẽdam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium. Deinde in calamitosis non est respiciendum, ꝙ sint ignoti, ꝙ sint captiui, ꝙ sint inglorij, ꝙ sint alieni, ꝙ sint inimici, ꝙ fuerint quondam flagitiosi, sed potius respiciendum est mandatum Dei & calamitas miseri, oportet enim nos imitari patrem nostrum qui est in cœlis. Is autem in prestando nobis auxilio, nõ respicit nostram indignitatem & peccata, sed nostram calamitatem. Vnde commẽdat aliàs Christus Samaritanum, ꝙ cum uidisset capitalem hostem suum a latronibus uulneratum, misericordia motus sit, & uulnera ei obligauerit, magis respiciens ꝙ is miser ꝛc ꝙ inimicus esset. Cum igitur Melitenses & Samaritani, hoc est, homines a Deo quidem, nõ tamen ab humanitate miseris præstãda alieni fuerint, turpissi-

Humanitas Melitensiũ.

Misero insultare quantũ peccatum.

mum erit,si nos nomine Dei gloriantes inhumaniores impijs Ethnicis inuenia mur. Porro Melitenses magnum fructum humanitatis & hospitalitatis suæ ac ceperunt. Multa enim apud eos miracula per Paulum æduntur, & reuelatur eis
» Euangelion Iesu Christi. Id autem hoc ordine gestum est. Cum congregasset
» Paulus sarmentorum multitudinem & imposuisset in ignem, uipera e calore prorepens inuasit manum eius. Quid? an non est in hac hominum congrega tione, qui ob impietatem suam dignior sit quem uipera mordeat q̃ Paulus? cer te alij pene omnes qui præsto adfuerunt, digniores erant, quos non solum corpo ralis uipera morderet, sed etiam draco ille infernalis prorsus deuoraret. Atta men hæc uipera non absq; consilio Dei solius Pauli manum inuadit. Declarat enim DOMINVS hoc exemplo quis sit exitus, quis finis aduersitatum quæ solent accidere sanctis, hoc est credentibus in Iesum Christum. Nam uipera inuadit quidem manum Pauli, ut eum ueneno inficiat & infectum necet, Domi nus autem ita istud inuertit, ut Paulus seruetur, & clarus ac celebris habeatur, adeoq; hac ratione aperiatur ei ostium prædicandi Euangelij. Confirmauit igi tur Dominus in Paulo quod ipse ad Romanos scribẽs: Scimus, inquit, quod his qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum. Et alias scriptura multis in locis testatur, q̃ Deus immittat afflictiones, non ut perdat, sed ut seruet.
» Sed longe aliter uidebatur Melitensibus: Vt enim uiderunt Barbari penden
» tem bestiam de manu eius, inter se dicebant, omnino homicida est homo hic, quẽ
» seruatum e mari ultio non sinit uiuere. Barbari partim quidem recte sentiunt, partim autem secus. Nam cum sentiunt Paulum ideo homicidam esse, quia a ui pera mordetur, impie sentiunt, nõ tamen sine exemplo. Cum Barbarorum enim sententia conuenit opinio omnium hominum iuxta carnem, & non iuxta spiri tum sapientium. Hi enim existimant omnes eos flagitiosos esse qui affliguntur, & afflictionem nõ nisi propter peccata accidere. Id quod uides in tota ea dispu tatione quam cum Iobe amici eius, iuxta carnem uiri sapientissimi instituerunt. Huc quoq; pertinet illud quod de discipulis Christi apud Ioannem capite nono scribitur. De eo enim qui a natiuitate cæcus erat, dicunt, Rabbi, quis peccauit, hic an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Videlicet, sentientes, afflictionem cæ citatis huic non nisi propter peccata accidisse. At hanc sententiam falsam fecit Dominus Deus noster Iesus Christus, qui cum passus sit omnia genera afflictio num, absq; tamen peccato, consecrauit sua passione omnes afflictiones, ut in ijs qui credunt in ipsum, non sint maledictiones propter peccata, sed benedictiones per fidem. At DOMINVS quidem impios propter peccata affligit, & quan quam impij interdum fœlicem in hoc sæculo uitam ducunt, tamen certum est ipsos manere grauissimas afflictiones. Non est autem consectaneum, q̃ omnis qui affligatur, propter impietatem affligatur. Deus enim affligit interdum ali quos, uel ut probet fidem ipsorum, uel ut nomen suum per ipsos glorificet. Sic enim Christus de cæco dicit: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manife stentur opera Dei in illo. Deinde q̃ Barbari sentiunt nullum homicidam euade re, quin Δίκη, hoc est, dea iusticiæ, ut Ethnici loquuntur, sed ut nos recte loqui mur, ultio diuina eum inueniat ac puniat, recte sentiunt. Hæc enim sententia scripta est diuinitus in cordibus hominum, q̃ homicidium non maneat inultum, & ad id genus cognitionis pertinet, de qua Paulus ad Romanos scribẽs, id quod de Deo, inquit, cognosci potest, manifestum est in Gentibus. Et postea: Cum gen tes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt fecerint, eæ legem non haben tes sibijpsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus aut etiam excusantibus. Si igitur humana ratio naturaliter sentit peccatorum ultionem esse,

Non cõtinuo esse flagitiosos qui affliguntur.

Δίκη qualis dea

esse, nostro ipsorum testimonio admonemur, ut peccata fugiamus, & honestam uitam agamus. Sed reuertemur ad Paulum: Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi expectabant fore ut incenderetur aut subito caderet ac moreretur, (uipera enim præsentissimum uenenum morsu suo in uulnus fundere solet) Diu autem illis expectantibus, & uidentibus nihil mali isti accidere, mutata mente dicebant, eum esse deum. Vide obsecro q̃ paruo momento iudicia Melitensium de Paulo mutẽtur. Ante, quia mordetur ab echidna, iudicatur homicida. Nunc quia morsus echidnæ nullum ei nocumentum attulit, iudicatur deus. Cæterum in his Melitensibus, ingenium uulgi & natura multitudinis perspicue exprimitur. Primum enim hoc est ingenium uulgi, q̃ iudicant eum impium, quem uident affligi, quemadmodum antea demonstrauimus. Cui autem bona huius sæculi contingere uident, eum iudicant pium, sanctum, beatum, immo & deum. Deinde, q̃ Melitenses nunc iudicãt Paulum homicidam, & mox iudicãt eum deum, significant uulgum nullam scire mediocritatem seruare. Aut enim nimium declinant ad dextram, aut nimium ad sinistram. Sic Lycaones de quibus supra capite decimo quarto scriptum est, primum adorant Paulum & Barnabam tanquam deos, deinde lapidant eos tanquam malos, ut ita dicam, dæmones. Sic in uituperandis aut laudandis hominibus, uulgus quem odit, extreme uituperat, quem diligit, in cœlum effert. Sic in ueneratione sanctorum, aut contemptissime de sanctis sentit ac loquitur, si audit non esse inuocandos tanquam deos auxiliatores: aut inuocat auxilium eorum in necessitatibus, si audit sanctos a uirtutibus suis commẽdari. Sic in disputatione de bonis operibus, si audit bona opera non iustificari in conspectu Dei, bona opera tanquam Satanæ commenta execratur. Si contra audit, necessario esse bene operandum, confidit operibus suis bonis, tanquam ijs, quæ iustificent hominem in conspectu Dei, & mereantur perpetuam fœlicitatem. Quid autem his excessibus in iustius? quid uituperatiõe dignius? recta enim uia & media incedendum est, ut ne quid nimis, aut ne quid minus uel sentiamus uel agamus, sed ut iuxta uerbum DOMINI, quod in omnibus rebus ad salutem nostram pertinentibus rectissimum modum demonstrat, omnem nostram sententiam & opera dirigamus. Quem igitur modum debuissent Melitenses hoc loco erga Paulum seruasse? Cum uidissent uiperã inuadere Paulum, modestię fuisset nõ ob hanc rem ipsum homicidam iudicare, sed quicquid id est fortunæ, in communes rerum casus reijcere, quibus sæpenumero his qui maxime innocentes sunt, maxime aduersa contingunt. Postea uero cum uidissent Paulum incolumem seruari, non debuissent ipsum ut deum adorare, sed de authore salutis huius quæ Paulo contingebat, inquirere, & hũc authorem unà cum Paulo adorare. Sed alia quoq; miracula per Paulum in insula Melite æduntur. In locis enim illis (inquit Lucas) erant prædia principis insulæ nomine Publij, qui nos susc ipiens triduo benigne tractauit. Hæc Publij humanitas paucis & simplicibus uerbis narratur, sed re ipsa maxima fuit. Etenim hic Publius fuit princeps insulæ. Solent autẽ uiri principes peregrinos & humiles fastidire. Et erant inter naufragos istos aliquot captiui, qui propter uincula sua abominabiles sunt. Adhæc numero erant centum septuaginta sex, nihilominus tamẽ Publius excipit eos hospicio, & benigne eos tractat. nec miseros despiciens, nec sumptui parcens. Tam benignam igitur hospitalitatem DOMINVS deus noster clementissime compensat. Contigit enim patrem Publij febribus & dysenteria (quem morbum nostri tormina & uiscerum exulcerationem uocant) uexatum. Ad quem Paulus intrauit, & cum orasset & imposuisset ei manum, sanauit eum. Vide quantum beneficium Pu-

INGENIVM VVLGI.

blius pro hospitalitate sua recipiat. Habes & multa alia exẽpla in scriptura, qui-
Hospitalitas. bus DOMINVS hospitalitatem beneficijs compensando, hospitalitatem nobis commendauit. Abraam hospitalis fuit, & excepit angelos, qui prædicauerũt ei promissionem de filio suo Isaac. Loth hospitalis fuit, & ab hospitibus suis ex incendio Sodomitico seruatus est. Vidua Sarephthana & mulier Sunamitis hospitales fuerunt, & acceperunt ingẽtem hospicij sui remunerationem. Da igitur operam, ut & tu hospitalitatem secteris. Sed inquies, Si potuit Paulus uiperam de manibus suis excutere ne quid lęderet ipsum, & a patre Publij febrim ac tormina depellere, cur non excussit a seipso uincula, & depulit a se captiuitatem? Respondeo: Paulus non fuit author suorum miraculorum quæ ædidit, sed DO-
Ratio miraculorum. MINVS deus noster. Is igitur operatus est miracula per Apostolos, non quando humanæ rationi Apostolorum, sed quando Spiritui sancto uisum est. Et ædidit miracula, non ad commendationem personæ Apostolorum, sed ad commendationem ministerij Apostolorum, quod est prædicatio Euangelij de Iesu Christo. Vnde liberauit nonnunquam Apostolos mirabiliter e uinculis, quia id faciebat ad commendationem Euangelij, sicut liberauit Petrum de carcere & de manu Herodis. Similiter Paulo aperuit mirabiliter fores carceris apud Philippenses, & soluit uincula eius, quia hoc miraculo promouebat authoritas Euãgelij. Nonnunquam uero relinquebat eos in uinculis, interim tamen operans per ipsos alia miracula, quia etiam uincula Apostolorum gloria Euangelij erant. Paulus enim ad Philippenses scribens, de uinculis suis ita dicit: Scire uolo uos fratres, quod quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij euenerunt, ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo in toto prætorio ac cæteris omnibus, utq; plures ex fratribus in DOMINO freti uinculis meis uberius auderent impauide sermonem loqui. Cum igitur hoc tempore magis confirmatur authoritas Euangelij ex hoc quod Paulus in uinculis manens miracula ædat q; si excuteret a se catenas & effugeret, obsequitur Paulus spiritui sancto & sua uincula negligens, non solum patrem Publij, sed alios quoq; in insula Melite a
» morbis & afflictionibus ipsorum curat. Sequitur enim: Hoc igitur facto cæte-
» ri quoq; qui habebant infirmitates in insula accedebant & curabant. Sed qua de causa curabantur? num ut corpore tantũ ualerent, & in hoc sæculo fœliciter uiuerent? nequaq;, sed ut his miraculis ueritas Euangelij de Iesu Christo confirmaretur, & Melitenses Euangelio credentes, ueram & perpetuam ualetudinem consequerentur. Nam adhibuisse eos fidem Euãgelio quod Paulus prædicauit,
» testãtur opera quæ sequuntur. Multis enim, inquit, honoribus nos honoraue-
» runt, & inde soluentibus, imposuerũt quæ necessaria erant. Hi sunt fructus fidei, q honorent Apostolum, & propter ipsum omnes naufragos, & abnauigaturis omnia necessaria largiantur. Fides enim in Christum minime ociosa est, sed effundit se per charitatis opera. Primũ in Apostolum & Ecclesiasten, per quem nobis Euangelion fidei adnunciatur. Deinde in quemuis proximũ Verbo Dñi nobis cõmendatum. Quare, si uere credimus in Christum, necesse est ut hanc fidem operibus charitatis testemur, ut obedientes Dño, ad hæreditatem cœlestiũ bonorum perueniamus, per eundem Iesum Christum Dominũ nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CXX.

QVid in insula Melite actum sit, explicuimus, perstringamus nunc ea quæ sequũtur, ut uel tandem Paulum ad Romam usq; iuxta promissionem Dñi deportemus. Post menses, inquit,
» tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyema-
» uerat,

uerat cui erat insigne Castor & Pollux. Tribus igitur mensibus prædicauit Paulus Euangelion Iesu Christi in Melite, & quanquam paucum hoc tempus uidetur, uix enim est quarta pars anni, tamen multa illic Ecclesia collecta est: multos enim credidisse in Christum, ex prædicatione Pauli manifestum est, primum ex miraculis quæ Paulus illic ædidit, deinde ex humanitate & honoribus, quibus insulares Paulum & alios propter ipsum affecerunt. Postremo etiam ex eo quod magna animi alacritate imposuerunt soluentibus in nauim ea quæ necessaria erant. Hæc omnia in nostri uituperium scribuntur, quod illi tribus tantum mensibus audierunt prædicationem Euangelij & crediderunt, ac magnos fidei fructus protulerunt. Nos ab ineunte ætate audiuimus a parentibus nostris fidem in Christum, & nunc aliquot annis accepimus doctrinam fidei clarissime & ualde perspicue, attamen ne sic quidem aut credimus, aut fidei documenta damus. Promptissime, inquis, crederem, si & coram oculis meis tanta miracula ederentur, quanta coram Melitensibus ædita sunt. At tu quisquis hæc obijcis, uide obsecro, num iusta sit excusatio tua. Nam Melitenses aliquot tantum miracula a Paulo ædita uiderunt, tibi autem quotidie ob oculos ponũtur plaustra miraculorum. Principio ea miracula quæ ædita sunt a patriarchis & prophetis: Deinde ea quæ ædidit Christus Iesus DOMINVS noster. Postremo etiam illa quæ ab Apostolis facta sunt. Huc adde q̃ his temporibus uidemus impleta esse ea quæ prophetæ prædixerunt de abrogatione idololatriæ, uocatione Gentium, & congregatione Ecclesiæ Christi ex uniuerso orbe, quæ temporibus Pauli nondum erant sic impleta. Cum igitur tot habeamus prærogatiuas præ Melitensibus, non tamen ueram fidem serio capessamus, surgent illi in iudicio & condemnabunt nos nisi resipiscamus, extremæ impietatis, q̃ ipsi ad pauca miracula & paucas conciones Pauli resipuerint, nos autem tot miraculis & tot prophetarum, Apostolorum, ac ipsius Iesu Christi DOMINI nostri concionibus obruti, DOMINO deo nostro non obediamus. Cæterum, q̃ Lucas scribit nauim Alexandrinam qua a Melite nauigauerunt, habuisse insigne uel depictum uel sculptum Castoris & Pollucis, indicat gẽtium superstitionem. Castor enim & Pollux habiti sunt a gentibus Iouis filij, & tantę authoritatis inter deos, ut per nomina eorum deierarẽt dicentes: Mecastor, hoc est, ita me deus Castor adiuuet: & Aedepol, hoc est, per ædem Pollucis. Præcipue autem inuocauerũt eos in mari deos. Id adeo hinc euenit, solent enim interdum nauigantibus apparere fulgurum effigies, quæ antemnis nauigantium alijs q̃ nauium partibus ceu uocali quodam sono insistãt, ut uolucres sedẽ ex sede mutantes. Graues enim solitariæ uenerunt mergentes q̃ nauigia, & si in carinæ ima deciderint exurentes: geminæ autem salutares & prosperi cursus prænunciæ. Et ob id Polluci & Castori gemini id numen assignant. Quare quo tutior esset nauigatio, Alexandrini nauim suam, de qua hic fit sermo tutelæ Castoris & Pollucis dedicauerunt, & ipsam simulacris eorum insignierunt. Hęc nobis nunc ualde ridicula uidentur, & existimamus nihil fuisse illis gentibus stultius ac uanius, q̃ crediderint hos fictícios deos aliquid opis sibi conferre potuisse. Sed si conferamus ad hęc nostras superstitiões, quibus sanctos ut deos auxiliatores, & sanctorum simulachra hactenus adorauimus, non miranda uidebitur Gentium, quæ uerbo Dei caruerunt, impietas. Hoc autem nimis stupendum est, q̃ nos cognoscentes uerum Deum & habentes uerbum dei a fiducia in Deum, ad fiduciam hominum mortuorum & statuarum lignearum aut argentearũ defecerimus. Resipiscamus igitur & caueamus ne bis superstitiosiores Ethnicis in Iudicio Dei inueniamur. Iam nec illud dissimulandum est, quod Paulus & comites eius Lucas & Aristarchus ascendunt in hãc nauim, cui insigne eras Castor & Pollux, nihil ueriti idola ob oculos posita,

Collatio nostrorum & Melitensiũ

Insigne Castoris & Pollucis.

nec ea uiolenter cõuellentes, sed dominis nauiũ sua relinquẽtes, docuerunt ido
lolatriam esse fugiendam, fidem autem in Christum sectandam. Exemplum est
q̃ nulli priuata temeritate licet in alienis templis imagines sanctorum demoliri,
Quatenus tollendæ ac tolerandæ sint imagines
sed ministris Ecclesiæ doctrinam pietatis urgendam esse, & siquidem præsto ad
sint imagines quæ a superstitiosis impie coluntur, monẽdos esse eos quorum in
terest, & ad quorum uocationem id spectat, ut tollant eas, uel si nec id commode
fieri potest, instituendam esse Ecclesiam, ne colat imagines. Si autem adsint ima
gines, non quæ impie coluntur, sed quæ habentur ad memorandas res sancto-
rum gestas, tum uero docendum harum usum tollerabilem esse, & Verbo Do-
mini cauendum ne in impium abusum uertantur. Sed de tollendis aut toleran-
dis imaginibus, aliàs sæpenumero dictum est. Nunc ad nauigationem Pauli re-
» uertamur. Et cũ appulissemus Syracusas, mansimus ibi triduo, inde circumle
» gentes, deuenimus Rhegium, & post unum diem flante austro, altero die Puteo
» los. Vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem. Et sic ue-
» nimus Romam. Sed hoc interim non sine admiratiõe dicitur, q̃ Paulus & co
mites eius manserint septem dies Puteolis, fratrum precibus persuasi. Quomo-
do enim hoc permisit Centurio & milites? quasi uero non Paulus horum, sed hi
Pauli captiui & uincti fuissent. At id minime admirandum uidebitur, si consy-
deres, quanta maiestate DOMINVS credentes in ipsum, etiã in hoc sæculo
ornet. Tametsi enim nonnunquam sint captiui impiorum, tamẽ DOMINVS
tantum terrorem impijs incutit, ut pios non aliter q̃ si ipsi captiui eorum essent
reuereantur, id quod Christus in seruis Pontificum declarauit. Qui enim primi
emissi erant ad comprehendendum Christum redierunt infecta re, & dixerunt:
Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo. Deinde cum alij proficiscerẽ-
tur ad montem oliuarum ut illic Christum caperent, audita una uoce, Ego sum,
tanto tremore correpti sunt, ut retro ceciderint, existimantes uidelicet se ab illo
captos & circumuentos, ad quem ipsi capiendum uenerant. Quid ergo? non est
q̃ timeas eos homines qui te captiuum tenent, sed time DOMINVM deum
nostrum & confide uerbo eius. Sic enim tanta maiestate ornaberis, ut etiam ijs
quorum uinculis constrictus es, timendus & uenerãdus efficiaris. Cęterum cum
Lucas dicit: Et sic uenimus Romam, non est oscitanter perstringendum. Reuo-
Quanta gloria Pauli post mortem fuerit.
canda est. n. nobis ob oculos species illa, qua Paulus nũc ad Romam ducitur, &
conferenda est cum ea maiestate, qua Paulus post mortem suam Romæ claruit.
Tunc enim perspicue uidebimus in quorsum euadant probra, contumeliæ, iniu
riæ, & afflictiones sanctorum. Etenim Paulus ducitur nũc ad Romam captiuus
& uinctus ueluti homicida. Duci autem captiuus turpissimũ est in oculis huius
sæculi, & nihil magis inglorium in hoc mundo reputatur. Sed expende rursus
in quantam gloriam Pauli hæc ignominia mutata sit. Aliquot enim annis post
mortem Pauli, dum Roma Christum agnoscebat, nomen & memoria Pauli tam
ueneranda & priuatim & publice facta sunt, ut potentissimi monarchæ, reges &
principes, uel saltem caluariam de mortui Pauli a longe aspicere gestierint, & epi-
stolæ eius in omnibus Christi Ecclesijs honoratissima nominis eius mentione,
uenerandis quoq; ritibus publice legantur. Hoc igitur exemplo declarauit DO
MINVS q̃ si sanctis suis tanto honore in hoc sæculo compensat afflictiones
& aduersa quæ propter nomen eius, aut alioqui propter iusticiam sustinuerunt,
multo certe maiori gloria donaturus est eos in sæculo uenturo, adeoq; uerum
est quod Esaias ait: Oculus non uidit, auris non audiuit, in cor hoïs non ascen-
derunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sed priusquam Paulus Romam
perductus est, obuiam processerunt ei fratres quidam Romani, de qua re Lucas
» ita scribit: Et inde cum audissent fratres de nobis, occurrerunt nobis usq; ad

Appij forũ (quod a Roma iter diei abeſt) & tres tabernas. Quos cũ uidiſſet Paulus, gratias agens Deo, concepit fiduciam. Hic mihi uide non ſolũ ueritatem uerbi Domini, uerum etiam ingentem clementiam & liberalitatem Dei. Q3 eñ Paulus per tot caſus, per tot diſcrimina rerum incolumis ad Romã peruenit, ueritatis diuinæ eſt. Q3 autem multo itinere obuiam procedunt ei fratres in Chriſtum credentes, ad quos Paulus antea Epiſtolam longe omnium luculẽtiſſimam ſcripſerat, & excipiunt eum, quamuis uinctum, maximo honore, liberalitatis dei eſt, qui tantæ eſt clementiæ, ut credentibus in ipſum multo plus præſtet, q̃ ipſi aut ſperare aut optare audeant. Dum enim Paulus in periculo naufragij conſtitutus erat, pro magno beneficio reputaſſet, ſi ſaltem ſe uiuũ ad Romã peruenturum cognouiſſet. Nunc autem non ſolum incolumis ad Romam peruenit, ſed etiam magno gaudio a fratribus excipitur, & quanq̃ in oculis Gentium propter captiuitatem contemptus habeatur, ab alijs tamen qui in Chriſtum credũt haud mediocri honore tractatur. Hoc in doctrinã noſtri ſcriptum eſt, ut hoc exemplo fidem noſtram in aduerſis confirmemus. Cũ autem ueniſſemus Romã, Centurio tradidit captiuos principi exercitus, & permiſſum eſt Paulo ut permaneret ſolus cũ milite qui eum cuſtodiebat. Vt Paulus in oculis Centurionis gratioſus fuit, ita nunc quoq̃ fit gratioſus in oculis principis exercitus. Quẽ enim non in ſui fauorem traheret, is qui coram Dño Deo noſtro gratioſus eſt? Additur autem Paulo unus tantũ miles, qui eum cuſtodiat, fortaſſis ideo ne fuga ſibi ſalutẽ quærat. Sed quod exiſtimatur Pauli damnum eſſe, hoc cedit ei in ſalutem. Miles additus uidetur cuſtodire Paulum, ne aufugiat, ſed hoc milite præſente Paulus ab aduerſarijs ſuis tutus redditur, ne quis uidens ipſum Cæſariano milite cuſtodítum audeat uiolentas manus in eum inijcere. Habes iterũ exemplum ſummæ clementiæ Dei, qui in ſanctis ſuis (ſancti autem Dei ſunt credentes in ipſum per Ieſum Chriſtum) ea quæ maxime mala & aduerſa uidentur, in maxime bona & proſpera cõmutat, & quod homines aut Satan malum in ipſos machinãtur, hoc uertit Deus ipſis in bonum. Vnde nihil cuiquã ſanctorum mali accidiſſe ſcriptura tradit, quod non teſtetur in ſummum ipſi bonum ceſſiſſe. Poſt tertium autẽ diem cõuocauit Paulus primos Iudæorũ. Cũq̃ ueniſſent, dicebat eis: Ego uiri fratres nihil aduerſus populum faciẽs aut morem paternum, uinctus ab Hieroſolymis traditus ſum in manus Romanorum, qui cum examinaſſent me, uoluerunt me dimittere, eo q̃ nulla eſſet cauſa mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus ſum prouocare ad Cæſarem, non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare: propter hanc igitur cauſam uocaui uos, ut uiderem & alloquerer, propter ſpem eñ Iſraël hac cathena circundatus ſum. Quid de Paulo actum Hieroſolymis & in Cæſarea, ſupra pluribus tractatum eſt. Quare ſuperuacaneũ eſt ea nunc repetere. In hac tamen oratione Pauli non eſt negligenter prætereundum, quod Paulus dicit, Contradicentibus Iudæis, coactus ſum appellare Cæſarem, non quaſi habeam de quo gentem meam accuſem. Quis autem te coëgit ut appellares Cæſarem? cur non potius iniuriam paſſus es? cur non ſponte mortem obtuliſti, & non fuiſſet neceſſe prouocare ad Cæſarem? His enim ac ſimilibus criminationibus obſtrepunt uani quidam homines bonis uiris, qui coram iudicio iuxta legittimas ordinationes cum aduerſarijs ſuis contendunt. Sed Paulus hoc loco, ſicut & ſupra manifeſte ſignificat, q̃ Chriſtiano liceat ciuilibus publicorum iudiciorum ordinationibus uti, ac quantum quidem ad Chriſtianum attinet, non eget ipſe iudicijs publicis, nulli enim facit iniuriam, ſed omnibus etiam inimicis benefacit. Quantum autem attinet ad malos, tunc neceſſarius eſt Chriſtiano uſus publicorum iudiciorum. Tantis enim iniurijs afficiuntur boni a malis, ut eo gantur præſidia legũ quærere. Vnde Pauli uerba hanc habẽt ſententiã.

Quatenus utendum publicis iudicijs

Ego quidem quod ad me attinet, non necesse habuissem appellationis auxilio uti, nihil enim aduersus populum Israël aut morem paternum feci, nec ulla potest in me mortis causa inueniri, sed quod attinet ad importunitatem, uiolẽtiam & tyrannidem Iudæorum aduersariorum meorum, coactus sum ad hoc præsidium confugere. Cur autem non fers iniuriam? An non hoc est iniuriam ferre, ꝙ iniuste captus sim, ꝙ iniuste in uinculis detinear, ꝙ iniuste per tot rerum discrimina ad Romam uinctus missus sim? Et hanc quoq; iniuriam feram, si iniuste occidar. Vt autem non utar legum præsidijs, hoc non est esse patientem in iniurijs, sed est imprudenter negligere ordinationes diuinas. Quare quod attinet ad iniurias mihi illatas aut inferendas, suffero eas patienter in Christo. Quod autem attinet ad uiolentiam aduersariorum, utor prudenter legittimis præsidijs, ne quid illegittime committam. Sed ꝙ Paulus addit (non quasi habeam de quo gentem meam accusem) non sentit nemini licere alterum accusare, hoc enim profecto uere est accusare, ꝙ Paulus dicit se coactum fuisse appellare Cæsarem, contradicentibus Iudæis. Accusat enim Iudæos iniustæ uiolentiæ, crudelitatis, & tyrannidis, sed sentit non esse pium seipsum ita excusare ut alium accuses criminum ad causam tuam nihil pertinentium. Vt si quis te furti accusat, tu uero non satis habeas te ab hoc crimine purgare, sed addas etiam ipsum accusatorem furem esse, hoc demum non licet homini pio. Quid enim ad tuam causam quod alius fur sit? Cum igitur Paulus dicat, Non quasi gentem meam habens aliquid accusare, hanc habet sententiam. Tametsi gens nostra multa impia gesserit, tamẽ ego non appellaui Cæsarem, ut de his accusarem gentem nostram, sed ut me ab iniusta uiolentia legittime defenderem. Desistãt ipsi ab iniuria, & ego desistam ab appellatione. Sed quia supra hũc locum de usu ordinationum ciuilium in publicis iudicijs explicuimus, non est ꝙ nunc diutius in eo immoremur. Danda autem nobis est summa opera, ut quorum usus nobis diuinitus concessus est, ijs non impie abutamur, sed uocationem Dei in omnibus obediẽter sequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus laudandus in sæcula. Amen.

HOMILIA CXXI.



Vanquam responsum Iudæorum quod nunc nobis explicandum uenit, prima facie uideatur nobis nullam utilitatem allaturum, attamen si propius illud intueamur, reperimus ex uerbis illorum, quibus testantur Euangelio ubiq; tempore ipsorum contradictum esse, magnam fidei nostrę confirmationem hoc tempore accidere. Proinde quod respondent, diligenter obseruemus. At illi dixerunt ad eũ, » Nos neq; literas accepimus de te a Iudæis, neq; aduenięs aliquis fratrum nuncia » uit, aut locutus est quid de te malum. Volumus autẽ a te audire quæ sentis, nam » de secta hac notum est nobis, ꝙ ei ubiq; contradicitur. Paulo ciuiliter suã causam Iudæis exponenti, ciuiliter quoq; responsum est. Quod ad tuam, inquiunt, personam attinet, nihil mali de te scimus, quod autem attinet ad sectã illam Christianorum, quam uideris profiteri, hoc scimus, ꝙ ubiq; ab omnibus maleaudiat, & ei contradicatur. Principio igitur obseruandum est, ꝙ si talis fuit fors Euangelij, ut ipsi ubiq; contradictum sit, profecto nõ est mirum si multi contradicentium potentia, sapientia, doctrina & sanctitate offensi, Euangelio non crediderint. Quid enim illud est quod dicunt, ubiq; cõtradicitur ei, nisi ꝙ tam inter Iudæos, penes quos uidebatur esse iustitia ac sanctitas, q̃ inter Gentes, penes quas erat potentia & sapientia, fuerint præstantissimi uiri, qui Euangelio restiterint?

Euangelij hostes qui sint.

Quis

Quis autẽ ſimplicioris ingenij non offenderetur & multitudine & ſapientia, & potentia, & ſanctitate reſiſtentium Euangelio? At quod illis tunc magnum fuit offendiculum, nobis hoc tempore magna fit confirmatio fidei. Cum enim audiamus Euangelio ab initio ubiq; tam a Gentibus q̃ a Iudæis contradictum eſſe, & uideamus nunc reipſa, Euangelion nihilominus in totum orbem dimanaſſe, & contra omniũ hoĩum ſapientiam, potentiam, ſanctitatem ac multitudinem conſtitiſſe, nonne manifeſtum eſt, Euangelion eſſe ipſiſſimã ueritatem Dei, & talem quæ aduerſus omnes portas inferorũ conſtet? Qui enim potuiſſet aduerſus tot ac tantos aduerſarios conſtare, ſi non fuiſſet diuina potentia ſuffultum ac munitum? Proinde nihil eſt quod cauſantur impij ſe libẽter credituros Euangelio de Ieſu Chriſto, ſi probe ſcirẽt ipſum uerum ac diuinum eſſe, ipſa enim res declarat ueritatem eius uere diuinã eſſe. Sed qua de cauſa inquies, mundus hic tanto odio habet Chriſtum & Euangelion eius ut ubiq; contradixerit? Si cognitum tibi fuerit officium Ieſu Chriſti & Euangelij eius, in promptu cauſa erit. Satan enim eſt princeps huius mundi, & ut Paulus dicit, deus huius ſæculi. Chriſtus uero uenit in hunc mundum ut opera Satanæ deſtrueret, & tyrannidem eius opprimeret. Quare Satan non poteſt ferre Chriſtum, ſed concitat omnes homines a natiuita te ſuæ poteſtati ſubiectos, ut reſiſtant Chriſto. Adhæc, Euangelion Chriſti longe aliam docet iuſticiam, quam omnes aliæ religiones, quã ue naturalis hominum ratio capit: nam ratio hominum ſentit hominem non ita corruptum, quin poſſit ſuis uiribus uere uirtuti operam dare ac honeſtus eſſe, & quotquot ſunt in toto orbe religiones, præter Chriſtianiſmum, eæ ſentiunt Deum humanis operibus placari, & fœlicitatem humanis uirtutibus parari poſſe. Euangelion autem Chriſti palam ſignificat ſe inuenire omnes homines ita corruptos, ut ab initio conceptionis eorum careant ſpiritu ſancto, & habeãt corda impia, adeoq; nihil perfecte boni quod in iudicio Dei conſtet operari queant, etiãſi opera in ſpeciem honeſta faciant. Docet igitur neceſſarium eſſe hominibus, ut remittantur ipſis peccata, & hanc ſolam eſſe iuſticiam eorum q̃ non imputetur eis iniuſticia ipſorum propter Chriſtum per fidem. Proinde cum nec ratio humana, nec ratio religionum huius ſæculi cum Euangelio Chriſti conueniant, fieri ſolet, ut qui inter homines ſint prẽſtantiſſimi, & qui in alijs religionibus ſint ſanctiſſimi, Euãgelio Chriſti maxime omnium aduerſentur. Sed quo magis illi Euangelio reſiſtunt ac extinguere conãtur, eo magis promouet, quemadmodum id non ſolum ſcriptura ſacra, ſed etiam experientia omniũ ſæculorum teſtatur. Proinde Euangelion tanto pertinatius ſectandum eſt, quanto plures & potẽtiores habet aduerſarios. Sed de his ſatis aliàs, nũc p̃ſtringamus ea quæ ſequunt. Cum aũt cõſtituiſſent illi diem, uenerunt ad eũ in hoſpiciũ plurimi quibus exponebat teſtificans regnũ Dei, ſuadẽs eis de Ieſu ex lege Moſi & prophetis a mane uſq; ad ueſperã. Regnũ Dei hoc loco iuxta phraſim Euangelicã, eſt Euãgelion de remiſſione peccatorũ propter Chriſtũ. Dicitur eñ Euãgelion regnum Dei, quia eſt potẽtia Dei ad ſalutem omni credẽti. Expoſuit igit Paulus & teſtificatus eſt Iudæis Euãgelion de Ieſu Chriſto, nimirũ, q̃ nullus iuſtificet ex operibus legis, ſed quia oẽs hoĩes ſint peccatores, non ſolum in manifeſte malis, ſed etiam in bonis opibus, hac uidelicet cõditione q̃ bona opera hominũ ſint imperfecta, & nõ ſatisfaciãt plene legi ſpũali, neceſſario conſequitur nõ eſſe aliã iuſticiam hoĩm q̃ remiſſionem iniuſticiæ eorum propter Chriſtũ per fidem. Hoc erat argumentũ prioris partis contionis Pauli, quam a mane uſq; ad ueſperam habuit. In poſteriori autem parte docuit ex Moſe & prophetis, hunc Ieſum a Iudæis crucifixum, eſſe uerum illum Meſſiam Chriſtum, propter quem credentes in ipſum iuſtificarentur, & quem tanto tempore Iſraëlitæ expectaſſent: oſtendit enim ſacrificia & mactationes le

Ratio odij erga Euangeliũ

»
»
»

Regnum dei eſſe Euangelium.

gis in huius Iesu passionem & sanguinis eius effusionem respexisse, & quia hic Iesus pepẽderit in ligno, factum eum esse pro nobis maledictum (scriptum enim est: Maledictus omnis qui pendet in ligno) ut benedictio Abrahæ in omnes gentes per ipsum ueniret. Exposuit præterea q̃ quæ prophetæ uaticinati sunt de genere, de natiuitate, de tempore, de loco natiuitatis, de persona, de miraculis, de doctrina, de passione, de resurrectione, de exaltatione Messiæ seu Christi, ea omnia ad amussim in hunc Iesum competant. Est igitur hic Iesus uerus Messias seu Christus patriarchis promissus, sacrificijs legis adumbratus, & per prophetas prænunciatus, propter quem habemus remissionem peccatorum & uitam æternam. Habes ergo ex hoc loco religionem Christianam, in qua hæc præcipua doctrina est, q̃ nullus iustificetur ex operibus suis, sed iusticiã nostrã esse remissionem peccatorum propter Christum per fidem, non esse recens inuentam aut ab hominibus excogitatam, sed lõge omnium uetustissimam, & primam omnium in hoc sæculo, adeo q̃ tunc prædicatam, cum dictum est ad serpentem adstante & audiente primo nostro parente Adamo: Semen mulieris cõteret caput tuum. Omnes autem aliæ religiones, uidelicet, uel gentium idolis seruientium, uel hypocritarum inter Iudæos, uel hypocritarum & papistarum inter Christianos, uel Turcarum, non sunt nisi humana figmenta, & post ueram Christianismi religionem adinuenta. Quare, qui Euangelio de Christo Iesu fidem adhibet, is non sectatur nouam fidem, quemadmodum impij hypocritæ calumniantur pios, sed eam religionem sectatur, quæ mox condito orbe ab ipso DOMINO deo nostro instituta & prædicata est, & postea a patriarchis obseruata, ac per prophetas adnunciata est. Videamus autem nunc quomodo hæc Pauli concio de Euangelio Iesu Christi ab auditoribus suis excepta sit. Et quidam (inquit) credebãt
» his quæ dicebantur, quidam uero non credebant. Hæc est solennis Euangelij fortuna, q̃ minor auditorum pars credat, maior autem non credat, sed aut contemnat aut persequatur. Est enim Christus positus in lapidẽ angularem, qui alijs quidem est firmamẽtum, alijs autem lapis in quem impingitur, & petra ad quam offendant. Sunt autem hæc præcipue ad consolationem eorum qui Euangelion prædicant scripta. Si enim pauci crediderunt prædicationi Pauli & contradixerunt Euangelio eius, quid mirum si alijs paulo longe minoribus Euãgelion de Iesu Christo prædicantibus pauci credant? Quin & uerbum Christi DOMINI nostri multo plures reiecerunt & crediderunt. Nihil igitur noui accidit, si seruorum Christi uerbum a paucissimis recipitur. Cunq̃ inuicem non essent con
» sentientes, discedebant, dicente Paulo unum uerbum. Quod bene spiritus sanctus locutus est, per Esaiam prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum & dic ad eos: Aure audietis & non intelligetis, & uidentes uidebitis, & non perspicietis. Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte uideant oculis, & auribus audiant & corde intelligant & conuertantur & sanem eos. Notum ergo sit uobis, q̃ Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audiẽt. His uerbis Paulus primum commendat authoritatem Esaię prophetæ, q̃ uerba eius non sint uerba hominis sed uerba spiritus sancti. Bene, inquit, spũs sanctus locutus est per Esaiam prophetam. Deinde allegat eum locum Esaiæ, cuius omnes Euãgelistæ meminerunt. Et in Esaia quidẽ scribit cap. 6. In Matthæo aũt cap. 13. In Marco ca. 4. In Luca cap. 8. Et in Ioanne cap. 12. Scripsit aũt hæc Esaias (quemadmodum Ioannes inquit) quando uidit gloriam Christi. Porro gloria Christi, quam in hoc sæculo habet est reuelata prædicatio Euangelij, quod Christus placauerit patrem q̃ pro peccatis satisfecerit, q̃ nulla sit alia iustícia q̃ remissio iniusticiæ propter Christum per fidem. Tunc ergo hæc scripsit Esaias, quando in spiritu sancto uidit

Quod religio Christiana non sit nouareligio.

dit Euangelion de noua iustitia, quæ est remissio iniustitiæ, reuelari, ac per Christum & Apostolos eius prædicari. Hæc autem prædicatio duplices habet auditores inter Iudæos, hoc est, inter eos qui aliqua iustitiæ & sanctitatis specie propter opera legis fulgent. Sunt enim qui agnoscunt suam iustitiam esse impuram & imperfectam, ac legi Dei minime satisfacientem. Et hi Euangelion de noua iustitia, uidelicet, remissione iniustitiæ libenter amplectuntur. Sed hi numero pauciſſimi sunt, & in populo abiectiſſimi, ac uocantur ab Esaia, reliquiæ & decimatio. Sunt alij, qui nequaquam persuaderi uolunt iustitiam ipsorum esse impuram, sed sentiunt eam esse ita perfectam, ut non solum legi Dei satisfaciat, sed etiam cœlum & uitam æternam pro sua dignitate mereatur. Hi sunt & multitudine & authoritate conspicui: ac primum quidem contemnunt Euangelion de remissione peccatorum gratuita, quia putant se propter suam iustitiam hac noua iustitia non indigere. Deinde persequuntur etiam, quia uident suam iustitiam per hanc nouam iustitiam argui & condemnari. Docet igitur Esaias in eo loco quem Paulus hic allegat, quæ pœna, quod supplicium, hos auditores Euangelij maneat, qui illud contemnunt & persequuntur. Primum enim tam admirabili surditate & cæcitate percutiuntur, ut audientes non audiant, & uidentes nõ uideant. Deinde tanta insipientia obruuntur, ut sapientes nihil sapiant, intelligentes nihil intelligant, hoc est, tanta amentia ac furore mentis percuciuntur, ut quemadmodum Mose dicit, palpent in meridie sicut palpare solet cœcus in tenebris. Ad hæc non resipiscunt, non conuertuntur ad DOMINVM, sed quo magis suam ipsorum iustitiam sectantur, hoc longius a iustitia Dei quæ est per fidem recedunt. Postremo, quod e prioribus consequitur non sanantur, non habent remissionem peccatorum, non seruantur in morte, sed in æternum pereunt. Hæc sunt supplicia eorum qui Euangelion contemnunt & uirulẽter persequuntur, non q̃ nulli ex his resipiscant & seruentur, (nam & Paulus persecutus est Euangelion, & tamen resipuit ac seruatus est) sed q̃ hæc sint ordinaria contemptorum & persecutorum supplicia, inter quos si aliquot pauci resipiscant ac seruentur, non ipsorum meritum est, sed exemplum quo Deus gratuitam suam clementiam, qua solet maxime omnium indigniſſimos seruare, toti orbi testatur. *Supplicium eorum qui Euangelion contemnunt.*

Cæterum q̃ Paulus istum Esaiæ locum hic allegat. Primum consulit offendiculo, quod infirmi in fide ex authoritate & numero eorum qui Euangelion reijciunt, cõcipere possent. Cum enim tot uiri inter Iudæos eruditione & sanctitate præstantes contemnerent, & condemnarent Euangelion, potuisset imbecilliter credentibus uideri uanum esse mendacium. Probat igitur Paulus testimonio Esaiæ hanc esse fortunam Euangelij, ut maxima Iudæorum & eorum qui iustitiam in opera sua collocant pars, contradicat ipsi & persequatur. Itaque non est propter illorum contradictionem ab Euangelio deficiendum, sed potius amplectendum & sectandum. Deinde cum Paulus ait: Notum sit uobis quod gentibus hoc salutare Dei missum sit, confirmat fidem Gentium, quod &si non sint de carnali populo Israel, tamen ad ipsas quoque pertinet Christus & Euangelion. Nam per lapsum Iudæorum contigit salus Gentibus. Postremo docet etiam hic locus gentes timorem Dei, Si enim Deus non pepercit populo suo Israël, ex omnibus gentibus electo, sed reiecit eos, quia ipsi reiecerunt Euangelion, multo minus parsurus est nobis gentibus, si pergamus ita fastidire Euangelion Christi, quemadmodum his temporibus fieri uidemus. Nam q̃ Lucas de Iudæis scribit, hoc plane reipsa nunc inter nos geritur. Sic autem inquit Lucas: Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem. An non hæc inter nos post concionem Euangelij fieri solent? Maior enim fere auditorum pars exit e concione, aut secum Euangelion clam fa- *Paucitas credentium.* *Ex reiectione Iudæorum timorem Dei discendum esse.* ,, ,,

stidiens, aut palam mendacij accusans, aut cum quouis obuio contendens, aui tam religionem (sic enim uocant impietatem papisticam) uere diuinam, hoc autem nouum Euangelion prorsus Satanicum esse, nec ullum fuisse rerum prospe rum successum, dum nouum istud Euangelion in orbe prædicatum sit. Sed qui tam uirulento animo e concionibus Euangelij exeunt, quid obsecro, aliud faci unt, quàm ꝙ exeant e uita ad mortem, e cœlo ad infernum, a Deo ad Satanam? Quare dilectissimi, non fastidiamus donum dei, quod est Euangelion Iesu Chri sti, ne impietatis pœna nos obruat, sed amplectamur illud, obuijs quod aiunt ul nis, ut sit nobis credentibus potentia ad salutem per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus laudãdus in sæculà. Amen.

HOMILIA CXXII.

TCunctꝫ impium hominum uulgus de promissionibus diui nis sentiat & irrideat, certe ea est ueritas & clementia Dei, ut non solum id præstet quod Verbo suo se præstiturum re cepit, uerumetiam longe plura & maiora beneficia exhi beat, quam quis petere aut cogitare queat. Quod cum aliàs sæpe scriptura testatur, id tamen nunc exemplo Pauli præci pue comprobatur. Nam cum Paulus Hierosolymis a Iu dæis caperetur, & coram concilio sisteretur, haud longe aberat quin discerptus fuisset. In eo igitur periculo audit promissionem Dei. Bono animo esto Paule, ut enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. Quanquam autem Paulus hoc itinere, quo a Hierosolymis ad Romam missus est, maxima discrimina subierit, peruenit tamẽ iuxta promissionem Dei incolu mis ad Romam, & testificatus est illic coram Iudæis de regno dei & Iesu Chri sto, sicut testificatus erat de ipso Hierosolymis. Itaqꝫ uidebatur Deus iam pro missioni suæ satisfecisse. Sed ecce ut ostenderet Deus immensas clementiæ suæ diuitias, nõ hoc tantum concedit Paulo, ut una aut altera concione de Iesu Chri sto testificetur, sed etiam ut duobus annis Euangelion Iesu Christi Romæ liber rime prædicet. Sic enim concludit Lucas historiam Actorum Apostolicorum dicens: Mansit autem biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de DOMI NO Iesu cum omni fiducia sine prohibitione. Quod dicit Paulum man sisse in conducto suo, significat Paulum hoc biennio habitasse Romæ in ædi bus conductitijs. Incertum autem est, num liber & absolutus an uinctus illic ha bitauerit. Certe circumstantiæ indicant eum nondum absolutum, sed uinctum illic habitasse. Supra enim dixit Lucas, permissum est Paulo ut permaneret so lus cum milite qui eum custodiebat. Et hoc loco dicit, Suscipiebat enim qui in grediebantur ad eum. Quibus uerbis non obscure significatur, ipsum aut uinctum aut saltem libere custoditum, in ædibus conductitijs mansisse, alioqui eñ non expectasset ut discipuli ad se ueniissent, sed relictis ædibus, ad Synagogas & ad theatra festinasset, ut ubicunꝫ liceret Iesum Christum prædicaret. Quid ergo factum est de Paulo, post exactum biennium? num aufugit? num occisus est? num liberatus est? Hactenus quidem Lucas prosecutus est Acta Pauli, siue quod post hoc tempus a Paulo abierit, siue satis ipsi uisum fuerit, huc usqꝫ tan tum Acta Pauli prosequi, siue alius casus interuenerit, cur non & sequentia acta descripserit. Nam Paulum fuisse post hoc biennium liberatum, & ad prædica tionem Euangelij redijsse, testatur ipse in epistola posteriori ad Timotheum, ca pite quarto ita dicens: In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me deseruerunt

Exemplum clemẽtiæ dei

Quod post biennũ Pau lus sit libera tus.

deseruerunt. Ne illis imputetur, sed DOMINVS mihi affuit, & corroborauit me, ut per me præconium expleretur, & audirent omnes Gentes, & ereptus fui ex ore leonis, & eripiet me DOMINVS ab omni facto malo, seruabitq; in regnum suum cœleste. Post hanc igitur liberationem sentiunt quidam Paulum adhuc decem annos Euangelion prædicasse in occidentis partibus, & post ea iterum reuocatum ad tribunal Neronis, atq; propter nomen Christi capite truncatum esse. Nam quod Romæ secundo in uincula retractus sit, & præsenserit sibi tunc mortem imminere, haud obscure in eadem Epistola ad Timotheum significat: Ipse iam, inquiens, immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Colligunt igitur quidam non indiligentes Scriptores Paulum a primo conuersionis suæ anno in Euangelico negocio plus minus triginta quinque annos uersatum esse. Hic ergo mihi uide miraculum longe omnium maximum, & quod omnia alia miracula per Paulum ædita superat. Paulus enim fuit Apostolus Christi, & prædicauit Euangelon de Iesu Christo. Huic autem Euangelio, Satan & omnes angeli eius extreme inuidebant, unde ad persecutionem & internitionem Pauli incitabant, primum Iudæos, deinde Gentes, postremo omnes quas poterant creaturas, ut hunc Euangelij præconem perderent. Ter (inquit) naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres. Attamen ex his maximis periculis DOMINVS seruum suum tot annis ita liberauit, ut per omnia illa duxerit eum ad summam & perpetuam fœlicitatem. Ingens quidem miraculum est Satanam e phytonissa eijcere, mortuum suscitare, uiperam excutere ne morsu suo lædat, infirmos sanos reddere, & id genus alia. At hoc longe maius miraculum est, in tot periculis, aduersitatibus omnibus creaturis a Satana in exitium concitatis seruari, & ad sempiternam salutem perduci. Memorabile exemplum, quo quisq; uocationem Dei sectans, fiduciam suam in aduersis confirmare, & animum suum consolari potest. Ostendit enim DOMINVS in Paulo hanc suam esse uoluntatem, quod uelit omnes quotquot uocationem suam sequuntur, & fiduciam suam in ipsum collocant in omnibus periculis, quantumcunq; aduersis, ita seruare, ut aduersa Paulo non solum nihil detrimenti eis afferant, sed etiam adiumento sint in bonum. Quid igitur times ne propter pericula in medio uocationis tuæ cursu abripiaris, & immatura morte extinguaris? Desine tu timere, reijce autem hunc timorem in impios. Hi enim quia non ambulant in uocatione Dei, nec confidunt Deo, nec resipiscunt, quocunq; tempore periculis mortis obruuntur immatura morte pereunt. Vnde Dauid: Viri, inquit, sanguinum non dimidiabunt dies suos. Et Esaias, dum ait in Ecclesia DOMINI non fore senes, qui non impleant dies suos, perspicue significat, impios dies suos non implere. Qui autem pij sunt in Christo, hi quia per baptismum consepulti sunt in mortem Christi, ideo quouis anno, quouis die, quauis hora, quouis denique momento maturi sunt ad moriendum, nec ulla sunt tanta pericula, per quæ possint immatura morte abripi. Qui habitat, inquit Dauid, in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet DOMINO susceptor meus es tu, & refugium meum. Et mox: Scuto circũdabit te ueritas eius, non timebis a timore nocturno. Non est igitur quod timeas in periculis immaturam mortem, sed time potius DOMINVM & resipisce, ut inter beatos illos seruos recenseris qui sunt similes seruis expectantibus dominum suum quando reuertatur a nuptijs, & cum uenerit, ac pulsauerit, confestim aperiant ei. Cæterum, cum Lucas indicasset, quod Paulus in hoc biennio quo Romæ in conducticijs ædi-

Maximum Pauli miraculum.

Quãtum bonum uocationem Dei sequi.

Psal. xc.

L43967-CR

bus moratus est, omnes humaniter exceperit ac docuerit eos, indicat quoq;, sed paucissimis, argumentum, statum, & summam earum concionum, quas Paulus hoc biennio habuit, prædicans, inquit, regnum Dei, & docens quæ sunt de DOMINO Iesu. Diximus autem antea, Regnum Dei in huiusce modi locis accipi pro Euangelio Iesu Christi, quo Deus in Ecclesia sua regnat, & quo credentes ad perpetuum regnum Dei perducuntur. Prædicare uero ac docere Euangelion de Iesu Christo, non est tantum prædicare historiam de rebus gestis Christi, sed quemadmodum Paulus in Epistola ad Romanos explicat, est prædicare quod omnes homines sint peccatores, nec ex operibus legis ulla caro iustificetur in conspectu Dei, sed quod iustificentur gratis per gratiam Dei, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine. Atq; hæc est summatim illa doctrina quam Paulus electum Dei organon, non in hoc biennio solum, uerum etiam ab eo tempore quo ad Christianismum conuersus est, usque ad nouissimum uitæ suæ spiritum, tam inter Iudæos quàm inter Gentes, magna animi fiducia prædicauit, quam adhuc quoq; in Ecclesijs Christi per sanctissimas Epistolas suas prædicat. Quid ergo de hac doctrina dicemus? Ea nimirum est quæ ad nos est de cœlo in terram allata, quæ ex inaccessibili diuinæ maiestatis adyto in hunc mundum uenit, quam Paulus in tertio cœlo ab ipsomet DOMINO nostro IESV CHRISTO audiuit & didicit. Hanc patriarchæ & prophetæ ut organon summæ ipsorum fœlicitatis magna fide complexi sunt, quæ primum tam confirmatæ ueritatis est, ut si angelus de cœlo aliud nobis prædicauerit, pro anathemate iudicandus sit. Deinde tantæ est potentiæ per spiritum Dei, ut omnes credentes illi, perpetuo saluos faciat. Nec est quod existimemus Paulum suis tantum temporibus & suæ solum ætatis hominibus Euangelion de Iesu Christo prædicasse aut scripsisse, sed sentiendum est Euangelion eius omnibus sæculis & omnibus ætatibus, usq; ad extremum omnium diem ad salutem omnibus credentibus, ad confutationem omnium errorum, ad confirmationem ueri Christianismi seruire. Proinde summa nobis cura esto, ut hanc Euangelij doctrinam non solum arrectis auribus & attentis animis, sed etiam magna ac forti fide capessamus, quo & ueram iusticiam & perpetuam salutem consequamur, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto DEVS laudandus in sæcula. Amen.

Quid sit prædicare Euangelium.

Commendatio doctrinæ Pauli.

1796.

